RES/3931 V.

R

2786

R. 2786
RES 3931 V.

DE IMMACVLATA BEATÆ VIRGINIS CONCEPTIONE AB OMNI originali peccato immuni

LIBRI QVATVOR,

DICATI SACRÆ MAIESTATI PHILIPPI III. *Hiſpaniarum Regis.*



AVTHORE FR. ÆGIDIO DE PRÆSENTATIONE
Luſitano Diœceſis Egitanienſis Ordinis Eremitarũ S. Auguſtini
Doctore Theologo, & in celebri Conimbricenſi Academia
in Sacra Theologia Primario emerito.

CONIMBRICÆ,

Cũ facultate Inquiſitorum, & Ordinarij.

Apud Didacum Gomez d' Loureyro Academiæ Typographum.
Anno Domini 1617.

Biblioteca Nacional Lisboa

R
2786

Biblioteca Nacional
S. R.
LISBOA

MANDATO Illuſtriſsimi D. D. Ferdinandi Maſcarenhas Algarbiorum Epiſcopi, ac Sanctiſsimi Officij Inquiſitoris generalis digniſsimi, præſentem tractatum de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione qua potui diligentia euolui. Quem non ſolum cenſeo vlla ex parte ſanæ in fide, ac moribus doctrinæ non aduerſari, verum etiam iure optimo talem appellari poſſe, qualem regalis maieſtas Chriſtianiſsimi, ac pijſsimi Regis noſtri Philippi I I. ad ſedandas huius temporis procellas in mundano Theologorum mari (proh dolor) excitatas, præcepit fieri. Iam enim illæ, quemadmodum dicitur Iob. 38. huc vſque venient, & non procedent amplius, & hic confringent tumentes fluctus ſuos. In eo namque eius author Fr. Ægidius de Præſentatione Magiſter noſter communis, inſignis huius ætatis Doctor Theologus, Academiæ Conimbricenſis Primarius emeritus meritiſsimus, ſingulari eruditione, poſt omnia alia ab alijs in lucem circa hoc argumentum emiſſa, nouas quæſtiones complures diligenter pertractauit, nihilq; indiſcuſſum, quod ad præſentem materiam quouis modo faciat, omiſit: & ita ſolide, fundamentaliterque, vt inſtar Hieronymi olim Tullium ſic alloquentis; *Demoſthenes tibi præripuit, ne eſſes primus optimus orator; tu illi, ne eſſet ſolus*: ſic prædicto nobis Magiſtro dicere licebit; *Ægidius ille Romanus, altera huius domus, quam ſibi æterna ædificauit Sapientia, hoc eſt, noſtræ Auguſtinianæ Religionis, columna tibi præripuit, ne eſſes primus Doctor fundatiſsimus; tu illi, ne eſſet ſolus.* Itaque multis titulis hoc egregium opus digniſsimum iudico, quod in lucem edatur, & prælo mandetur. In Olyſsiponenſi Conuentu Virginis de Gratia vltimo Martij die anno 1617.

Doctor Fr. Antonius Freire.

VIſta a Informação, podeſe imprimir eſte Liuro, & depois de impreſſo torne a eſte Conſelho para ſe conferir. Em Lisboa 6. de Março de 617.

Bartholameu da Fonſeca. *Antonio Dias Cardoſo.*

POdeſe imprimir eſte Liuro. Coimbra, a 24. de Abril de 1617.

A. Biſpo Conde.

DAm licença ao Doutor Fr. Egidio da Preſentação, para poder imprimir eſte Liuro; & depois d'impreſſo tornará para ſe taxar, aliás não correrá. Em Lisboa a 8. d'Abril de 617.

Pinto. *Rangel.* *Gama.* *Machado.*

TAxão eſte Liuro a tres reis por folha de todas as que tiuer. Em Lisboa a 14. de Abril de 617.

Pinto. *Machado.* *Rangel.*

FRater Ioannes de Abranches Prouincialis Ordinis Eremitarum Sancti P.N. Auguſtini in Regnis Luſitaniæ, facultatem facimus Reuerendo admodum Patri Magiſtro noſtro Fratri Ægidio de Pręſentatione Doctori Theologo, & in Conimbricenſi Academia Primario Profeſſori emerito, vt tractatum de immaculata Beatæ Virginis Conceptione, quem luculenter concinnauit, prælo tradat, & in publicam vtilitatem edat. Datum Olyſſippone in Conuentu Deiparæ de Gratia, noſtro ſigillo, & ſubſcriptione munitum die 16. Aprilis 1617.

Fr. Ioannes de Abranches Prouincialis.

(.?.)

PHILIPPO III. HISPANIARVM REGI POTENTISSIMO.

AD pedes tuos (Regum maxime, & pietiſsime) prouoluor, cum hoc pietatis fœtu, qui tuis auſpicijs conceptus, & tuo iuſſu editus, ſe dat in lucem ſub luce magna maieſtatis tuæ. Prodit ille, vt reor, cum fructu, felix dierum, aperto iam cœlo, & pacatis Euris poſt turbidam illam procellam, quæ proximis annis totam ferme Hiſpaniam concitauit; cuius tumentes fluctus pie, leniterq; ſedaſti, ea pietate, & zelo, qui imo in pectore viuidus viget, deductus cũ Regno, & ſanguine à magnis Maioribus, quos immẽſa ſerie à Cæſaribus, & Regibus nectis. Sed inter iſtos eminẽt Siſenãdus, Sindaſuindus, Ioãnes Aragonius, Ferdinãdus, Carolus Quintus, auctores Hiſpanæ poteſtatis, & pietatis. Eorum enim in B. Virginis Conceptionem immaculatam affectus intimus antiquis præluxit æuis, noſtroq; præiuit, ad inflamandos gentis ſuæ animos, & continendos in pietatis officio. Hoc ſacro igne tacta Hiſpanorum corda, á primis annis Conceptionis puriſsimæ amorem & cultum induunt: ac, vt verum fatear, cum ijſdem Religio innaſcitur, moxque ſecura inſid[illegible], & creſcit intimis animorum

¶ 3 pene-

penetralibus. Hac eadem flãma totus ardes Rex maxime quod teſtantur ignea deuotionis, & pietatis argumenta vbique nota, tanquam ſcintillæ interioris ignis. Id vidimus in pacanda Hiſpania, in conſtituendo grauiſsimo tribunali pro Conceptionis iudicijs perquirendis. Demùm in legatione miſſa ad ſummum Eccleſiæ caput pro poſtulando de Conceptione decreto. Sed precamur, ſeduló inſtes pro Virginis immunitate: nam adiuuabit auxiliatrix illa Virgo Mater, & in cauſa ſua: quæ libens Hiſpanæ Monarchiæ non ſolum auxilio erit, & fulcro; ſed incremento etiam, & ornamento. Fietque vt à Virginis gloria originem ducat gloriæ tuæ cumulus, quó firmiter, & feliciter perennet in æuum.

(.?.)

LECTORI MEO.

TOT noſtro hoc æuo in Hiſpania commoti fluctus circa B. Virginis Conceptionem, vt præter quęſtionum procellas, non vno tantum in loco ſit vſque ad ſanguinem deſæuitum. Deſiderabatur interim Neptunus aliquis pacator, qui motos componeret fluctus, & procelloſum pelagus trãquillaret. Id præſtare conati ſunt per id temporis plerique docti, qui euulgatis ſcriptis in hunc finem, & ſcopum collimarunt. Eorum tamen procurſu non ſedatum mare; ſed plus turbidum, & inquietum tanquam per Aeolos. At ſi non repẽte reſedit turbo; paulatim tamen fluctus poſuere, vt aſſolet in procella. Ergo ſereno iam cœlo, mea hæc ſcripta prodo in pacem, & concordiam; ſi cum effectu fortaſsis non felici, cum affectu tamen maximo in B. Virginem. Sed duo te moneo primum ne culpes repetitam á me quæſtionem de debito contrahendi peccatum originale: id enim coactus feci, & quæſtionem fuſius protraxi, vt diuerſos Neothericorum examinarem dicendi modos, qui ad me delati, cum iam excuderentur exemplaria. Vltimum, vt locũ, qui mihi excidit, annotes, inſeraſque locis Patrum centuriæ milleſsimæ quingenteſsimæ. Is eſt B. Thomæ de Villa noua Archiepiſcopi Valentini, ac noſtri Auguſtinenſis Ordinis ornamenti, qui concione tertia de Natiuitate Virginis circa finem, hæc habet. *Non decebat ſanctuarium Dei aliquam in ſe labem habere, propter quod antequam anima illa ſanctiſsima infunderetur, plene fuit caro illa mundata ab omni fæce & labe, & anima, cum infuſa eſt, nullam habuit ex carne, neq; contraxit labem peccati.* Sed iam his fruere, & vale.

¶ Precor (candide Lector) vt errata hæc, quæ Typographorum incuria, & nimia huius operis edendi feſtinatione irrepſerant, ſuis corrigas locis, ne tibi pariant legenti confuſionem.

Pag.1.col.1.lin.23.Virgine,lege,Virginem.Ib.c.2.l.1. ſi noſtram, adde, tractationem. P.4.c.1 l.31. eiuſdem,lege,eiſdem. P.11.c.2.l.23 ſint,lege,ſunt. P.13.c.1.l.11. glorioſæ, lege, religioſæ. P.14. c.1.l.1.oſtende,lege,oſtendit. Pag.15.c.1.l.33. moueatur, moueatur, lege, moueantur, moueantur. P.20 c.2.l.3.expendo vbi,lege,expendo, quod vbi. P.21.c 1.l.21.ar.6.lege, ar.7. P.22.Spiritum S. lege,Spiritus S. P.23.c.2.l. 2.& quibuſcũque,lege,quæ quibuſcunque. P.24.c.2.l.27.ei filium,lege, Dei filium. P.25.c.1.l.28.mons Domini,lege,mons domus Domini. P.28.c.2.l.21.hæreticum,lege, erroneum.P.32.c.2.l.3.ſit cardo,lege eſt cardo. P.39.c.1.l.26.peccare,lege peccator.P.41.c.1.l.44. & 46.eum,lege meum. P.42.c.1.l.21.In tertio,lege,A tertio.P.46.c.1.l.29.corpore,lege, & corpore. Ib.c.1.l.31.& illa,lege,ſed illa. P.49.c.2.l.3.explicare,lege, exprobare.P.54.c.2.l.penult.art.1.huius quæſt.lege,q.1.huius lib.art.1.n.2.P.60.c.1.l.5.actu non,lege, actualiter. Pag.61.c.1.l.33.& 34. nec comedere,lege ne comederent. Pag.67.c.2. l.vlt. rationem quiſque, lege, rationem ſit, vt quiſque. Pag.71.c.2.l.46.generabat,lege,gerebat.P.72.c. 1.l.36.Adamus,legẽ,Adamo. Ibid. l.42. fuiſſet, lege, fuiſſe.P.77.c.1.l.26.diſtincte,lege,indiſtincte.Ib.c.2.l.41.eſſe, lege, eſſet. P.83.c.2.l.penult. peccato, lege,peccatum P.85.c.1.l 6.affirmans,lege,negans.P.87.c. 1.l.42.liberatore, lege, liberatione. P.95. c.1.l.32.eam,lege etiam.P.98.c.2.l.50.qui,lege,quod. Pag.101.c.1.l.39.abſque illa,lege,abſque vlla. P.117.c.1.l.44.non imputari,lege,vere imputari. P.139.c.2.l.51.q.1.ar.6.lege, q.3.ar.4. P.142. c.2. l.16. q.1.ar.6. §.1.lege,q.3.ar.4.§.9.Ibid.l.26.ar.5.lege,ar.4.P.143.c.1.l.22.§.6.lege,§.4.Ibid.c.2.l.8. ar.6.§.5 lege,ar.4.§.9.P.147.c.2.l.12.ergo intendit, lege,ergo nec intendit. P.162.c.1.l.19.Centuriones,lege,Centuriatores. P.163.c.1.l.45.præuerſos, lege,peruerſos: & ſæpe alibi. P.165.c.2.l.42. ar.6.lege,q.6.Idem ſic etiam corrige p.167.c.1.l.30. P.175.c.1.l.6. Lucæ Euangelij, lege, luce Euãgelij.Ibid.c.2.l.17.cum Paulo conueniſſe,lege,cum Paulo Romam conueniſſe.P.178.c. 1.l.1.noluiſſet lege,voluiſſet.P.182.c.2.l.penult.ar.8.lege,q.6. P.183.c.2.l.21. tradiderunt,lege,tradidiſſe. P.184. c.2 l.42.ſeq.art.lege,ſeq.quæſt. P.185.c.1.l.4 ar.2.lege,q.2. P.187.c.1.l.7.etiam quod à tẽpore,lege, etiam à tempore.Ibid.c.2.l 2.oriens,lege,orientem. P.189.c 2.l.24.peccatorum,lege,peccatis. Pag. 195.c.2.l.36.in ipſa,lege,in ſe ipſa.P.197.c.1.l.32.gratiam anteuertente,lege,gratiã nõ anteuertẽte. P.201.c.2 l.45. Albanenſes,lege Albigenſes. P.211.c.1.l.39.quia ex vi,lege,quia B.Virgo ex vi. Ib. c.2.l.vlt,immundam,lege,mundam. Pag.213.c.1.l.23.expers etiam ſit, lege, expertem etiam eſſe. P.218.c.2.l.46.actu fuiſſe, lege,actu non fuiſſe P.224.c.2.l.37 nata prior,lege natura prior.Ib.l.45. ita etiam,lege,ita enim.P.227.c.1.l 22,mortem,lege,morti.Ib.c.2.l.31.eorum Deo,lege,coram Deo. P.230.c.2.l 22.ab ao,lege,ab ea. P.234.c.1.l.13.Richardum,lege,Rupertum.P.242.c.2.l.39.Innocentius 3 lege,Honorius 3.P.278.c.1.l.12.cum ex,lege,quoniã ex.P.282.c.1.l.40.inerit,lege,inierit. Pag.287.c.1.l.47.ordinaria,lege,extraordinaria. P.293.c.1.l.28. & trecentos, lege, ſeu nongentos. Pag.298.c.2.l.19.celebrabat, lege,non celebrabat. Pag.314.col.1.l.22. ſunt certa, lege, eſt certum. Ib.c 2.l.4.trecentos,lege,vel nongentos.Idem ſic corrige,pag.315.c.1.l.40. Pag.317.c.1.l.9. debent veritates.lege,debent inter veritates.P.321.c.2.l.9.immaculata,lege,immaculatæ.Pag.337.c.2.l.39. erit,lege,erat.P.350.col.2.l.35.nam primum,lege,nam ad primum. Pag.351.c.1.l.42.& vel,lege,& veluti. P.350.c.2.l.49.nec homo,lege,& homo.Pag.361.c.2.l.6. commiſſa,lege,commiſſam. Ib.l.24. vt ratione,lege,vt de ratione. P.362.c.2.l.12.prioris,lege,poſterioris. P.377.c.1.l.35.adde,lege,addit. Pag.387.c.2.l.20.duodecim, lege,quatuordecim. Pag.383. c.1.l.1.annotauit, lege, annotarunt. Pag.396.c.2 l 25.inſcijs potuerit,lege,inſcijs non potuerit. P.397.c.2.l.1.peccauerit,lege,peccauerint.Ib.l.2.fecerit,lege,fecerint.Ibid.l.23.deſumitur,lege,deſumuntur. P.411.c.1.l.47.Domini,lege, Virginis.Pag.417.c.1.l.14.negabit,lege,reſpondebit.Pag.418.col.1.l.25.anima,lege,animal. P.419. c.2.l.35.expurgari,lege,expugnari. P.434.c.2.l.29.intrinſeca,lege,extrinſeca. Pag.446.col.1.l.11. pro quarta,lege,pro quinta. Pag.447.c.1.l.7.aduerſarijs, lege,aduerſarius. Pag.448. col.2.l.10. effectus,lege,defectus. Pag.449.col.1.lin.25.potuiſſe non, lege, non potuiſſe.

FINIS.

INDEX

INDEX QVÆSTOI-NVM, ET ARTICVLO-RVM TOTIVS OPERIS.

Præfatio totius operis. fol. 1. n. 1.

Index Quæſt. lib. I.

QVÆSTIO I.

¶ *Art. vnicus. Vtrum in Virgine admittendæ ſint plures ſanctificationes, an vna tantũ? fol. 2.*

QVÆSTIO II.

¶ *An Virgo Mater fuerit ſanctificata in vtero matris antequam ex vtero naſceretur? fol. 3.*

¶ *Art. 1. Refertur error Lutheranorum, & opinio Catholica illi oppoſita. fol. 3.*

§. 1. *Refertur error Lutheranorum. fol. 3.*

§. 2. *Tenenda eſt affirmatiua omnium Catholicorum ſententia. fol. 4.*

¶ *Art. 2. Confirmatur præcedens veritas omnium Patrum authoritate. fol. 5.*

¶ *Art. 3. Confirmatur eadem ſententia ex feſto Natiuitatis eiuſdem Virginis Deiparæ. fol. 7.*

§. 1. *Proponitur commune argumentum. fol. 7.*

§. 2. *Referuntur ſolutiones, quibus huius argumenti efficacia à quibuſdam diſſoluitur. ibid.*

§. 3. *Prima ſolutio tanquam vere impia impugnatur. fol. 8.*

§. 4. *Impugnatur ſecunda ſolutio hæreticorum. fol. 10.*

§. 5. *Impugnatur tertia ſolutio ſupra poſita. fol. 14.*

§. 6. *Impugnatur quarta, & vltima ſolutio. fol. 15.*

¶ *Art. 4. Confirmatur ſanctificatio Virginis in vtero ex ſanctificatione Hieremiæ, & Baptiſtæ. fol. 16.*

§. 1. *Proponitur argumentum cum duabus illius ſolutionibus. fol. 16.*

§. 2. *De ſanctificatione Hieremiæ in vtero matris. fol. 16.*

§. 3. *De ſanctificatione Baptiſtæ in vtero matris. fol. 21.*

§. 4. *Oſtenditur contra ſecundam ſolutionem, admiſſo antecedente, conſequentiã eſſe firmam. fol. 23.*

¶ *Art. 5. Confirmatur eadem veritas argumento ſumpto ex decentia. fol. 24.*

¶ *Art. 6. In quo gradu certitudinis habenda ſit hæc veritas? fol. 25.*

¶ *Art. 7. Soluuntur argumenta pro hæreticis adducta. fol. 27. in fine.*

§. 1. *Solutio primi, & ſecundi argumenti. ibidem.*

§. 2. *Solutio tertij argumenti, & explicatio S. Auguſtini. fol. 28.*

§. 3. *Solutio aliorum argumentorum. fol. 30.*

Index Quæſt. lib. II.

De debito Virginis.

Proœmium explicans ordinẽ procedendi ſeruandum in toto lib. 2. fol 32. col. 1.

QVÆSTIO I.

Quidnam ſit peccare in Adamo? fol. 32.

¶ *Art. 1. Referuntur variæ ſententiæ. fol. 32. col. 2.*

¶ *Art. 2. Expenditur opinio Galatini. fol. 34.*

§. 1. *Refertur opinio Galatini ibid.*

§. 2. *Impugnatur opinio Galatini. ibid.*

¶ *Art. 3. An peccare in Adamo ſolum ſit contrahere maculam ex peccato Adami? fol 35.*

§. 1. *Refertur ſecunda opinio. ibid.*

§. 2. *Impugnatur iſta opinio. fol 36.*

¶ *Art. 4. Vtrum peccare in Adamo formaliter ſit naturam humanam in Adamo fuiſſe iuſtitia originali ſpoliatam? fol. 38.*

¶ *Art.5. Vtrum opinio Valentiæ ſit admittenda? fol. 38. col. 1. in fine.*
§. 1. *Refertur illius opinio. ibid.*
§. 2. *Reijcitur Valentia. fol 38.*
¶ *Art.5. Vtrum peccare in Adamo formaliter ſit elicere cum Adamo actum præuaricationis, quo Adamus diuinam legem eſt præuaricatus? fol. 39.*

QVÆSTIO II.

Vtrum hæc propoſitio Pauli, Omnes in Adam peccauerunt, in ſua generalitate ſimpliciter ſit admittenda, vt de fide? fol. 41.
¶ *Art. 1. Referuntur Theologi Scholaſtici, qui eam abſolute probant. fol. 42. col. 1.*
¶ *Art. 2. Oſtenditur eam apud Patres ſimpliciter eſſe receptam fol. 42. col. 2.*
¶ *Art. 3. Efficaciter deducitur ex Paulo ad Rom. 5. in illis verbis, Per vnum hominem, &c. fol. 44.*
¶ *Art. 4 Efficaciter deducitur etiam ex verbis Pauli ad Rom. 5. Nam iudicium quidem ex vno, &c. fol. 45.*
¶ *Art. 5. Non deducitur efficaciter ex verbis 1. Cor. 15. Sicut in Adam, &c. fol. 47. col. 1. in princip.*
¶ *Art. 6. Nec ſatis efficaciter deducitur ex verbis Pſal. 118. Præuaricantes reputaui, &c. ibid. in fine.*
¶ *Artic. 7. Nec ſumitur argumentum ex verbis Oſeæ 6. Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt. fol. 48.*
¶ *Art. 8. An præcitata veritas deducatur ex verbis Gen. 17. Maſculus cuius præputij caro, &c? fol. 49.*
§. 1. *Prima opinio explicat de pacto inito cum Adam. ibid.*
§. 2. *Probabilius eſt verba intelligi de pacto inito cum Abrahamo. ibid.*
§. 3. *Soluuntur argumenta in contrarium. fol. 51.*

QVÆSTIO III.

An Virgo peccauerit in Adamo? fol. 52.
¶ *Art. 1. Referuntur variæ opiniones, & varij modi dicendi opinionis negantis. fol. 53.*
§. 1. *Authores cuiuſque ſententiæ. ibid.*
§. 2. *Explicantur varij dicendi modi opinionis negantis, Virginem ſaltem de facto in Adamo non peccaſſe. fol. 54.*
¶ *Art. 2. Late confirmatur Virginem in Adamo peccaſſe. fol. 55.*
§. 1. *Referuntur huius opinionis authores. ibid.*
§. 2. *Confirmatur ex Gilberto, & Auguſtino. ibid.*
¶ *Art 3. Impugnantur tres dicendi modi Galatini, Soti, & Valentiæ. fol. 59.*
¶ *Art. 4. Impugnatur modus dicendi Catharini. fol. 61.*
§. 1. *Refertur & explicatur Catharini opinio. ibid.*
§. 2. *Impugnatur hæc Catharini opinio. ibid.*
§. 3. *Quod gratia redemptionis Chriſti per ſe ſupponat mortem peccati. fol. 62.*
§. 4. *Duplex debitum oportet diſtinguere in materia de peccato originali. fol. 64.*
§. 5. *Debitum ad peccandum in Adamo, quod nobis inerat antequam peccaret Adamus, non erat ſatis vt nos redderet Deo exoſos, & inimicos. fol. 65.*
§. 6. *In quolibet peccato duplicem diſtinguendam eſſe culpam. fol. 66.*
§. 7. *Contra Catharinum infertur ex eius opinione, Virginē vere & proprie non eſſe à Chriſto redemptam. fol. 68.*
§. 8. *Suppoſita illa ſententia, Virgo non vere incurriſſet debitum contrahendi maculam peccati. fol. 71.*
§. 9. *Suppoſita illa ſententia, Virgo non contraheret maculam peccati Adami, etiā ſi non præueniretur gratia. fol. 72.*
§. 10. *Illa ſententia poſita, potuiſſet Virgo ſine Chriſti meritis vendicare ſibi iuſtitiam, & ſanctitatem promiſſam Adamo ſi vinceret. fol. 74.*
¶ *Art. 5. In quonam gradu certitudinis habenda ſit ſententia, quod Virgo in Adamo peccauit? fol. 75.*

QVÆSTIO IIII.

De debito Virginis ad maculam originalem contrahendam. fol. 76.
¶ *Art. 1. Referuntur variæ opiniones de debito Virginis ad contrahendam originalem maculam. fol. 77.*
¶ *Art. 2. An opinio, quæ abſolute negat in B. Virgine vllum debitum contrahendi peccatū originale, ſit poſſibilis? fol. 79.*

§. 1.

§. 1. Refertur pars affirmans cum argumentis. ibid.
§. 2. Pro vera reſolutione nonnulla præmittuntur. fol. 80.
§. 3. Statuitur concluſio contra affirmantẽ opinionem. fol 82.
§. 4. Communis ſententia, nemine diſcrepante, in B. Virgine admittit aliquod debitum. fol. 83.
§. 5. An opinio affirmans indigeat aliqua cenſura? fol. 85.
§. 6. Soluuntur argumenta §. 1. adducta. ibid.
¶ Art 3. Vtrum in B. Virgine admittendum ſit debitum abſolutum, & proprium; an vero ſolum debitum ſecundum quid, & improprium? fol. 88.
§. 1. Refertur opinio Catharini, & aliorũ, qui ſolum admittunt debitum ſecundũ quid, non vero abſolutum. ibid.
§. 2 Statuitur admittendum eſſe in Virgine debitum abſolutum, ortum ex peccato Adami. fol. 91.
§. 3. Probatur ex Patribus. fol. 92.
§. 4. Probatur eadem veritas ex eo, quod B. Virgo peccauit in Adamo. fol 95.
§. 5. Ex illa opinione ſequeretur, B. Virginem non fuiſſe redemptam à Chriſto. fol 96.
§. 6. Quartum argumentum, quod B Virgo non contraheret maculam, ex illa opinione, licet gratia non præueniretur. fol. 101.
§. 7. Soluuntur argumenta adducta §. 1. fol. 102.
¶ Art. 4. Vtrum, & in quo ſenſu admitti debeat in B. Virgine debitum proximum, & remotum? fol 108.
§. 1. Pro diſtinctione referuntur variæ explicationes, & opiniones. ibid.
§. 2. Ponitur vera reſolutio de duplici debito. fol. 109.
§. 3. Quodnam horum debitorum in Virgine ſit admittendum? ibid.
¶ Art. 5. An B. Virgo in ſua propria perſona habuerit debitum contrahendi maculam originalem? fol. 110.
§. 1. Referuntur duæ oppoſitæ ſententiæ. ibid.
§. 2. Ponitur reſolutio Authoris. fol. 111.
§. 3. Primum præmiſſum ex Philoſophia fol. 112.
§. 4. Præmittuntur nonnulla ex Theologia. fol. 113.
§. 5. Prima probatio reſolutionis, quoniam in cæteris non datur debitum in propria perſona. fol. 114.
§. 6. Secunda demonſtratio ſumpta ex primo præmiſſo. fol. 115.
§. 7. Tertia probatio, quod debitum ſimul eſſe non poſsit cum gratia. fol. 116.
§. 8. Eadem veritas confirmatur ex Patribus. fol. 118.
§. 9. Adducuntur argumenta pro opinione contraria. fol. 121.
¶ Art. 6. Ponitur totius 2. libri vera reſolutio. fol. 132.
¶ Art. 7. In quo gradu certitudinis tenendæ ſint propoſitiones art. præcedenti adductæ? fol. 134.
§. 1. Expenditur certitudo primæ propoſitionis. ibid.
§. 2. Expenditur certitudo ſecundæ propoſitionis. fol. 135.
§. 3. Expenditur certitudo tertiæ propoſitionis, ſcilicet, quod B Virgo in Adamo peccauit. fol 136.
§. 4. Soluuntur argumenta, quæ Nouiores in contrarium adducunt. fol. 143.
§. 5. Expenditur certitudo aliarum propoſitionum. fol. 154.

Index Quæſt. lib. III.

Præfatio ad totum librum. fol. 155.

QVÆSTIO I.

De præſeruatione Virginis à macula peccati originalis. fol. 155 in fine.
¶ Art. vnicus, An B Virgo de facto fuerit præſeruata ab originali macula? fol. 156. in princ.
§. 1. Referuntur Authores, qui affirmant B. Virginem maculam originalem contraxiſſe, cum omnibus illorum fundamentis. ibid.
§. 2. Refertur opinio, quæ negat, B. Virginem maculam originalem contraxiſſe. fol. 157.
§. 3. Approbatur ſententia, quæ docet, Virginem ſine peccato originali fuiſſe conceptam. fol. 160.
§. 4. Soluuntur argumenta poſita §. 1. ibidem.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum aliqua pars huius controuerſiæ ſit de fide? fol. 161.

¶ Articul. vnicus, In quo idem inquiritur. ibid.

§. 1. Referuntur variæ opiniones. ibid.

§. 2. Prima propoſitio, quod neutra ſit de fide. fol. 162.

§. 3. Vtrùm aſſertio, quæ vnam, vèl alteram opinionem hæreſis damnat, aliqua digna ſit cenſura? fol. 163.

§. 4. Quid poſt Sixtum 4. ſi quis ſolum damnet vnam, vel alteram opinionem, aut erroris, aut temeritatis, aut peccati venialis? fol. 167.

QVÆSTIO III.

¶ Articul. vnicus, Vtrùm ſententia, quæ B. Virginem ab originali liberat, aliquando fuerit de fide? fol. 169.

Sectio prima, Referuntur tria argumenta pro parte affirmatiua. ibidem.

Sect. 2. Explicatur argumentum ſumptum ex Concilio Baſilienſi. fol. 170.

Sect. 3. Explicatur ſecundum argumentum ſumptum ex feſto Cōceptionis Virginis. ibidem.

Sect. 4. Explicatur argumentum ſumptum ex libro S. Cecilij. fol. 171.

§. 1. Afferuntur difficultates contra illū librum. ibidem.

§. 2. Liber ille S. Cecilij recipiendus eſt, & probandus vt legitimus. fol. 173.

§. 3. Explicatur prima difficultas. ibid.

§. 4. Explicatur ſecunda difficultas. fol. 175.

§. 5. Ante mortem Virginis aliqua Apoſtolorum concilia habita ſunt. fol. 176.

§. 6. De ætate B. Virginis. fol. 177.

§. 7. Concluditur ſecunda difficultas. fol. 179.

§. 8. Explicatur tertia difficultas contra teſtimonium S. Cecilij. fol. 180.

§. 9. Explicatur quarta difficultas ſumpta ex Conſtitutione Sixti. 4. fol. 181.

§. 10. Explicatur quinta, & poſtrema difficultas ſumpta ex eo, Quod ſemel diffinitum eſt de fide, ſemper eſt de fide. fol. 182.

QVÆSTIO IIII.

Quænam harum opinionum apud Patres ſit probabilior? fol. 185.

¶ Artic. 1. Quinam Patres pro immunitate Virginis faciant? fol. 186.

§. 1. Referuntur Patres tam antiqui, quam moderni, qui Virginem à labe originalis peccati expreſſe liberant. ibid.

§. 2. Adducuntur Patres, qui abſq; dubio ſtant pro immunitate Virginis. fol. 194.

§. 3. Referuntur Patres, qui immunitati Virginis maxime fauent. fol. 199.

§. 4. Auguſtinum pro nobis ſtare. fol. 203.

§. 5. Quinam Patres pro noſtra hac ſententia admittendi non ſint, quanuis à viris doctiſsimis pro ea citentur? fol. 207.

¶ Art. 2. Quinam Patres doceant, B. Virginem peccatum originale contraxiſſe? fol. 210.

§. 1. Referuntur Patres, quos aduerſarij putant, expreſſe ſuam probaſſe ſententiam; falſo tamen. ibid.

§. 2. Quinam ex Patribus expreſſe docuerunt, Virginem originale peccatum cōtraxiſſe? fol. 237.

§. 3. Expenditur, an Caietanus ſufficienter impugnet explicationes Patrum adductas §. 1. fol. 242.

¶ Art. 3. Quænam ſententia inter Patres communior ſit, & antiquior? fol. 246.

§. 1. Quod noſtra ſententia longe ſit communior. ibid.

§. 2. Noſtram ſententiam eſſe multis ſeculis antiquiorem. fol. 247.

¶ Art. 4. Quænam ſententia inter Theologos Scholaſticos cōmunior ſit, & antiquior? fol. 248.

§. 1. Quænam ſit communior? ibidem.

§. 2. Quænam inter Scholaſticos ſit antiquior? fol. 252.

¶ Art. 5. Quænam harum opinionum potius foret diffinienda, ſi iudicium tam antiquiorum, quam iuniorum Patrum, & Doctorum expendatur? ibid.

§. 1. Referuntur variæ ſententiæ. ibid.

§. 2. Vera difficultatis reſolutio. fol. 253.

§. 3. Secunda concluſio. fol. 254.

§. 4. Tertia concluſio. fol. 256.

QVÆSTIO V.

Quidnam circa vnius & alterius opinionis probabilitatem ex ſacris literis colligatur? fol.258.

¶ *Art.1. An ſacris literis, & principijs fidei repugnet, B. Virginem ab originali culpa fuiſſe immunem? fol.259.*

§.1. *Refertur opinio affirmans. ibidem.*

§.2. *Vera reſolutio. fol.260.*

§.3. *Solutio fundamenti hæreticorum. fol. 261.*

¶ *Art.2. Vtrum propoſitiones generales ſacræ Scripturæ de transfuſione peccati Adami in omnes homines, ſint vniuerſales ſolum ſecundum figuram, non vero ſecundum ſententiam? ibid.*

§.1. *Refertur prima opinio. ibid.*

§.2. *Non eſt recipienda præcedens opinio. fol.262.*

§.3. *Soluuntur argumenta aduerſæ ſententiæ. fol.264.*

¶ *Art. 3. An vniuerſales ſacræ Scripturæ propoſitiones intelligendæ ſint ſolum ſecundum debitum contrahendi peccatum Adami; an etiam ſecundum actũ? fol.267.*

§.1. *Refertur opinio, quod ſolum intelligantur ſecundum debitum. ibid.*

§.2. *Propoſitiones illas vniuerſales intelligendas eſſe & ſecundum debitum, & ſecundum actum. fol.268.*

§.3. *Soluuntur argumenta in oppoſitum. fol.271.*

¶ *Art.4. De qua vniuerſalitate explicandæ ſint propoſitiones vniuerſales ſacræ Scripturæ? fol.272.*

§.vnic. *Ponitur vera reſolutio. ibidem.*

¶ *Art.5. An ſit contra fidem, in aliquo, excepta B. Virgine, admittere priuilegium non contrahendi peccatum originale? fol.274.*

§.1. *Referuntur variæ ſententiæ. ibid.*

§.2. *Vera reſolutio. ibid.*

§.3. *Ponuntur nonnulla corollaria. fol. 276.*

¶ *Art.6. An B. Virginē excipi ab vniuerſali regula peccati originalis, ſacris literis ſit magis conſonum, quam oppoſitũ? ib.*

§.1. *Refertur opinio aduerſariorum. ibid.*

§.2. *Oppoſita ſententia eſt vera. fol.277.*

§.3. *Probatur ex figuris ſacræ Scripturæ. fol.278.*

§.4. *Probatur ex locis myſtice intellectis. fol.281.*

§.5. *Probatur idem ex pluribus locis Scripturæ, quæ Virgini accommodantur. fol.284.*

§.6. *Probatur hoc ipſum ex verbis Angeli Luc.1. & ex alijs locis ſpecialiter de Virgine. fol.286.*

§.7. *Explicantur loca in contrarium adducta. fol.288.*

QVÆSTIO VI.

Quid de vtraque ſententia ſentiendum ſit ex ijs, quæ ab Eccleſia, communi fidelium conſenſu, reuelationibus, & miraculis, colliguntur? fol.289.

¶ *Art.1. An ex inſtitutione, & publica celebratione feſti Conceptionis B. Virginis firmum ſumatur argumentum pro confirmanda illius puritate? ibid.*

§.1. *Refertur opinio negans. ibidem.*

§.2. *Refertur opinio affirmans. fol 291.*

§.3. *Agitur de efficacia huius argumenti. ibidem.*

§.4. *Vera reſolutio. fol.292.*

§.5. *Secunda propoſitio. fol.294.*

§.6. *Impugnantur ſolutiones poſitæ §.1. fol.296.*

§.7. *Tertia propoſitio. fol.298.*

§.8. *Quarta propoſitio. fol 301.*

§.9. *Quinta propoſitio. ibid.*

§.10. *Expenditur ſolutio huius argumenti, & explicatur fundamentum, ne datæ reſolutioni obſtet. fol 308.*

§.11. *Sexta, & vltima propoſitio. fol.314.*

§.12. *Reſolutio totius quæſtionis. fol.315.*

§.13. *De antiquitate feſti Conceptionis. fol.317.*

¶ *Art.2. An pro Conceptionis immunitate ſumatur argumentũ efficax ex eo, quod Sedes Apoſtolica confirmauit religionem Monialium ſub titulo Conceptionis immaculatæ? fol.319.*

¶ *Art.3. An ad eandem veritatem confirmandam ſumi poſsit argumentum efficax ex communi fidelium conſenſu? fol.320.*

§.1. *Hanc opinionem à multis ſæculis omnes Summi Pontifices vt vere piã amplectun-*

plectuntur, fouent, & fidelibus ſuadent fol. 321.
§. 2. Omnes Eccleſiæ Vniuerſitates hanc veritatem amplectuntur. fol. 324.
§. 3. Omnes Eccleſiæ Religiones huic veritati ſubſcribunt. fol. 325.
§. 4. Confirmatur ex ſummo omnium Catholicorum Regum applauſu. fol. 327.
§. 5. Confirmatur ex vniuerſali fidelium deuotione, & zelo. fol. 328.
§. 6. Caietanus reprehenditur in ſua ſolutione. ibid.
¶ Art. 4. An ex reuelationibus hac de re factis ſumi poſsit efficax argumentum? fol. 331.
§. 1. Referuntur opiniones. ibid.
§. 2. Reuelatio facta S. Brigittæ. fol. 332.
Aliæ etiam aliorũ reuelationes. fol. 334.
¶ Art. 5. An efficax argumentum ſumatur ex miraculis, quæ in huius veritatis confirmationem afferuntur. fol. 336.
§. 1. Refertur & impugnatur opinio Caietani. ibid.
§. 2. Referuntur authores, qui ad confirmationem propoſitæ veritatis varia miracula referunt. fol. 337.

QVÆSTIO VII.

De rationibus, quæ ad confirmandam eandem veritatem ſumuntur ex Theologia, & Philoſophia. fol. 337.
¶ Art. vnicus. De eodem. ibidem.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum ſi hæc controuerſia foret aliquando diffinienda, diffinienda ſit ſententia quæ B. Virginem à macula originali liberat? ſol. 339. col. 1.
¶ Articulus vnicus. De eodem. ibid.
§. 1. Referuntur variæ ſententiæ. ibid.
§. 2. Alteram huius controuerſiæ partem poſſe ab Eccleſia diffiniri de fide. fol. 340.
§. 3. Sententiam, quæ aſſerit, B. Virginem contraxiſſe peccatũ originale, non poſſe diffiniri de fide: noſtram autem diffiniẽdam eſſe, ſi hæc quæſtio aliquando diffinienda veniat. fol. 341.
§. 4. Quod vere eſſet martyr, qui pro hac immunitate mortem ſubiret. fol. 343.

QVÆSTIO IX.

Vtrum ſola ſententia, quæ B. Virginem ab originali liberat, ſit populo publicè proponenda, & prædicanda? fol. 343.
¶ Articulus vnicus. De eodem. ibid.

QVÆSTIO X.

Quomodo B. Virgo ab originali macula fuerit præſeruata? fol. 345. col. 2. ad finem.
Annotatio pro explicatione quæſtionis. fol. 346.
¶ Art. 1. Vtrùm B. Virgo maculam originalem non contraxerit, quia in Adamo non peccauit? fol. 347. col. 1. in princ.
¶ Art. 2 Vtrum B. Virgo originalem maculam non contraxerit, quia culpa, quam in Adamo commiſit, in lumbis Adami, & aliorum parentum fuit illi remiſſa? fol 347. col. 1. in fine.
§. 1. Argumenta partis affirmantis. ibid.
§. 2. Argumenta partis negantis. fol. 348.
§. 3. Hæc argumenta non ſunt efficacia. ibidem.
§. 4 Vera partis affirmantis impugnatio. fol. 349.
§. 5. Soluuntur argumenta. fol. 350.
¶ Art. 3. An B. Virgo ideo maculam originalem non contraxerit, quia ex carnali copula non fuit cõcepta? fol. 351. col. 1.
¶ Art. 4. Vtrum B. Virgo ideo ab originali libera fuerit, quia Deus ante infuſionẽ animæ carnem mundauit, ne animam inficeret? fol. 351. col. 2.
§. 1. Refertur opinio affirmans. ibid.
§. 2. Hæc opinio recipi non poteſt fol. 352.
§. 3 Soluitur fundamentum aduerſariorũ. ibid.
¶ Art. 5. Vtrum B. Virgo ab originali præſeruata ſit, quia anima illius fuit creata in gratia antequam corpori infunderetur. fol 353.
§. 1. Refertur opinio affirmans. ibid.
§. 2. Non recipitur. fol. 353.
¶ Art. 6. Vtrum B. Virgo fuerit præſeruata in ipſo inſtanti Conceptionis perſonæ, per gratiam præſeruantem à reſultantia maculæ. fol. 354. n. 1.

QVÆSTIO XI.

De

De redemptione B. Virginis per ſanguinem Chriſti. fol.354. col.1. in fine.

¶ *Art. 1. Vtrum abſolute admittenda ſint plura genera redemptionis generaliter ſumptæ? fol.355.*

§.1. *Referuntur variæ ſententiæ. ibid.*

§.2. *Pro reſolutione ponitur prima concluſio. fol.356.*

§.3. *Ponitur ſecunda concluſio. fol.358.*

§.4. *Soluuntur argumenta in contrarium. ibidem.*

¶ *Art.2. An, & quomodo omnis redemptio ſupponat captiuitatem? fol.359.*

§.1. *Præmittuntur nonnulla. ibid.*

§.2. *Reſolutio quæſtionis. fol.361.*

¶ *Art. 3. Vtrum in redemptione facta per ſanguinem Chriſti reperiatur triplex explicatum redemptionis genus? fol.363.*

§.1. *Referuntur tres oppoſitæ ſententiæ. ibidem.*

§.2. *Ponitur vera reſolutio, præmiſſis nõnullis. fol.264.*

§.3. *Pro reſolutione ponuntur propoſitiones. fol.367.*

¶ *Art.4. Vtrum B.Virgo dici poſſit vere redempta ſanguine Chriſti, ſi originale non contraxit? fol.369.*

§.1. *Referuntur variæ ſententiæ, & varij dicendi mòdi, quibus tertia ſententia explicatur. ibidem.*

§.2. *Vera difficultatis reſolutio. fol.371.*

Index Quæſt. lib. IIII.

QVÆSTIO I.

Vtrum gratia B.Virgini in primo Conceptionis inſtanti conceſſa, eã ab omni actuali peccato præſeruauerit? fol.375. col.1. in fine.

¶ *Art. vnic. Vtrum B.Virgo ab omni actuali peccato mortali, & veniali fuerit immunis? ibid. col.2.*

§.1. *Refertur hæreſis negans cum ſuis fundamentis. fol.375.*

§.2. *Affirmatiua eſt de fide. fol.377.*

§.3. *Soluitur primum argumentum ex cap. 1. Lucæ. fol.383. Et reliqua argumenta, deinceps à n.35.*

QVÆSTIO II.

Vtrum gratia, qua B.Virgo fuit ab originali præſeruata, omnem peccati fomitem in ea extinxerit, an ſolum ligauerit? fol.398 col.1.

Art.1. Quid ſit fomes peccati? ibid. col.2.

§.1. *Referuntur variæ opiniones. ibidem.*

§.2. *Præmiſſis nonnullis, ponitur vera reſolutio. fol.399.*

¶ *Art. 2. An fomes peccati detur in nobis? fol.402. col.1.*

¶ *Art.3. In quonam ſubiecto ſit fomes? ibid. col.2.*

¶ *Art.4. An fomes peccati poſſit ligari, atq; etiam tolli? ibidem.*

¶ *Art.5. Quomodo fomes ligetur? fol.403.*

¶ *Art.6. Quomodo fomes totaliter extinguatur? fol.404.*

¶ *Art. 7. Vtrum qui volunt, B. Virginem fuiſſe immunem ab originali, teneantur aſſerere, in ea nunquam fuiſſe fomitem peccati? fol.407.*

§.1. *Refertur opinio affirmans. ibid.*

§.2. *Oppoſitum eſt tenendum. ibidem.*

§.3. *Soluuntur argumenta. fol.408.*

¶ *Art.8. An poſt ſanctificationem B.Virginis in vtero aliquando fuerit in ea fomes peccati. ibidem.*

§.1. *Refertur pars affirmans. ibid.*

§.2. *Refertur pars negans. fol.410.*

§.3. *Reſolutio quæſtionis. fol.413.*

§.4. *Soluuntur argumenta contra noſtram opinionem. fol.414.*

§.5. *Argumenta, quæ noſtram ſententiam confirmant, non neceſſario impugnant oppoſitam. fol.416.*

¶ *Art.9. Vtrum, ſuppoſito fomite in B. Virgine, ille ſemper in ea manſerit; an aliquando fuerit extinctus? fol.419. col.1.*

§.1. *Opinio quod ſemper manſerit. ibid.*

§.2. *Vera reſolutio. ibid.*

¶ *Artic.10. Vtrum fomes aliquando in B. Virgine fuerit ſolutus? fol.421.*

§.1. *Opiniones quod fuerit ſolutus. ibid.*

§.2. *Vera opinio. ibid.*

¶ *Art.11. Vtrum in B. Virgine admittendus ſit fomes quoad naturam? fol.423.*

§.1. *Referuntur opiniones. ibid.*

§.2. *Vera reſolutio. fol.424.*

QVÆSTIO III.

Vtrum gratia B.Virginem præſeruans ab originali, potentiam peccandi ab ea ſuſtulerit? fol.424.col. 2.in fine.

¶ *Art.1. Quidnam ſit potentia peccandi? fol.* 425.col.1.

¶ *Art. 2. Vtrum potentia peccandi diuinitus poſsit auferri à creatura rationali, ita vt per gratiam fiat impeccabilis? ibid.col.2.*

§.1. *Præmittuntur nonnulla. ibid.*

§.2. *Referuntur variæ opiniones.fol.426.*

§.3. *Vera quæſtionis reſolutio. fol.427.*

§.4. Impugnatur *ſecunda ſentētia. fo.428.*

§.5. *Impugnatur tertia ſententia. fol.429.*

§.6. Impugnatur *quarta ſententia fo.431.*

§.7. *Referuntur argumenta, quibus prima ſententia nobis contraria confirmatur. ibidem.*

§.8. *Afferuntur argumenta Medinæ. fol.* 432.

§. 9. Soluuntur *argumenta* Bellomontani. *fol.*433.

§.10. Soluuntur *argumenta Medinæ: & pro ſolutione primi expenditur, an cum impeccabilitate ſtare poſsit libertas & meritum? fol.435.*

§.11. Soluuntur *cætera argumenta. fol.* 441.

¶ *Art.3. Quomodo quis reddatur impeccabilis? fol.442.*

§.1. *Referuntur opiniones. ibid.*

§.2. *Vera reſolutio. fol.443.*

¶ *Art.4. Vtrum B. Virgo per gratiam facta fuerit impeccabilis? fol.445.*

§.1. *Referuntur variæ opiniones. ibidem.*

§.2. *Prima concluſio pro quinta ſententia contra primam. fol.* 446. *Reliquas quære. fol.* 448.

§.3. *Adducuntur, & ſoluuntur argumenta contra quatuor propoſitas concluſiones. fol.449.*

¶ *Art.5. Vtrum B. Virgo facta fuerit impeccabilis in prima, an ſolum in ſecunda ſanctificatione? fol.450.*

§.1. *Referuntur variæ opini*[illegible]*s. ibid.*

§.2. *Reſolutio quæſtionis. ibid.*

§.3. *An noſtra ſententia ſit omnino certa? fol.452.*

¶ *Art.6. Quomodo* B.*Virgo facta ſit impeccabilis? fol.453.col.1.*

QVÆSTIO IIII.

Vtrum gratia B.*Virgini in ſua conceptione collata ita eam eleuauerit, vt vſum rationis ſtatim habuerit? fol.453.col.2.*

¶ *Art.1. An* B.*Virgo in primo Conceptionis inſtanti habuerit perfectum vſum rationis? ibidem.*

§. 1. Refertur *pars negatiua. ibidem.*

§.2. *Pars affirmatiua eſt probanda. fol.* 454.

§.3.Solutio *argumentorum. fol.* 455.

¶ *Art.2. Quiſnam fuerit iſte actus? ibid.*

¶ *Art.3. An actus rationis in Virgine permanſerit? fol.456.*

¶ *Art. 4. Vtrum* B. *Virgo per vſum rationis ſeſe ad gratiam diſpoſuerit? fo.457.*

QVÆSTIO V. & Vltima.

¶ *Art. vnicus.* De *nonnullis alijs priuilegijs gratiæ* B.Virgini *collatis in prima ſanctificatione. fol.458.*

§.1. *Habuit maiorem gratiam quam cæteri. ibidem.*

§.2. *Habuit gratiæ plenitudinem. ibid.*

§.3. *Habuit gratiam ſanctificantem ſimul cum omnibus virtutibus, & donis Spiritus Sancti. ibid.*

§.4. *Non habuit gratiam conſummatam Patriæ. fol.459.*

§.5. *Non ſtatim accepit gratiam ſumme intenſam. ibidem.*

§.6. *Nunquam ceſſauit ab actu. ibidem.*

¶ Indicis *Quæſtionum, & Articulorum*

FINIS.

LIBER PRIMVS DE IMMACVLATA VIRGINIS DEIPARÆ CONCEPTIONE,

QVOD ILLA IN VTERO fuerit ſanctificata.

Præfatio totius Operis.

QVÆSTIONEM de Sãctificatione Virginis, & de Immaculata illius Conceptione, & præſeruatione ab omni macula peccati originalis in eiuſdem Virginis honorem, & gloriam in celebri noſtræ Conimbricenſis Academiæ Theologica facultate, annis abhinc pluſquam duodecim, ſumma, qua potui diligentia, & ſtudio Veſperarius explicaui: cuius reſolutio pijs ac doctis auditoribus adeo placuit, vt omnes precibus, & rationibus ſuaderent, vt diſputationem in lucem ederem: quod etiam Reuerendiſsimus Epiſcopus Conimbricenſis D. D. Alphonſus Caſtelbranco eiuſdem facultatis filius, & Doctor, non modo ſemel petijt; ſed iterum atque iterum præcepit: quod vt facerem, licet pia in Virgine affectio compelleret; alijs tamen edendis libris intentus illius editionem in aliud tempus diſtuli: abſolutis tamen de Beatitudine animæ, & corporis tribus tomis; excitataq; his temporibus in aliquibus Hiſpaniæ locis non ſatis grata controuerſia, rem Virgini gratiſsimam me facturum exiſtimaui (vt in Epiſtola ad Beneuolum Lectorem iã admonui) ſi noſtram de Virginis immaculata ſanctificatione, & ab omni originali macula præſeruatione, quam citiſsimè prælo mandarem, vt communem fidelis populi pietatem Deo, & Virgini gratiſsimam nõ modo iuuarem; ſed etiam confirmarem.

Auctoris motiuum.

2 *4. Erunt libri.*

Diſputationem Deo fauente, & iuuante Virgine quatuor libris abſoluemus: in quorum primo contra nonnullos noſtri temporis hæreticos oſtendemus Virginem Deiparam in vtero matris fuiſſe ſanctificatam. In ſecundo, diſputabimus: an Virgo habuerit debitum contrahendi originale peccatum? Tertius aget de controuerſia noſtro iſto tempore agitata, an illa de facto originale peccatum contraxerit? & quomodo ab illo fuerit diuinitus præſeruata? Quartus denique, & vltimus diſputabit de effectis illius præſeruatiuæ ſanctificationis.

Quæ in libr. 1. diſputanda ſunt.

Quod attinet ad primum librum, in eo diſputabitur; an Virgo mater fuerit in vtero beatiſsimæ Annæ ſanctificata? An verò poſt illius natiuitatem? in quo duas excitabimus quæſtiones: prima eſt, an in Virgine vna tantum, an plures admittendæ ſint ſanctificationes? Secunda verò, an illa fuerit ſanctificata in vtero matris? an verò poſtquam nata eſt?

QVÆSTIO PRIMA

An in Virgine admittendæ ſint plures ſanctificationes? an verò vna tantum?

ARTICVLVS VNICVS, *De eadem Quæſtione.*

1. *Ar. vnicus* DE Sanctificatione Virginis Deiparæ diſputat D. Thomas 3. p. q. 27. & ibidem omnes illius interpretes: Magiſter etiam cum omnibus ſententiarijs in 3. diſt. 3. vt plures alios omittamus, quos in progreſſu diſputationis referemus.

2. *Quæſtio an eſt, indubitata.* Cum verò in hoc opere de ſanctificatione Virginis diſputetur: primo loco explicandum erit; an Virgo mater fuerit ſanctificata? etenim ex Ariſtotele 1. Poſteriorum c. 1. quæſtio an eſt, eſt omnium prima: verum quanuis quæſtio iſta à nullo excitetur; pars tamen affirmatiua eius ab omnibus, tam Catholicis, quàm hæreticis, tanquam certiſsima, & omnino indubitata ſupponitur: ſicut enim nihil eſt certius, quam Virginem præ cæteris creaturis fuiſſe à Deo prælectam atq; dilectam: ita nihil magis fuit indubitatum, quam illam præ cæteris omnibus fuiſſe ſpeciali quodam modo ſanctificatam. Quare præſuppoſita hac Catholica veritate (Virginem .ſ. fuiſſe ſanctificatam) ſolum expendemus, quãdo, & quomodo ſanctificata fuit? In qua diſputatione illa quæſtio primum locũ obtinet; an fuerit ſanctificata in vtero matris; an verò poſtquam fuit ex vtero nata? de qua quæſtione in hoc primo libro futura eſt diſputatio, ſed ne æquiuocatio huius verbi *ſanctificatio* confuſionem pariat; ante omnia præmittemus; an in Virgine vna tantum admittenda ſit ſanctificatio? an verò plures?

3. *Opinio, quod plures admittẽd ſint.* Quod in ea plures ſint admittendę ſãctificationes, plures affirmãt; inter quos eſt *Suar. 2. to. ad. 3. p. diſp. 3. in prin. pag. 28. col. 2.* vbi triplicem in Virgine ſanctificationẽ diſtinguit: vnam, quando primum in gratia & iuſtitia cõſtituta fuit: ſecundã, quando in toto vitæ tempore incredibili gratię, & meritorum augmentum cõparauit. Tertiam deniq; quæ f[illegible]a eſt per gratiã in beatitudine conſũmata. *Mayronius autẽ lib. 3. diſt. 3. q. 1. ar. 9. fol. 6. col. 4.* quadruplicẽ in ea ſanctificationẽ agnoſcit: fuit enim ſanctificata, primo in ſua conceptione: ſecundo in Conceptione Verbi: Terrio in miſsione Spiritus Sancti: quarto deniq; in ſua Aſſumptione & glorificatione. 4. *2. Opinio Mayron.*

Cannisius etiam *lib. 1. de Maria Deipara c. 9. pag. 94. 95. & 96.* quadruplicem in Virgine ſanctificationẽ poſuit: quia primũ ſanctificata eſt in æterna Dei prædeſtinatione: Deinde in ſacra ſua Conceptione: Tertio in admiranda Verbi Incarnatione, quãdo Verbũ Diuinũ concepit: Poſtremò deniq; in illa, ſublimi Aſſumptione, quum è terris in cœlũ ſublata redundantem ſanctitatis, & glorificationis ſuæ cumulũ, imò & præmium immenſum adepta eſt. Quin potiùs, ſi diligenter expendãtur; quæ ſcribit *pag. 96. §. vbi ſane profuerit: & §. Etſi verò affirmari non poteſt*, duas aliàs ſanctificationes in ea agnoſcit: vnã; quæ illi ſimul cum Apoſtolis per aduentum Spiritus Sancti contigit: alteram; quam habuit, dum baptiſmum ſuſcepit. 5. *3. Opinio Canniſii.*

Verum ſimens D. Thomæ *Expendatur 3. p. q. 27. art. 5. ad 2.* vnam tantum in Virgine ſanctificationẽ admittit: etenim tres in ea gratiæ perfectiones diſtinguẽs (quarum prima fuit libera à culpa: ſecũda â fomite, quãdo diuinũ concepit Verbũ: tertia à miſeria, quãdo cœleſtẽ beatitudinem obtinuit) ſolam primã appellat ſanctificationem: 6. *D. Thom. vnã tantũ*

quæ opinio tanquam verior probanda eſt, ſi de ſanctificatione propriè ſumpta ſit ſermo: etenim ſanctificatio, ſi propriè ſumatur, in ſua intrinſeca ratione includit, quod fiat â non ſancto: nam cum per veram actionem fiat, ex ſe poſtulat fieri ex termino à quo oppoſito, vel negatiuẽ, vel ſuo modo cõtrariẽ. Vnde & Angeli, & Adamus in ſua creatione: & peccatores in ſua iuſtificatione propriè dicuntur per gratiæ infuſionẽ ſanctificari: Angeli, & Adamus; quia ex nõ ſanctis facti ſunt ſancti: Peccatores verò; quia ex iniuſtis fiunt iuſti. Imò ſi propriiſsimè loquendum eſt, poſt Adami peccatũ ſanctificatio per ſe includit maculã culpæ, quæ vel actu inexiſtat 7. *Placet auctori.*

cum

cum eo, qui ſanctificatur: vel deberet inexiſtere, niſi ipſa ſanctificatione impediretur: quod ſatis explicat Dionyſius *de diuinus nominibus cap.* 12. dum *ſanctificationem appellat munditiam à culpa*, quare licet ad ſãctificationem propriè ſumptam ſatis ſit ſimplex ſanctitatis negatio: quia & Angeli in ſua creatione per gratiæ infuſionem verè, & propriè ſunt ſanctificati: ſimiliter, & Adamus, cum in ſtatu innocentiæ gratiam accepit: tamen in illis, qui poſt peccatum ab Adamo ratione ſeminali deſcendunt, ad ſanctificationem non ſatis eſt, ſimplex negatio ſanctitatis; ſed neceſſaria eſt culpa, vel ſecundum actum, vel ſecundum debitum antecedens.

Dionyſius

8. *Aduertentia.* Pro clariori hui⁹ rei explicatione, aduertim⁹ verbũ *Sãctificare* in ſacris literis multis modis accipi: vno modo ſãctificare idẽ eſt, quod aliquid Deo offerre, vt patet Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Iſrael, tam de hominibus, quàm de iumentis.* Et cap. 28. num. 38. *Quæ obtulerunt, & ſanctificauerunt filij Iſrael in cunctis muneribus, & donarijs ſuis.* Et multis alijs in locis. Interdũ *ſanctificare* idem eſt, quod in Dei obſequiũ aliquid ſegregare, conſecrare, ſiue diſtinare: in quo ſenſu Ioelis 2. *Deus præcepit filijs Iſrael, vt Eccleſiam ſanctificarẽt*: in eodẽ etiam ſenſu Leuitæ, & Prophetę ſanctificabantur; quia. ſ. ad ſpecialia quędam munia deſtinabantur. Sed tertio modo *ſanctificare* in ſacris literis idem eſt, quod à culpa mundare, ſanctum facere, & immaculatũ, iuxta illud Exod. 19 *ſanctifica illos hodie & cras*, vt alios locos omittamus. Priores duę acceptiones ad noſtrũ inſtitutum non pertinent, ſed ſola tertia: licet enim Virgo Deipara ab æterno fuerit à Deo in matrem filij ſui deſtinata, & à parẽtibus in templo oblata, & proinde vtroq; modo fuerit ſanctificata: talis tñ ſanctificatio, ſicut non eſt propriè ſanctificatio; ita ad noſtrũ inſtitutum non pertinet; cum in hac diſputatione agamus de ſanctificatione, qua ſanctificatus primo redditur Deo intrinſecè gratus, & dilectus: vnde propriè loquendo, nec augmentum gratiæ poteſt dici ſanctificatio, ſed ſanctitatis augmentatio; neque

Sãctificare dicitur multis modis.
1. Modo.
2. Modo.
3. Modo.
9. *Quomodo hic accipiatur.*

beatificatio, qua ſanctificatio viæ conſũmatur: Patres verò, qui docent Mariam ſanctificatam fuiſſe, cum Verbum Diuinum in vtero cõcepit (vt *Arnobius Pſal.* 14. *& Cyrillus Ieroſolymitanus Catechiſi.* 12. & nonnulli alij) non loquuntur de ſanctificatione propriè ſumpta, ſed latè.

Arnobius. Cyrill. Ieroſolym.

Quare in Virgine vnam tantum ſanctificationẽ admittimus, qua à peccato originali, vel mundata fuit, & purgata, vt plures volunt; vel præſeruata, vt verius exiſtimamus. De hac igitur ſanctificatione inquirimus; an facta fuerit in vtero matris; vel poſtquam ex vtero nata fuit? De quo in quæſtione ſequenti. 10. *Vna tantũ eſt admittẽda ſanctificatio.*

QVÆSTIO II.

An Virgo Mater fuerit ſanctificata in vtero matris, antequam ex vtero naſceretur.

ARTICVLVS I.

Refertur error Lutheranorum, & opinio Catholica illi oppoſita.

§. 1.

Refertur Lutheranorum error.

IN hac quæſtione cum ſolis impijs Lutheranis habenda eſt controuerſia. Omnes enim negant Virginem in vtero matris fuiſſe ſanctificatam: imò docent eam nõ ſolum in peccato originali fuiſſe conceptam, ſed etiã natam: vnde non modo reijciunt, ſed etiã damnant feſtum Natiuitatis Virginis. Inter alios hunc errorem latè defendit quidam Ioannes Pomeranus in c. 2. Hieremiæ, vt refert *Canniſius lib.* 1. *de Maria Deipara c.* 9. *pag.* 89. *lit. C.* quem errorem à Magiſtro ſuo Luthero acceperunt: is enim (teſte eodem Canniſio vbi ſupra c. 11. pag. 116. C. D.) in explicatione Euãgelij eiuſdẽ feſti maximè deſiderat illud feſtum omitti: cuius authoritate ſectarij omnes diem natiuitatis Virginis in nuptiarum laſciuiam, & conuiuiorum intemperabiles luxus impudentiſsimè cõuertunt, vt idem Canniſius refert.

1. *Error Lutheranorũ.*
Canniſius.

2 1. Arg. Hunc errorem, quantum ex illorum dictis potui colligere his argumentis cõfirmant. Primum eſt, quia hæc Virginis ſanctificatio in vtero nullo Sacrę Scripturę teſtimonio nititur.

3. 2. Arg. Deinde, quia ex Patrum doctrina cõſtat Virginem fuiſſe ſanctificatam & à peccatorũ maculis purgatam, dum Verbum concepit: quod videtur explicaſſe
Arnobius Arnobius in præfatione in Pſalteriũ, vbi ita ſcribit. *Ieſus autem immaculatus ſolus, Virgineam aulam ingreſſus ipſum tabernaculum à maculis carnalibus liberauit, & dedit ſanctificationem potiùs, quam accepit.*

4. 3. Arg. *Auguſt.* Tertio loco pro illis adducimus doctrinam Auguſtini *Epiſt. 57. ad Dardanũ to. 2. pag. 108. col. 1.* Etenim apud Auguſtinum ſanctificatio nõ eſt, niſi renatorũ: renaſci autem nullus poteſt, niſi priùs ex
Ioan. 3. vtero naſcatur, iuxta illud Ioann. 3: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum cœlorum.* Quo argumento (ſi credimus)
Ianſenius. *Ianſenio in concordia Euangelica cap. 2. ad illa verba: & replebitur Spiritu Sancto ex vtero matris ſuæ fol. 20. litera E.*) motus fuit Auguſtinus, vt dubitaret de Ioannis Batiſtæ, & Ieremiæ ſanctificatione in vtero. Eodem igitur dubitaret de ſanctificatione Virginis in vtero facta.

5. 4. Arg. 1. Cor. 15. Quarto pro eiuſdem adduci poteſt Paulus 1. Cor. 15: *Non priùs quod ſpirituale eſt: ſed priùs, quod eſt animale; deinde, quod eſt ſpirituale.* Sed natiuitas ex vtero eſt natiuitas animalis; natiuitas autem per gratiam ſanctificantem eſt ſpiritualis,
Ioan. 1. iuxta illud Ioannis 1. *Sed ex Deo nati ſunt.* Ergo Virgo non prius fuit ſanctificata, quam nata. Quo etiam argumento vtitur Auguſtinus in d. Epiſt. 57. vt probet in nobis natiuitatem ex vtero antecedere natiuitatem per gratiam ſanctificantem.

6. 5. Arg. Quinto; peccatum originale contrahitur ex origine, ſicut actuale ex actu. Sed quandiù quis eſt in actu peccandi, non poteſt mundari à peccato actuali. Ergo quandiù quis eſt in actu originis non poteſt ab originali mundari. Iam verò quis tandiù eſt in actu originis, quandiù non naſcitur ex vtero: ortus enim cuiuſque natiuitate perficitur, & completur: Ergo nullus poteſt ab originali ſanctificari, antequam ex vtero naſcatur: Quare nec virgo potuit ſanctificari ab originali, antequam ex vtero naſceretur.

Sexto accedit: quia alias Virgo poſſet intrare in Regnum Cęlorum ante Chriſti paſsionem: ſi nimirum ante paſsionem filij moreretur, quod eſt contra illud Pauli ad Hebræos 10. *Habemus fiduciam in introitum ſanctorum per ſanguinem ipſius.* 7. 6. *Arg.*

Poſtremò: de Fide eſt omnes, qui ab Adamo propagatione deſcendunt, non ſolum concipi cum peccato originali, ſed etiam cum eodem ex vtero naſci. Sed à regulis Fidei vniuerſalibus non licet aliquẽ eximere, niſi in ſacris literis inueniatur exemptus: iam verò ſacratiſsima Virgo in ſacris literis non inuenitur exempta, ne naſcatur cum originali peccato. Hæc pro errore Lutheranorũ adducta ſunto. 8. *Poſtremũ.*

§. 2.

Tenenda eſt affirmatiua omnium Catholicorum ſententia.

His tamen non oſtantibus omnino aſſerendum eſt, & indubitanter tenendũ Mariam Virginem Deiparam fuiſſe in vtero matris ſanctificatam, antequam ex vtero naſceretur. In hac affirmatione vno ore conſentiunt omnes Theologi Catholici, in ea conueniunt omnes illi, qui volunt Virginem originale peccatum non contraxiſſe; illi etiam, qui oppoſitum ſentiunt, ita expreſſe *D. Thomas 3. p. quæſt. 27. artic. 1. & in 3. diſt. 3. quæſt. 1. artic. 1. quæſtiuncula 3. & quodlibeto 6. artic. 7. & Opuſc. 4. quod eſt de expoſitione ſalutationis Angelicæ: eandem veritatem in terminis probat Magiſter in 3. diſtinct. 3. vbi Albertus Magnus artic. 3. Richardus art. 1. quæſt. 2. D. Bonauentura 1. p. artic. 4. quæſtione 3. Durand. quæſt. 2. num. 4. Paludan. quæſt. 1. artic. 1. cum reliquis Scholaſticis: accedit etiam Alexander de Ales 3. parte quæſt. 9. Memb. 2. artic. 4. Henric. quodlibet. 15. quæſt. 13. Thomiſtæ 3. p. quæſtione 27. artic. 1. vbi Caietan. Medina, & Pezanſius, idem Caietanus tomo 2. Opuſculorum tract. 1. cap. 1. §. ex dictis. Ioannes Brumardus in Summa de*

9. *Affirmatiua eſt Catholica.* *D. Thom.* *Magiſt.* *Albert. Magn.* *Richard.* *D. Bonau.* *Durand.* *Palud.* *Alenſis.* *Henricus.* *Caietan.* *Medina.* *Pezanſius.*

Maria

Mayron. *Auguſt.*

Maria n[illegible]. Mayron. in 3. diſt. 3. q. 1. art. 5. Iacobus Ienoenſis in ſerm. 3. de Aſſumptione Mariæ Auguſtinus Tryumphus in orationem Dominicam in quinta petitione. Pro hac veritate contra hæreticos multa congerit

Cannisiuss *Cordubẽſi* *Suarius.* *Vaſquez.* *Barrad.* *Petrus Morales.*

Cannisius libr. 1. de Maria Deipara capite quinto cum ſequentibus. Antonius Cordubenſis lib. 1. ſui Quæſtionarij q. 44. concl. 4. Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 1. Valentia 4. tom. diſp. 2. quæſt. 1. punct. 1. Vaſquez, Bellomontanus tom. 2. in 3. p. diſput. 114. cap. 1, num. 1. Barradas lib. 6. Concord. cap. 3. nouiſſimè Petrus Morales de Chriſto Domino, & Sanctiſſima Virgine lib. 3. tract. 1. concl. 2. nu. 17. Denique concors eſt omnium Scholaſticorum ſententia, cui nullus Catholicus vnquam repugnauit. Hæc igitur ſententia non ſolum veriſſima eſt; ſed etiam ita eſt certiſſima, vt oppoſita nullo modo ſine nota cenſuræ affirmari valeat, vt inferius articul. penult. patebit.

ARTICVLVS II.

Confirmatur præcedens veritas omnium Patrum authoritate.

1. *Confirmatur ex Patribus.*

HÆC veritas primo loco à nobis confirmabitur varijs Sanctorum Patrum teſtimonijs: quãuis enim apud antiquos Patres, aut nihil, aut parũ; de hac quæſtione reperies, tamen apud eos, qui de illa aliquid ſcrip ſerũt, vnanimus fuit de hac veritate omniũ conſenſus. Et vt ab ijs, qui hãc veritatem in ſpecie docuerunt, incipiamus: antiquiores priùs referemus, vt quiſq; videre poſſit, quam in Eccleſia hæc veritas antiqua ſit, & indubitata.

2. *S. Maxi.*

Maximus Turonẽſis Epiſcopus (floruit circa annũ 400.) in homilia de Aſſumptione Virginis ita ſcribit: *B. Virgo fuit in vtero matris ſanctificata, & ab omni contagione originalis culpæ antequam naſceretur, per Spiritum Sanctum mundata.*

3. *S. Ildeph.*

Sanctus Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus (circa annum 350. vt quidam volũt, vel vt alij verius malunt, circa annum 659.) in lib. aduerſus eos, qui diſputant de perpetua Virginitate S. Mariæ, qui habetur to. 9. Bibliothecæ ſãctorum Patrũ pag. 678. vbi pag. 681. poſtquam oſtendit Virginis carnẽ nõ eſſe carnẽ peccati, & eius natiuitatẽ vt ſanctam ab Eccleſia celebrari, ita cõcludit: *Sed quia eius natiuitas tam ſolemniter colitur, conſtat ex authoritate Eccleſiæ, quod nullis, quãdo nata eſt, ſubiacuit delictis: nec cõtraxit in vtero ſanctificata, originale peccatũ.* Et ſtatim: *nullius igitur natiuitas celebratur in mundo, niſi Chriſti, Virginis, & B. Ioannis: Ioannes autem quia, & ipſe in vtero ſanctificatus legitur, ſic & Beata Virgo Maria, niſi in vtero matris ſanctificata eſſet, minimè eius natiuitas colenda eſſet.*

Sanctus etiam Andræas Ieroſolymitanus Epiſcopus Ildephonſi Toletani coæuus in ſermone in ſalutationem Angelicam (tomo 2. Bibliothecæ Patrum pag. 1159, litera E.) ita ait. *Salue electa à Deo, antequam nata fueris.* 4. *Andræas Ieroſoly.*

Sanctus Ioannes Damaſcenus (anno 730.) oratione prima de Natiuitate Virginis hæc ſcribit verba: *O præclaram Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus & formatus fuit fœtus ſanctiſſimus: O beatum ventrem, qui viuum cœlum cœlis ipſis latius peperit.* Hæc verba ex Damaſceno refert Iodocus Coccius in ſuo Theſauro lib. 3. art. 1. pag. 264. col. 2. Idem Damaſcenus in 2. oratione de natiuitate, teſte Canniſio lib. 1. de Maria Deipara cap. 11. pag. 11. C. carmen Epithalamium canit beatæ Annæ non ſolum parienti virginem, ſed etiam eam in vtero geſtanti. Quin potiùs teſte eodem Canniſio tribus orationibus diem natalem Virginis exornauit, quas ex græco in latinum tranſtulit Billius. 5. *Damaſce.*

Pro eadem ſententia citari poſſunt Germanus Cõſtantinopolitanus Patriarcha, & Sergius Hierapolita peruetuſti authores, dum eiuſdẽ Virginis natiuitatem ſermonibus illuſtrarunt, quam tamen non illuſtrarent, niſi ea in vtero ſanctificata naſceretur. 6. *Germanus*

Pro eadem ſatis ſcribit Idiota Damaſceno fere contemporaneus (floruit enim anno 800.) is in lib. contẽplationũ c. 1. de Virgine ita ſcribit: *Benedicta es ante ortum, in ortu, & poſt ortum,* Et cap. 2. ita ait, *Tota pulchra es in Conceptione, ad hoc ſolum ſpectat, vt eſſes templum Dei altiſſimi.* 7. *Idiota.*

8. *Fulbert.* S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus (floruit anno 1000.) in Salutationem Angelicam relatus à Iodoco Coccio vbi ſuprà pag. 267. col. 1. ita ſcribit: *Electa inſignis inter filias, quæ immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius ſanctitatis.*

9 *Auctor Epiſtolæ, quæ Hieronymo tribuitur.* Ante omnes iſtos Patres eandem veritatem ſatis ſignificauit Author Epiſtolæ, quæ D. Hieronymo falſo tribuitur, ad Chromatium, & Theodorum Epiſcopos tom. 9. pag. 272. vbi pag. 273. col. 1. agens de Natiuitate Virginis refert verba Angeli ad Ioachimum: *Anna vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam: hæc erit, vt vouiſtis, ab infantia ſua Domino conſecrata, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris.* Quæ Epiſtola, licet non ſit Hieronymi, eſt tamen alicuius Theologi Hieronymo contemporanei; quod ſatis eſt ad confirmandam huius doctrinæ antiquitatem.

10. *Nycephorus.* Adde Nicephorum Caliſtum (Anno 1100.) lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 7. vbi in hæc verba: *inuiolata es beata Virgo, dignum, Deoque decens Verbi domicilium, etiam ante natiuitatem Deo conſecratum.* i. ſanctificatum: etenim per ſolam ſanctificationem potuit fieri dignũ Dei domicilium.

11 *Rupertus Abbas.* Facit etiam Rupertus Abbas (Anno 1120.) lib. 6. in Cantica ad illa verba; *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens*, pag. 58. col. 1. dum ait, *Beatam Virginem, quando nata eſt, vt auroram conſurrexiſſe*: Surgere autẽ, vt aurora, in ſua natiuitate non poſſet, ſi in peccato originali naſceretur: ſupponit igitur eam iam in vtero fuiſſe ſanctificatam.

12. *D. Bernardus.* Accedat D. Bernardus circa annum 1140. is enim multis in locis eandem confirmat veritatem: nam Epiſtol. 174. ſæpiùs eam docet, & litera K. ita concludit: *Fuit proculdubio mater Domini ante Sancta, quam nata*: & litera L. *Sanctus ortus; quoniam immenſa prodiens ex vtero ſanctitas ſanctum fecit illum.* Quæ verba ſunt diligentiſsimè annotanda pro confirmanda conſequentia, quæ communiter ſit ab ortu ſancto ad ſanctitatem in vtero; etenim ſanctitas in vtero præcedens, ſanctum facit ortum. In eadem loco litera I. ita habet: *Firmiſsime cum Eccleſia ſentiens in vtero eam accepiſſe, vt ſancta prodiret*: quæ etiam verba præcitatam conſequentiam confirmant: idem Bernardus in Sermone de excellentia, & ſanctitate Ioãnis, poſtquam docuit Ioãnem Baptiſtam, & Hieremiã in vtero fuiſſe ſanctificatos ita ait: *Quanquam de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin ipſa maternis circunſepta viſceribus ſubliniori ſanctificationis genere mundata ſit, vt pote ſanctuarium illud, in quo Deus & Dei filius carnem fuerat accepturus.* In Sermone 28. de Aſſumptione Virginis pag. 49. d. hæc habet verba: *Eam minus à Hieremia ſanctificatam in vtero, aut non magis Ioanne Baptiſta Spiritu Sancto repletam credere prohibet pietas Chriſtiana.* Denique ſerm. 4. ſuper Salue Regina his verbis idem confirmat: *Ego quoq; pia fide opinor, in vtero matris tuæ ab originalibus te abſolutam peccatis: nec vana eſt fides, nec opinio falſa.* Et nonnullis pro hac ſententia adductis rationibus ita concludit: *Tu ergo proceſsiſti vt aurora lucida, & rubicunda; quia ſuperatis originalibus peccatis in vtero matris, nata es: lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis: inde eſt, quod natiuitatem tuam ſanctam Sancta Eccleſia feſtiuis celebrationibus honorat; quod alias non faceret.*

Hugo de Sancto Victore eiuſdem tẽporis lib. 4. de proprietatibus, & epithetis rerum cap. 2. ita habet: *Beata Virgo pauper fuit, humilis, obediens, quieta, modeſta, ſimplex, ſapiens, ab Angelo nuntiata, in vtero ſanctificata.* 13 *Hugo de S. Victore.*

Eiuſdem tempeſtatis Richardus de Sãcto Victore (floruit anno 1140.) in Cãt. Canticorum cap. 26. ſæpiùs id repetit inquiens: *Beata Virgo tota pulchra fuit, quia ſanctificata in vtero*: Et paulò inferius: *Tota fuit pulchra; quia mundata in vtero.* 14. *Richard. de S. Victore.*

Accedant etiam S. Antonius de Padua in ſermone de Natiuitate Virginis: Sanctus Bernardinus ordinis Minorum in opere tertio ſermon. in tractat. de beata Virgine ſerm. 4. & S. Vincentius in ſerm. de Virginis Conceptione, & tandem Laurentius Iuſtinianus in ſermone 15. *S. Anton. S. Bernar. S. Vincet. Laurẽtius Iuſtinian.*

de

de Annuntiatione eiuſdem Virginis, vbi ita ſcribit: *Prius eſt ſanctificata, quàm nata*: quod iterum repetit in ſerm. de Natiuitate eiuſdem.

16 Poſtremò, hanc veritatem confirmant omnes illi Patres, quos pro immaculata Virginis Conceptione lib.3. referemus.

¶ Quare dubitandum non eſt ab ipſo Eccleſiæ initio hanc fuiſſe omnium Patrum conſtantem doctrinam.

ARTICVLVS III.

Confirmatur eadem ſententia ex Feſto Natiuitatis eiuſdem Deiparæ Virginis.

§. 1.

Proponitur commune argumentum.

1. *Arg.commun.* SEcundo veritas iſta ex eo confirmatur, quod dies natalis Virginis in tota Eccleſia anniuerſaria celebritate publice celebratur, & colitur: inde enim infertur Virginem in vtero fuiſſe ſanctificatam; & per cõſequens prius ſanctam, quam natam, In forma ita conficitur argumentum: Dies Natiuitatis Virginis Deiparæ, vt vere ſanctus in tota Eccleſia publice celebratur. Ergo Virgo in vtero prius fuit ſanctificata, quam nata. Hoc argumento ad noſtram veritatem confir*D.Thom.* mandam vtitur *D.Thom. 3.p.q. 27 art.1. in argumento, ſed contra,* & poſt eum fere omnes Scholaſtici, ſaltem Nouiores: omnes enim Sanctificationem Virginis in vtero matris inferunt ex eo, quod publicè in Eccleſia celebratur eius natiuitas. Quin potius hoc argumento ad eiuſdem veritatis confirmationem vtitur S.Ilde*S. Ildephonſus.* phonſus Toletanus in libr. *pro perpetua virginitate Virginis tom.9. Bibliotecæ Patrum pag.681.* & poſt eum D. Bernardus *D. Bern.* *Epiſt.174.& ſerm.4.in Salue Regina*, quorum verba in præcedente articulo fideliter retulimus. Huius argumenti ante2 *Probatur cõſequentia.* cedens eſt notum, quia in Eccleſia nota eſt illius natiuitatis publica celebratio. Porrò conſequentia à S. Ildephonſo ex eo probatur; quia niſi in vtero fuiſſet ſanctificata, non celebraretur eius natiuitas. D.autem Bernardus efficacius eam probat ex eo, quia natiuitas non poteſt eſſe ſancta, niſi ex ſanctitate eius, qui naſcitur: naſci autem ſanctus non poteſt, niſi qui in vtero habuit ſanctitatem. Quare, vt bene ait D.Bernardus, ſanctitas eius, qui ex vtero ſanctus egreditur, natiuitatem facit ſanctam: nam ſi quis ex vtero exit cum immunditia peccati, quæ ſanctitati ſuo modo contrariatur, quomodo natiuitatem poteſt ſanctificare? Etenim natiuitas nihil eſt aliud, quam exitus ab vtero: exitus autem ab vtero talis erit, qualis fuerit, qui ab vtero exit: ſi immũdus exit, exitus, ſiue natiuitas immunda erit; ſancta verò; ſi qui exit, ſanctus exit. Veriſsima eſt igitur D.Bernardi doctrina, qua docet ſanctitatem egredientẽ ex vtero ſanctam facere egredientis natiuitatem: quam doctrinam eſſe philoſophię conſentaneam latè oſtendemus §.6. huius articuli.

§. 2.

Referũtur ſolutiones, quibus huius argumenti efficacia à quibuſdam diſſoluitur.

ADuerſarij vim huius argumenti elidere nituntur, quare referre 3. oportet eorum ſolutiones, & eas quã accuratiſsimè impugnare, vt argumenti efficacia manifeſte appareat.

Prima ſolutio eſt eorum hæreticorũ, 4. qui conuicti argumenti efficacia, & neceſsitate conſequentiæ, ſi antecedens ad- *1. Solutio Hæreticorum.* mittatur, Eccleſiam Catholicam & Romanam erroris damnant, quod Virginis natiuitatem tanquam ſanctam celebret: tum; quia Sanctorum feſtiuitates non admittunt; tum etiam; quia in tali celebritate falſo ſupponitur ſanctitas. Ita argumentum diſſoluit *Pomeranus cum ſectarijs*, & Lutheri ſectatores, quem errorem à Luthero acceperũt: is enim non ſolum ſanctorum feſta in vniuerſum abolenda eſſe ſcripſit in libro de formula Miſſæ, ſed in ſpecie reiecit feſtum natiuitatis Virginis in libro de pijs ceremonijs obſeruandis, ſicut refert *Canniſius lib.1.de Maria Deipara cap.11. pag. 116*: *Canniſius.* Hi igitur ad argumentum non negant antecedens, ſed negant natiuitatem Virginis eſſe celebrandam.

Secunda ſolutio eſt aliorum hęreticorum, qui admittunt feſtorum celebra-

tem, & ſubinde non reijciunt, ſed pro-
bant celebrationem natalis Virginis: ne-
gant tamen inde benè inferri eam in vte
ro fuiſſe ſanctificatam. Fundamentum
eſt; quoniam feſtiuitates ſanctorum non
celebrantur, quaſi aliquid myſterij conti
neāt, aut piam aliquam ſignificationem,
ratione cuius dies illi ſint alijs ſanctiores,
atque inter ſe inæquales: quia id contra-
Rom. 14. dicit Paulo *Romanor.* 14. dum prohibet,
Ne quis diem inter diem iudicet. Et ad Ga-
lat. 4. dum prohibet *obſeruari dies, menſes;*
Ad Coloſ. 2. *tempora & annos.* Ad Coloſſenſ. 2. *Nemo*
vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte
diei feſti. Volunt igitur hi hæretici feſta
poſſe celebrari diſciplinæ, ordinis, & po-
litiæ cauſa. Qui fuit error Lutheranorū,
Bellarm. & Caluiniſtarum, vt referunt *Bellarmi-*
nus lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 10. 2. to.
pag. 1092. Cui videtur fauere D. Hiero-
nymus ad præcitata verba *Pauli ad Galat.*
Hieron. 4. vbi ſcribit: *Ne inordinata congregatio*
populi fidem minuèret in Chriſto; propterea
dies aliqui conſtituti ſunt, vt in vnum omnes
pariter conuenirent: non quo celebrior ſit dies
illa, qua conueniūt; ſed quo quacunq; die con-
ueniendum ſit, ex conſpectu mutuo lætitia ma
ior oriatur: vnde affirmat Chriſtianis om-
nes dies eſſe æquales; ſed propter ſæcu-
lares oportuiſſe conſtituere aliquos dies,
quibus conueniant ad Eccleſiam. Quæ
omnia videntur confirmare explicatam
hæreticorum doctrinam. Quo ſuppoſi-
to, neganda eſt conſequentia: cum cele-
bratio natiuitatis Virginis non fiat ab
Eccleſia ratione ſanctitatis, ſed ſolùm
cauſa diſciplinæ, & politiæ.

Tertia reſpōſio adduci poteſt ſumpta
6. ex doctrina Bellarmini *in d. lib. 3. de culto*
Tertia ſolutio. *ſanctorum cap. 16. ad argumentum ſumptum*
ex feſto Conceptionis p. 1123. §. *Dico ſecun-*
Bellarm. *do:* Docet enim feſta poſſe inſtitui alicui
ſancto non ob illius ſanctitatem, ſed ob
officium, ad quod talis ſanctus à Deo de-
ſignatur: etenim ex ſententia *D. Bernardi*
D. Bern. *Epiſt.* 174. natiuitas Baptiſtæ inſtituta
fuit ab Eccleſia, non præciſe, vt ſanctita-
tē illius celebraret, quaſi in vtero ſancti-
ficatus ſine originali natus ſit; quia de hoc
non ſatis conſtat, ſed ratione officij præ-
curſoris, ad quod ab ipſo matris vtero
fuerat deſignatus. Putat igitur Bellarmi-
nus feſtum Cōceptionis Virginis admit-
ti poſſe, etiam ab illis, qui putant eam in
originali fuiſſe conceptam: nec enim (vt
ait) vt illud feſtum inſtitueretur, neceſſa-
rio requirabatur, quod cōceptio fuerit
immaculata; ſed ſatis erat, quod Virgo
illa concepta ſit, quæ Dei mater futura
erat. Hac igitur ſuppoſita Bellarmini do
ctrina manifeſtè patet ex feſto natalis
Virginis non neceſſario inferri eam in
vtero ſanctificatam fuiſſe, & ſubinde na-
tam ſine originali: dicerent enim aduer-
ſarij ad celebrandum natalem Virginis
non neceſſario requiri natiuitatem eius
fuiſſe puram, & immaculatam; ſed ſatis
ad hoc fuiſſe Virginē, quæ nata eſt, naſci
à Deo electam, deſignatamque ad digni- 7.
tatem matris Dei. 4 ſolutio.

Quarta adhuc ſolutio excogitari po-
teſt: quoniam ſicut, vt Virginis Cōcep-
tio diceretur ſancta, & immaculata, ne-
ceſſe non fuit, vt ſanctitas ipſam concep-
tionem antecederet; ſed ſatis fuit, quod
ſanctitas conceptionem conſequeretur,
in quadam poſteritate naturæ, in eodem
temporis inſtanti; ita etiam vt natiuitas
eiuſdem dicatur immaculata & ſancta,
non neceſſe fuit, vt ſanctitas antecederet
in vtero; ſed ſatis fuit ſi natiuitatem ip-
ſam conſequeretur in quodam poſterio-
ri naturæ. Qua ſuppoſita doctrina non
neceſſariò infertur ſanctificatio in vtero
ex ſanctitate natiuitatis, quam Eccleſia
celebrat in ipſo Virginis natalitio.

¶ Hæc ſunt, quæ videntur infirmare
vim & efficaciam huius communis ar-
gumenti.

§. 3.

Prima ſolutio tanquam vere impia impugnatur. 8.

HIs tamen non obſtantibus dicen-
dum eſt argumentum ſumptum
ex feſto natiuitatis Virginis fir-
miſsimum eſſe: quo tanquam verè firmo
vſus eſt. S. Ildephonſus loco citato, &
D. Bernardus ob illius efficaciam huic
aſſentitur veritati. Quare in hoc articulo 9.
ſingulas ſolutiones expugnabimus.

Quod attinet ad primam, quæ eſt hæ-
reticorum; illa tanquam verè impia ab

Solutio 1. eſt impia. omnibus Catholicis totis viribus damnatur, & verè eſt damnanda, quia apud fideles & Catholicos tanquam certiſsimum iam habetur Eccleſiā in inſtituendis, & celebrandis diebus feſtis errare non poſſe, propter diuinam, quam hac in re habet aſsiſtentiam, qua adiuta, & illuminata in celebrandis feſtis, neque aliquid ſuperſtitioſum approbare poteſt, nec inordinatum & incertum, vt aduertit *Caſtro aduerſus hæreſes lib. 13. verbo Sãcti*: idque ſatis definiuit Leo Papa epiſt. 4. c. 2. ad finem his verbis: *Verum quia Spiritus ſapientiæ & intellectus ita Apoſtolos, & totius Eccleſiæ erudiuit magiſtros, vt in Chriſtiana obſeruantia nihil inordinatum, nihil pateretur eſſe confuſum, diſcernendæ ſunt cauſæ ſolemnitatum.* Quibus verbis ſatis ſignificauit diuinam aſsiſtentiam in inſtitutione feſtorum dari in Eccleſia: neque quidem ſine optimo, & ſolido fundamento; quoniam feſtorum celebrationes ad diuinum ſpectant cultum: pertinent enim ad tertium Decalogi pręceptum de obſeruatione ſabbati, vt docet *D. Thomas communiter receptus 2. 2. q. 22. art. 4*: ſunt enim feſta Chriſtianorum inſtituta, non ſolùm vt in illis expeditiores Deo vacemus, ſed etiam vt in illorum dierum myſterijs, ſanctorumque veneratione Deum colamus. Iam verò ſicut Eccleſia à Spiritu ſancto dirigitur, ne erret in his, quæ ad fidem pertinent, vt cõtra hæreticos catholicè ſupponimus; ita etiam diuina eiuſdem ſpiritus aſsiſtentia, & ductu gubernatur, ne erret in his, quæ pertinent ad diuinum cultum, vt patet ex verbis Leonis ſuprà citatis, & ex *D. Thoma 2. 2. q. 43. art. 1. ad 3.* dùm ait, *Conſuetudines Eccleſiæ in diuino cultu nihil veritati repugnare*; quia hæc omnia ſuo modo & pertinent ad mores, & ad fidem: quare ſicut fieri non poteſt, vt Eccleſia diuinum cultum tribuat, cui non debetur; ita nec fieri poteſt, vt Deo cultum tribuat, eo modo, & ea de cauſa, qua non debet: eſſet enim talis cultus perniti oſus, & verè ſuperſtitioſus, ex *D. Thoma 2. 2. q. 92. art. 1. in corpore, & ad 3. & q. 93. art. 1.* Quare Deus ſuæ Eccleſiæ aſsiſtens vſque ad conſummationem ſæculi nullo modo patietur, eam in feſtorum celebratione ſuperſtitioſe errare; ne dùm in errore diu perſeuerare.

Caſtro. Leo Papa. D. Thom. D. Thom. D. Thom.

10. Igitur cum Virginis natalitium maxima cum gratulatione omnium fideliũ vbique terrarum ſolenniter celebretur, idque authoritate Summorum Pontificum, & Conciliorum, ſatis conuincitur hæreticos iſtos impudenter, & hæreticè hoc feſtum damnare: quorum impudentia eo eſt turpior, quo huius diei feſtiuitas in Eccleſia tam Latina, quâm Græca eſt antiquior. Et quanuis non conſtet, quando huius diei ſolemnitas primum fuerit inſtituta, aut toti Eccleſiæ vniuerſaliter præcepta, vt affirmat Cardinalis Baronius in Martyrologio Romano ad diem octauum Septembris: conſtát tamẽ eam eſſe antiquiſsimam ante mille trecentos annos, vt colliges ex eodem Baronio: etenim (vt ibidem refert) inueniũtur ſermones apud Chryſoſtomum de natiuitate Virginis: Chryſoſtomus autẽ ante Auguſtinum fuit in dimidio tertij ſæculi, id eſt circa annum 250. De eodem feſto inueniuntur ſermones apud Proclum, qui vixit in principio quarti ſæculi anno Domini 430. Ex quinto ſæculo huius feſti meminere Andræas Cretenſis anno 560. Gregorius Magnus anno 590: ex ſexto ſæculo Ildephonſus Toletanus anno 660. Sergius Papa primus anno 690: ex ſæculo ſeptimo Beda, & Ado Treuerenſis in ſuis Martyrologijs: ex alijs ſæculis de hoc feſto agunt Petrus Damianus, D. Bernardus, Guerricus, & innumeri alij, qui poſt annum milleſimũ diuerſis temporibus floruerunt.

Feſtũ natiuitatis Virginis eſt antiquiſsimũ

11. Quare errarunt, qui ſcripſerunt hanc Virginis natiuitatem primum fuiſſe aut inſtitutam, aut vniuerſaliter præceptam ab Innocẽtio quarto circa annum 1250. vt benè aduertit Baronius loco citato: nam quanuis tempore Auguſtini non fuerit vniuerſaliter inſtituta, nec tempore Caroli Magni circa annum 813: fuit tamen in pluribus Eccleſijs celebrata, vt ex dictis patet: imò tẽpore S. Ildephonſi circa annum 660. iam vniuerſa liter erat præcepta, ne dum tempore D. Bernardi anno 1130: quare cum eodem Bernardo in d. epiſt. 174. concludendum eſt, Eccleſiam in huius diei celebratione nullo modo

Deceptio quorundã. D. Bern.

modo falli: ita enim ſcribit: *Nec fallitur omnino Sancta Eccleſia, ſanctum reputans ipſum natiuitatis eius diem, & omni anno, cum exultatione vniuerſæ terræ votina celebritate ſuſcipiens.* Quapropter damnandi potiùs ſunt præcitati hæretici, dùm Eccleſiam damnant, quod huius diei celebrationem præcipiat.

§. 4.

Impugnatur ſecunda ſolutio hæreticorum.

12. *Solutio 2. etiam eſt impia. Feſta etiã inſtituũtur ratione alicuius myſterij.* Bellarm: Torrenſis. Klingius.

Secunda ſolutio aliorum hæreticorũ eſt etiam reijcienda tanquam verè impia: conſtanter enim aſſerendum eſt feſta ab Eccleſia inſtitui & celebrari, non ſolùm ratione doctrinæ, ordinis, & politiæ, vt impiè exiſtimant Lutherani cum Caluiniſtis; ſed etiam ratione alicuius myſterij, piæque ſignificationis, vt contra præcitatos errores latè demõſtrat *Bellarminus lib.3. de cultu Sanctorum c.10. prop.2. & Hieronymus Torrenſis lib.4. Auguſtianæ confeſsionis c.9. ab art. 13. vſque ad 19. Idque ex Auguſtino: probat etiam Conrradus Klingius in ſuis locis Theologicis lib.4. cap.46.*

13. *Confirmatur ex Auguſtino.* Quod Auguſtinus hunc errorem reiecerit, & Catholicam confirmauerit doctrinam, inter alios locos optimus eſt, qui habetur in lib. contra Adamantinum c.16. vbi agens de ijs, de quibus Paulus ad Galat. 4. ita ait: *Illi enim ſeruiliter obſeruabant, vt intelligeres ad quarum rerum ſignificationes, & prænuntiationes pertinerent: hoc in eis culpat Apoſtolus, & in omnibus, qui ſeruiunt creaturæ, pluſquam creatori: nam nos quoque & Dominicam diem, & Paſcha ſolenniter celebramus, & quaſlibet alias Chriſtianorum diebus feſtiuitates: ſed quia intelligimus, quo pertinent, non tempora obſeruamus; ſed quæ illis ſignificantur temporibus.*

14. *2. confirm.* *D.Thom.* Hæc veritas ſatis euidenter confirmatur: quoniam in lege veteri dies feſti vel à Deo, vel à Synagoga inſtituti myſterium aliquod continebant, piamque ac religioſam ſignificationem, vt latè oſtendit *D.Thomas 1.2.q.102.ar.4.ad 10:* nam determinatio illorum feſtorum pertinebat ad præcepta cæremonialia, quia ſpectabant ad diuinum cultum illius temporis: cæremonialia autem erant ſignificatiua, aut commemorando aliquod præteritum, aut figurando aliquid futurum, vt docet *D.Thomas 1.2.q.101.art.2. & q.102.art.2.* *D.Thom.* Ergo omnes dies feſti veteris legis ſunt inſtituti ad aliquid ſignificandum, non ſolùm in ſenſu literali, ſed etiam figuratiuo, ſiue myſtico. Et in ſenſu quidem literali, præter diuinam excellentiam, quam inſinuabant, ſemper ſignificabant aliquod inſigne beneficium illi populo collatum: in ſenſu autem myſtico, ſiue figuratiuo ſignificabãt aliquid futurum, quod vel ad Chriſtum pertineret in ſenſu allegorico, vel ad ſtatũ futuræ gloriæ in anagogico; vel ad mores in ſenſu morali, vt latè oſtendit *D.Thomas 1.2.q.101.art.2. & q.102.artic.1. & art.4. ad 10.* *D.Thom.*

15. *Feſti dies inſtituti ꝑter myſticam ſignificationẽ. 1.Cor.10. Coloſſ. 2.* Et quidem quod dies illi feſti â Deo ſint inſtituti propter aliquam myſticam alicuius futuri ſignificationem, generaliter docet Paulus 1. Cor. 10: *Omnia in figura contingebant illis:* & ſpecialiter de diebus feſtis id docet ad Coloſſenſes 2. dùm ait: *Nemo iudicet vos in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum.* Quod verò inſtituti etiam ſint, vt in ſenſu literali beneficium aliquod illi populo præſtitum ſignificarent, ex eo demonſtrat *D. Thomas in d. q.102. art. 2.* *D.Thom.* quia per præcepta cæremonialia populus ille diſponebatur ad cultum Dei pro illo tẽpore obſeruandum: oportebat igitur, vt cauſæ, ob quas feſta illa inſtituebantur, ac proponebantur populo celebranda, ad præſentem illius populi ſtatum pertinerent: ad hoc autem ſatis accommodata erat commemoratio, & ſignificatio beneficiorum, quæ populus ille à Deo accepit: inde enim reſultabat, tùm veneratio, & cultus diuinæ excellentiæ, cui populus ille ob accepta beneficia ſubijciebatur: tùm mentis diſpoſitio, quæ ad Deum colendum pro illo tempore requirabatur, vt benè adnotauit *D.Thomas in d.q.102.art.2. in corp. & ad primũ.* Quę autẽ beneficia ſingulæ feſtiuitates illius populi religioſè ſignificarent, explicat *D.Thomas 1.2.q.100.art.5. in cor. & ad 2. & q.102.art.2. ad 1. & latè art.4. ad 10. & q.103.* *D.Thom.*

q.103. art.3. ad 4. & 2.2.q. 122. art.4. de quibus etiam ſæpè egit Auguſtinu[s] epiſt.118.& 119.ad Ianuarium, & pluribus alijs in locis inferiùs citandis. Et

16. quidem, quod ſabbatum fuerit à Deo inſtitutum in commemorationem beneficij creationis, & requiei, qua Deus ab opificio mundi requieuit, expreſſè habetur

Exod. 20. Exod.20. *Memento, vt diem ſabbati ſanctifices: ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſeptimo autem die ſabbatũ Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, & cætera; ſex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt; & requieuit in die ſeptimo; idcirco benedixit Dominus diei ſabbati, & ſanctificauit eum.* Clariùs id exprimitur Exod.

Exod. 31. 31: *Videte, vt ſabbatum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris, vt ſciatis, quia ego Dominus, qui ſanctifico vos: cuſtodite ſabbatum meum: ſanctum eſt enim vobis: & ſex diebus facietis opus: in die ſeptimo ſabbatum eſt, requies ſancta Domini: cuſtodiant filij Iſrael ſabbatũ, & celebrent illum in generationibus ſuis; pactum eſt ſempiternum inter me & filios Iſrael, ſignumque perpetuum.* Quæ verba ſatis declarant feſtum ſabbati inſtitutum eſſe, in ſignum, & ſignificationem requiei, qua Deus requieuit, & in ſignum ſanctificationis, qua Deus cuſtodientes ſabbatum ſanctificat. Quod etiam inſtitutum ſit ad ſignificationem redemptionis populi, ex Ægyptiaca ſeruitute, ſatis

Deuter. 5. declarant verba Deuter. 5: nam poſtquam prohibuit omne opus in die ſabbati, ita ait: *Memento, quod & ipſe ſeruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extenſo, idcirco præcepit tibi, vt obſeruares diem ſabbati.* Quare indubitatum eſſe debet in lege veteri dies feſtos fuiſſe inſtitutos ad ſignificandum aliquod pium myſterium, beneficijque ſignificationem; non verò ſolius doctrinæ gratia, ordinis, & politię.

17. *Feſta Eccleſiæ inſtituta ad ſignificationẽ myſterij.* D.Thom.

Ex qua veriſsima reſolutione licet inferre feſta Eccleſiæ Catholicæ in lege noua inſtituta etiam eſſe ob ſignificationem alicuius, aut beneficij, aut myſterij: nam cum feſta nouæ legis ſuccedant feſtis legis veteris, mutata tamen ſignificatione; vt docet *D.Thomas* 1.2.q.103. art. 3. ad 4. profectò, ſi conueniens fuit, vt ſynagoga feſtiuitates in cultum diuinum inſtitueret, tùm ad recolenda beneficia à Deo accepta; tùm ad figuranda, ſignificandaque myſteria futura, quæ ſtatus ille ex diuina ordinatione adumbrabat; vtique conuenientiſsimum fuit, vt noua Chriſti Eccleſia in eũdem cultum inſtitueret feſtiuitates ad recolenda beneficia longe maiora, & ad ſignificanda myſteria longe illuſtriora: maximè cum feſta legis nouæ ſuccedant feſtis legis veteris, mutata tamen ſignificatione, vt ex D.Thoma iam aduertimus.

18. *Alia confirmatio.*

Hæc veritas ex eo etiam amplius confirmatur; quoniam niſi in celebratione feſtorum, quæ in diuinum cultum inſtituta ſunt, pia aliqua ſignificatio; & memoria alicuius diuini myſterij contineatur, non eſt, cur ipſa feſta dicantur ſacrata, & ſancta: etenim dies & tempora (quę ſecundum ſuam phyſicam entitatem omnia ſint æqualia) non aliã poſſunt habere ſanctitatem, & ſacrationem, niſi ſignificationis ac repræſentationis alicuius religioſi myſterij: hanc autem habere non poſſunt, niſi ex diuina, eccleſiaſticavê inſtitutione, vt ſatis inſinuant verba illa Exod.20. *Requieuit Dominus in die ſeptimo; idcirco benedixit Dominus diei ſabbati,* Exod. 20.
& ſanctificauit eum: non aliter, niſi deputando illum, vt ſignificaret Deum in illo à mundi opificio ceſſaſſe, vt explicant illa verba Exod. 21: *Videte, vt ſabbatum* Exod. 21.
meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris, vt ſciatis, quia ego Dominus: cuſtodite ſabbatum meũ; ſanctum enim eſt vobis: ideò enim diem ſeptimum appellauit ſuum & ſanctum, quia ſignum erat à Deo inſtitutum. Faciunt etiam verba Leuitici 23: *Dies ſeptimus, quia ſabbati requies eſt, vocabitur ſan-* Leuit. 23.
ctus: iam verò dies ſeptimus eſt ſabbati requies; non ſimpliciter, & per ſuam entitatem; ſed per ſolam ſignificationem, vt diximus.

19. *Idem rurſus confirmatur.*

Idem, quod de ſabbato legis veteris docet Scriptura (ſcilicet eum eſſe ſanct[um] ob ſolam ſignificationem rei ſanctæ) dicendum etiam eſt de cæteris omnibus feſtiuitatibus, tâm veteris legis, quàm nouæ. Quare cum à Patribus dies feſti

dican-

dicantur ſacrati, & ſancti (vt patet ex *Auguſtino in præfatione ad Epiſtolam primam Ioannis, & lib. 22. de Ciuitate Dei c. 30. & lib. 20. contra Fauſtum c. 21. & ſer. 21. de Sanctis, & ex Ambroſio ſerm. 62. & ex Leone Papa ſerm. 4. de Quadrageſima, & ex cæteris communiter*) negandum non eſt dies feſtos Eccleſiæ piam aliquam, & religioſam ſignificationem pre ceteris diebus continere; ob quam præ cæteris, ſolenniter celebrentur, & ſpecialiter deputentur ad Dei cultum.

Auguſt. *Ambr.* *Leo Papa.*

20. *Aliud argum.*

Tandem, vt aduerſariorum non modo impudentiam, ſed etiam inſcitiam cõuincamus, & contra eos argumento ad hominem (vt dici ſolet) argumentemur; aduertimus feſtorum inſtitutiones nullo modo pertinere poſſe ad doctrinam, ordinem, & politiam, niſi myſterium aliquod religioſum contineant. Quare cum hæretici, contra quos arguimus, dies feſtos in Eccleſia admittant, ſi gratia doctrinæ, ordinis, & politiæ inſtituantur, non ſatis conſequenter loquuntur, dùm negant eos inſtitui poſſe gratia alicuius religioſæ ſignificationis. Singula ſingulatim oſtendamus.

21. *Feſta inſtituta etiam ſunt gratia doctrinæ.*

Admittimus dies feſtos ab Eccleſia etiã eſſe inſtitutos gratia doctrinæ; quia verè docemur vacandũ eſſe diuino otio: veneranda eſſe diuina myſteria: ſanctos eſſe & imitandos, & colendos: vitam denique æternam à fidelibus eſſe ſperandam: hæc enim, & alia feſtorum inſtitutione populum edoceri, paſsim docent Patres, & Eccleſiaſtici concionatores. Sed iam ab his hæreticis inquiro; quomodo de his omnibus populus fidelis edoceri poſsit, niſi dies illi myſteria noſtræ redemptionis; beneficia à Deo exhibita; Martyrum inſignes victorias, Sanctorumque inſignes virtutes, & adeptam gloriam anniuerſaria memoria ſignificarent?

22. *Inſtituta etiam ſunt ad bonum regim...*

Admittimus rurſus dies feſtos inſtitutos eſſe ad bonum ordinem regiminis Eccleſiæ: etenim cum ad cultum externum Dei maximè conducat, vt fideles more Chriſtiano ſæpè in vnum conueniant, ad diuinas laudes celebrandas: ad reddẽdum Deo debitas gratiarum actiones: ad audiendum verbum Dei: ad inſiſtendum diuinis ſacrificijs; denique ad alia ſanctificationis opera exhibẽda; quo fidelium fides, & deuotio in dies magis ac magis augeatur, & creſcat; ne congregationes iſtę inordinatè fierent, oportuit inſtitui aliquos dies, vt fideles cum deuotione, & celebritate in vnum congregarentur, vt aduertit *D. Hieronymus ad Galat. c. 4*: etenim quomodo hi dies potiùs quam illi ad has annuas fidelium ſolennitates celebrandas ordinatè poterant ab Eccleſia determinari, niſi quia myſteria, ad quæ celebranda populus fidelis congregandus erat, in his potiùs diebus, & non in illis cõtigerunt? etenim ex ſacris literis conſtat, Deum potiùs eligiſſe diẽ ſeptimum, quàm alium, vt ſabbatũ eſſet, & requiem Dei repræſentaret; quia in die ſeptimo, & non in alio ab operibus vniuerſi Deus requieuit: idem etiam reperies in cæteris diebus feſtis ſynagogæ: omnes enim ideò ſunt à Deo electi, quia in ipſis, & non in alijs contigere myſteria in illis celebranda, vt patet Leuitic. 23: Paſcha enim ideò decima quarta Martij celebrabatur; quia in tali die populus exiuit de Ægypto, vt ibidem Deus docet: quod etiam in cæteris ſynagogæ feſtis reperies. Eandem etiam rationem in determinandis, & aſsignandis diebus ſuarum ſolennitatum obſeruauit Eccleſia: ideò enim natalem Domini diem celebrat, die vigeſimo quinto Decembris, quia eodem die Chriſtus natus ſua natiuitate illum conſecrauit: & ſic de cęteris. Patet igitur ſine ſignificatione myſterij celebrandi non poſſe debitum ordinem ſeruari in determinandis diebus, in quibus hæc vel illa myſteria celebrãda ſunt.

Hieron.

Denique admittimus feſtorum inſtitutionem pertinere ad Eccleſiæ politiã, nam cum politia nihil aliud ſit, quàm bonus reipublicæ ſtatus, & gubernatio, ſecundum quam vnumquemque ciuium decet viuere, & conuerſari, vt docet Ariſtoteles in ſua Rhetorica: cum feſtorum inſtitutio ad bonum Eccleſiæ ſtatum, & gubernationem pertineat (quia ad illius ſtatum pertinet fideles inſtitui in ijs, quę ad Dei cultum ſpectant, vt in eo Chriſtiano modo viuant, & conuerſentur) certique ad politicum Eccleſiæ regimen ſpe-

23. *Pertinent ad politiã Eccleſiaſticam.*

ſpectat feſtos dies determinatis temporibus inſtituere. Iam verò (vt diximus) ſublata myſteriorũ ſignificatione non poteſt ſeruari debitus ordo, in determinandis diebus, in quibus ob ſpecialia aliqua myſteria, & beneficia Chriſtiano populo collata colendus eſt.

24. *Aduerſarij propriã vocem ignorant.* Quare aduerſarij propriam ignorant vocem, dũm dicunt feſtos dies eſſe inſtituendos gratia doctrinæ, ordinis, & politiæ; non tamen gratia alicuius glorioſæ ſignificationis: cum ſine illa nec populus fidelis bene poſsit edoceri, nec in aſsignandis feſtis debitus ordo valeat ſeruari, nec fideles politia Chriſtiana debitê in vnum conuenire queant, & conuerſari.

25. *Explicatur locus. Bellarm.* ¶ Nec huic veritati contradicit Paulus in locis in contrarium adductis: & quanuis ſatis ſint, quæ pro illis explicandis adducit *Bellarminus in d. lib. 3. de cultu Sãctorum cap. 10. pag. 1097. & 1098.* breuiter ad ſingulos reſpondebimus.

26. *Ad Rom. 14.* Primus locus ad Rom. 14. nihil fauet aduerſarijs: quoniam Paulus in eo loco non agit de iudicandis feſtis, ſed ſolùm de dijudicandis cibis in certis, ac determinatis diebus in lege veteri prohibitis: à quibus Iudæi conuerſi, adhuc in fide infirmi ante ſufficientem Euangelij promulgationem abſtinebant, non tamen gentiles, qui in fide erant firmi: pro hoc autem tempore poterat quiſque in hoc abundare ſuo ſenſu; & ſubinde manducans poterat Domino manducare, ſimiliter non manducans poterat idem Domino non manducare; & hæc eſt communis explicatio *D. Thomæ, Caietani, Toleti, Cornelij à Lapide, & plurium aliorum in eodem loco, & Bellarmini loco citato pag. 1097. lit. C.* qua ſuppoſita explicatione locus nullo modo fauet aduerſarijs. Sed nec fauebit, ſi locus intelligatur de obſeruatione ieiuniorum, quæ fuit explicatio *Origenis, Ambroſij, Oecumenij, Primaſij, & Anſelmi in eodem loco.* Si verò cum D. Hieronymo lib. 2. contra Iouinianũ, & cum Salmerone locum explices, de dijudicandis diebus feſtis, locus retorquetur aduerſus hæreticos; quoniam Paulus non prohibet, ſed ſuo modo approbat feſtorum celebrationem: nam poſt verba illa: *Alius iudicat diem inter diem; alius autem iudicat omnem diem,* immediatè addit: *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet: qui ſapit diem, Domino ſapit.* Quomodo igitur prohibet celebrationẽ feſtorum dierum? ſed quidquid de hoc ſit, Paulus agit non de feſtis in Eccleſia inſtitutis: (etenim Paulum celebraſſe diem feſtum Paſchæ, & Pentecoſtes ſatis colliges ex Actorum 20.) ſed de feſtis Iudæorum, quæ pro illo tempore non dùm erant mortifera: & ideò docet Iudæos conuerſos illa celebrantes non eſſe ab alijs dijudicandos, & reprehẽdendos. Vide Bellarminum loco citato.

D. Thom. Caiet. Toletus. Cornelius. Bellarm.

Origenes. D. Ambr. Oecumen. Primaſius. Anſelm.

Verba ſecundo loco adducta ad Galat. 4: *Dies obſeruatis, & annos* pro aduerſarijs nihil omnino faciunt contra feſtorum obſeruationem, ſi intelligantur de obſeruatione dierum fauſtorum, & infauſtorum, iuxta Aſtrologiam iudiciariam, quæ erat gentilium ſuperſtitio: ita locum explicarunt *Ambroſius, & Anſelmus ibidem Auguſtinus epiſt. 119. & in Enchiridione cap. 79.* nec reijcienda eſt explicatio. Sed nec illos iuuabunt, quanuis explicentur de diebus feſtis Iudæorum; quomodo illa explicant D. Chryſoſtomus, & Hieronymus, & inter Nouiores eſt communis explicatio; agit enim Paulus de feſtis Iudæorum, quorum ſolennitates, etiam in Eccleſia eſſe ſub præcepto plures ex Iudæis conuerſis tempore Apoſtolorum docuerũt: hos igitur Iudæos ad fidem conuerſos reprehendit Paulus; cum lex vetus poſt mortẽ Chriſti omnino ceſſauerit, & penitus amiſerit vim obligãdi. Eodẽ modo explicãdus eſt Paulus *ad Coloſſ. 2.* iuxta communẽ Patrum, & Nouiorũ explicationẽ. Conſtat igitur hæreticos iſtos ex Paulo nullum vel apparẽs argumentũ ſumere. 27. *Explicatur locus ad Galat. 4.* *Ambr. Anſelm. August.* 2. *ſolutio.* *Ad Coloſſ. 2.*

Sed nec illis fauet Hieronymus; quoniam ſatis ſe ipſum explicat, dum ait in hoc ſenſu omnes dies eſſe æquales Chriſtianis; quia omnes in quocunque die poſſunt priuatim celebrare illa myſteria, quæ ex Eccleſiæ inſtitutione in certis diebus publicè celebrãtur: quilibet enim Chriſtianus quolibet die poteſt paraſceuem, id eſt mortem Chriſti celebrare, & quotidie colere Chriſti reſurrectionem, & ſic de cæteris: quod facere non pote- 28. *Explicatur D. Hieronymus.*

tant Iudæi, vt ibidem oſtendi. Non tamen omnes eſſe æquales ſuppoſita lege Eccleſiæ, qua quiſque obligatur, myſterium celebrare in eo die, qui ad illius celebrationem ab Eccleſia eſt inſtitutus, is enim dies eo eſt ſanctior, & inæqualis cæteris diebus non feſtis; quia in eo contigit myſterium, quod publicè ex Eccleſiæ inſtituto celebratur. Vide Bellarminum in d. cap. 10. pag. 1099. A. B.

29. *Concluſio diſcurſus.* Concludendum eſt igitur Eccleſiam dies feſtos celebrare, & inſtituere ob aliquam piam, & religioſam ſignificationem, quam continent: quæ veritas celebris eſt apud omnes Patres. De ſignificatione diei Dominicæ agit Auguſtinus *Epiſt.* 118. *cap.* 1. *& Epiſt.* 119. *cap.* 13. *& lib.* 22. *de Ciuitate Dei cap.* 30. *& in Præfatione Pſalmi* 150. *& ſermone* 15. *de verbis Apoſtoli, &* 251. *de Tempore.* De Paſchate verò & Pentecoſte agit idem Auguſtinus *in dicta Epiſtola* 119. *cap.* 8. *& libro* 22. *contra Fauſtum capite* 11. *&* 12. *& in Pſalm.* 149. De feſtiuitatibus verò Sanctorum agit idem Auguſtinus *Pſalm.* 63. *& Pſalm.* 88. *concion.* 2. *in fine, & lib.* 10. *de Ciuitate Dei cap.* 4 *& contra Adamantinum cap.* 16: *Diuus etiam Gregorius homil.* 16. *in Ezechiel. libr.* 2. *in principio: Leo Papa Epiſt.* 4. *per totam, & epiſt.* 81. *ad Dioſcorum*: D. *Bernardus in Vigilia Petri, & Pauli, Iſidorus libr.* 1. *de Eccleſiaſticis officijs cap.* 34. *Rabanus lib.* 2. *de inſtitutione Clericorum cap.* 43. Denique de ſignificatione feſtorum videndus eſt *Guillerm. Durand. in ſuo rationali diuinorum Officiorum lib.* 6. *&* 7.

Auguſt. *Aug.* *Auguſt.* *Gregor.* *Leo Papa.* *D. Bern.* *Iſidorus.* *Rabanus.* *Guillerm. Durand.*

§. 5.

Impugnatur tertia ſolutio ſuprà poſita.

30. *Contra 3. ſolutionẽ.* SEd nec vim argumenti elidit tertia ſolutio ſumpta ex doctrina Bellarmini: etenim doctrina illa nullo firmo nititur fundamento: quia nullam legimus feſtiuitatem ab Eccleſia inſtitutã ob ſolam officij futuri deſtinationem, alioquin poſſet celebrari natiuitas Diui Pauli; quia à Deo fuit prædeſtinatus ad apicem ſummi pontificatus; idẽ de Paulo dici poſſet; quia ex vtero matris ad prædicandum Euangelium fuit ſegregatus, vt ipſe de ſe teſtatur ad Rom. 1. in principio. Nec *D. Bernard. in d. epiſt.* 174. dubitauit de ſanctitate Ioannis Baptiſtæ (quicquid Bellarminus aliter ſentiat) ſed ſolùm de ſanctitate præſeruante ab originali, vt ſtatim dicemus. Et licet Auguſtinus dubitet de ſanctificatione Baptiſtæ; nuſquam tamen dixit natiuitatem illius ſolùm fuiſſe celebratam ob deputationem ad officium præcurſoris; ſed ideò, quia natus ex vtero, ſtatim fuit ſanctificatus: de quo ille nunquam dubitauit, vt colligi videtur *ex ſerm.* 4. *de natiuitate illius*, qui eſt vigeſimus tertius de Sanctis.

1. ratio cõtra Bellarminum. *D. Bern.*

31. *2. ratio.* Quibus accedit; quoniam nullus eorum, qui negant conceptionem Virginis fuiſſe immaculatam, vnquam dixit feſtũ Conceptionis, ex eo præciſè celebrari, quia concepta fuit, vt eſſet mater Dei; nec ego in aliquo legi hoc feſtum ob hanc rationem ab Eccleſia celebrari, de quo vide quæ dicemus lib. 3. q. 6. art. 1. §. 3. contra quartam explicationem. Adde; quia Græci celebrantes conceptionẽ Baptiſtę, ideò ab Eccleſia Latina non admittuntur, quia non putat illius conceptionem fuiſſe immaculatam, & ſanctam.

3. ratio. Denique ex eo Bellarmini doctrina non eſt probanda; quia nullum ſuppeteret firmum argumentum, quo probari poſſet Virginem fuiſſe in vtero ſanctificatam, ſanctamque illius natiuitatem. Quod abſurdum mihi ſatis eſt, vt Bellarmini doctrinam non recipiam.

32. *Vera reſolutio.* Vera igitur reſolutio ſit, Sanctorum feſta, & ſolennitates ab Eccleſia inſtitui, propter ſanctitatem repertam, in myſterijs, quæ in illis agnoſcit: & ſubinde natiuitatem Virginis ideò ab Eccleſia celebrari, quia ita nata eſt ſancta, vt natiuitatis ſanctitas, diem illum fecerit ſanctum, vt expreſſè docet *D. Bernardus in d. epiſt.* 174. in hæc verba: *Sanctus ortus: quoniam immenſa prodiens ſanctitas ſanctum fecit illum.* *D. Bern.*

33. *Concluſio argumẽti.* Hac autem ſuppoſita veritate neceſſario infertur Virginem fuiſſe in vtero ſanctificatam priuſquam naſceretur: niſi enim in vtero ſanctificata fuiſſet, natiuitas eius non poſſet dici immaculata, & ſancta, vt ait D. *Bernardus in dicta epiſtola* 174. *D. Bern.*

§. 6.

§. 6.

Impugnatur quarta & vltima ſolutio.

34. *Contra 4. ſolutionẽ.* SVpereſt impugnare vltimam ſolutionẽ; cuius vis in eo eſt poſita, quoniam vt natiuitas Virginis dicatur ſancta, non neceſſe eſt, quod ſanctitas antecedat natiuitatem aut tempore, aut natura; ſed ſatis eſt; quod in eodem tẽporis inſtanti ſit cum natiuitate, licet cõueniat in inſtanti naturæ poſteriori; ita vt Virgo prius natura ſit nata, quâm ſanctificata. Hanc doctrinã confirmant huius opinionis authores, quia Virginis cõceptio (apud eos, qui defendunt eam fuiſſe cõceptam ſine peccato originali) nõ fuit ſancta ex ſanctitate, quæ natura antecederet illius conceptionem, ſed quæ eam conſequeretur in poſteriori naturæ.

35. *Non recipitur. 1. ratio.* Iſta tamen ſolutio procedit ex ignorantia Philoſophiæ, quod ex duplici capite euidenter oſtẽditur; ex primo; quoniam ſuppoſita opinione, quod gratia ſanctificans non niſi in inſtanti infunditur, non potuit Virgo naſci ſancta, niſi in vtero iam eſſet ſancta: etenim natiuitas Virginis, cum facta ſit per motum, ſicut fiũt cæterorum hominum natiuitates, etiam Chriſti Domini, incepit per motum, & per motum deſijt: etenim ex recepta Ariſtotelis Philoſophia, quæ per motum incipiunt, incipiunt per vltimum ſui non eſſe, ita vt nunc nõ moueatur, moueatur autem in tempore immediatè ſequenti; deſinant autem per primum ſui non eſſe, ita vt nunc primo non ſint, & immediatè antea fuerint. Natiuitas igitur Virginis, cum facta ſit per motum, vt diximus, incepit per vltimũ ſui non eſſe, ita vt nunc Virgo non naſcatur, naſcatur autem immediatè poſt: finita autem & completa fuit per primum ſui non eſſe, ita vt nunc Virgo deſinat naſci, naſcatur autem in tempore immediatè præcedenti. Iam ergo inquiro à patronis huius ſolutionis, *Contra primum ſenſum.* in quo nam inſtãti putent gratiam fuiſſe Virgini collatam? an in primo inſtanti, quo naſci incepit; an in vltimo, quo naſci deſijt? ſi priori modo rem explicent; neceſſario admittent, totam Virginis natiuitatem minimè fuiſſe ſanctam: quod admitti non poteſt. Sequela euidenter 36. demonſtratur: quoniam cum natiuitas Virginis incipiat per motum, incepit naſci per vltimum non eſſe natiuitatis; ita vt pro hoc inſtanti Virgo non naſcatur; naſcatur autem in tempore immediatè conſequente. Ergo ſi Virgo non fuit ſancta in vtero, antequam inciperet naſci ex vtero, neceſſario incepit naſci ſine ſanctitate, quæ fuit ſequela. Hoc autem admitti non poſſe (vt habet minor) inde patet; quia ſequeretur Virginem pro aliquo tempore ſuæ natiuitatis fuiſſe in peccato originali; cum pro aliquo tẽpore natiuitatis ſuæ fuerit ſine ſanctitate: etenim ſanctitas, cum gratia de facto in inſtanti infundatur, non potuit illi infundi, niſi in aliquo inſtanti temporis, in quo erat in actu naſcentiæ.

37. *Contra ſecundũ ſenſum.* Porrò ſi poſteriori modo rem explicent, neceſſario admittent Virginẽ fuiſſe natam ſine vlla ſanctitate, & ſubinde cũ peccato originali: etenim pro toto tempore ſuæ natiuitatis non habuit ſanctitatem, ſed peccatum originale, quod per ſanctitatem tollitur. Hoc autem ſine errore admitti non poteſt: etenim ſi pro toto tempore ſuæ natiuitatis non habuit ſanctitatem, quomodo potuit ſanctitatẽ ſuæ natiuitati communicare? Quare dici nõ poteſt natiuitatem Virginis habuiſſe ſanctitatem ex ſanctitate in inſtanti poſteriori naturæ Virgini collata: etenim pro illo inſtanti licet eſſet ipſa Virgo, quæ nata eſt, non tamen erat natiuitas illius; quia pro illo inſtanti iam primo non erat.

38. *2. impugn.* Ex alio etiam capite hæc ſolutio venit reprobanda: quia ſupponit Virginẽ pro vno, & eodem inſtanti fuiſſe in peccato originali, & ſine illo: quod eſſe impoſsibile oſtendemus inferiùs lib. 2. & 3. Sequela oſtenditur; quia pro illo inſtanti priori naturæ, antequam ſanctitas concipiatur infuſa, Virgo non poteſt intelligi cum ſanctitate. Intelligetur igitur cum culpa, aut cum debito illius. Sed de hoc latiùs lib. 2. & 3.

39. *Ad argumentũ aduerſariorũ.* Nec argumentum, quo nititur ſolutio, aliquid efficit: etenim longe diuerſa ratio reperitur, inter conceptionem, & natiuitatem, vt ſatis inſinuat D. Bernardus in d. epiſt. 174. litera M: etenim Vir-

go non potuit prius eſſe ſancta, quàm cõcepta; quia prius eſt eſſe, quàm ſanctum eſſe: at tamen potuit prius eſſe ſancta in vtero, quàm nata ex vtero; idque prioritate temporis. Deinde; quia in Conceptione peccatum originale natura non antecedit hominem conceptum; ſed potiùs cum natura conſequitur, niſi gratia præueniatur: in natiuitate verò peccatũ originale antecedit neceſſario hominem natum, ſi fœtus in vtero non ſanctificetur, vnde in conceptione ſatis eſt ſimultas ſanctitatis in eodem inſtanti temporis, vt conceptio dicatur ſancta; quamuis ſanctitas ſit natura poſterior, ſecus in natiuitate dicendum eſt: cum enim peccatum originale natiuitatem non natura tantùm, ſed etiam tempore antecedat; in nullo temporis inſtanti poteſt dari natiuitas cũ ſanctitate, & ſine peccato. Quod in hac materia eſt diligenter annotandum.

¶ Et hæc ſatis dicta ſint pro defenſione ſecundi argumenti, quo Theologi cum Sancto Ildephonſo, & D. Bernardo vtũtur ad confirmandam ſanctificationem Virginis in vtero ante natiuitatem ex vtero.

ARTICVLVS IIII.

Confirmatur ſanctificatio Virginis in vtero ex ſanctificatione Hieremiæ, & Baptiſtæ.

§. 1.

Proponitur argumentum cum duabus illius ſolutionibus.

1. 3. *confirm. argum.*

TERTIO cõfirmatur ſanctificatio Virginis in vtero argumento ſũpto ex ſanctificatione Hieremię, & Ioannis Baptiſtæ in vtero matrũm: quo argumento vtitur *D. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. in corp. & in 3. diſt. 3. q. 1. art. 1. q. 3.* & eodem vtuntur cõmuniter Theologi: imò eodem vſus eſt *D. Bernardus epiſt. 174. litera K.* Argumentũ autem ſic poteſt formari. Cõſtat ex ſacris literis Hieremiã fuiſſe in vtero matris ſanctificatũ, iuxta illud Hierem. 1: *Antequam exires de vulua, ſanctificaui te.* Baptiſtam etiam in vtero matris ſenctificatum fuiſſe, probant illa verba Lucæ 1. *Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* Ergo Virgo prius fuit ſanctificata in vtero, quàm nata ex vtero.

D. Thom. *D. Bern.* *Hierem. 1* *Luc. 1.*

2. 1. *argum. ſolutio.*

Huius argumẽti vis & efficacia propter Lutheranos eſt à nobis diligentiùs expendenda. Duobus igitur modis elidi poteſt huius argumenti efficacia. Vno modo negando conſequentiam, quam Lutherani putant eſſe adeò ineptam, vt eam irrideant, prout refert *Canniſius lib. 1. de Virgine Deipara c. 9. pag. 89. lit. C. & pag. 92. litera D.* Secunda ſolutio erit, ſi negetur veritas antecedẽtis; neque enim de ea ſatis conſtat apud Patres. Vtraque ſolutio diligenter expendetur, & vt ordine procedamus incipiendum erit à ſecunda ſolutione, & expendendum, an Hieremias, & Baptiſta fuerint in vtero ſanctificati?

Canniſius. 2. *ſolutio.*

§. 2.

De ſanctificatione Hieremiæ in vtero matris.

3. *An Hieremias fuerit ſanctificatus in vtero?*

QVod attinet ad Hieremiam, an ſ. fuerit ſanctificatus in vtero matris? non conſtat inter Patres, & Theologos: Partem affirmantem tanquã veriſsimam latè defendunt *Petrus Canniſius lib. 1. de Virgine Deipara cap. 9. cum ſequentib. Valentia 4. tom. diſp. 2. q. 1. pũct. 1. Quam etiam probat D. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. & 6. & ibidem Caietanus, idem D. Thomas in 3. diſt. 3. q. 1. art. 1. q. 1. in cor. & ad 3. & ar. 2. q. 1. ad 4. hanc eſſe communem Theologorum ſentẽtiam teſtatur Medina 3. p. q. 27. art. 6. Eandẽ probarunt communiter ſcribentes in 3. diſt. 3. vbi Richardus ar. 1. q. 2. D. Bonau. ar. 1. q. 3. Durand. q. 2. n. 4. & 19. Præceptor Fr. Franciſcus à Chriſto ibidẽ q. 1. concl. 1. & communiter alij ſcholaſtici: concinit Alenſis 3. p. q. 9. memb. 2. art. 4. Addimus Lyram in c. 1. Hierem. & Dionyſium ibidem art. 2. & 3. in principio, latè Cardinalis Cuſanus lib. 5. exercitation. ad illa Chriſti verba, Cœli & terra tranſibunt, Salmeronius tom. 3. de infantia Saluatoris tract. 12. pag. 139. col. 2. & 140. col. 1.*

Pars affirmans. Canniſius. Valentia. D. Thom. Caiet. Medina. Richard. D. Bonau. Durand. Fr. Franc. à Chriſto. Alenſis. Lyra. Aretan. Dionyſius Cuſanus. Salmer.

4. *Confirmatur ex Patribus.* *Athanaſ.*

Quorum ſententia confirmatur expreſſa authoritate D. Athanaſij *ſerm. 4. contra Arianos pag. 255. D.* vbi in hæc verba: *Permulti fuerunt viri ſancti, puri omnis criminis: ſiquidem Hieremias ex vtero*

ſanctificatus fuit: quæ verba intelligi non poſſunt, niſi de ſanctificatione à peccato; alioquin intentum minimè probaſſent, cum reddant rationem præcedentium. Idem ſatis expreſsit Origenes *homil.* 1. *in Hieremiam paulò poſt principium*, vbi cõferens Hieremiam cum Abrahamo, aſſerit *Abrahamum* non fuiſſe ſanctificatum in vtero, ſed poſteà in tempore iam extremo: cum tamen Hieremię dictum ſit; *Priuſquam exires de vulua ſanctificaui te*: quibus verbis ſatis declarat Hieremiam fuiſſe in vtero ſanctificatum per gratiam ſanctificantem: in hoc enim ſenſu eum contulit cum Abrahamo. *Cyrillus etiam Ieroſolomytanus catecheſ.* 5. *de Baptiſmo* 2. *tom. Bibliotec. Patrum pag.* 68. *B.* ita ait: *Erat quidem Hieremias ſanctificatus, ſed non prophetauit in vtero.* D. etiã Ambroſius in c. 1. Lucæ ad illa verba: *& Spiritu Sancto, &c.* Idem docet agens de gratia ſanctificante, vt apud eum videre eſt. Id expreſſè docet de Hieremia *lib.* 4. *de Fide cap.* 4. *in fine*: vbi agens de ſanctificatione per gratiam, & arguens contra nõnullos ab abſurdo, ita ait: *Aut negent Hieremiam, antequam naſceretur, ſanctum fuiſſe, cui dicitur: priuſquam te formarem in vtero, noui te, & priuſquam exires de vulua ſanctificaui te.* Quare Ambroſius ſanctificationem Hieremiæ in vtero mediante gratia ſanctificante ita certam credit, vt abſurdum putet id negare. In eodem ſenſu Hieremiæ ſanctificationem per gratiam probat *D. Hieronymus lib.* 4. *in Hieremiam c.* 23. *contritum eſt cor, fol.* 280. *A*: conferens enim ſanctitatem Hieremiæ cum ſanctitate aliorum ſanctorum affirmat nullum ſanctiorem eſſe Hieremia: quare cum alijs in locis aſſerat Hieremiam in vtero fuiſſe ſanctificatum (ſcilicet ad Galat. 1. & in Apologia aduerſus Rufinum, & in præfatione ad Hieremiam) abſque dubio intelligendus eſt de ſanctificatione per gratiam. Faciunt verba Nazianzeni *Apologet.* 1. *pag.* 16. vbi ita ait: *Vnius adhuc Hieremiæ, antequam crearetur, cogniti, & ab ipſa vulua ſanctitatem conſequuti, mentione habita, &c.* Accedat etiam D. Bernardus: nam licet *epiſt.* 174. *poſt principiũ*, ita id aſſerat, vt nolit hac de re contendere; tamen in alijs locis id ſimpliciter

Origenes. *Cyrill. Ieroſolymit.* *D. Ambr.* *D. Hier.* *Nazianz.* *D. Bern.*

affirmat, vt patet *in ſermon.* 2. *de Aſſumptione Virginis, pag.* 49. *D. & in ſermone de excellentia, & ſanctitate Ioannis Baptiſtæ.*

5. *Confirmatur ex Scriptura. Hierem.* 1

Quorum Patrum & Theologorum doctrina ſatis videtur confirmari ex verbis Hierem. 1: *Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te*: quæ verba eſſe intelligenda de ſanctificatione per gratiam liberantẽ à peccato originali docent omnes præcitati Patres, & eſt communis interpretum explicatio, ſimul etiam Scholaſticorum.

6. *An locus iſte debeat explicari de ſanctificatione per gratiam? Pars neg.*

¶ Sed iam ſe ſe offert difficultas; an locus iſte Hieremiæ neceſſariò explicãdus ſit de ſanctificatione per gratiam gratum facientem? cui difficultati nonnulli negatiuè reſpondent volentes verbum *ſanctificaui* eo in loco idem eſſe atque elegi, atque ſegregaui, deputauique: vt ſit ſenſus; antequam exires de vulua elegi te, & ſegregaui ad munus, & officium Prophetæ obeundum: in quo ſenſu *D. Paulus ad Rom.* 1. *& ad Galat.* 1. dixit ſe ex vtero matris fuiſſe à Deo ſegregatum, ad prædicandum gentibus Euangelium.

Ad Rom. 1. *Ad Galat.* 1.

7. *Canniſius affirmat.*

Canniſius tamen adeò huic explicationi repugnat, vt non ſolùm aſſerat eam eſſe nouam; ſed etiam affirmet locum nõ ſine maxima Prophetæ iniuria hac explicatione corrumpi, & adulterari contra Patrum & Doctorum hominum veram interpretationem, qui locum interpretãtur de gratia ſanctificante à peccato originali: quam interpretationem tanquam veriſsimam, & omnino tenendam ex eo cõfirmat; quoniam deſignatio ad munus Prophetæ ſeparatim explicatur per verba immediatè ſequentia; *& Prophetam in gentibus dedi te.* Quare ſicut ſanctificatio in vtero illo in loco diſtinguitur à præſcientia, prædeſtinationeque diuina, qua Hieremias notus fuit Deo, antequam in vtero formaretur, vt patet ex verbis immediatè antecedentibus: *antequam te formarem in vtero, noui te*, vt benè aduertit *D. Bernardus in d. epiſt.* 174. *lit. I.* ita etiam eadem ſanctificatio diſtinguitur ab electione, & ſegregatione ad munus prophetiæ; cum talis ſegregatio ſignificetur per verba conſequentia, *& Prophetam in gentibus dedi te.*

8. *Pro ver reſolutione primum dictum. Nõ admittitur Canniſij cenſura. Auguſtini explicatio*

Pro vera difficultatis reſolutione illud imprimis ſtatuo non eſſe, cur Canniſius adductam explicationem tam dura notet cenſura, vt eam non ſolùm nouam; ſed etiam ſcripturæ corruptiuam appellet: cum illa, & quamplurimis Patrum, & doctiſsimis Theologis probata ſit. Etenim Auguſtinus *epiſt. 57. ad Dardanum q. 2. pag. 108. C. D.* verba illa explicat de ſanctificatione non ſecundum gratiam gratum facientem, ſed ſecundum prædeſtinationem, qua non modo, qui non dum ſunt regenerati, ſed qui non dum in vtero ſunt formati, ita dicuntur ſanctificati, vt filij Dei iam nunc appellentur; ita enim ait: *Nam illa, priuſquam exiret de vulua, ſanctificatio Hieremiæ, etiam ſi de ipſo Propheta accipiantur; poteſt etiam ſecũdum prædeſtinationem non inconuenienter intelligi; ſicut filios Dei appellat Euangeliũ, non dum regeneratos, &c.* Cui explicationi fauet *Anaſtaſius Nyſſenus in quæſtionibus ſacræ Scripturæ q. 59 in primo tomo Bibliothecæ Patrum, & ſatis Clemens Alexandrinus lib. 1. pedagogi c. 7. paulò ante finem*, & de ſegragatione, præordinationevé ad munus Prophetæ locum illum intellexerunt Chryſoſt. *homil. 1. in epiſt. ad Roman. ad illa verba ſegregatus in Euangeliũ: & D. Hieronymus in eadem verba Hierem. 1. & ad Galat. 1. ad illa verba: cum autem placuit*, in quibus locis videtur inter ſe æquiparare locum Hieremiæ cum loco Pauli; quaſi in eodem ſenſu vtrumque locum intelligat. Quod etiam facit *Irenæus lib. 5. c. 15. Theodoretus in comment. ad Hieronym. Hieremiæ. 1. & Elias Cretẽſis in Nazianzenum oratione 1. Apologetica pag. 109. E. & Nicetas ad eundem Naziãzenum Oratione 31. n. 7. pag. 719.* neque omnino reijcit *Bernardus in d. epiſt. 174. litera I.* probat *Maldonatus in c. 17. Ioannis verſu 17.* Hanc explicationem eſſe longe rectiorem putat *Ianſenius c. 3. ſuæ concordiæ pag. 20. col. 1.* Eandem ita probat *Abulenſis in c. 13. Iudicum q. 17.* vt putet ex hoc loco non poſſe ſumi argumentum pro ſanctificatione Hieremiæ in vtero: vnde putat quæſtionem eſſe problematicã, & idem videtur ſenſiſſe *Suarius 2. tom. ad 3. p diſp. 3. ſect. 1. pag. 29. col. 1. Illius poblematis partem negantem probabiliorem putat eſſe Ianſenius cum nonnullis alijs.*

Anaſtaſ. Clem. Alexand. De ſegregatione ad munus prophetæ qui explicent? Chryſoſt. Hieron.

Irenæus. Theodor. Elias Cretenſis. Nicetas. Bernard. Maldon. Ianſenius.

Quæſtionẽ eſſe problematicam, qui ſẽtiã. Abulẽn. Suar.

Ianſen.

9. *Confirmatio huius opinionis.*

¶ Quod locus ille non intelligatur de ſanctificatione per gratiam, ſed per prædeſtinationem, & ſegregationem, illud videtur eſſe argumento, quia verba immediatè præcedentia: *Antequam te formarem in vtero, noui te*, abſque dubio intelliguntur de notitia ſecundum prædeſtinationem; quæ verò conſequuntur: *& Prophetam in gentibus dedi te*, omnium conſenſu explicãtur de dono prophetiæ dato Hieremiæ, vel ſecundum prædeſtinationem, vel ſecundum deputationem, & ſegregationẽ ad tale munus factam ab ipſo vtero. Ergo verba iſta media: *& antequam exires de vulua, ſanctificaui te*, ſimili modo veniunt explicanda; maximè cum verbum *ſanctificare* in ſacris literis ſæpiſsimè idem ſit, atque præparare, & præordinare: nam quæ aut ex rebus, aut ex hominibus deputabantur templo, ſanctificari dicebantur; vt patet Exod. 13: *Sanctifica mihi omne primogenitum*, quod aduertit D. Hieronymus in cap. 1. ad Epheſ.

10. *Concluditur contra Canniſiũ.*

Hæc omnia abſque dubio oſtendunt nec corrumpi, nec adulterari locum Hieremiæ, ſi explicetur de ſanctificatione, non per gratiam liberantem à peccato; ſed per ſegregationem, & præordinationem Hieremiæ ad munus prophetiæ factam ab vtero, antequam naſceretur. Neque contra hanc explicationem aliquid facit, quod contra eam expendunt Canniſius, & Valentia: quia ſatis notum eſt, & vulgatum in ſacris literis, vt verba ſequentia exponant antecedentia: quare illa verba: *Antequam exires de vulua, ſanctificaui te*, ſatis accommodatè explicantur per ſubſequentia, vt talis ſanctificatio intelligatur ſecundum ſegregationem, & præordinationem ad munus propheticum, vt expreſſè docet Theodoretus vbi ſuprà.

Ad fundamentũ Canniſij.

11. *2. dictum. Quod ſanctificatio Hieremiæ in vtero ſit problematica?*

¶ Deinde ſtatuo nihil impedire quominus problema ſit; an Hieremias in vtero matris fuerit per gratiam originale delentem ſanctificatus? quæ fuit opinio Abulenſis, & plurium aliorum, quantũuis Canniſius reclamet: etenim vtraque pars doctiſsimos habet patronos, vt ex dictis patet: neutra ex ſacris literis impugnari poteſt, aut ratione Theologica con-

uinci: quia verba illa, *Antequam exires de vulua, ſanctificaui te*, abſque vlla verborũ corruptione, aut nouitate intelligi poſſunt, vel de ſanctificatione ſecundũ prædeſtinationẽ, vt oſtendimus ex Auguſt. & alijs Patribus citatis, vel ſecundum ſegregationem, & deputationem ad munus Prophetiæ, vt ſanctificare idem ſit, quod ſegregare, vt intellexere Theodoretus, Chryſoſtomus, & alij citati, vt omittamus eorũ interpretationem, qui locum intelligunt de Hieremia, nõ vt propriam perſonam ſuſtinet; ſed vt gerit typum Chriſti Domini: quæ explicatio non diſplicet *Auguſtino in d. Epiſt. 57. q. 2. pag. 108. d. ſecundo. & placet D. Ambroſio in lib. de benedictionib. Patriarcharum cap. 11. & in Apologia Dauid. cap. 11. & pluribus alijs ex Patribus, vt refert Origenes homil. 1. in Hieremiam.*

Alia loci Hierem. 1. Explicatio. Auguſt. Ambroſ.

12. *3. Aſſertũ que verius eſt Hieremiã in vtero ſuiſſe gratia Spiritus S. ſanctificatum. 1. Arg.*

¶ Tertio loco ſtatuo ſententiam, quæ affirmat Hieremiam in vtero matris à peccato originali pẽr gratiam fuiſſe ſanctificatum, longe eſſe certiorem, & probabiliorem, & dignam, quæ recipiatur, & contra hęreticos defendatur in honorem Sanctiſsimi Prophetæ. In hanc ſententiã inducor: primum; quia ab omnibus ferme Theologis recipitur; nec aliquis eſt (ſi hæreticos excipias) qui illam reijciat, vt abſolutè falſam; ſed ad ſummum apud nonnullos ſit dubitabilis, ex eo præciſe, quia ex Sacra Scriptura non neceſſario conuincitur.

13. *2. Arg.*

Deinde; quia inter Patres videtur receptiſsima, vt patet ex illis, quos retulimus: nullus enim eorum hanc ſanctitatẽ expreſſe illi denegat; nec etiam Auguſtinus, vt videbimus art. vltimo ad 3.

14. *3. Arg.*

Accedit tertio, quia hæc ſententia magis eſt conſentanea cũ proprietate verbi *ſanctificaui*, quod ponitur Hieremiæ 1. nam licet verbum *ſanctifico* pluribus modis accipiatur, tum apud Latinos, tum in ſacris literis, vt ſupra q. 1. aduertimus: propriè tamen, & principaliter ſumitur, prout ſignificat ſanctitatem, qua quis ab aliqua vitæ impuritate purificatur, vel ad aliquod ſacrum peragendum diſponitur; etenim *ſanctificare* ex ſua propria, & primęua ſignificatione idem eſt, quod ſanctum facere. i. mundare religioſa quadam vitæ maieſtate morumque innocentia, & mundicia, vt ex Cicerone alijſque claſsicis authoribus refert Calepinus. Cui addo; quoniam ſanctitas, quæ per ſanctificationem cõfertur, ex ſua propria ſignificatione importat quandam munditiam, ac purificationem ab omni terrena impuritate religioni cõtraria, vt colliges ex *Dionyſio c. 12. de diuinis nominibus, & ex D. Thom. 2. 2. q. 81. art. 8.* in qua ſignificatione verbũ *ſanctifico* ſæpiſsimè vſurpatur in vtraq; pagina, vt videre eſt apud *Georgium Bullocum in œconomia concordãtiarum Sacræ Scripturæ ad verbum ſanctifico*: in hoc ſenſu iuſsit Deus populũ ſãcti fi care Exod. 19. in eodẽ iuſſus eſt Moyſes ſanctificare Aronẽ, & filios eius Exod. 28. & 29, & qui ab immunditijs legalibus purificantur, dicuntur ſanctificari, vt patet. Leuit. 16. & 2. Regum 11. & ad Hebræos 9. in hæc verba: *Cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis.* In nouo teſtamento fere ſemper idem eſt ſanctificare, atque mundare ab impuritate peccati per gratiæ infuſionẽ, vt patet ad Hebræos 13: *Vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum.* ad Hebræos 10. *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis IESV Chriſti ſemel.* ad Ephæſeos 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illã ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ.* Et vt omnia concludamus, hanc eſſe veram, & propriã huius verbi ſignificationem ſatis colliges ex verbis Chriſti Ioannis 17. *ſanctifica eos in veritate.* Quo in loco nullus dubitat agi de ſanctificatione Spiritus Sancti ab immunditia peccati: & in hoc omnes Patres conueniunt; *Cyrillus lib. 11. in Ioannẽ cap. 24. Auguſtinus tract. 18. in eundẽ, Theophylact⁹, Leontius, Euthymius, Beda, Rupertus, & alij in eodem loco.* Igitur ſanctificatio Spiritus Sancti ab immunditia peccati eſt vera, & propria ſanctificatio; vel quia ipſa eſt veritas ſignificata, & adumbrata per ſanctificationes legales veteris teſtamenti; vel quia eſt ſanctificatio per Chriſtum, qui eſt veritas: quare cum h[illegible] ſit vera, propria, ac genuina ſignificatio huius verbi *ſanctificatio*; non eſt cur verbum illud in hac ſignificatione non ſumatur in præcitato loco Hieremiæ.

In ſacris literis quomodo propriè ſunt

Dionyſ.

D. Thom.

Exod. 19. Exod. 28. & 29. Leuit. 16, 2. Reg. 11.

Ad Hebr. 9. Ad Hebr. 10.

Ad Epheſ.

Ioan. 17.

Cyrill. Auguſt. Theophyl. Leontius. Euthym. Beda. Ruper.

15. *4. Arg.*

Explicantur illa verba, ãtequã te formarẽ noui te. Auguſt. D. Thom.

Accedit quarto; quia hæc explicatio ſatis eſt cõſentanea verbis,& ordini,quo explicantur priuilegia Hieremiæ conceſſa:etenim de illo tria dicuntur: ſcilicet quod fuerit notus Deo, antequam formaretur in vtero: quod fuerit ſanctificatus,antequam exiret de vulua; quod fuerit datus Propheta in gentibus; idque nullo deſignato tempore. Primum priuilegium abſque dubio intelligitur de notitia æternæ prædeſtinationis,vt omnes fatentur cum Auguſtino *in d. Epiſt. 57.& cum D.Thoma 3.p.q.27.art.2.ad 1;* Et ideo dixit: *Antequam te formarem in vtero.*

Explicantur illa: ãtequã exires de vulua, ſanctificaui te.

Secundum priuilegium ponitur illi in vtero conceſſum,antequam de vtero exiret; ita enim ſcribitur: *Antequam exires de vulua,ſanctificaui te*: cum verò priuilegium prædeſtinationis non ſit datum in vtero,ſed antequam in eo formaretur (fuit enim prædeſtinatus ab æterno) non ſatis accommodate explicabuntur illa verba de ſanctificatione ſecundũ notitiã prædeſtinationis; vt idem ſit *ſanctificaui te*,ac *prædeſtinaui te*: tum; quia cõtradicit temporis expreſsio: nec enim in vtero fuit prædeſtinatus; ſed ante formationem in eo: tum ſecundo; quia fieret eiuſdem priuilegij inutilis repetitio, contra rationem temporis expreſsi; quare verba illa *ſanctificaui te* non poterunt accommodate explicari, niſi de ſanctificatione facta in ſolo vtero; quæ non poteſt nõ eſſe diſtincta à ſãctificatione facta per æternã prędeſtinationis notitiam.

16. *Non idem eſt ſanctificaui atque prædeſtinaui.*

17. *Nec idem eſt ſanctificaui, quod ſegregaui ad munus Prophetæ.*

Sed nec ſatis accommodate explicabitur ſanctificationis priuilegium, vt idem ſit *ſanctificaui te* atq; *ſegregaui te,& deputaui ad exercendum munus Prophetiæ*:tum quia hæc ſegregatio ſignificatur in verbis immediatè conſequentibus: *& Prophetam in gentibus dedi te*: nam ſi verba antecedentia explicarentur de ſanctificatione ſecundum deputationem ad explicatum munus;inutilis fieret ſequentium verborum repetitio. Nec ſatis eſt ſi reſpondeas verba conſequentia apponi ad explicationem priorum: vt ſit ſenſus *ſanctificaui te*, id eſt, *dedi te Prophetam in gentibus*: non ſatis eſt inquam talis reſponſio, quia illi repugnat coniunctio *&*, quæ ex ſua natura non denotat declarationem præcedentium, ſed coniunctionem; & additionem alterius priuilegij.

18. *Alia cõfirmatio.*

Ad Galat. 1.

Quod vt clarius intelligatur, expẽdo, vbi in ſacris literis *ſanctificare*, idem eſt quod *ſegregare & deputare ad aliquod munus*,talis deputatio exprimitur per dictionem *vt*, ſicut patet ad Galat. 1. *Cum autẽ placuit ei,qui me ſegregauit ex vtero matris meæ,vt reuelaret filium ſuum in me: vt euangelizarẽ illũ in gentibus*, vt alios locos omittam. Quare in illo loco coniunctio *&* ſatis innuit eam non eſſe præcedentium declaratiuam; ſed adductiuam noui priuilegij.

19. *Alia cõfirmatio.*

Pro quo etiam aduerto,quod talis ſanctificatio data eſt Hieremiæ poſt formationem in vtero, & ante natiuitatem ex vtero: iam vero ſegregatio, & deputatio ad munus Prophetiæ, ſiue ſpectetur quoad diuinum decretum; ſiue quoad illius executionem, non fuit in vtero ante natiuitatem: etenim decretum,quo Deus illum elegit ad tale munus, fuit ab æterno, vt patet: quoad executionem verò non fuit ante exitũ ex vtero; nec enim in vtero illi commiſit officium Prophetiæ, ſed poſtea cum illum miſit gẽtibus prophetare.

20. *Vera explicatio.*

Quare verba illa: *Antequam exires de vulua, ſanctificaui te*, accommodate explicari non poſſunt, niſi de ſanctificatione,quæ illi contigit in vtero: hæc autem nulla erit alia, niſi quæ facta eſt per gratiam ab originali liberantem:etenim hęc ſola eſt effectus notitiæ prædeſtinatiuæ, qua ante formationem in vtero ab æterno ad illam fuit prædeſtinatus.

21. *Confirmatur.*

Qui intellectus ex eo etiam confirmatur; quoniam verbum *ſanctifico* in ſacris literis nunquam accipitur pro ſegregare,& deputare, niſi præcedente aliqua legali ſanctificatione,qua cõſecretur, ſanctũ fiat, id, quod à Deo ſegregatur:hoc enim modo ſanctificabantur templa,altaria,ſacerdotes, Leuitæ; & omnia primogenita: quæ omnia præmiſſa quadam legali ſanctificatione alicui diuino cultui,& miniſterio applicabantur,vt ex veteri pagina facilè colliges: neque aliter ſegregatio illa, & deputatio habebat ſanctificationis nomen. Quare ſi Hieremias ab ipſo vtero ſegregatus dicitur,& deputatus ad mu-

nus Prophetæ; vtique ad illud fuit deputatus per aliquam ſanctificationem: cum vero hęc non potuerit eſſe legalis; vtique fuit per gratiam Spiritus Sancti eum in ipſo vtero ſanctificantem, vt iam tunc in veritate ſanctificaretur, iuxta explicationem verborum Chriſti Ioannis 17: *Pater ſanctifica illos in veritate*. i. ſegrega hos meos diſcipulos, ad munus Apoſtolatus, ſanctificatione non iam legali, ſed vera ſanctificatione Spiritus Sancti per legalem ſignificata.

Ioann. 17.

22. *Reſolutio dictorum.*

His igitur adducor, vt exiſtimem longè eſſe veriorem ſententiam, quæ affirmat Hieremiam fuiſſe in vtero ſanctificatum per gratiam Spiritus Sancti à peccatis eũ liberantem. Quam opinionem, vt veriorem, imò, vt ferè certam probat Suarius in d. diſp. 3. ſect. 1. pag. 29. col. 2. B. Nec contra hanc ſententiam referri poteſt Auguſtinus, vt oſtendemus artic. 6. ad 3. argumentum.

§. 3.

De Sanctificatione Baptiſtæ in vtero matris.

23. *De ſanctificatione Baptiſtæ.*

QVod Ioannes Baptiſta in vtero matris fuerit ſanctificatus, nulla poteſt eſſe dubitandi ratio, vt optimè aduertit Suarius in loco immediatè citato. Hæc ſententia primo probatur, quoniam omnes Patres in hoc conueniunt. Ita docet D. Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos pag. 255. litera D. ita inquiens: *Permulti fuerunt viri ſancti, puri omnis criminis: ſiquidèm Hieremias ex vtero ſanctificatus fuit, & Ioannes, dum adhuc in grauida matre portaretur, exultauit in gaudio ad vocẽ Deiparæ Virginis*: agit autem ibi de effectis Incarnationis, inter quos enumerat, quod homines fuerint Deificati, & immunes ab omni crimine: hoc autẽ probat ex ſanctificatione Hieremiæ, & Ioannis. Idẽ affirmat *in oratione contra Arianos*: quæ lecta fuit in Concilio Calcedonenſi, ſi credimus *Canniſio lib. 1. de Baptiſta c. 1. pag. 2. litera C.* ¶ D. etiã Cyprian. Epiſt. *Ad Iuleanũ (quæ eſt 73. pag. 187. col. 1. vbi de Baptiſta* ita ait: *Ille Ioãnes maior inter Prophetas habitus: ille diuina gratia adhuc in vtero matris repletus. Epiſt. etiam 76. ad Magnum. c. 4. pag. 210. col. 1.* de eodem Ioanne ita ſcribit: *ipſu D*

Confirmatur ex Patribus. Athanaſ.

Chriſtum Dominum noſtrum Baptizaturus Ioannes, accepit Spiritum Sanctum, cum adhuc eſſet in vtero matris conſtitutus, agebat autem de Spiritu Sancto ſanctificante miniſtros baptiſmi. ¶ D. Hieronymus in cap. 1. Hieremiæ ad illa verba: *Et factũ eſt Verbum Domini ad me*, ita ait: *Ioannes quoque Baptiſta ſanctificatur in vtero, & Sanctum Spiritum accipit.* ¶ D. Gregorius lib. 3. Moralium cap. 4. de Ioãne: ita ait, *Ille Prophetiæ Spiritu intra matris vterum impletus, atque, vt ita dixerim, priuſquam naſceretur, renatus.*

D. Hieron

D. Grego.

¶ D. Ambroſius lib. in Lucam ad illa verba, *Et Spiritu Sancto replebitur*, ita ſcribit, *Non dubium verum eſſe hoc Angeli promiſſum: ſiquidem S. Ioannes antequam naſceretur, matris adhuc in vtero poſitus, Spiritus accepti gratiam deſignauit*: Et ſtatim; *Nondum enim erat illi Spiritus vitæ, ſed Spiritus gratiæ*: agit autem de gratia ſanctificante, vt patet ex verbis immediatè ſequentibus: *Denique, & alibi viuendi ſubſtantias percurrere ſanctificandi gratiam potuimus aduertere.* Eandem ſententiam expreſſe declarat ſerm. 63. de Natiuitate Baptiſtæ, vbi docet. *Ioannem naſci Sanctum: prophetaſſe non dum natum: in vtero Spiritu cognouiſſe Chriſtum: Deniq; illi conuenire verba Hieremiæ. i. antequam exires de vulua ſanctificaui te.* Idem ſignificat lib. 5. de Fide cap. 4. vbi poſtquam expoſuit ſanctificationem Hieremiæ in vtero, idem docens de Ioanne affirmat. *Ioannem in vtero ſpiritu cognouiſſe Chriſtũ. & ſenſiſſe illius gratiam, & Eliſabetã (quæ ibi Spiritu Sancto repleta dicitur) Filij ſpiritu fuiſſe repletam.* ¶ Origenes homilia 4. in Lucam ita habet: *Adhuc in matris vtero erat Ioannes, et iam Spiritum Sanctum acceperat*, Homil. etiam 7. ait: *Ieſus vero, qui in vtero illius erat, feſtinabat adhuc in ventre matris Ioannem poſitum ſanctificare*: Et inferius: *nec enim mater primum Spiritum Sanctum meruit: ſed cum Ioannes adhuc clauſus in vtero Spiritum Sanctum recepiſſet; tunc, & illa poſt ſanctificationem filij repleta eſt Spiritu Sancto.* Idem affirmat tom. 5. in Ioannem pag. 326. in medio.

24. *D. Ambr.*

Origenes.

¶ Cyrillus etiam Ieroſolym. Catech. 3. de Baptiſmo in 2. tom. Bibliot. Patrum pagin. 68. litera B. agens de Baptiſta, ita ſcribit:

25. *Cyrill. Ier.*

ſcribit: *Qui etiam in vtero matris cum geſtaretur, Spiritu Sancto ſanctificatus eſt.* ¶ Chryſoſtom⁹ in encomio natalis eiuſdē (citatur à Cannifio lib. 2. de Baptiſta cap. 1. in fine pag. 239.) ita ait *non enim poſtquam fuit natus, & ad virilem peruenit ætatem, gratiam accepit Ioannes, ſed ex ipſo materno vtero amictus veſte ſanctificationis præter opinionem procedit; tanquam natus admirabiliter.* Idem in ſerm. ex Luca ſermon. 1. (qui eſt de Natiuitate Baptiſtæ) ita inquit: *Lampas enim erat luminis Chriſti, à quo lumen accepit, cum eſſet adhuc in*
26. *Bernard.* *vtero matris.* ¶ D. etiam Bernardus ſępe id aſſerit: nam Epiſt. 174. ita ſcribit: *Quid reſpondebitur de Ioanne Baptiſta? quē Angelus prænuntiauit Spiritu ſancto replendum iri adhuc in vtero matris ſuæ.* Et ſtatim *Et quem Angelus prælocutus eſt Spiritu ſancto replendum, non eſt fas credere non repletum. Certiſsimè autem Sanctum Spiritū quē repleuit, ſanctificauit.* Idem in ſerm. de natiuitate Baptiſtæ fol. 42. litera H. *Neque enim Ioannem prædicatio, ſed inſpiratio docuit, quem repleuit Spiritus ſanctus in vtero matris ſuæ.* In ſerm. 2. de Aſſumptione ante finem fol 49. D. agens de ſanctificatione Virginis in vtero, ita ait: *Minus à Hieremia ſanctificatum in vtero; aut non magis à Ioanne Spiritu ſancto repletam, credere prohibet pietas Chriſtiana.* Denique in ſerm. de excellentia Ioannis Baptiſtæ, vt oſtendat Ioannem eſſe anteponendum Hieremiæ ita inquit: *Ille quidem in vtero ſanctificatus; hic Spiritu ſancto repletus eſſe cognoſcitur: qui & ſanctificatus eſt à peccato; & ita dominante ſpiritu ſuperfuſus, vt &*
27. *Chryſologus.* *purgatus exeat, & repletus.* ¶ Addimus Petrum Chryſologum, qui ſerm. 88. & 91. multa hac de re ſcribit; ſed hæc verba ſint ſatis: *Videtis quemadmodum Ioannes anteperuenit ad cœlum, quam terram tangeret: ante accepit diuinū ſpiritum, quam haberet humanum: ante cæpit viuere Deo, quam ſibi.* ¶ Euſebius etiam Emiſſenus ſer-
Euſebius. mon. 1. de Baptiſta ita inquit: *Felix, qui venturus in huius mundi labores, prius gratiam meruit habere, quam lucem; quid mirum, ſi in eo culpa aditum non inuenit, cuius animam Deus in ipſis exordijs occupauit? Magnum eſt Spiritu ſancto illuſtrari, ſed multo eſt maius, impleri.* Videndus eſt S. Maximus in ſerm. de Ioanne Baptiſta, & poſt eum Theodorus Studitus in oratione de eodem. *S. Maximus. Theodorus*

Hæc concors Patrum ſententia euidenter cōfirmatur ex verbis Angeli Lucæ 1. *De Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ*: quæ verba adeo ſunt expreſſa, vt nullam commodam explicationem patiantur, niſi de Spiritus Sancti repletione per gratiam ſanctificantem: etenim hæc eadem verba in eodem ſenſu ſumuntur, in eodem capite, dum Eliſabet, & Zacharias dicuntur Spiritu Sancto repleti, quos ſanctificāte gratia fuiſſe repletos, nullus vnquā dubitauit. Quare vt æquiuocatio tollatur, in eodem ſenſu debent explicari, cum Ioannes dicitur Spiritu Sancto replendus. Et hunc ſenſum ſatis indicat particula illa *adhuc ex vtero*: denotat enim repletionem Spiritus Sancti, quam Ioannes iam natus, & in vita permanens habuit, incepiſſe ab ipſo matris vtero: cum verò Ioannes in vita nulla ediderit miracula, vt habetur Ioannis. 1. *Ioannes nullum ſignum fecit*, nō ſatis accomodate explicabuntur illa verba de repletione Spiritus Sācti ad faciēda mirabilia in eo, adhuc in vterò matris exiſtente. Quare non ſatis videtur accōmodata explicatio, quam affert Auguſtinus d. Epiſt. 57. dum verba interpretatur non de repletione Spiritus ſanctificātis Ioannem, ſed mirabilia in Ioanne operantis: etenim aduerbium illud *adhuc ex vtero*, ſatis denotat ſermonem eſſe de repletione Spiritus Sancti in vtero, quæ poſt natiuitatem in eo permanſit, etiam cum augmento; qualis nulla dabitur, niſi repletio per gratiam ſanctificantem. *28. Confirmatur ex c. 1. Lucæ.* *

Confirmari adhuc poteſt concors illa Patrum explicatio, & doctrina: quia Eccleſia vbique terrarum ſolenniter celebrat diem natalem Baptiſtæ: idq; ab antiquiſsimis temporibus, vt patet ex *Auguſtino ſerm. 1. 2. & 3. de natiuitate illius.* (*qui in ſermonibus de ſanctis ſunt 21. 22. & 23.*) Id etiam patet ex varijs antiquiſſimorum Patrum homilijs, quas in vnum collectas affert *Lypomanus tom.* 8. & Surius tom. 3. Quin potiùs græci omnes hāc natiuitatem tribus miſſis celebrabāt, ſicut natiuitatem Chriſti. Ex hac autem *29. 2. Cōfirm.* *Auguſt.* *Lypoman. Surius*

vniuer-

vniuerſali celebritate efficaciter probatur natiuitatem Baptiſtæ fuiſſe ſanctam; idque ex ſanctitate ipſius naſcentis, quã ab vtero trahebat. Vide quæ ſupra diximus art. 3, §. 4. 5. & 6.

30. *Conueniũt omnes Theologi.* Quibus argumentis hæc fuit concors omnium Theologorum ſententia, vt dicerent Baptiſtam fuiſſe in vtero ſanctificatum, gratia eum ab originali liberante. *Ita D. Thomas 3. p. q. 27. artic. 1. & 6. & vtrobique omnes illius interpretes. Conſentiunt omnes Scholaſtici in 3. diſt. 3. vbi etiã D. Thomas q. 2. art. 1. q. 3. D. Bonauentura art. 1. q. 3. Richard. art. 1. q. 2. Durand. q. 2. cum cæteris omnibus: latè Canniſius lib. 1. de Ioanne Baptiſta cap. 1. Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 1.* vt innumeros alios omittamus: omnes enim nemine dubitante hãc veritatem docet. Nec deſunt, qui aſſerant eam eſſe de Fide, vt *Villegas in ſerm. Natiuitatis Baptiſtæ.* Ego facilè admitto eam ita eſſe fidei conſentaneam, vt oppoſita, pluſquam in fide temeraria haberi debeat.

D. Thom. D. Bonau. Richard. Durand. Canniſius. Suarius.

Villegas.

31. *Non contradicit Auguſt.* Nec contra eam referri poteſt Auguſtinus, vt inferius art. 7. ad 3. argumentũ oſtendemus. ¶ Et hæc ſatis ſint dicta pro confirmanda veritate antecedentis argumenti initio propoſiti. Conſequenter agemus de firmitate conſequentiæ.

§. 4.

Oſtenditur contra ſecundam ſolutionem admiſſo antecedente, conſequentiam eſſe firmam.

32. *Probatur neceſsitas conſequentiæ.* SVppoſita antecedentis veritate cõtra eos, qui illud negabant, expendenda eſt ſecunda ſolutio, quæ negabat conſequentiam. Dicimus igitur conſequentiam, quæ ex ſanctificatione Hieremiæ, & Baptiſtæ in vtero infert Virginem in vtero fuiſſe ſanctificatam, non habere firmitatem ex terminis ſecũdum conſiderationem Logicam; eam tamen habere ſecundum conſiderationem Theologicam. Conſtat enim ex communi Patrum doctrina quodcunque donũ alicui Sanctorum vnquam conceſſum ad ſanctitatis, & excellẽtiæ prærogatiuam pertinens, ſpecialiori, & excellentiori modo fuiſſe Virgini donatum. Vt quæ in ſe habeat congeſta omnia ſanctitatis priuilegia, & quibuſcunq; ſanctis donata ſunt. Ita vt non liceat aliquod eorũ Virgini denegare; quam veriſsimam doctrinam Chriſtianæ pietati, & liberalitati diuinæ eſſe conſentaneam optimis verbis expreſsit *D. Bernardus Epiſt. 174.* vbi ita ſcribit: *Quod vel paucis mortalium conſtat eſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini fuiſſe negatum.* Eandem doctrinã tanquam ex terminis notam latè confirmat *Albertus Magnus in lib. de B. Maria c. 69. 70. & 71.* diſertis verbis affirmans: *Omnium ſanctorum gratias Virgini perfectius collatas eſſe.* Idem affirmat *Idiota* author peruetuſtus (*anno* 750) *in tract. de contemplatione Virginis cap. 2. tom. 3. Bibliot. Patrum Pariſiis anno* 1575. vbi ita ſcribit: *Tot habuiſti pulchritudines, quot virtutes, & ſingulas in altiori gradu: quam conceſſum fuerit poſt filium tuum ſuperbenedictum puræ creaturæ:* Et ſtatim inferius: *quodcunque donum alicui ſanctorum vnquam datum fuit, tibi non fuit negatum: ſed omnium ſanctorum priuilegia omnia habes in te congeſta.*

Omnes aliorum ſanctorum gratiæ ſunt collatæ Virgini.

Idiota.

Cui veriſsimæ doctrinæ concinit præclara illa Sophronij ſentẽtia *in ſerm. de Aſsũptione Virginis inter opera Hieronymi: cæteris per partes, Mariæ autem ſe tota infudit gratiæ plenitudo:* quæ ſententia à poſterioribus ſæpius fuit vſurpata, ſcilicet à *Chryſologo ſerm. 145. à S. Laurentio Iuſtiniano, & à Petro Damiano in ſerm. de Aſſumptione Virginis: & à D. Bonauentura in Speculo, vbi in hãc ſententiam multa congerit cap. 5. 6. & 7. & in d. cap. 7.* huic doctrinæ accõmodat illud Eccleſiaſtic. 1. *Omnia flumina intrant in mare;* quia ſcilicet, omnes gratię omnium fluminum, hoc eſt, omnium Sanctorum intrarunt in hoc vaſtiſsimũ gratiarum pelagus; ideo quia nulla fuit vnquam alicui ſanctorum collata gratia, quæ plenius, & abundantius non fuerit collata Virgini. Eodẽ etiam in loco huic doctrinæ applicat illud Eccleſiaſt. 24: *& in plenitudine ſanctorum detentio mea;* quia nimirum (vt ait D. Bonauentura) nulla fuit in aliquo ſanctorum gratiæ plenitudo, & prærogatiua, quæ non fuerit in Maria. Quare veriſsima eſt communis Patrum doctrina; quod Virgo ideo dicatur plena gratiæ; quia omnibus gratijs

33. Sophroni⁹.

Chryſolog. Laurenti⁹ Iuſtin. Damianus D. Bonau. Eccleſiaſt. 1.

Eccleſiaſt. 24.

Cyprianus. Athanaſi. Auguſt. Damaſce.

abundauit: de quo Cyprianus *in ſerm. de de Natiuitate Chriſti, & Athanaſius in ſermone de Virgine Deipara, & Auguſtinus ſerm. 21. de tempore (qui eſt 17. de Natiuitate Domini) denique Damaſcenus in oratione de dormitione Virginis.*

34. *Probatur adducta cõſequentia.*

Hæc igitur inter Patres receptiſsima Theologia ab omnibus Scholaſticis approbata non modo firmam reddit noſtri argumenti conſequentiam; ſed etiam firmiſsimam: nam ſi Hieremias, & Baptiſta fuerunt in vtero ſanctificati, vt latè oſtẽdimus §. 2. & 3. vtique & Virgo ſanctificata fuit in vtero, ne vlla gratia, vllum ve priuilegium alteri conceſſum, Virgini denegetur.

ARTICVLVS V.

Confirmatur eadem veritas argumento ſumpto ex decentia.

1. *Confirmatur argumẽto ſumpto ex decẽtia.*

ADeſt adhuc huic omnium Catholicorum ſententię tertia, eaq; elegantiſsima confirmatio, ſumpta ex decentia: etenim decuit, & maximè decuit diuinam bonitatem, vt Virginem in matrem ſibi electam in ipſo adhuc vtero incluſam ante natiuitatem abundantiſsimè ſanctificaret. Ergo de facto eam in matris vtero ſanctificauit, antequam naſceretur. Quod argumentum in hac materia non paruam habet efficaciam, ſi vera eſt doctrina (eſt autem veriſsima) Deum ea omnia velle, quæ decent, & conueniunt: quæ fuit doctrina *Magnetis authoris peruetuſti in libris apologeticis contra Theoſtenem Gentilem*: quem refert & probat Turrianus *in lib. de peccato originali, & de Cõceptione Virginis pag. 49.* quam etiam probauit *Author libri de Aſſumptione Virginis inter opera Auguſtini tom. 9. in Appendice tract. 808.*

Magnetis. Turreanus.

2. *Confirmatur ex Paulo ad Heb.*

Cui doctrinę ſatis conſonat Paulus ad Hebræos 2. dum paſsionem Chriſti ex decentia confirmat inquiens: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum per paſsionem cõſummari.* Idem Paulus ad Hebr. 7. arguit Chriſti ſacerdotis diuinitatem argumento ſumpto ex decentia: *Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus innocens, &c.*

Ad Hebr. 7.

3. *Explicatur decẽtia priuilegij.*

Porrò ſi ea, quæ decent, dignum eſt fieri à diuina bonitate; quid decentius eſt quam Dei matrem omnibus exornari gratijs, omnibuſque titulis maieſtatis, & honoris? quod argumentum frequẽs eſt apud Patres in explicandis Mariæ laudibus, priuilegijs, prærogatiuis, & gratijs: etenim (vt ait D. Anſelmus in lib. de excellentia Virginis cap. 2.) *Hoc ſolùm de ſancta Virgine prædicari, quod Dei Mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deũ dici vel prædicari poteſt.* Idem in *lib. de conceptu Virginis cap.* 18. ita ait, *Decens erat vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret; cui Deus Pater vnicum ſuum filium, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſe ipſum diligebat ita dare diſponebat, vt naturaliter eſſet vnus, idemque communis Patris & Virginis filius, & quam ipſe filius ſubſtantialiter facere ſibi, matrem eligebat.* Ex quo principio ſimul cum D. Fulgentio, D. Vincentius in lib. de laudibus Virginis docet; *Nihil ad honoris cumulum perſonæ Virginis accidere maius potuiſſe, quam vt ei filium Virgo conciperet, & Dei mater ederet.*

D. Anſel. S. Fulgen. D. Vincẽ.

4.

Quare ex hoc vnico principio ratione Theologica efficaciſsimè demõſtrari poteſt omnia gratiarum priuilegia fuiſſe cõceſſa Virgini, quæ ſub Deo intelligi poſſint: Angelus enim Lucæ 1. inde intulit inauditam illam, & admirabilem ſalutationem: *Aue gratia plena, Dominus tecũ, benedicta tu in mulieribus: qua ſalutatione teſte Sophronio in ſerm. de Aſſumptione Virginis tom. 9. operum Hieronymi pag. 47. litera H, per Angelum Virgini nuntiatur, & per Chriſtum in Virgine adimpletur, quod natura non habet, vſus neſcinit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, ſtupet terra, creatura omnis etiam cœleſtis miratur.*

Sophron.

5. *Luc. 1. Laudis Virginis.*

Ex eodem principio ipſamet Virgo Lucæ 1. in ſuo Cantico intulit, *In omnes generationes ſe prædicandam fore beatam.* Denique ex eodem principio inferunt omnes Patres, Virginem omnibus creaturis, etiam angelicis; gratia, & gloria lõge antecellere. Quod ſicut omnium ſanctorum conſenſu, & totius Eccleſiæ teſtimonio eſt receptiſsimum; ita etiam eſt

veriſsi-

Sophron. veriſsimum. Nec mirum, quoniam ſicut docet idem Sophronius in præcitato ſermone pag. 52. B, C, *Quanto Virgo, dum in matrem eligitur, extollitur ad ſublimia, tanto clarior reſultat in gloria.* D. etiam Gregorius 1. Reg. cap. 1. 2. tom. pag. 255. lit. D, ita ſcribit: *Omnẽ electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ* (ſcilicet in matrẽ Dei) *dignitate tranſcendit, & vt ad æterni Verbi conceptionem pertingeret, meritorum verticẽ ſuper omnes Angelorum choros vſq; ad ſolium Deitatis erexit.* *S.Gregor.*

6. *Amplius id oſtenditur.* *D. Bernar.* Et vt ad præſens inſtitutum proximè accedamus, & dicamus aliquid de excellentijs, & priuilegijs conceptionis Virginis, & præparatione illius in vtero matris; occurrunt illa verba Diui Bernardi *Homilia ſecunda, in Miſſus eſt. paulò poſt principium*, quæ ita habent: *Factor hominum, vt homo fieret naſciturus de homine, talem ſibi ex omnibus debuit deligere, imò condere matrem, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi nouerat placituram.* Nec abs re erit ad magnificandam Virginis formationem, & illius præparationem in vtero, expendere verba illa Iſaiæ ſecundo: *Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium*; quem locum de Virgine interpretatur Diuus Gregorius loco citato inquiens: *Maria mons in vertice montium fuit; quia altitudo Mariæ ſuper omnes ſanctos refulſit.* Mons ergo iſte tunc fuit præparatus, cum Virgo formata fuit in vtero matris, in quo vtero *Sapientia ædificauit ſibi domum*, vt habetur Sapientia 9. Talem igitur eam Deus fabricauit, & formauit, qualem decebat eſſe matrem tanti filij, vt loco citato ait Diuus Bernardus. Auguſtinus etiam *in libr. de quinque hæreſibus cap. quinto tomo ſexto contra Manichæum*, Virginem deſpicientem introducit filium ita loquentem: *Ego matrem, de qua naſcerer feci, ego viam meo itineri* (id eſt, meæ conceptioni) *præparaui atque mũdaui: hanc, quam tu deſpicis Manichæe, Mater mea eſt, de manu mea fabricata.* *Iſa. 2.* *D. Greg.* *Auguſt.*

7. *Aliud fundamentũ.* Cui fundamento adiungendum eſt aliud principium, ſcilicet, filium huius Virginis omnia illa priuilegia, prærogatiuas, & munera voluiſſe matri ſuæ concedere, quæ potuit: nam reſpectu matris valet hæc conſequentia, *Potuit filius Dei hanc gratiam matri concedere: Ergo voluit.* Vt doctiſsime annotauit Author tractatus octaui, & noni, de Aſſumptione Virginis apud Diuum Auguſtinum *in Sermone trigeſimo quarto de Sanctis tomo decimo.* Eandem conſequentiam probauit Diuus Anſelmus *in Tractatu de Exordio Mundanæ ſalutis*; vt refertur in officio antiquo de Conceptione Virginis. Si ergo filius Dei fabricauit ſibi matrem, & eam præparauit, dum in vtero matris illam formauit, & potuit eam efformare omnibus modis perfectiſsimam, vtiq; perfecit eã omnibus perfectionibus non ſolũ naturalib⁹; ſed etiã ſupernaturalibus; & ideo nullus dubitare poteſt, quin eã perfectiſſimã & mundiſsimam efformauit: etenim (iuxta id quod in Pſalmis habetur) *Deus facit miniſtros ſuos ignem vrentem*, Deus igitur Virginem futuram ſibi matrem ſtatim in ipſo matris vtero præparauit in vertice montium, id eſt in ſuprema aliorum ſanctorum ſanctitate. *Author apud Aug.* *Anſelm.*

Et ad ſignificandam huius Virginis formationem in vtero non erit abs re expendere ſumptuoſam, & magnificam Templi Hieroſolymitani ædificationẽ, quod iuxta communem Patrum ſententiam huius Virginis figura fuit, & exemplar. Quare cum ædificatio templi ab ipſis primis fundamentis fuerit ſumptuoſa, & admiranda: cur ipſa Virginis fabricatio in vtero non dicetur ſupernaturali ſanctitate efformata? 8. *Aliud fundamentũ.*

Denique; *Cum domum Dei deceat ſanctitudo*, vt dicitur Pſalm. 92. & Sapientia in vtero beatiſsimæ Annæ domum ſibi ædificauerit; nulli dubiũ, quin maximis, & ſpecialibus ſanctitatis prærogatiuis in ipſo matris vtero eam dotauerit, ſanctificaueritque, cum deceat filium ſuam matrẽ, ſicut poteſt, honorare. 9. *Aliud fundamentũ.*

ARTICVLVS VI.

In quonam gradu certitudinis habenda ſit hæc veritas?

IN quonam certitudinis gradu veritas explicata ſit habenda? non conſentiũt Theologi; ſed varia ſunt illorum hac 1. *De gradu certitudinis*

Opinio 1. Caietani. de re iudicia. Caietanus 2. *Tom. Opuſculorũ tract. 1. c. 1. in fine,* putat eam ſolum pie & probabiliter credendam eſſe: pro qua etiam ſententia citari ſolet *Gabriel in 2. ſerm. de Conceptione Virginis*: ſed ille non agit de ſanctificatione in vtero, ſed de præſeruatione à peccato originali, quæ eſt quæſtio longe diuerſa. Sed quicquid de hoc ſit. Nec Caietanus audiendus eſt, nec ſi quis alius idem cum eo ſenſerit: etenim opinio iſta non ſolum communi omnium Catholicorum (nemine contradicente) conſenſui conſentit; ſed etiam in dubitatæ Patrum doctrinæ, & tacito Eccleſiæ iudicio; quæ ab antiquiſsimis temporibus Virginis natiuitatem, tanquam ſanctam, & immaculatam ſolenniter celebrat; quam non celebraret, niſi in vtero eam ſanctificatam fateretur, & crederet, vt cum Sancto Ildephonſo, & D. Bernardo ſupra diximus art. 3. *S. Ildephõ. D. Bernardus.* quare talis opino non poteſt non eſſe ita pia, vt oppoſita non ſit ſcandaloſa.

2. 2. Opinio Catharini. Alij putant veritatem iſtam neceſſario admittendam eſſe tanquam de Fide; ita vt oppoſitum aſſerere verè ſit hæreticum: ita Ambroſius Catharinus *in annotationibus contra Caietanum lib. 4. pag. 289. probat Cordubenſis libro 1. quæſtionar. quæſtione 17. §. 1. pag. 150. §. Sed quid de illis determinationibus, & §. Mihi vero ſaluo iuditio;* *Cordubẽn.* vbi pro eadem ſententia citat *Caſtrum libro ſecundo de iuſta hæretic. punitione cap. 9. & 10.* quatenus indiſtincte, & generaliter aſſerit illa omnia cenſenda eſſe hæretica, quæ ſunt contra tacitam Eccleſiæ determinationem: ſed ego nec hanc cenſuram in illis locis inuenio; *Non recipitur.* nec eſt admittenda: cum enim hæc doctrina non dũ ſit diffinita ab Eccleſia, oppoſitum non poteſt vt hæreticum damnari. Quomodo enim dicetur hæreticum, quod Eccleſia vt hæreticum, nec damnaret, nec puniret? quod verò Eccleſia illud non damnaret, tanquam formaliter hæreticum, fatetur Catharinus: quare hoc tanquam verè hæreticum non ſatis conſequenter damnat.

3. Cenſura authoris. Dicendum eſt igitur hanc veritatem ita ad fidem pertinere, vt oppoſitum, non modo dicendum ſit temerarium in Fide; ſed etiam errori proximum; imò verè erroneum. Quæ opinio fuit Medinæ 3. *p. quæſt. 27. art. 1. & poſtea Suarij 2. tom. ad tertiam partem diſput. 3. ſectio. 2. ad finem*: probauit *Vaſquez, Bellomontanus in 2. tom. ad tertiam partem diſput. 114. cap. 1. in fine numer. 5. & latius cap. 2. numer. 11. & 12.* *Medina. Suar. Bellomon.* *1. probatur* etenim aſſerere Virginem nõ fuiſſe in vtero ſanctificatam, ſed natam in peccato originali, verè eſt contra vnanimem Catholicorum omnium conſenſum: nullus enim Catholicorum ſine offenſione, & ſcandalo id audiret. *2. probatur* Deinde eſt contra communem omnium Patrum doctrinam, vt latè oſtendimus ſupra artic. 2. iam vero vnanimis Patrum conſenſus in ſimili materia reſolutionẽ reddit non ſolum pluſquam probabilem; ſed etiam pluſquam certam, vt alio in loco latius oſtendimus.

4. 3. probatur Tertio oppoſita aſſertio eſt contra cõſenſum, ſaltem tacitum, vniuerſalis Eccleſiæ; quæ, vt diximus articul. 3. annis ab hinc pluſquam mille, Virginis natiuitatem, vt verè ſanctam, & immaculatã celebrat. Quod argumentum in hac materia continet euidentem in Theologia demonſtrationem: cum enim Eccleſia in feſtis celebrandis à Spiritu Sancto dirigatur, non poteſt non admitti Virginem natam fuiſſe perfectè ſanctã, & ſine vlla originali macula: nam ſi cum ea nata fuiſſet, dies natiuitatis illius potiùs, vt maledictus notandus eſſet; & inter dies non enumerandus, quam tanquam ſanctus, & benedictus ab Eccleſia celebrandus; nam Virgo cum Iob cap. 3. veriſsimè poſſet dicere: *Pereat dies, in qua nata ſum,* vt optimè annotauit Sanctiſsimus Ildephonſus *S. Ildephõ.* *in libro contra eos, qui diſputant de perpetua Virginitate Virginis tomo 9. bibliothecæ Patrum* vbi agens de natiuitate Virginis, & de illius ſanctitate, & celebritate ita ſcribit: *Quod ſi in peccato eſſet, iure maledicta diceretur, & gemebunda potius, quam benedicta; quando nuntiatum eſt Patri eius, quod nata eſſet in ſæculo.* Porrò ſi pluſquam certum eſt natalem Virginis diem eſſe ſanctum, & benedictũ, vtiq; pluſquam certũ erit Virginẽ ſine peccato ex vtero exiſſe immaculatam, & ſanctã; ita vt oppoſitum aſſere-

re eſſet in fide erroneum. Hoc autem ad miſſo fundamento neceſſario infertur nõ ſolum pluſquam certum eſſe, Virginem fuiſſe in vtero ſanctificatam, & ab originali immunem; ſed etiam id ita certum eſſe, vt oppoſitum ſit, vel erroneum in fide, vel errori proximum: etenim ſanctitas natiuitatis ſeruatis Theologiæ, & Philoſophiæ principijs efficaciter infert ſanctitatem in vtero verè præceſsiſſe, vt oſtendimus ſupra articul. 3. §. 3. 4. & 5.

5. *Confirmatur cenſura D. Bernar*

Denique hæc cenſura ſatis conſentit cum nonnullorum Patrum iudicio: etenim D. Bernardus *dicta Epiſtol.* 174. *litera I.* ſatis id ſignificat, dum ita ſcribit; *Firmiſsimè cum Eccleſia ſentiens in vtero eam accipiſſe, vt ſancta prodiret*: quæ verba ſunt diligentiſsimè annotanda cõtra Caietanũ: etenim quod cum Eccleſia firmiſsimè tenendum eſt, terminos probabilitatis excedit; imô ſuperat certitudinem naturalem, & denotat certitudinem, quæ ad fidem pertinet. Idem Bernardus *in Sermone de excellentia, & ſanctitate Baptiſtæ*, ita ait, *Quanquam de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin ipſa maternis circumſepta viſceribus ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit*, id autem de quo nulla dari poteſt ambiguitas, intra probabilitatis cancellos contineri non poteſt: quod enim ſolûm eſt probabile, pro vtraque parte eſt ambiguum. Idem D. Bernardus *ſermon.* 4. *ſupra Salue Regina*, in hæc verba prorumpit: *Ego quoque pia Fide opinor in vtero matris ab originalibus te abſolutam peccatis: nec vana eſt Fides: nec opinio falſa.* Quæ verba expreſſe excludunt aſſenſum probabilem; cum affirment in tali doctrina nullam ineſſe poſſe falſitatem, ſed in ea dari aliquam Fidei piæ ſupernaturalitatem: Sanctus etiam Ildephonſus vbi ſupra, ita ſcribit: *Conſtat ex authoritate Eccleſiæ, quod nullis, quando nata eſt, ſubiacuit delictis, nec contraxit in vtero originale peccatum*: Eccleſia autem cum Spiritu Sancto regatur, ſua authoritate non firmat, quod ſolum eſt probabile; ſed quod in ſe eſt pluſquam certum; ita vt ad Fidem (cui nullum poteſt ſubeſſe falſum) aliquo modo pertineat. Accedat etiam teſtimonium D. Bonauenturæ *in tertio diſtinctione* 3. 1. *p. articul.* 1. *quæſtione* 3. dum aſſerit Eccleſiam indubitanter hoc ſentire, quod autẽ in Eccleſia in dubitanter tenetur, plus eſt quam probabile. ¶ Ex quibus iam patet explicatam veritatem ita in ſe certam eſſe, vt licet oppoſita aſſertio non ſit hæretica; ſit tamen errori proxima, & digna, quæ non ſolum damnetur, ſed etiam in ſuo aſſertore puniatur.

D. Bernar

Idem Ber-

S. Ildephõſus.

D. Bonau.

9. *Explicatur Diuus Thomas.*

Nec huic reſolutioni obſtant verba D. Thomæ 3. *parte quæſtione* 27. *artic.* 1. quatenus in fine corporis concludit, *Rationabiliter credi, quod Beata Virgo ſanctificata fuerit, antequam ex vtero naſceretur*: etenim vt bene aduertit *Vaſquez Bellomontanus, vbi ſupra cap.* 2. *num.* 13. aduerbium illud *Rationabiliter* nõ denotat, id eſſe probabile; ſed ſolum dicit id eſſe rationi conſentaneum, quod non tollit certitudinem, quæ aliquo modo ad Fidem pertineat. Quod verô illud aduerbium non denotet ſolam probabilitatem, ſatis declarat idem D. Thomas *in* 3. *diſtictio.* 3. *quæſtio.* 1. *& quæſtio.* 3. vbi aſſerit, *non eſſe de hac veritate dubitandum*: Et ad tertium affirmat, *id pro certo habendum eſſe*: vnde quodlibeto ſexto, quæſtione 5. articulo 7. *ait hoc in Eccleſia celebrante Virginis conceptionem ita credi*: quæ verba non de credulitate ſolius fidei humanæ explicanda ſunt; ſed de credulitate ad ſupernaturalem Fidem, & diuinam aliquo modo pertinente. In eodem ſenſu explicandus eſt Durandus *in* 3. *diſtin.* 3. *quæſtione* 1. vbi eodem aduerbio *Rationabiliter*, vtitur: nam cũ in præcedentibus dixerit veritatem à nobis explicatã eſſe certam; non poteſt explicari, *vt rationabiliter*, idẽ ſit, quod probabiliter; ſed vt idem ſit, quod certo certitudine cum recta ratione cõſentiente. Quomodo autem explicandus ſit Auguſtinus in loco, qui nobis objicitur, dicemus in ſequenti articulo ad 3.

Bellom.

D. Thom.

Explicatur Durandus.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur argumenta pro hæreticis adducta.

§. 1.

Solutio primi, & ſecundi argumenti.

1. *Ad 1.arg.* Reliquum eſt, vt argumenta in fauorem hæreticorũ ar. 1. adducta, diſſoluamus. Ad primũ dicimus hæreticos ſuum errorem alio errore impudenter confirmare; dum putant nihil tanquam de Fide probandum eſſe, niſi quod expreſſo Dei verbo (.i. in ſacris literis) expreſſe cõtinetur: qui fuit error Lutheri in c. 1. ad Galat. Brentij in prologomenis in c. de traditionibus, Caluini lib. 4. inſtit. c. 8. §. 8. Kemnitij, in examine Concilij Trid. ſect. 4. quorum omniũ verba fideliter refert *Bellarm.* (*Bellarm. 1. tom. Controuerſ. lib. 4. de Verbo Dei non ſcripto c. 3.* cõtra quem errorem latè ſcribit referens Catholicos Scriptores, qui eum ex profeſſo impugnarunt. *Tridentin.* Pro impugnatione modo nobis ſatis ſit Concil. Trid. ſeſſ. 4. in decreto de Canonicis Scripturis, & traditionibus: *Nicænum* poſt Nicænum primũ, & ſecundũ *Actione 6. & vlt.* *Fabianus. Papa.* Adde definitionem Fabiani Papæ *in epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientales*, *Innoc. Papa.* & Innocentij *primi epiſt. 1. ad Decentium*, *Leo Papa.* *Leonis primi ſerm. de Quadrageſima, & ſerm. 8. & 9. de Ieiunio ſeptimi mẽſis.* Ex quibus patet nõ ſolũ eſſe de Fide, quæ in ſacris literis expreſſe cõtinentur: ſed etiã, quæ Apoſtolicæ traditiones docent, & Eccleſiaſticæ: patet etiam non ſolùm probanda eſſe, & credenda, quæ & ſacris literis, & Apoſtolicis atque Eccleſiaſticis traditionibus expreſſe probantur; ſed etiam piè credenda eſſe, quæ Eccleſia pia Fide, & rationabili credulitate amplectitur, & credit, vt docet *D. Thom.* (*D. Thom. 3. p. q. 27. art. 1. & in 3. diſt. 3. q. 1. q. 3. ad 3.* vbi *D. Bonauent.* *Richard.* *D. Bonauent. Richard. cũ cæteris*: quod ſatis docuit Auguſtinus in ſerm. de Aſſumptione Virginis tom. 9. dum affirmat credendum eſſe, & tenendum Virginem cum corpore fuiſſe aſſumptam in Cęlum, quanuis in Scriptura id expreſſe non contineatur: ex quo *D. Thom.* *D. Thomas in d. q. 27. art. 1.* Sumit argumentum, vt idem dicat de ſanctificatione Virginis in vtero, quanuis talis ſanctificatio non legatur in ſacris literis; maximè cum in illis legamus Hieremiam, & Baptiſtam in vtero fuiſſe ſanctificatos: nam cum nullum donum gratiæ alicui conceſſum, denegandum ſit Virgini, vt pia fides docet; tanquam certum tenendum eſt hanc etiam gratiam conceſſam fuiſſe Virgini: quoniam veritas iſta, ſi non expreſſe, & directè in ſacris literis continetur; aliquo tamen modo cóntinetur tacitè, & indirectè: id, quod ferè omnes annotarunt *in 3. diſt. 3. cum D. Thoma, D. Bonauentura, & Richardo.* *D. Thom. D. Bonau. Richard.*

Ad ſecundum argumentum negandum eſt aliquem ex Patribus aliquando docuiſſe Virginem non fuiſſe purgatam à peccato originali, donec Verbum concepit: id enim hæreticum eſſe, & Virgini iniurioſum expreſſe conſtat: quoniam in lege veteri fœminæ à peccato originali purgabantur per applicationem ſacramenti legis naturæ ad delendum originale inſtituti, quod ſacramentum illis ſaltem die octauo applicabatur: quare licet admitteremus Virginem cum originali natam fuiſſe (quod eſt hæreticum:) non tamen poſſemus admittere eam in originali permanſiſſe vſque ad conceptionem Verbi Diuini. Quare Patres, qui aſſerunt Virginem in conceptione Verbi fuiſſe à vitiorum maculis purgatam; nomine maculæ intelligunt fomitem peccati: qui iuxta plurimorum opinionem fuit in Virgine vſque ad Verbi conceptionem, ligatus tamen: in ipſa vero conceptione Verbi omnino fuit extinctus: de quo latius dicemus libr. 4. vbi oſtendemus veriorem eſſe ſententiam, quod fomes in Virgine in ipſo ſuæ conceptionis inſtanti fuerit omnino ſublatus. Quare Arnobius in agumento citatus non agit de liberatione ab aliqua peccati macula, ſed à fomite peccati, qui ſicut dicitur peccatum; quia ex peccato eſt cauſatus, vt ait *Tridentinum Seſsione quarta in Decreto de peccato originali Canone 5.* ita etiam ſuo modo dici poteſt peccati macula. 2. *Ad 2.* *Explicantur Patres.* *explicatur Arnobius.* *Tridentin.*

§. 2.

Solutio tertij argumenti, & explicatio Sancti Auguſtini.

Pro ſolutione tertij argumẽti aduertimus, nõnullos exiſtimaſſe Auguſtinũ in d. Epiſt. 57. quę in argumẽ adducitur agere de omni ſanctificatio- 3. *Ad 3.arg.*

ne,

Ianſenius. Auguſt.

ne, quæ ſit per gratiam ſanctificantem; & ſubinde in ea fuiſſe ſententia, vt nullus infans in vtero matris poſſit ſanctificari: adduntque Auguſtinum in hoc non probari à Theologis, ita ſcribit *Ianſenius in cap. 2. Concord. pag. 20. col. 1. & capit. 3. pag. 33. col. 1.* Cui iudicio videntur fauere verba Auguſtini, quæ ita habent: *Quamlibet enim ſententiam de prægnātibus, imò de hominibus habeamus adhuc intra materna viſcera conſtitutis, vtrùm exiſtimemus eos, nec ne donari poſſe aliquo ſanctificationis modo; vel propter Ioannem, & cætera, vel propter Hieremiam, & cæt. tamen illa ſanctificatio, qua efficimur, & ſinguli templa Dei, & in vnum omnes templum Dei, non eſt niſi renatorum, quod niſi nati homines eſſe non poſſunt.* Quibus verbis ſatis videtur ſignificare ſanctificationem, quę facit templum Dei per gratiam ſanctificantem, non eſſe niſi renatorum.

4. Non recipitur Ianſenius.

Verum Ianſenius mentem Auguſtini non ſatis diligenter expendit: ſi enim & mentem, & verba diligentius expēdiſſet, abſque dubio intelligeret verba Auguſtini non eſſe intelligenda de quacumque ſanctificatione per gratiā; ſed de ſola ſanctificatione, qua efficimur membra eius templi, quod eſt Eccleſia Catholica: nec enim ſolum dixit: *Qua efficimur ſinguli templum Dei:* ſed addit, *& in vnū omnes tēplum Dei:* quorum verborum hic eſt ſenſus: *Qua omnes efficimur* .i. congregamur, & adunamur *in vnum templum Dei*, quod eſt Eccleſia Catholica, quæ eſt cætus hominum eiuſdē Chriſtianæ Fidei profeſſione, & ſacramentorum communione alligatus ſub regimine, & ſubiectione Romani Pontificis: iam verò ſanctificatio, qua quiſq; noſtrum actu pertinet ad Eccleſiā Chriſti, nō datur, niſi in his, qui ex vtero verè ſunt nati: hæc enim ſanctificatio nō fit, niſi per renaſcentiā atq; regenerationē baptiſmalem; cū baptiſmus ſit huius templi ianua, per quam in hoc templū intratur, vt quiſq; fiat actu, & propriè membrū Eccleſię, vt expreſſe docet *Concilium Florentinū in inſtructione Armenorum:* & inde eſt, vt catechumeni, etiā ſi in gratia cōſtituti ſint, & poſſint ſaluari: actu tamen, & propriè nō ſint intra Eccleſiæ templū, vt modo ſupponimus, cū

Senſus Auguſtini. Concilium Florentin.

Bellarmi.

cōmuni Theologorum, & probat *Bellarminus 2. to. lib. 3. de Eccleſia Militante c. 3. pag. 139. & 140.* Quare cū ille, qui ex vtero non dū eſt natus, baptiſmum ſuſcipere non poſſit, quantūuis in vtero ſit ſanctificatus, actu & propriè dici nō poteſt intraſſe templū Dei, & eſſe membrū Eccleſiæ: vnde ſicut, qui eſt in vtero, ꝓpriè nō dicitur homo in ſe, & per ſe, ſed ſolū potentia; ita non dicitur actu de Eccleſia, quanuis ſit ſanctificatus, ſed ſolū potentia, & habitualiter, vt benè aduertit *Bellarminus in d. c. 3. §. De catechumen. pag. 139.* quod non longe eſt à mente eiuſdē Auguſtini *in lib. 2. de Symbolo in princ.* vbi hominem conceptū, & non dum natum cōparat catechumenis, in ordine ad eſſe de Eccleſia. Quare ſenſus Auguſtini eſt iſte: *Quanuis opinionem habeamus, an exiſtentes in vtero donari poſſint aliquo ſanctificationis modo nec ne? & ideo quantumuis exiſtimemus Hieremiam, & Baptiſtam fuiſſe in vtero per gratiam ſanctificatos; tamen ſanctificatio, qua efficimur, & adunamur in vnū Eccleſiæ templum, non eſt, niſi natorum: quia renaſcentia baptiſmalis (qua ſola actu, & propriè in hoc templum ingredimur) nec datur, nec dari poteſt, niſi renatis.*

5. Bellarm. Auguſt.

6. Quod iſte ſit verus ſenſus.

Hunc eſſe verum Auguſtini ſenſum ex eo patet; quia in hoc ſenſu proponebatur quæſtio: erant enim, qui putabant pueros hominum fidelium ab ipſo matris vtero iam eſſe fideles, & ad Eccleſiam pertinere, contra quos Auguſtinus argumentatur. Deinde id ſatis oſtendunt illa verba: *Qua efficimur in vnum omnes Dei templum*, quæ intelliguntur de templo, quod eſt Eccleſia, vt euidenter demonſtratur ex eodem Auguſtino: ita enim concludit: *Si igitur homo regenerari in vtero poteſt, quoniā reſtat illi adhuc naſci, renaſcitur ergo, antequā naſcatur; quod fieri nullo modo poteſt.* Et poſt iſtam concluſionē adiungit hæc verba: *Proinde in cōpagem corporis Chriſti, tanquam in viuā ſtructurā tēpli Dei, quæ eſt eius Eccleſia, nati homines, non ex operibus Iuſtitiæ, quæ fecerunt, ſed renaſcendo per gratiā transferuntur.* Ecce agit Auguſtinus de templo Dei, quod eſt Eccleſia: quod templū appellat viuam ſtructurā, corpus Chriſti miſticum: ciuitatem & congregationē in

vnum; denique Arcam Noe: quæ omnia ſatis explicant Auguſtinum agere de ſanctificatione, qua quiſque fit de Eccleſia Chriſti; quæ ipſa eſt regeneratio, quę nunc fit per baptiſmum, & in lege veteri fiebat per circunciſionem, &in lege naturæ per alia Sacramenta, quæ, niſi iam natis, conferri non poterant. Et ita Auguſtinum intellexit *D. Thomas 3.p.q.27. art.1.ad 2.& in 3.diſt.3.q.1.art.1.q.3. & Alenſis; D. Bonauentura, Richardus, cæteriſque Theologi*, Et ſatis ad mentem illius *in d.lib.2.de Symbolo*, dum catechumenos & homines in vtero conceptos, nondum tamen natos inter ſe comparat in ordine ad eſſe de Eccleſia.

D. Thom Alenſis. D.Bonau Auguſt.

7. *Ad argumentum in forma.* Ex his iam patet ex Auguſtino nullũ ſumi poſſe argumentũ contra datã reſolutionẽ, neq; enim vſquã abſolutè dixit ſanctificationem ſimpliciter ſumptã eſſe non poſſe, niſi eorũ, qui ex vtero iam ſũt nati; ſed ſolùm egit de ſãctificatione, qua actu, & propriè ſumus de Eccleſia, tanquam vera illius membra. Quare maior argumenti abſolutè ſumpta ſolum eſt vera de ſanctificatione, quę fit de lege ordinaria per ſacramenta: abſolutè tamen falſa eſt & neganda, vt ait *D Tho. in d.q. 37. ar.1.ad 2.* nec enim Deus in aliquo ſtatu virtutem ſuam obligauit Sacramẽtis, nec lex ordinaria, & cõmunis excludit priuilegia. Potuit ergo Deus in omni ſtatu, & modo etiam poteſt, per ſpeciale priuilegium, & per donum extraordinariũ ſanctificare pueros in vtero matris incluſos: imò de facto ſaluarentur, ſi adhuc in vtero incluſi propter fidem occiderentur, vt modo ſupponimus, &admittit *Sotus in 4. diſt.3.q.vnica ar.11.conc.3.paulò ante finẽ.*

D.Thom.

Sotus.

§. 3.

Solutio aliorum argumentorum.

8. *Ad 4.arg. 1. Solutio.* AD 4. negandum eſt ſolam natiuitatẽ ex vtero dici animalẽ: nam& ipſa prima in vtero natiuitas, quę fit per conceptionem, & primam hominis generationẽ, eſt etiam animalis; cum per eam homo primũ fiat animatus anima intellectiua, & proinde capax gratiæ ſpiritualis. Quare in Virgine prius, ſaltẽ natura, fuit natiuitas animalis, quam ſpiritualis; quia priùs concepta fuit, & habuit eſſe humanum, quam fuerit ſanctificata. Paulus igitur per eſſe animale intelligit eſſe naturale hominis; hoc autem neceſſario præſupponitur ad eſſe ſpirituale; & hæc eſt pluſimorum explicatio, quam videtur probare *D. Thomas in d.q.27.art. 1.ad 1.* *D.Thom. 2.Solutio.* ¶ Poſſumus etiam dicere Paulũ per corpus animale intellexiſſe corpus, quod adhuc viuit officijs animæ vegetatiuæ, quoniam vt viuat, adhuc indiget ali, & nutriri: hoc enim corpus diſtinguit Paulꝰ à corpore ſpirituali, quod erit poſt reſurrectionẽ, quando iam non indigebit officijs animæ vegetatiuæ. In hoc autem ſenſu corpus animale pręcedit ſpirituale: quia prius in hac vita eſt corpus animale; deinde in altera fit ſpirituale: iuxta illa verba antecedentia: *Seminatur corpus animale; ſurget ſpirituale*: quæ conuincunt verba ſequentia: *Non prius quod ſpirituale eſt, ſed prius, quod eſt animale. deinde quod eſt ſpirituale* in ſenſu literali intelligenda eſſe de corpore animali, quod, vt viuat, indiget nutritione. Ex quo ſenſu nullũ, contra nos poteſt ſumi argumentum.

Ad quintum argumentum, explicanda eſt maior: peccatũm enim originale in hoc ſenſu dicitur contrahi ex origine quia contrahitur per generationem, qua quis generatur filius Adami, vt ait D. Thomas in dicta q. 27.art. 1.ad 3. vnde idem eſt peccatum originale origine cõtrahi ab Adamo, quod contrahi per generationem ab Adamo deductam. In quo ſenſu admittenda eſt maior: quia ſicut macula peccati originalis reſultat ex origine, generatione ve deducta ab Adamo; ita peccati actualis macula reſultat ex actu peccati. Admittimus deinde minorem primi diſcurſus; nullum ſcilicet poſſe mundari à macula peccati actualis, quandiù eſt in actu peccati. Attamen quando infertur nullum poſſe mundari à macula originali, quandiù eſt in actu originis; duobus modis reſponderi poteſt: vno modo negando conſequentiam, propter diſparem rationẽ, quæ cernitur inter cõtractionẽ peccati originalis & actualis, quam latè explicabimus inferiùs lib. 3. vbi oſtendemus fieri poſſe: vt quis in primo inſtanti ſuæ originis, 9. *Ad 5.arg.*

generationiſque præſeruetur â reſultantia culpæ originalis. Non tamen fieri poſſe, vt quis mundetur â culpa, maculaque actualis peccati, quandiu quis actualiter eſt in actu peccati. Et quod attinet ad præſens inſtitutum, ratio diſcriminis, ex eo ſumenda eſt, quod conſenſus actualis in actu peccaminoſo ex ſua natura eſt ipſa actualis peccati macula, quæ eſt in anima: ob quam rationem, quandiu datur talis conſenſus, tandiu datur ipſa actualis macula: vnde inter maculam ipſam, & cõſenſum dari non poteſt prioritas, aut temporis, aut naturæ: & ideò ſimpliciter repugnat, quem actualiter eſſe in actuali conſenſu peccandi, & eſſe ſine macula peccati. Oppoſitum cernitur inter originem, ſiue generationem deſumptam ab Adamo, & ipſam maculam peccati originalis: cũ enim inter ea detur prioritas, & poſterioritas naturæ (prius enim natura quis generatur filius Adami, quam maculetur macula peccati Adami) non repugnat, quem actu generari ex Adamo, & pręſeruari â macula peccati in Adamo commiſſi: quod in d. lib. 3. latiùs explicabimus: ob hanc rationem, non valet conſequentia ex peccato actuali ad peccatũ originale: & hæc eſt vera huius argumẽti ſolutio. ¶ Secunda verò (qua etiam argumentum ſufficienter ſoluitur) in eo

10. eſt poſita, vt admiſſa conſequẽtia (quam eſſe inutilem iam oſtendimus) negetur minor ſecundi diſcurſus: quoniam falſiſſimum eſt, tandiu quem eſſe in actu originis, quandiu ex vtero non naſcitur: nam cum origo idem ſit, quod generatio: generatio autem fiat in inſtanti; origo etiam in inſtanti fiet; quare inter actum originis, & natiuitatem ex vtero longiſſimum interiacet tempus, & ferè nouem menſium; in quo homo conceptus poteſt ante natiuitatem ſanctificari. Vnde argumentum claudicat tùm in conſequentia primi diſcurſus; tùm in falſitate minoris diſcurſus ſecundi.

11. *Ad 6. arg.* Ad ſextum argumentum negãda eſt ſequela: nam ſi Virgo moreretur in vtero, poſt ſanctificationem, deſcenderet ad Limbum Patrum: ſicut etiam ad illum deſcenderet, ſi moreretur ante Chriſti mortem, aut antequam Chriſtus cœlum ingrederetur: nam cœlum ante Chriſti mortem omnibus erat clauſum. Verum cum eſſet electa â Deo, & prædeſtinata, vt eſſet Dei mater, non potuit in vtero mori.

Ad poſtremum argumentum dicendum eſt â regulis fidei generalibus neminem eſſe eximendum, niſi vel in ſacris literis inueniatur exemptus; vel ſufficienti, & rationabili fundamento, ab Eccleſia eximatur. Quare licet hæc propoſitio vniuerſalis, *Omnes ab Adamo originaliter deſcendentes, naſcuntur cum peccato originali* ſimpliciter ſit admittenda tanquam veriſsima, & de fide (etenim ſub hac vniuerſalitate docetur in Concilio Mileuitano in cap. Placuit (153.) de conſecratione diſtinct. 4. & in Florentino in inſtruct. Armenorum in doctrina Baptiſmi, & Trident. ſeſſ. 5. can. 2. & 3. de peccato originali, & ab Auguſtino lib. 5. contra Iulianum cap. 15. ad finem, & in epiſt. 57. ad Dardanum, & 22. de Ciuitate Dei cap. 22. & â Fulgentio de fide ad Petrum cap. 26. & 27. vt omittamus Ambroſium, Hieronymum, Gregoriũ, & alios innumeros, licet inquam, propoſitio illa in ſua vniuerſalitate ſimpliciter ſit admittenda; cum tamen illa vniuerſalitas ſit legalis, & ſecundum legẽ ordinariam, atque communem propoſita; ſicut non excludit priuilegium; ita nõ excludit exemptionem Eccleſiæ authoritate rationabiliter factam: nam cum in ſacris literis Eccleſia inueniat hoc priuilegium fuiſſe conceſſum Baptiſtæ & Hieremiæ, ſufficientiſsimo fundamento excipit Virginem Deiparam ab illa vniuerſalitate, argumento ſumpto â minori ad maius, vt docent omnes Theologi in 3. diſt. 3. vbi Diuus Thomas, D. Bonauentura, & Richardus. Quin potiùs ad faciendam hanc exceptionem ſatis erat diuinam decere bonitatem hoc priuilegiũ concedere illi fœminæ, quam in matrem elegerat, vt diximus ſuprà art. 5. 12. *Ad vlt.*

(.*.)

Finis libri primi.

LIBER SECVNDVS

DE DEBITO VIRGINIS AD CONTRAHENDVM originale peccatum.

1. *Ordo dicẽdorum.* CVM iam conſtitutum ſit, & omnino indubitatum Virginem Deiparam in vtero fuiſſe ab originali peccato ſanctificatam; conſequenter explicandum eſt, & diligenter examinandum, quando, & quomodo in vtero matris fuerit ſanctificata, & à peccato libera? An ne ſanctificata fuerit ab originali, quod cõcepta actu contraxit? an verò ita fuerit ſanctificata, vt actu originale non contraxerit? ex quo pendet ſolutio controuerſiæ; an fuerit ſanctificata ſanctificatione liberatiua? an verò præſeruatiua? ita vt præſeruata ſit, ne actu contraheret peccatum, quod actu contractura foret, niſi diuinitus præſeruaretur.

2. Verum; quia hæc difficultas conuenienter diſſolui non poteſt, niſi prius explicemus, an Virgo habuerit debitum, contrahendi peccatum originale; operæpretium erit diligenter expendere; an hoc debitum fuerit in Virgine? Quia verò hoc debitum, quod in omnibus Adami poſteris reperitur, per ſe pendet ex eo, quod omnes in Adamo peccauerunt, præmittenda eſt quæſtio, an Virgo peccauerit in Adamo?

3. *Ordo procedendi.* In hoc igitur ſecundo libro hoc ordine procedemus: primo enim loco diſputabimus; an Virgo in Adamo peccauerit? vt ſciamus, an inde traxerit debitum ad contrahendum originale peccatum? deinde inquiremus; an in Virgine de facto fuerit verum debitum ad originale peccatum contrahendum? quoniam verò quæſtio an Virgo peccauerit in Adamo eſt ſatis controuerſa; & illius reſolutio ſit cardo, & fundamentum totius iſtius materiæ; ante illius diſputationem duas quęſtiones pręmittemus. Prima eſt; quid nam ſit peccare in Adamo? Secunda eſt, an iſta propoſitio ſumpta in ſua generalitate; *Omnes in Adamo peccauerunt* ſit admittenda ſimpliciter tanquam de fide? & in quo ſenſu? his duabus reſolutis quęſtionibus accedemus ad principalẽ quæſtionem, an.ſ. Virgo peccauerit in Adamo?

QVÆSTIO PRIMA.

Quidnam ſit peccare in Adamo?

IN hac quæſtione in primo artic. referemus varias Theologorum ſententias. In ſecũdo expendemus primam opinionem, quæ eſt Galatini. Tertius articulus expendet opinionem ſecundam, quæ pluribus placuit. Quartus examinabit tertiam opinionem. Quintus diſputabit de explicatione, quæ placuit Valentiæ. Sextus tandem & vltimus latè confirmabit vltimam opinionem, quæ vera eſt, & omnino tenenda. *Quid ſit peccare in Adam?*

ARTICVLVS I.

Referuntur variæ ſententiæ.

QVod attinet ad primum, referendæ ſunt variæ de propoſita quæſtione ſentẽtiæ. Prima igitur opi- 1. *1. opinio Galatini.*

nio docet omnes in Adamo peccaſſe, non eſſe aliud, quàm maſſam ſingulorum, ex qua ab Adamo ſinguli eius poſteri generandi ſunt, fuiſſe infectam ipſo Adami peccato, quæ fuit opinio *Galatini lib. 7. contra Iudæos cap. 4.*

2. 2. Opinio. Secunda opinio affirmat peccare in Adamo, formaliter non eſſe in Adamo, & cum Adamo elicere actum, quo Adamus peccauit; ſed formaliter eſſe contrahere peccatum ex Adamo deductum, ita

Sotus. docet *Sotus lib. 1. de natura & gratia c. 9.* his verbis: *Concedimus quod illo tantùm peccato Adæ, peccauimus omnes: quoniam dum animam recipimus, non peccamus, ſed concipimur in peccato Adami.* Et inferius: *Omnes ergo peccaſſe in Adamo nihil aliud eſt, quàm naturam noſtram ob participium ſuæ culpæ, in gratam, & inuiſam eſſe Deo.* Tūc autem natura noſtra habet participium culpæ Adami, cum illam contrahit, dum concipimur. Igitur ex Soto peccare in Adamo, idem eſt, quod actu contrahere, & in ſe recipere peccatum Adami. Eo-

Driedo. dem modo explicat *Ioānes Driedonis lib. 1. de gratia, & libero arbitrio tract. 3. in 1. p. primi capitis, fol. 102. pag. 2. tom. 3.* vbi verbis expreſsis docet; *Omnes in Adamo peccaſſe, non eſſe omnes in Adamo, & cū Adamo actum peccati fuiſſe operatos: nec etiam eſſe nos, cum concipimur, aliquid mali agere; ſed eſſe ſingulos ab Adamo accipere naturā humanam deſtitutam originali iuſtitia:* nam in hac priuatione iuſtitiæ formaliter ponit rationem peccati originalis. Quam ſententiam rurſus repetit *fol. 103. pag. 1.*

3. Medina. In eandem ſententiam deſcendit *Medina 3. p. q. 27. art. 2. pag. 507. col. 2. poſt mediū,* dùm ait, Virginem de facto non peccaſſe in Adamo; bene tamen de iure: quia. ſ. de facto diuina gratia præueniente præſeruata fuit à peccato originali, quod de

Palatius. iure contrahere deberet, niſi gratia præueniretur. Quod etiam aſſerit *Palatius in 3. diſt. 3. diſp. 1. pag. 47. col. 2:* quæ doctrina adiuncta illius probatione, ſatis conuincit Medinam, & Palatium exiſtimaſſe *peccare in Adam* non eſſe aliud, quam ex eo contrahere, & in ſe recipere maculam peccati: Eodem etiam modo phraſim D. Pauli explicat *Frāciſcus Turrianus in Epiſt. de peccato originali, fol. 5 pag. 2.* Docet enim probationem Pauli intelligendam eſſe, tum de ijs, quos poſſibile fuit peccare, vt Chriſtum excludat: tum etiam de ijs, quos peccare in Adamo non fuit indecorum: peccare inquam in Adamo, id eſt, induere in Adamo diſſimilitudinem Dei, in qua ponit formalem rationem peccati originalis. Haud igitur obſcure ſentit peccare in Adam idem eſſe, quod per naturalem ex Adamo propagationem in ſe recipere originalem culpam. Eodem modo explicat

Benedictus Pereira *in d. c. 5. ad Rom. diſp.* 4. Benedictus Pereira. *8. num. 47.* vbi ita ait: *Illud igitur in quo omnes peccauerunt, non aliud ſignificat, quā peccante Adamo, in quo erat origo, & ſeminarium huius generis, poſteros eius, omnes peccaſſe: id autem eſt, naſcendo ex Adamo accipere naturam peccato eius vitiatam.* Addimus Gondiſalum de Lacerda in Commentar. ad eundem locum Pauli, vbi ita inquit: *Peccauerunt, inquam. i. originali macula ſunt maculati.* Addi etiā poteſt Vaſ- Ballomōt quez Bellomontanus *tom. 2. in 3. p. diſp. 115. cap. 2. num. 15.* vbi ſatis expreſſe ſcribit peccare in Adamo idem eſſe, quod ex Adamo habere in ſe peccatum. Eandem explicationem probat *Stella Lucæ 3 pag.* Stella. *184. col. 2. & Martinus Martines, in hypotheposion cap. 3 pag. 452. Salmeronius in d.* Martines. *diſp. 50. pag. 464. col. 2. §. Senſus ergo Apo-* Salmeron. *ſtoli eſt.* Denique ante hos omnes May- Mayron. ronius *in 3. diſt. 3. q. 2. art. 10.* Ex quibus patet, quam cōmunis ſit hæc explicatio.

Tertia opinio docet peccare in Adamo formaliter idem eſſe quod naturam 5. humanam in Adamo peccante fuiſſe iu- 3. Opinio. ſtitia originali ſpoliatam, & Deo inuiſam. Ita *Sotus cum Driedone locis citatis:* ſed Sotus. clarius *Medina 1. 2. q. 81. artic. 1. fol. 737.* Driedo. *col. 1.* quatenus aſſerit naturam humanā Medina. in primo parente peccaſſe, nihil aliud eſſe, quam eam in Adamo fuiſſe Deo inuiſam. Quam explicationem ſatis etiam probat Pereira *in dicta diſp. 6. pag. 588. in* Pereira. *principio.*

Quarta ſententia placuit *Valentiæ to. 4. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag. 429. litera* vt 6. peccare in Adamo formaliter non ſit re- 4. Sentētia Valentia. cipere in ſe maculam peccati, quod Adamus commiſit: ſed formaliter ſit ipſam actionē peccaminoſam ſimul cum Ada-

mo,

mo, non quidem perſonaliter, ſed originaliter feciſſe: non tamen ſimpliciter & abſolutè; ſed cum connotatione, quod macula talis actus in propria ipſius peccantis perſona actu ſit contrahenda.

7. 5. opinio communis. Quinta & poſtrema opinio affirmat peccaſſe in Adamo, iuxta propriam verborum ſignificationem formaliter dicere peccantem in Adamo actualem diuini præcepti præuaricationem elicuiſſe, ita vt ipſa actualis præuaricatio noſtra fuerit, prout in Adamo originaliter eramus. Quam ſententiam communem eſſe inferiùs oſtendemus.

8. Hæ ſunt explicationes, quas ex noſtris Theologis potui colligere: eas oportet diligentiùs expendere, quia ex hoc articulo maximè pendet vera reſolutio eorum, quæ dicenda ſunt.

ARTICVLVS II.

Expenditur opinio Galatini.

§. 1.

Refertur opinio Galatini.

1. *Opinio Galatini.* ADDVCTIS varijs de propoſita quęſtione opinionibus, oportet ſingulas expendere, vt vera appareat quæſtionis diſſolutio. Prima igitur opinio docet omnes in Adamo peccaſſe nihil eſſe aliud, quam ſingulorũ maſſam, ex qua ſinguli ſunt generandi, peccato Adami fuiſſe infectã. Quæ opinio (vt diximus) fuit *Galatini lib. 7. contra Iudæos cap. 4. Rabinis probata.*

2. *Exponitur opinio Galatini.* Aduertendum igitur Galatinum fingere Deum in principio mundi creaſſe quandam maſſam, vt ex ea formaret Adamum, & omnes illius poſteros: & huius maſſæ partem nobiliorem reſeruaſſe, atque deputaſſe, vt eſſet materia, tum corporis Meſsiæ; tum etiam Virginis; ex reſidua verò formare ipſum Adamum, & omnes illius poſteros: formato autem Adamo partem illam maſſæ collocaſse in meliori Adami membro ad Chriſti & Virginis formationem: reliquam verò maſsam poſuiſse in Adamo, vt ex illa omnes illius poſteri generarẽtur. Addit deinde partem illam maſsæ pro Chriſto & Virgine reſeruatam ab Adamo emanaſse ad Seth; & ita ſucceſſiuè per ſingulas generationes perueniſſe ad Ioachimum patrem Virginis, & ex illa Virginem à Ioachimo genitam eſse.

Addit deinde Adamum ſuo peccato infeciſſe quidem omnem aliorum poſterorum maſsam, non tamen hanc maſsæ partem, Deo eam â communi infectione præſeruante. Et inde infert omnes quidem in Adamo peccaſse: non tamẽ Virginem. Sentit igitur Galatinus aliquem peccaſse in Adamo nihil eſse aliud, quam maſsam in Adamo poſitam, vt ex illa vnuſquiſque generaretur, in ipſo Adamo fuiſse infectam per peccatum ab eo cõmiſsum, & affirmat hanc fuiſsę Rabinorum opinionem. 3.

§. 2.

Impugnatur Galatini opinio.

HÆc tamen Galatini, & Rabinorũ opinio, & explicatio, à cæteris vt vere improbabilis reijcitur. Primò, quia nititur anili fabula, quæ enim ſcribit, fabulam potius continent, quàm veram hiſtoriam, & doctrinam: vnde indigna eſt hæc opinio, quæ impugnetur. 4. *Impugnatur. 1. ratio.*

Deinde ex eo reijcienda eſt; quia plura continet falſa, & omnino improbabilia: etenim in ſacris literis nulla fit mentio talis maſsæ à principio mundi à Deo creatæ ad formandum Adamum: ſolùm enim legimus Deum à principio formaſſe hominem de humo terræ, vt patet *Geneſ. 2:* Adamus enim formatus eſt ex terra, vt dicitur *Geneſ. 3.* Quare ſine temeritate dici non poteſt Deũ prius formaſse aliquam humani generis maſsam, quam Adamum crearet: cum enim immediatè formauit ex vera terra ſub forma terræ permanente. Quin potius omnino improbabile eſt Deum ſtatim à principio mundi à propoſito aliquam terræ partẽ ſpecialiter efformaſse, atque ſelegiſse, vt ex ea formaret Adamum, & poſteros: ſed Adamum formauit ex terra, quam præſentem habuit. Sumpſit igitur Deus partem terræ, quæ in illo loco aderat, & eam in varias partes diſtinxit, & organizauit, vt ad animam recipiendam eſſet 5. *2. ratio.* *Geneſ. 2.* *Geneſ. 3.*

ſuffi-

ſufficienter diſpoſita: & ex tota terra, quam aſſumpſit, efformauit totum corpus Adami. Quod verò Deus in terra, quam ad formandum Adamum aſſumpſit, aliquam deſignauerit partem ad poſterorum generationem, & ex illa ſpecialiter deputauerit aliquam nobiliorem partem, ex qua Virgo formaretur, nec explicat Scriptura; nec cum vera conuenit Philoſophia: etenim opinio, quæ affirmat materiam, ex qua quiſque noſtrum generatur, actu fuiſſe in Adamo, ab omnibus reijcitur, tanquam improbabilis & fictitia; vt laté oſtendimus in noſtro tertio tomo de Beatitudine corporis lib.2.q.3. art.4.§.1. contra quã fictionem eo in loco illud obiecimus; quia ex ea ſequeretur; ſemen ex quo gignimur, non eſſe ex ſuperfluo alimenti, ſed ex ipſa generantis ſubſtantia; quod omnium Philoſophorum, & Medicorũ indubitatæ ſententiæ contradicit, vt ibidem oſtendimus. Quare ſemen quo Adamus ſuos filios genuit, fuit ex ſuperfluo alimenti, quod iam comederat; non verò fuit aliqua maſſa ſubſtantialis, poſita in corpore Adami ad generandos filios: vt omittamus fictitium eſſe modum, quo fingitur Adamum, & cæteros parentes maſſam illam, in Adamo actu præexiſtentem in filios tranſmittere: vt etiam omittamus ad filij generationem non ſolum maſculum ſua ſeminali ſubſtantia concurrere; ſed etiam fœminam: quis autem dicet maſſam ex qua omnes poſteri ab Eua generandi erant, fuiſſe repoſitam in Eua?

6.

7. 3.impugn. Nec ſolum hæc opinio reijcienda eſt, vt Philoſophiæ contraria; ſed etiam vt contraria veræ Theologiæ: ex ea enim ſequitur Virginem ex meritis Chriſti non eſſe redemptam: quod fidei repugnat. Sequelam oſtendemus inferiùs, cum Catharini opinionem impugnabimus.

8. 4.impugn. Quarto adhuc loco hæc opinio ideò reijcienda venit: quia ſupponit peccatum originale ad nos ideo traduci, quia ad nos ex Adamo traducitur maſſa quædam & caro peccato Adami infecta, & concepta: inquirimus enim ab his authoribus, quonam modo actuale Adami peccatum maſſam illam, ex qua omnes generandi eramus, infecerit? an illam infecerit intrinſece producendo in illam morbidam aliquam qualitatem? an verò ſolum extrinſecè; quia ſcilicet facta eſt caro Adami peccatoris? ſi priori modo; iam hi authores incidunt in opinionem Gregorij, qui hanc qualitatem in nobis admittit, quæ tamen ab omnibus alijs merito reprobatur, vt ſupponimus. Si vero ponãt carnem iſtam infectam eſſe infectione extrinſeca; quia. ſ. peccato facta eſt caro hominis peccatoris, & culpa infecti; hoc non ſatis eſt, vt nos faciat formaliter peccatores, & Deo inuiſos, niſi ſimul ponant nos idem cum Adamo peccatũ peccaſſe.

Poſtremo loco non video, quomodo Deus partem illam maſſæ ſelectæ ad efformandam Virginem ab infectione peccati Adami præſeruauerit? nec enim eam alio modo præſeruare potuit, niſi aut eximendo eam à præcepto non comedendi de ligno vetito, quod Adamo & poſteris impoſuit: aut impediendo, ne peccatum Adami ſua infectione illam maſſæ partẽ attingeret: ſi priori modo; coincidit hæc opinio cum opinione Catharini, quam inferius impugnabimus: ſi modo poſteriori: ſicut non bene intelligitur, quo modo peccatum Adami poſterorum maſſã poterat inficere, ſi tale peccatum nõ fuit poſterorum: ita non bene intelligitur, quomodo pars illa maſſæ potuerit ab infectione præſeruari: vt omittamus non poſſe probabiliter affirmari materiam, ex qua Virgo à parentibus proximè fuit genita, actu fuiſſe in Adamo, vt diximus de materia omnium aliorum. 9. *Poſtrema impugnatio.*

ARTICVLVS III.

An peccare in Adamo ſolùm ſit contrahere maculam ex peccato Adami?

§. 1.

Refertur ſecunda opinio:

Secunda opinio affirmat peccare in Adam nõ eſſe in Adamo cum Adamo elicere actum, quo Adamus peccauit: ſed formaliter eſſe contrahere peccatum ex Adamo deductum; id eſt maculam peccati, quod Adamus in paradyſo *Refertur 2.opinio.*

diſo commiſit. Qui hanc opinionẽ probent, diximus ſuprà ar.1: eam enim probauerunt *Sotus, Ioannes Driedo, Medina, Palatius, Turrianus, Pereira, Lacerda, Bellomontanus, Stella, Martines, & ante hos omnes Mayronius.*

2. *Explicatio opinionis.* Hi omnes diſtingunt peccatum Adami, eiuſque præuaricationem à macula, quam omnes in proprijs perſonis tũc cõtrahimus, cum concipimur: & in hoc quidem rectè, vt inferius dicemus: volũt tamen peccare in Adamo formaliter non eſſe in Adamo, & cum Adamo elicere actualem illam præuaricationem, qua Adamus contra legem Dei eſt præuaricatus; ſed ſolum eſſe contrahere maculã talis peccati: quem ſenſum ſatis colliges ex authoribus præcitatis, & expreſsè ex Driedone.

§. 2.

Impugnatur ſecunda iſta opinio.

3. *Impugnatur.* HÆc tamen opinio omnino eſt reijcienda tanquam aliena à mente, & verbis Pauli, & contraria communi Patrum doctrinæ: etenim ex doctrina Auguſtini, & Patrum omnes peccauimus in Adam, quando ille peccauit: *1. impugnatio.* cum tamen maculam illius peccati tunc ſolum contrahimus, cum in vtero concipimur. Hoc poſterius etiam apud aduerſarios eſt indubitatum, cum ex Tridentino peccatum originale ſingulis nobis propagatione inſit. Quod vero tunc in Adamo peccauerimus; quando ille in paradiſo peccauit (quod primum ad probandum aſſumpſimus) ſatis expreſſè docuit *Auguſtinus lib.4. contra duas epiſtolas Pelagianorum c.4. & lib. 3. de peccatorum meritis cap.7. & lib.1. de eodem c.10. & lib. 16. de Ciuitate Dei cap.27.* *Auguſt.* quorum locorum verba formaliter adducemus in vltimo huius quæſtionis articulo: nunc ſatis ſit adducere verba ex d. *lib.3. de peccatorũ meritis c.7.* ita enim habẽt: *Non ſic dicuntur aliena peccata, quia ad paruulos non pertineant: quia in Adam omnes tunc peccauerunt, quãdo in eius natura inſita, in qua eos generare poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt.* Quæ verba expreſſe improbant ſententiam aduerſariorum: cui etiã expreſſè contradicunt verba *D. Anſelmi in lib. de* *Anſelm.* *conceptu virginali, & de peccato originali,* quæ ita habent: *in Adam omnes peccauerunt, quando ille peccauit.* Satis etiã id probant Patres in d. art. vltimo adducendi; qui docent vniuerſam humanam naturã, i. totam hominũ vniuerſitatem diuinam legem in paradiſo fuiſſe præuaricatam.

Deinde ex Auguſtini, & Patrum doctrina omnes ſimul peccauimus in Adã, vt patebit ex art. vltimo huius quæſtionis: cum tamen non omnes ſimul cõtrahamus maculam peccati Adami: ſinguli enim eam contrahunt, cum concipiũtur. 4. *Iterum ex Aug. impugnatur.* Ex eadem etiam doctrina Patrum omnes peccauimus in paradiſo, in quo Adamus peccauit: attamen Adami peccatum contrahimus à paradiſo exules. Itẽ omnes in Adamo peccauimus vno & eodẽ peccato, quo peccauit Adamus, quod fuit omnibus commune: peccatum tamen, quod contrahimus non eſt vnum & idẽ in omnibus; ſed ſingulis eſt proprium, ex Tridentino vbi ſuprà. Denique ex Auguſtino, quando in Adamo peccauimus, omnes eramus ipſe Adamus: & Adamus erat omnes nos, vt in vltimo articulo oſtendemus: cum tamen, quando contrahimus peccatum Adami, ſinguli ab Adamo perſonaliter diſtinguamur. Patet igitur explicationem iſtam, quam ſecunda probat opinio, non ſolùm alienam eſſe à doctrina Auguſtini, & Patrum; ſed etiam ex diametro illi contrariam: quod ſatis eſt, vt non recipiatur.

Secundò illam eſſe reijciendam ex eo euidenter demonſtratur; quoniam peccatum originale, quod cõtrahimus, dum concipimur, trahimus ex peccato, quod in Adamo cõmiſimus: nam ideo maculã peccati Adami contrahimus; quia in Adamo peccauimus, vt docet *Auguſtinus 1. retra. c.11. & lib.4. contra duas epiſtolas Pelagianorum c.4.* quod tanquam certiſsimũ inferius latè confirmabimus. Quomodò igitur peccare in Adamo formaliter idẽ erit, quod contrahere maculam peccati Adami? cauſa enim non eſt idem cum effectu. 5. *2. impugn.* *Auguſt.*

Tertio addi poteſt; quoniam phraſis Paulina huic explicationi omnino contradicit: etenim aliud eſt peccare, & aliud maculam peccati cõtrahere: omnes enim 6. *3. impugn.*

fatentur paruulos non peccare, cum maculam peccati in vtero contrahunt: cum tamen Paulus dicat: *nos omnes in Adamo peccaſſe*, & Geneſ. 17. ſcribitur, *paruulos pactum Dei irritum feciſſe*: quæ verba non denotant receptionem maculæ, ſed actũ, cuius macula recipitur. Nec ſatis eſt dicere verbum *peccare* apud Paulum impropriè ſumendum eſſe, vt ſatis inſinuat *Vaſquez Bellomontanus 2. tom. ad 3. p. diſp. 115. cap. 2. n. 15*: quoniam verba Scripturæ non poſſunt ſumi in ſignificatione impropria, quando nihil vetat, ea ſumi in ſignificatione propria. Iam verò tantum abeſt, vt cogamur ad impropriam ſignificationem recurrere; vt potius omnia ſuadeant, imò etiam perſuadeant verbũ *peccare* à Paulo ſumi pro actu peccati in Adamo ab omnibus elicito. *Reijcitur Bellom.*

7. *4. impugn.* Quarto contra eandem explicationẽ obijci poteſt: quoniam ex ea euidenter infertur Virginem non peccaſſe in Adamo: quoniam certiſsimum eſt eam maculam peccati Adami in perſona propria non contraxiſſe, at verò non ſatis tutum eſt aſſerere, Virginem in Adamo non peccaſſe, vt inferiùs oſtendemus.

8. *Poſtrema impugn.* Poſtremò ex eo videtur reijcienda; quoniam macula alicuius peccati non poteſt dari in anima, niſi ex actu aliquo modo commiſſo ab eo, in cuius anima datur macula: repugnat enim aliquem vere & proprie dici peccatorem per maculam alicuius peccati actualis, quod ille nullo modo commiſit, aut perſonaliter in propria perſona, aut originaliter in perſona alterius, quæ aliquo modo ſit ſua. Quare cum fides doceat omnes nos, cum in propria perſona concipimur, cõtrahere maculam peccati actualis, quod Adamus commiſit: (etenim ex Tridentino ſeſſione 5. canone 3. de peccato originali actualis præuaricatio, qua Adamus diuinum mandatum fregit, propagatione ad nos transfunditur) non poteſt non concedi ipſam actualem præuaricationem Adami aliquo modo fuiſſe noſtram; ita vt nos in Adamo (qui erat nos omnes, vt ait Auguſtinus) ſimul cum ipſo actu præuaricati ſimus voluntate Adami, quæ erat noſtra: nam quomodo per maculam illius præuaricationis à nobis propagatione contractam poſſumus vere conſtitui peccatores, ſi talis præuaricatio nullo modo fuit noſtra? etenim niſi aliquo modo eſſet noſtra: non poſſet propagatione ad nos diffundi, nec propter illam poſſemus à Deo iuſtè puniri. Quare cũ propter eam iuſte puniamur, vtique, punimur pro noſtro peccato à nobis commiſſo, nõ perſonaliter, ſed originaliter; quatenus. ſ. perſona Adami, eiuſque voluntas Deo ita ordinante erat noſtra, vt doctiſsimè annotauit D. Thomas de malo q. 4. art. 1. ad 19. & ſatis Auguſtinus 1. retract. cap. 10. vbi agens de peccato omnium in Adamo, concludit, nulli vnquam peccata nocuiſſe, niſi ſua.

His argumentis adducor, vt affirmem hanc explicationem non ſatis eſſe tutam in fide, & ſubinde nullo modo eſſe admittendam, ſi in hoc ſenſu intelligatur, vt peccare in Adamo ſolùm ſit contrahere maculam peccati Adami, ita vt in Adamo adhuc exiſtentes in paradiſo nullo modo Dei mandatum actu præuaricati ſimus: etenim ex Paulo ad Rom. 5. *Per vnius inobedientiam* (quam Tridentinum præuaricationem appellat) *peccatores conſtituti ſunt multi*: non conſtituerentur autem, ſi Adami inobedientia, & præuaricatio aliquo modo non eſſet noſtra, vt iam oſtendimus. Quare non eſt audiendus, ſed reprehendendus potiùs Vaſquez Bellomontanus vbi ſuprà, dum ſimpliciter affirmat peccatum originale, non eſſe actionem: oppoſitum enim euidenter colligitur ex Paulo, & ex Patribus ſuprà adductis, & latè oſtendimus in materia de peccato originali: licet enim contrahere maculam, peccati Adami nõ ſit agere, tamen ipſa maculæ contractio reſultauit ex actione inobediẽtiæ, & prę-uaricationis, vt colliges ex citatis Pauli verbis: in quibus *inobedientia* non eſt idẽ, quod macula ex inobedientia contracta (etenim macula illius in Adamo relicta, non conſtituit nos peccatores. ſed ipſum ſolum) ſed idem eſt, quod actus inobediẽtiæ, qui nos omnes, cum concipimur, peccatores conſtituit, non formaliter (quia actus ille iam tranſijt) ſed cauſaliter; quatenus ille, cũ fuerit noſter, fuit cauſa maculæ originalis, qua in vtero inficimur. 9. *Non eſt tuta.* *Rom. 5.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm peccare in Adamo formaliter ſit naturam humanam in Adamo fuiſſe iuſtitia originali ſpoliatam?

1. 3.opinio. CONſequenter expendẽda eſt tertia opinio, quæ affirmat peccare in Adam non eſſe aliud, quàm naturam humanã in Adamo peccante fuiſſe ſpoliatam originali iuſtitia, & Deo inuiſam. Quem ſenſum approbauerunt Sotus, Driedo, Medina, & ſatis Benedictus Pereira, quos art. 1. in tertia opinione citauimus.

2. Hæc tamen opinio duobus modis poteſt explicari: in quorũ primo recipi non poteſt; in altero vero conſentit cum vltima opinione, quæ vera eſt & tenenda.

Explicatur. ¶Aduertimus igitur naturam humanam ſumi poſſe, vel philoſophicè, vel theologicè, ſi ſumatur philoſophicè, opinio euidenter eſt falſa, & improbabilis: etenim natura humana philoſophicè ſumpta idẽ eſt, quod forma metaphyſica totius hominis. In quo ſenſu ſicut non poteſt peccare cum actiones ſint ſuppoſitorum; ita ratione ſui non poteſt eſſe inuiſa Deo, aut ſpoliata gratuitis, niſi ratione ſuppoſiti, quod ſicut propriè peccauit, ita propriè Deo eſt inuiſum.

3. 2.ſenſus. Porrò, ſi natura humana ſumatur in ſenſu theologico, idem eſt natura humana, quod vniuerſum genus humanum, vniuerſaq; hominum multitudo. In hoc autem ſenſu veriſsima eſt opinio: quoniã naturam humanam peccare in Adamo non eſt aliud, quàm vniuerſos homines in Adamo peccante etiam peccaſſe: quod eſt veriſsimum & tenendum, vt ex vltimo articulo patebit.

ARTICVLVS V.

Vtrùm opinio Valentiæ ſit admittenda?

§. 1.

Refertur illius opinio.

1. Opinio Valentiæ. EXpendẽda etiam eſt opinio, quam excogitauit Valentia quinto loco poſita in 1. articulo: reiecta enim ſecunda explicatione, quæ docebat, peccare in Adamo idem eſſe, quod in ſe recipere, & contrahere maculam peccati ab Adamo cõmiſsi; nobiſcum admittit peccaſſe in Adamo idem eſſe, quod ſimul cũ Adamo, & in Adamo originaliter feciſſe actionem præuaricationis, & inobedientiæ Adami: non tamen ſimpliciter & abſolutè; ſed cum connotatione, quod macula talis præuaricationis in propria perſona, cum actu fuerit, contrahenda ſit.

2. Prima illius confirmatio. Quam ſuam explicationem ex eo cõfirmat; quoniam verbum hoc *peccandi*, cum dicitur de poſteris Adæ, prout in Adam ſumpſerunt cibum vetitum, ex recepta, & vſitata loquendi conſuetudine non ſolùm videtur ſignificare actum illum, quo in Adamo poſteri guſtarunt contra legem illum cibum; ſed ſimul etiã connotare futurum peccatum originale, proprie dictum ab ipſis poſteris, cum iam actu eſſe incipiunt, re ipſa contrahendũ.

3. 2.confirm. ex Anſelmo. Deinde id confirmat teſtimonio Diui Anſelmi in lib. de conceptu virginali, & peccato originali c. 7. vbi indicat non niſi eũ eſſe vſum verbi *peccandi*, vt Adæ poſteris tribuitur: hæc autem ſunt illius verba: *In Adam omnes peccauimus; quando ille peccauit: non quia tunc peccauimus ipſi, qui nondum eramus; ſed quia de illo futuri eramus: & hinc facta eſt illa neceſsitas, vt cum eſſemus, peccaremus,* id eſt, peccatum contraheremus. Hæc habes apud Valentiam tom. 4. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pagina 429. litera B.

§. 2.

Reijcitur Valentia.

4. Reijcitur. SEd licet Valentia putet hunc dicendi modum cæteris omnibus eſſe lõge meliorem; ego tamen puto eum nec bonum eſſe, ſi huius materiæ principia expendantur; nec ſatis tutum, ſi ad Virginem Deiparam applicetur.

5. 1.ratio. Quod ex eo primum confirmo; quoniam Valentia tanquam indubitatum ſumit id, quod abſolutè eſt negandum: etenim vt tom. 4. loco ſuperiùs citato expreſſe ſumit verbum hoc *peccandi* cum dicitur de poſteris Adę, vt in Adam ſũpſerunt cibum vetitum, ex recepta & vſitata conſuetudine loquendi, non ſolùm

ſigni-

ſignificare actum illum, quo in Adamo poſteri eius guſtarunt contra legem cibum vetitum, ſed ſimul connotare peccatum originale ab ipſis poſteris fore cōtrahendum. Hoc autem quam gratis ſit dictum, ex eo patet, quia nullum dabit Theologum, qui ſcribat connotationem illam eſſe neceſſariam, vt quis dicatur in Adamo peccare. Quomodo igitur ſcribit verbum *peccandi* in hac materia ex vſitata & recepta conſuetudine denotare illam connotationem? quod enim nullus dixit, dici non poteſt vſitatum eſſe, & receptum. Quin potius ne id tanquam certum, & ab omnibus vſitatum diceret, ſatis erat, quod omnes illi Theologi, qui docentes Virginem in Adamo peccaſſe, negant eam peccati maculam cōtraxiſſe, non poſſunt non negare peccare in Adamo per ſe includere connotationem peccati actu in futurū contrahendi, vt patet.

6. *2. ratio.* Deinde contra iſtum dicendi modum expendo; quoniam hoc verbum peccare abſolutè non includit connotationē maculæ, quam in anima cauſat peccatum; quaſi peccare ſimpliciter & abſolutè non dicatur peccare, niſi cum cōnotatione ad maculam ex actu illo in anima cauſatam: etenim diuina potentia fieri poteſt, vt ex actu peccati realiter cōmiſſi, nulla in anima reſultet macula, vt plerique volunt. Quare ſi verbum *peccandi* abſolutè non includit connotationem ad maculam incurrendā; ſed ſine tali cōnotatione poteſt vere & proprie denominare peccantem; cur hoc verbum *peccandi*, cum dicitur de poſteris Adæ ita includet cōnotationem ad maculam in propria perſona contrahendam, vt ſine tali connotatione non poſsit comedētes ipſos denominare peccantes? profecto nulla probabilis ratio diſcriminis poterit excogitari.

7. *3. ratio.* Tertiò accedit; quoniam negandum non eſt actum illum comedendi de ligno vetito abſolutè, & ſecluſa quacunque cōnotationis cōſideratione, vere & proprie eſſe peccatum, nam cum per ſe ſit actus contra diuinum præceptum, non poteſt per ſe non includere rationem culpæ, quantūuis actum illū à connotatione futuræ maculæ abſtrahamus: etenim quod per ſe eſt tale, ſemper eſt tale, quantūuis nudè conſideretur abſque omni alio adiuncto: maximè quando illud adiunctum eſt quid natura poſterius, vt eſt connotatio, de qua agimus. Porrò ſi ſemel admittatur comeſtionem illam lege prohibitam, & quatenus eſt prohibita per ſe eſſe peccatum, ſatis eſt, vt comedentem conſtituat peccatorem independenter à connotatione ad maculam actualiter cōtrahendam.

Poſtremò; Virgo verè in Adamo comedit de ligno, de quo comedit Adamus, quod Valentia libenter admittit: etenim tanquam vera Adami filia in Adamo originaliter continebatur. Iam igitur inquiro: an Virgo comedēs de illo cibo à Deo prohibito, comederit contra legem Dei, tanquam illo præcepto obligata? an verò non comedit contra Dei legem, quia ab illa diuina diſpēſatione erat exempta. Si hoc poſteriori modo; iam Valentia conſentit cum Catharino, cuius opinionē nō recepit; ſi priori modo: iam admittit Virginem comedendo legem diuinam fuiſſe præuaricatā; idq; abſq; vlla cōnotatione ad maculā; cū eam nō eſſet contractura 8. *Vltima ratio.*

Ex quibus ſatis videtur impugnatum Valentiæ fundamentum: nec video, quo modo illud deducat ex verbis D. Anſelmi: etenim Anſelmus non docet nos ideo peccaſſe in Adamo; quia noſtra præuaricatio ex eo habebat rationem præuaricationis; quia connotabat maculam illius à nobis eſſe contrahendam; quaſi comeſtio ſine tali connotatione non haberet rationem præuaricationis; ſed ſolùm docet ex eo, quod in Adamo præuaricati ſumus nos habuiſſe neceſsitatē & debitū, vt cū eſſemus, maculā illius peccati contraheremus. 9. *Concluſio contra Valentiam.*

ARTICVLVS VI. & Vltimus.

Vtrùm peccare in Adamo, formaliter ſit elicere cum Adamo actum præuaricationis, quo Adamus diuinam legem eſt præuaricatus?

SVpereſt expendenda vltima opinio art. 1. huius quæſtionis vltimo loco explicata, quam & probandam eſſe, & omnino tenendā exiſtimamus. Quare alijs omnibus opinionibus relictis, dici- 1.

mus,omnes in Adam peccaſſe,iuxta propriam verborum explicationem formaliter dicere; Adamo peccante omnes nos ſimul cum ipſo peccaſſe eandem cũ illo actionem inobedientiæ operando ; ita vt illa eadem numero inobedientiæ actio etiam fuerit noſtra, à nobis ſimul cum eo operata,& elicita; non quidem perſonaliter, ſed originaliter; quatenus ſcilicet Deo ita inſtituente Adamus erat nos omnes; & nos omnes eramus ipſe Adamus. Quem ſenſum ante annos pluſquã quadraginta ex Auguſtino collegimus,& ex eodem ſtatim colligemus. Hunc ſenſum probauit *inſignis Didacus à Paiua Conimbricenſium decus lib.5.defenſionis Tridentinæ fidei fol.305.pag.2. & fol.306. pag. 1. in principio*: *Eodem modo Paulum explicauit Albertus Pighius in controuerſijs Ratiſponenſibus controu. 1. de peccato origin li, pag.30. §. Relinquitur ergo vnicum illud eſſe peccatum. Catharinus in tract. de caſu hominis,& peccato originali cap.8.pag.183. & 184. & cap.10. pag.191. §. Vnde etiam quartò: doctiſsimè Ruardus Tapper in articulis Louanienſibus art. 1. de peccato originali,§. Quia vt diximus,pag.47.& 48:ſatis inſinuat Veiga lib.2. in Tridentinum cap.2. & poſt eos ita locum explicarunt Bellarminus in 2.controuerſia generali tom.3. lib. 5. cap. 18. in 1. propoſitione, Toletus ad Rom. 5. annot.16. vbi etiam Cornelius à Lapide verſ.12.n.289.290.& 291 pag.85.col.2. Suarius 2.tom.ad 3.p.diſp.3. ſect.2. pagina* 30.col.2. hanc opinionem refert,ſed non reprobat: eam tamen probat *D. Thomas in eodem loco Pauli lect.2.ante finem*,dùm ait Adamo peccante omnes in eo quodammodo peccaſſe, in quantum in eo erant ſicut in prima ſui origine, & poſt eum *Carthuſianus ibidem*: denique inter omnes Nouiores eſt explicatio receptiſſima.

Paiua. Pighius. Catharin. Ruardus. Veiga. Bellarm. Toletus. Cornelius. Suar. D.Thom. Carthuſia.

2. *Præmiſſũ.*

Pro maiori huius opinionis explicatione, præmittendum eſt, tanquam certiſsimum fundamentum,Deum, qui omnium hominum plenum habet dominiũ, in quocunque illi fuerint ſtatu, conſtituiſſe Adamum caput omnium ſuorum poſterorum,qui ab eo propagandi erant: in hoc autem ſenſu eum omnium noſtrũ conſtituit caput, vt & ipſe eſſet nos omnes; & vt nos omnes eſſemus ipſe. Quam Theologiam expreſſe theologizauit Auguſtinus, qui in pluribus ſuæ doctrinæ libris, non ſolùm docet nos omnes fuiſſe in vno Adamo(vt expreſſe ait *lib.4.contra duas epiſtolas Pelagianorum cap.4.*)ſed ita omnes nos in eo fuiſſe, vt nos omnes eſſemus ille ipſe vnus;& ex conſequenti vt ille vnus eſſet nos omnes:ita expreſſe ſcribit lib. 3. de peccatorum meritis c. 7. ita inquiens: *in Adam omnes tunc peccauerunt; quia adhuc omnes ille vnus fuerunt.*

Auguſt. Auguſt.

3.

¶ Hac autem ſuppoſita veriſsima Auguſtini Theologia,potuit Deus nos omnes obligare in Adamo, non ſolum vt vinceremus eo vincente; ſed etiam vt eo cadente, caderemus : cum enim plenum haberet dominium in homines, in quocunque illi fuerint ſtatu (vel actualiter in ſe ipſis exiſtentes, de quo nullum eſt dubium)vel adhuc exiſtentes in alio(potentialiter.ſ.& ſolum originatiuè)potuit ſuo præcepto omnes homines obligare, tum in ſe exiſtentes;tùm etiam in alio,in cuius generatiua virtute cõtinẽtur. Quare potuit Deus eodem præcepto, quo obligauit Adamum, ne ederet de ligno vetito, nos omnes adhuc in lumbis eius exiſtentes obligare,ne in ipſo Adamo de eodẽ vetito ligno ederemus: quin potius tali præcepto de facto nos obligauit; ita vt & Adamo & nobis in Adamo fuerit impoſitũ; ſub hoc pacto, vt Adamo obediente, nos etiam diceremur obedire, vt iuſtitiam originalem & gratiam nobis in Adamo promiſſam obtineremus: Adamo autem diuinũ præceptũ pręuaricãte, omnes nos in ipſo, quaſi vna cũ illo perſona idem præceptum præuaricaremur, maneremuſq; inuiſi propter tale peccatũ. Itaque cum ex diuina inſtitutione Adamus eſſet nos omnes, & nos omnes eſſemus ipſe Adamus, ideo peccante Adamo, nos etiam in illo peccauimus.

4. *Vera explicatio opinionis.*

Suppoſita hac Auguſtini veriſsima Theologia, iam patet explicatio, & vera cõfirmatio propoſitę opinionis: peccare. ſ. in Adamo vere & proprie eſſe in Adamo facere & elicere eandem diuini præcepti præuaricationem, & inobedientiæ: ita vt illa & fuerit Adami & noſtra, vt citati Theologi docuerunt.

Et

5. *Fuit Aug.* Et hanc fuiſſe communem Patrum explicationem facilè oſtendemus. Quod illa fuerit Auguſtini dubitari non poteſt, ſi diligenter perlegantur, quæ multis in locis Auguſtinus ſcribit: eam facilè colliges *ex lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 4.* vbi cōtra Pelagianos poſtquam docuit in illis verbis Pauli, *in quo omnes peccauerunt*, relatiuum *in quo* referre Adamum, vt ſit ſenſus; *in quo Adamo peccante, omnes peccauerunt*, ita ſcribit: *Quodlibet ergo eligant: aut in illo homine peccauerunt omnes, & ideo dictum eſt, quod quando ille peccauit, in illo erãt omnes:* quaſi dicat: ideò ex Paulo in Adamo omnes homines peccauerunt; quia quando ille peccauit, omnes erant in illo: quem ſenſũ clariùs explicat inferius in eodem capite inquiens: *Reſtat, vt in illo primo homine peccaſſe omnes intelligantur; quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccauit, vnde peccatum naſcendo trahitur.* Quibus verbis declarat tempus, quando omnes in Adamo peccauerunt: nec enim tunc peccauerunt, cum peccati maculam naſcendo contraxerunt, quia tunc iam non erant in Adamo, ſed in ſe ipſis; ſed tunc peccauerunt, quando in lumbis Adami originaliter erant: denique expreſſe ait, omnes tunc in Adamo peccaſſe, quando peccauit Adamus. *Auguſt.* Eundem ſenſum explicat *lib. 3. de peccatorum meritis c. 7.* ita ſcribēs: *non ſic dicuntur aliena peccata; quia ad paruulos non pertineant: quia in Adam omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura inſita, in qua eos generare poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt.* Idem explicauit *lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 27.* vbi præcitata
6. Pauli verba ideo paruulis accommodat; *quia paruuli non ſecundum vitæ ſuæ proprietatem; ſed ſecundum communem generis humani originem omnes in illo vno teſtamentũ Dei diſsipauerunt*, & inferiùs explicans illa verba Geneſ. 17: *Quia teſtamentum eũ diſsipauit*, ita ait: *Interibit anima illa de genere ſuo; quia teſtamentum eum diſsipauit, quando in Adam cum omnibus & ipſe peccauit.* Addimus verba Auguſtini 1. *de peccatorum meritis cap. 10.* vbi oſtendens *Auguſt.* peccatum, in quo omnes peccauimus, eſſe vnum, ita ait: *In quo omnes peccauerunt; quando omnes ille homo Adamus fuerunt.* Auguſtinus igitur vbique locorum Pauli ſententiam, *in quo omnes peccauerũt* conſtanter intelligit de peccato, quod Adamo peccante omnes in eo adhuc exiſtentes cum ipſo commiſimus; ita vt omnes peccaſſe in Adamo, non ſit aliud, quã omnes illud ipſum peccatum cōmiſiſſe, quod commiſit Adamus; quia ſcilicet ex diuino decreto omnes eramus ipſe Adamus, & Adamus erat nos omnes. *Verus ſenſus ex Auguſtino.* Eundẽ ſenſum explicauit D. Anſelmus in libro de conceptu virginali cap. 7. inquiens; *In Adamo omnes peccauimus, quando ille peccauit.* 7. *D. Anſelmus.* Denique eundem ſenſum probauere omnes illi Patres, qui docuerunt vniuerſam humanam naturam, id eſt, totam hominum vniuerſitatem diuinam legem in paradiſo fuiſſe præuaricatam: in eodem loco totam naturam â Deo defeciſſe: irritum feciſſe diuinum pactum: denique ibi cum Adamo concidiſſe, vt patet ex *Dionyſio de Eccleſiaſtica Hierarc. cap. 3. p. 3.* ex *Iuſtino in Dialogo cum Triphone, Tertulliano in lib. de Anima cap. 40. Cyrillo Ieroſolymit. Catech. 2. Hieronymo in cap. 6. Oſeæ, Fulgentio in lib. de Incarnatione cap. 15. Ruperto lib. 3. & 5. in Oſeam cap. 33. Iſidoro in Geneſ. cap. 13. in fine, Eucherio lib. 2. in Geneſ. cap. 24. Procopio in cap. 17. Geneſ. ad illa verba; quia pactum meum irritum fecit.* *Dionyſ. Iuſtinus. Tertull. Cyril. Ier. Hieron. Fulgent. Rupert. Iſidorus. Eucherius. Procopius.* Qui omnes vno conſenſu agnoſcunt omnes homines adhuc in Adamo exiſtentes peccante Adamo in paradiſo, & ipſos peccaſſe, ita vt Adami præuaricatio fuerit illius & noſtra: illius, perſonaliter; noſtra verò, originaliter; quatenus ſcilicet ille erat nos omnes; & omnes nos eramus ille, vt ſæpè docuit Auguſtinus.

QVÆSTIO II.

Vtrùm hæc propoſitio Pauli: Omnes in Adam peccauerunt *in ſua generalitate ſimpliciter ſit admittenda, vt de Fide?*

ANTEQVAM expendamus; an Virgo peccauerit in Adamo? præmittendum eſt, an hæc propoſitio Pauli: *Om-* 1.

nes in Adam peccauerunt abſolutè & ſimpliciter ſit concedenda. Agimus autem non de actuali contractione maculæ ex peccato Adami (hæc enim eſt alia quæſtio longè diſtincta, de qua lib.3. latè dicemus) ſed de peccato, quod adhuc in lũbis Adami exiſtentes in ipſo Adamo cõmiſimus. In hoc igitur ſenſu inquirimus; vtrùm propoſitio illa generaliter propoſita ſit abſolutè concedenda. In hac igitur quæſtione ita explicata nullam inueni apud Theologos controuerſiam; ſed omnes vnanimi cõſenſu eam ſimpliciter docent, & admittunt. Quare in hac quæſtione ſolum expendemus fundamenta, quibus confirmatur. Hoc igitur ordine procedemus, vt in primo articulo referamus Scholaſticos, qui eam ſimpliciter, & abſolutè admittunt. In ſecundo autem citabimus Patres, qui eã abſolutè docent. In tertio articulo expendemus; an, & ex quibus locis Scripturæ hæc propoſitio in ſua vniuerſalitate admittatur?

ARTICVLVS I.

Referuntur Theologi Scholaſtici, qui eam abſolutè probant.

1. *Theologi ſcholaſtici.* HAnc propoſitionem in ſua vniuerſalitate, vt indubitatam & ſimpliciter concedendam proponit Caietanus in Opuſculo de Conceptione Virginis c.3. tom.2. Opuſculor. tract.1. eandem tanquam tutiſsimum fundamẽtum proponit inſignis Paiua lib.5. defenſionis Tridentinæ ſynodi, fol.306. pag.1. in principio: Albertus Pighius in controuerſijs Ratiſponẽſibus, controuerſ. 1. de peccato originali, fol.30. Catharinus in tract. de caſu hominis, & peccato originali cap.8. pag.183. & 184. & c.10. §. *Vide & quarto*, pag.191. & lib.2. de Cõceptione Virginis cap.7. fol.29. doctiſsimus Ruardus Tapper in articulis Louani. ar.1. de peccato originali, §. *Et quia vt diximus.* fol.47. & 48. ſatis Veiga lib. 2. in Tridentinum c. 2. Turrianus in epiſt. de peccato orig. fol.44.53. & 59. Martinus de Martines in hypotheposio c. 3. pag.452. in fine, Mayronius in 3. diſt. 3. q.2. art 10. Palatius ibidem diſp. 1. ad 1. & 2. argumentum, pag.47. col.2. & pag. 48. col.1. & in 2. diſt.33. diſp.2. concl.1. pag.317. Didacus de Stella in cap.2. Lucæ, fol.124. col.1. eleganter Bellarminus lib.4. de ſtatu peccati cap. 16. pag. 250. §. *Iam igitur quod attinet ad primum.* tanquam certiſsimum ſupponit Suarius 2. tom. ad 3.p. diſp.3. ſect.2. Cordubenſis lib.1. quæſtionar. q.10. poſt principium, & inferius pag.116. col.1. §. *Ideo ad primam rationem*, Sotus 1. de natura & gratia cap.7. & 9. Canniſius lib. 1. de Maria Deipara cap.5. ad finem, pag.55. Benedictus Pereira ad Rom. cap. 5. diſput. 8: Toletus ibidem annot. 16. & ante iſtos omnes idem docuit D. Thomas de malo q.5. art. 2. ad 4. & ad Rom.5. ad præcitata verba, vbi etiam Caietanus, & alij interpretes: affirmat Carthuſianus in cap. 6. Oſeæ art. 13. vt innumeros alios Scholaſticos omittamus, quos poſſemus referre. Quare propoſitio iſta, *Omnes in Adamo peccauerunt*, apud Theologos ſcholaſticos, & ſacræ Scripturæ interpretes in ſua vniuerſalitate ſimpliciter eſt indubitata, & abſolutè admittenda.

ARTICVLVS II.

Oſtenditur eam apud Patres ſimpliciter eſſe receptam.

SEcundo ex eo confirmatũr præfata vniuerſalis propoſitio, quia ſub illa vniuerſalitate docetur à Patribus. 1. *Referũtur Patres.*
Eam in eadem vniuerſalitate ſæpiſsimè refert Auguſtinus: nam lib.3. de peccatorum meritis cap.7. ita ait: *Nec illud liquidè dici poteſt, quod peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cum Scriptura dicat in quo omnes peccauerunt: nec ſic dicuntur iſta aliena peccata, tanquam omnino ad paruulos non pertineant; ſiquidem in Adam omnes tunc peccauerunt; quando in eius natura illa inſita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt.* Et lib. 1. de peccatorum meritis cap.10. ſic habet: *Certe manifeſtum eſt alia eſſe propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata ſunt: aliud hoc vnũ, in quo omnes peccauerunt, quãdo omnes ille vnus homo fuerũt.* In lib. de Ciuitate Dei c. 27. agẽs de *Auguſt.*

paruu-

paruulis, & oſtendens eos teſtamentum Dei diſsipaſſe ita ſcribit: *Niſi quia etiam paruuli non ſecundum vitæ ſuæ proprietatē, ſed ſecundum communem generis humani originem* (Adamum intelligit) *omnes in illo vno teſtamentum Dei diſsipauerunt, in quo omnes peccauerunt.* In 1. lib. retract. cap. 10. agens contra Pelagianos, ita ait: *Non intuentes, ideo paruulos, qui vtique pertinēt ad humanam naturam, trahere originale peccatum: quia in primis hominibus natura humana peccauit: ac per hoc naturæ humanæ nulla nocuere peccata, niſi ſua:* vbi per naturam humanam intelligit omnium hominum vniuerſitatem in ſenſu Theologico, vt diximus. Item lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 4. poſtquā oſtendit illud relatiuum *in quo* non poſſe referre, niſi Adamum, concludit: *Reſtat vt in illo primo homine peccaſſe omnes intelligantur.* Idem lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ita ſcribit: *Sunt igitur omnes homines* (*quandoquidem vt Apoſtolus ait in Adam omnes moriuntur, à quo in vniuerſum genus humanum origo dicitur offenſionis Dei*) *vna maſſa peccati,* ex quibus Auguſtini locis euidenter conſtat propoſitionem iſtam, *Omnes nos in Adamo peccauimus*, ſimpliciter prolatam apud Auguſtinum eſſe indubitatam.

2. *Hilarius.* Idem docuiſſe Hilarium affirmat Auguſtinus in d. cap. 4. vbi ex illo hæc adducit verba: *In quo. i. in Adā, omnes peccauerunt: manifeſtum itaque eſt in Adam omnes peccaſſe, quaſi in maſſa.* Quæ verba apud Hilarium non inueniuntur: forte fuerūt in aliquo libro Hilarij: qui iam non extat. Eandem etiam veritatem docuit Ambroſius, vel doctor aliquis Ambroſio cōtemporaneus in quo præcitata verba inueniuntur. *Origenes.* Accedat etiam *Origines libr. 5. in Epiſtolam ad Romanos vbi pag. 619.* Explicans præcitata Pauli verba ita ſcribit: *Sed videamus quomodo in omnes pertranſit mors: in quo omnes* (*inquit Paulus*) *peccauerunt: abſoluta ſententia pronuntiauit Paulus in omnes homines mortem pertranſiſſe peccati in eo, in quo omnes peccauerūt.* *Hieroym.* Agit autem de Adamo. Adde D. Hieronymum in cap. 6. Oſeæ ita ſcribentem: *Et hoc eſt in Paradiſo, omnes peccauerunt in me:* in Paradiſo autem præuaricari nō poteramus, niſi quia omnes in Adam peccauimus. Vnde idē Hieronym. in cap. 2. Micheæ ait: *Vnuſquiſq; noſtrum, cū Adam de Paradiſo cecidit, & in huius mundi captiuitate verſatur.* Cecidimus autē de Paradiſo cum Adamo, quia eo peccante nos etiā peccauimus, & cum eo à Paradiſo expulſi ſumus.

In eodem ſenſu intelligendus eſt Dionyſius *de Eccleſiaſtica Hierarchia capit. 3.* 3. *Dionyſius* parte tertia, dum ait: *Naturam humanam initio prolapſam à vera bonitate defeciſſe, & ſacram legem fuiſſe præuaricatam, & à recto itenere. i. à Deo auerſā.* Quæ verba ſatis indicāt naturam humanam initio peccaſſe: nomine autem humanæ naturæ in ſenſu Theologico intelligi omnes homines non eſt dubium: de ea enim natura humana agit Dionyſius, quæ fraudibus aduerſarij cadens vitale excuſsit iugum: ita enim ſcribit: *Humanam naturam initio ſtolide à diuinis beneficijs prolapſam, obnoxiā paſsionibus varijs vitam ſuſcepit, & mortis corruptibilis fines: quippe pernicioſa illa à vera bonitate defectio, & ſacræ in Paradiſo legis præuaricatio, eam, quæ ſponte ſua blande mulcentibus, atque infeſtis aduerſarij fraudibus, cadens vitale excuſſerat iugū his, quæ ſunt diuinis contraria, tradidit.* Et paulò inferius agens de natura humana inquit: *Oberrans, & à recto itinere ad eum, qui veratiter Deus eſt, tendente auerſa.* Quibus verbis ſatis docet Magnus Dionyſius naturam humanam .i. totam hominū vniuerſitatem in Paradiſo initio peccaſſe: peccare autem in Paradiſo non potuit, niſi in ipſo Adamo, qui cum eſſet omnium hominum origo, erat omnes homines.

Clarius id expreſsit Iuſtinus Martyr *in Dialogo cum Triphone*, dum affirmat 4. *Iuſtinus Martyr.* humanum genus, & ſubinde vniuerſam hominum multitudinem per Adamum, non ſolum in mortem; ſed etiam in fraudem ſeductionemque concidiſſe: ita vt Adami caſus fuerit omnibus hominibus communis: agens enim de cauſa aductus filij Dej, ita ait: *Sed humani generis cauſa venit, quod per Adam in mortem, & fraudē ſerpentis conciderat; vt interim propriam pro ſe maligni agētis cuiuſque culpam taceā.* Quibus verbis explicat cauſam Domi-

mici aduentus, non ſolum fuiſſe propriā ciuſque hominis culpam: ſed culpam cō munem totius generis humani, quam peccante Adamo, omnes commiſimus.

5. *Irenæus.* Irenæus.*lib.5.c.17. teſtatur omnes per lignum factos eſſe Deo debitores*: per lignū inquam, i. per comeſtionem ligni vetiti, cuius fructum, Adamo comedente, omnes comedimus. *Tertullia.* *Tertullianus in lib. de Anima ca.*40. aſſerit *omnem animam immundā & peccatricem in Adamo cenſeri*. Cyprianus l.3. Epiſt.8. ad Fidū ait: *Infantē nihil peccaſſe, cum naſcitur; ſed contrahere contagium antiquæ mortis*, id eſt peccati antiqui Adami. *Athanaſ.* D. Athanaſius in ſerm. ad illa verba, *Omnia mihi tradita ſunt* apertè affirmat *lapſum Adami omnes perturbaſſe, & ob id mortem in omnes inualuiſſe*. *Cyrillus Hieroſol.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſ.* 2. poſtquam dixit Adamum peccato fuiſſe pulſum à Paradiſo ait, *Omnes tunc cecidiſſe*. *Nazianz.* Nazianzenus *in Orat. de pace, & in ſecundo, in ſanctum Paſcha* diſertis verbis fatetur *ſe ex primigeni hominis obedientia totum fuiſſe lapſum, & condemnatum.* Idem affirmat de omnibus alijs hominibus. *Chryſoſto.* Chryſoſtomus in homil. ad Neophitos *chirographū Adami appellat noſtrum* per chirographū autem intelligit peccatum Adami. *D. Berna.* D. Bernardus ſerm. 1. poſt octauā Epiphaniæ ait: *Adami culpa noſtra eſt; qui, & ſi in alio, nos tamen peccauimus.* Rupertus Abbas lib 3. in Oſeam poſt principium pag. 47. col. 2. ad illa verba *ibi præuaricati ſunt in me*, ita ſcribit: *Ibi inquam id eſt in Adamo: non ne in Adam præuaricati ſunt? quia per Apoſtolum, per vnum hominem peccatū intrauit in mundum, & per peccatum mors:* idem affirmat lib.5. in Geneſ. cap.35. & ibidem *Eucherius lib.2. cap.24. & Procopius Geneſ. cap.*17. ad illa verba; *Quia pactum meum irritum fecerunt.* *Eucherius. Procopius.* ¶ Ex quibus patet hanc propoſitionem *Omnes in Adā peccauerunt* abſolute prolatā ab omnibus Patribus eſſe vſurpatam.

ARTICVLVS III.

Efficaciter deducitur ex Paulo ad Rom.5. in illis verbis per vnum hominem, & cæt.

TErtio loco eadem propoſitio in ſua vniuerſalitate deducitur ex varijs ſacræ Scripturæ locis. Primus locus habetur apud Paulum ad Roman. 5. 1. *Deducitur ex Paul. ad Rom.5.* *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt*, in quibus verbis relatiuū *in quo* refert Adamum, vt ſit ſenſus: *In quo Adamo omnes peccauerunt.* Ita interpretatur Auguſtinus *lib.4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap.4.* *Auguſtin.* vbi poſtquam oſtendit illud relatiuum *in quo* nec poſſe referre peccatum, quod per Adamum dicitur in mundum intraſſe; quia reſiſtit vox ἁμαρτια quæ eſt fœminini generis, cū tamen relatiuum ſit generis maſculini, & in eodem genere ponitur in græco vbi ita habetur relatiuum ᾧ, quod eſt maſculinum, nec ſimiliter referre poſſet mortē, quæ per peccatum dicitur in omnes trāſiiſſe, quia faceret ſenſum omnino abſurdum: nec enim dicimus homines in morte peccare, ſed in peccato mori: impugnās inquam, Auguſtinus præcitatos ſenſus, *Auguſtin.* ita concludit: *Reſtat igitur, vt in illo primo hominē peccaſſe omnes intelligantur*: quam interpretationem latè etiam probat libr. 1. de peccatorum meritis capit.9. & 10. Eodem modo interpretatur Hilarius teſte Auguſtino in dicto cap:4. à quo candem interpretationē deſumpſit Author Commentariorum in Epiſtolas Pauli, quæ D. Ambroſio tribuuntur: ita enim habent verba Hilarij. *In quo. i. Adamo, omnes peccauerunt: manifeſtum itaque eſt in Adam omnes peccaſſe quaſi in maſſa.* Eodē modo interpretatur Chryſoſtomus *ſerm. 10. ad Rom, & Theophylactus*, ibidem; *Chryſoſto. Theophyl.* quāuis vterque verbum *peccauerunt* aliter interpretetur, quam cōmuniter explicari ſoleat: tamen in hoc vterque conuenit vt relatiuum *in quo* referat Adamū: quod etiam colliges ex Chryſoſtomo homilia 1. de Lapſu primi hominis in medio. *Chryſoſt:* Concinit D. Anſelmus in eodem loco, ſi ille eſt Author illorum Commentariorum. Conſentit etiam *Origenes lib.5. in Epiſtol. ad Roman*: adde Theodoretum, & Oecumenium in eadem Pauli verba. *Origenes.* Denique eſt communis illius loci explicatio omnium Patrum Latinorum, & Græcorum,

vt

Pereira. D. Thom. vt affirmat *Benedictus Pereira in d. cap. 5. ad Roman. diſp. 8. n. 44. probant D. Thomas, Caietanus; Sotus, & omnes Nouiores interpretes*: vt omittamus Scholaſticos, quos ſuperius citauimus.

2. Etiã deducitur in alio ſenſu. Quod ſi volueris illud relatiuum *in quo* non ad Adamum referre, ſed ad peccatum Adami: (quæ explicatio non omnino diſplicet Auguſtino) adhuc ex eiſdem verbis noſtra conuincitur reſolutio: nec enim omnes in illo vno Adami peccato peccare potuimus; niſi quatenus ita eramus in Adamo, vt omnes eſſemus ille ipſe Adamus: quare ſi illo peccato cum Adamo omnes peccauimus; vtique in Adamo, omnes peccauimus illud ipſum peccatum.

3. Deducitur ex 3. ſenſu. Quin potius eadem veritas neceſſario colligitur ex eiſdem verbis, ſi idem ſit *in quo* atque *eo quod* ſiue *propterea quod*, quam explicationem non eſſe à Sacris literis alienam latê oſtendimus in noſtro tractatu de peccato originali; vnde (licet literæ græcæ non conueniat) facilè admitti poteſt; dummodo verba ſequentia: *Omnes peccauerunt*, explicentur non de peccato per imitationem commiſſo, & tranſuſo, vt Pelagiani interpretantur: quos in hoc damnauit Tridentinum Seſſ. 5. Can. 3. de peccato originali: ſed de peccato originaliter commiſſo, & per originem traducto, vt definit Tridentinum loco citato. Vnde verba illa *in quo* explicat de peccato Clemens Alexandrinus *lib. 3. Stromatum, pag. 99.* & Oecumenius, & alij: in quo ſenſu veritas noſtræ aſſertionis adhuc euidenter colligitur: nam ſi mors per peccatum in omnes intrauit, eo quod omnes in Adamo peccante peccauerunt, non imitatione, ſed origine: vtique omnes in Adamo peccauerunt. Quare quocunque modo Pauli locũ interpreteris, dummodo in ſenſu Catholico illum intelligas; ſemper ex illo euidẽter colligitur omnes in Adamo peccaſſe.

Clemẽs Alexandrin.

ARTICVLVS IIII.

Efficaciter deducitur ex Paulo ad Roman. 5. nam iudicium quidem ex vno, & cæt.

SEcundus locus ſumitur ex alijs verbis Pauli in dicto cap. 5. ad Roman. *Si enim vnius delicto multi mortui ſũt:* & ex illis; *Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem.* Ex illis item: *Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Denique ex illis: *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Ex quibus omnibus locis non inepte colligitur omnes in Adamo peccaſſe, ſi aduertamus Paulũ ab illis verbis: *Sed non ſicut delictum, ita & donum,* conferre peccatum Adami, quo nos omnes perdidit, cum dono gratiæ Chriſti; qua omnes ſaluauit; vt ita oſtẽdat longe copioſiorem, & potentiorem fuiſſe gratiam Chriſti ad ſaluandum homines; quam fuerit peccatum Adami ad eos perdẽdum; perditione tum peccati, tum mortis, vt benè aduertit Caietanus ad illa verba, *In omnes homines in condemnationem:* etenim Paulus nomine condẽnationis intelligit condemnationem, tum peccati ſiue culpæ; tum mortis, cuius reatum per culpã Adami, omnes incurrunt. Et iſte ſenſus ſatis euidenter patet ex contrapoſitione vtriuſq; ita enim ait *Nam iudicium ex vnô in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem.* Et rurſus: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Adde etiam illa verba: *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita etiã per vnius obeditionem iuſti conſtituuntur multi.* Conſtat igitur Paulum contraponere cõdemnationem ex peccato Adami, iuſtificationi ex obedientia Chriſti, vt intelligamus Paulum nomine condemnationis, & mortis comprehendiſſe, tum reatum mortis; tum etiam (& principalius) culpam peccati, in quo reatus fundatur. 1. Caietanus.

2. applicatur cõfirmatio. Ex quo fundamento iam euidenter patet cõfirmatio noſtræ aſſertionis ſumpta ex præcitatis Pauli verbis: & primũ ex illis: *Si vnius delicto multi mortui ſunt:* multi inquam id eſt omnes, vt explicauit Auguſtinus 6. contra Iulianum cap. 12. & eſt communis, imò Catholica explicatio; non ſolum quia Sacra Scriptura multos pro omnibus ſæpiſsimè ponit, vt do-

cet Auguſtinus 20. de Ciuitate Dei cap. 23. ſed etiam quia Paulus, quos hic appellat *multos* ſtatim appellat *omnes* inquiens: *Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem*: vt omittamus ſimilem Pauli locutionem, & ſententiã 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriũtur*, ſenſus igitur verborum Pauli eſt: *Si vnius delicto omnes mortui ſunt*, cum vero ex ijs, quæ ſuppoſuimus iam conſtet Paulum agere de vtraque morte, corporis, inquam, & animæ per peccatum, & culpam; ob quam reatum mortis corporalis omnes incurrimus; ſenſus illorum verborum erit: *Vnius delicto omnes, & corpore, & anima mortui ſunt*: quem ſenſum ſatis oſtendunt verba, quæ conſequũtur, quibus Paulus Chriſtum contraponit Adamo inquiens: *Multo magis gratia Dei & donum in gratiam vnius hominis IESV Chriſti in plures abundauit*, idque in iuſtificationem, & iuſtitiam, vt Paulus in ſequentibus explicat dicens: *Gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem*. Iam vero iuſtificatio, & iuſtitia nõ reſpicit mortem corporis, ſed animæ per culpam. Quare indubitatum eſt Paulum affirmare delicto vnius Adami omnes homines, & anima, corpore mortuos fuiſſe. Quo ſuppoſito inquiro: quomodo vnius delicto omnes homines ſecundum animam ſint mortui? vtique nihil aliud reſponderi poterit, niſi quia omnes in Adamo mortui ſumus, vt idem Paulus explicauit. 1. Corint. 15. in illis verbis: *Sicut in Adam omnes moriuntur*, iam vero peccato Adami non poſſunt omnes eſſe mortui, niſi quia Adamo peccante, omnes in eo peccauerunt.

3. *Deducitur ex verbis poſitis 2. loc.*

Idem etiam dedúcitur ex verbis ſecundo loco poſitis: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem*: ſenſus enim eſt: ſicut per vnius delictum redundauit culpa, vt condemnarentur iuxta verba ſuperius poſita: *Per vnius delictum intrauit peccatum in Mundum, & per peccatum mors.* Quomodo autem delictũ, & culpa Adami in omnes redũdauit: niſi quia in eo omnes peccauerunt? etenim niſi Adami culpa eſſet omnium culpa nõ poſſet in ſingulos culpa cuique propria propagatione redundare. Quod clarius

Deducitur ex verbis poſitis. 3. loc.

explicarunt verba tertio loco poſita: *Sicut per inobedientiã vnius hominis peccatores cõſtituti ſunt multi*: nec enim admittẽda eſt explicatio Chryſoſtomi *Homilia 10. ad Roman. quam ſequitur Theophylactus*; *vt idem ſit multi conſtituti ſunt peccatores*, quod multi obnoxij ſunt ſupplicio & reatui mortis corporalis, nam licet nomen *Peccator* in ſacris literis interdum ſumatur pro obnoxio, & reo vltimi ſupplicij, vt patet 3. *Reg. 1. erimus ego, & filius meus Salomon peccatores*, ideſt rei mortis: tamen in eiſdem ſacris literis fere ſemper *Peccator*, nihil aliud ſignificat, quam peccato inquinatum: maximè apud Paulum, vt benè aduertit *Pereira diſp. 15. in cap. 5. ad Roman. num. 68. pag. 632*: & in hoc loco non poteſt non accipi in hoc ſenſu, vt euidenter probat contrapoſitio Pauli: *Sicut per inobedientiã vnius peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituuntur multi*: vbi ſicut inobedientia Adami contraponitur obedientię Chriſti; ita peccator contraponitur Iuſto, vt quos Adami inobedientia coſtituit peccatores, eos Chriſti obedientia conſtituat iuſtos, iuſtitia peccato contrapoſita. Iam verò iuſtitia, qua per Chriſtũ cõſtituti ſum⁹ iuſti, nõ opponitur reatui mortis; nã huic reatui poſt adeptã iuſtitiã adhuc ſubijcimur, & illa iuſtitia opponitur iniuſtitiæ, & coinquinationi peccati, vt ex ſe patet. Quare iuxta cõmunẽ omnium expoſitionem (Chryſoſtomo, & Theophylacto exceptis) nomine peccatoris intelligitur iniuſtus, & culpa coinquinatus, vt ſit ſenſus per vnius delictũ omnes homines conſtituti ſunt iniuſti, & macula veræ culpæ immundi: etenim omnis anima in Adamo cenſetur immunda; & peccatrix, vt dixit *Tertullianus in lib. de Anima cap. 40.* Quare ſi inobedientia, & culpa Adami omnes conſtituti ſumus peccatores (*multi* enim eo in loco idem eſt quod omnes, vt iam oſtendimus:) peccator autem nullus conſtituitur, niſi peccato, quod ipſe aliquo modo peccauit, vt inter omnes conſtat: ſit; vt Adami peccatum ſit etiam noſtrum omnium peccatum, quo omnes peccatores, & immundi facti ſumus.

3. Reg. 1.

Pereira,

Tertullia.

AR-

ARTICVLVS V.

Non deducitur efficaciter ex verbis 1.Cor. 15. Sicut in Adam,& cæt.

1. *Quorundã opinio.* TErtius locus à quibuſdam adducitur ex Paulo 1.Corinth.15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Quem locũ volunt intelligi de morte peccati,ſicut de eadem morte intelleximus verba ad Roman. 5. *Sicut vnius delicto omnes mortui ſunt.*

2. *Non placet.* Sed cum Paulus in hoc loco ſolũ agat de reſurrectione mortuorũ,quç eſt viuificatio ad vitã corporis: verba illa ad mentẽ Pauli ſolũ intelligũtur de morte corporali, ſicut etiã ſequentia ſolum intelligũtur de reſurrectione corporis ad vitam æternam, quæ ſola eſt dicenda vita: licet enĩ impij ſint corporaliter reſurrecturi; non tamen reſurrecturi ſunt ad vitã æternam, ſed ad æternam mortem: vnde illa Pauli verba ad noſtrum inſtitutum adduci non poſſunt; cum communiter explicentur de ſola morte corporis, vt patet *August.* ex *Auguſtino Epiſt.28. & Epiſt. 89. q. 3. & lib.20. de Ciuitate Dei cap.20. & ex cæteris Patribus,& interpretibus.*

3. *Soluitur obiectio.* Nec obſtat locus ex cap.5.ad Roman. quoniam Paulus ibi conferebat damna per Adamum nobis illata, cum beneficijs gratiæ collatæ nobis per Chriſtum: vnde illa verba: *Si vnius delicto omnes mortui ſunt:* non poſſunt accomodate intelligi de ſola morte corporis, ſed de vtraq; corporis inquam,& animæ: etenim beneficium gratiæ vtramque mortem deleuit. At tamen Paulus. 1.Cor.15. Solum conferebat Adamum cum Chriſto,quoad vitam corporis glorioſi, quam Chriſtus nobis præſtat ad reparandã,& delendam mortem coporis, quam per peccatũ Adami incurrimus.

ARTICVLVS VI.

Nec ſatis efficaciter deducitur ex verbis Pſalmi 118. Præuaricantes reputaui,&c.

1. *Pſal.118.* IN huius etiam veritatis confirmationem Auguſtinus ſumit argumentum, ex verbis Pſalm. 118. *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ:* quæ verba ideo quia ſunt generalia, videtur comprehendere etiam paruulos: vnde Propheta illos appellat præuaricatores, & trãſgreſſores legis diuinæ,quam Deus in Paradiſo Adamo impoſuit: hanc enim legem paruulos fuiſſe tranſgreſſos multis in locis putat *Auguſtinus in eodem loco conc.25 & lib.16. de Ciuitate Dei cap.27. & lib.3.contra Iulianum cap.12. & lib. 2. de nuptijs, & concupiſcentia cap.11:* paruuli autem nulla alia ratione dici poſſunt legem illam violaſſe, niſi quia Adamo in Paradiſo eam violante,& ipſi in Adamo eandem violauerunt. *Opinio Auguſt.*

Sed tamen licet locus iſte propter tanti Patris authoritatem noſtram veritatẽ probabiliter confirmet: non tamen efficaciter: nam verba illa intelligenda eſſe de adultis legem Dei actualiter præuaricantibus ſatis colligi poteſt, tum ex intẽtione Prophetæ in illo 15.Octonario: tum ex verſiculis antecedentibus: conſtat enim inter omnes Prophetam huius Pſalmi authorem viginti duobus octonarijs iuxta totas Alphabeti literas efformare, & repræſentare iuſtum diuinæ legis amantiſſimum; cuius obſeruationem inſtantiſsimẽ precatur. Conſtat etiam in octonario15.(in quo verſiculus ille continetur) primum explicari odium erga iniquos, ob eam præciſe rationem, quod diuinam legem non obſeruent: quæ explicatio incipit ab illo verſiculo iniquos odio habui,à quo incipit octonarium 15. Deinde implorat Deum in adiutorem ſibi,& defenſorem, vt & ſuæ infirmitati præbeat adiumentum, & ab iniquorum impetu defenſionem. Tertio rationem reddit cur, & iniquos odio habeat,& diligat Dei legem; idque in illis verſiculis: *ſpreuiſti omnes diſcedẽtes à iudicijs tuis,quia iniuſta cogitatio eorum: præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ,ideo dilexi teſtimonia tua:* ſenſus enim eſt cum tu Domine ſpernas omnes,qui à lege tua diſcedũt, eo quod videas ſuarum cogitationum iniuſtitiam: ego quoque meum iudicium cum tuo conformans omnes peccatores terræ reputaui prçuaricantes: & ideo tua teſtimonia dilexi, & tuam legem. 2. 1. & 2. ratio. 3. *Ratio.*

Ex quibus iam patet verba illa intelli- 3.

genda eſſe de adultis, qui viuentes in terra diuinam legem præuaricabantur: agit enim de illis peccatoribus, quos ſuperius poſtulauit, vt à ſe diſcederet in illis verbis: 1.*Ratio.* *Declinate à me maligni*: quæ non poſſunt intelligi de infantibus: nam ideo malignos à ſe declinare precatur, quia impedimento ſibi erant, ne liberiùs, & expeditius ſcrutaretur mãdata Dei: quod impe- 2.*Ratio.* dimentum infantes non præſtabant. Præterea de illis peccatoribus agit quos in verſiculo immediatè præcedente dixerat eſſe ſpretos à Deo, & cõculcatos: hos autem eſſe non infantes, ſed adultos ſatis ſuadet ratio ibidem adducta, *Quia iniuſta cogitatio eorum*: cum tamen cogitationes infantium tales non ſint, cum ex iudicio 3. *Ratio.* & deliberatione non procedant. Accedit tertio, quia verſiculus iſte expreſſe loquitur de peccatoribus terræ: *Præuaricãtes* (inquit) *reputaui omnes peccatores terræ*: iam vero ille propriè dicitur peccator terræ, qui habitans in terra, & propriam vitam degens in ea, peccat: tales autem non ſunt infantes: quoniam illi quanuis in Adamo exiſtentes peccauerint; non tamen peccarunt in propria perſona in terra degentes.

4. 4.*Ratio.* Denique verſiculum illum intelligendum eſſe de ſolis adultis, euidenter conſtat ex litera Hebraica, quæ ita habet, *Tanquam Scorias ceſſare feciſti, atque ſuſtuliſti omnes peccatores terræ*, vt patet ex Caieta. & Genebardo: ſumitur autem metaphora ab aurifice, qui auri, vel argenti ſcorias igne diſiungit ab argẽto, & auro; ita Deus igne auferet, & ceſſare faciet omnes peccatores, & impios terræ: quod infantibus non conuenit; quia igne non ſunt puniendi. Non eſt igitur, quod ab illis verbis Pſalmi ad confirmandam noſtram Catholicam veritatem argumentum ſumamus.

ARTICVLVS VII.

Nec ſumitur argumentum ex cap.6.Oſeæ Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt.

1. *An ex verbis. Oſeæ.6.*

NEc etiam ſumitur argumentum ex verbis poſitis Oſeæ 6. *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum; ibi præuaricati ſunt in me*, quanuis D. Hieronymus in eodem loco putet Deum explicare Iſraelitis peccatum originale, quo in Paradiſo præuaricati ſunt contra Deum, quando Adamus peccauit: vnde illud aduerbium *ibi* ita explicat, vt denotet Paradiſum, vt ſit ſenſus: in Paradiſo cum Adamo ſunt præuaricati, &c: Quam explicationem etiam probat Rupertus *lib.3. in Oſeam poſt principium pag.* 47. *col* 2. vbi ex his verbis probat omnes in Adamo peccaſſe. Idem *ſentit Carthuſianus in eodem loco, & Vega lib.2. in Tridentinum cap.2.* *Opinio Hieronym.* *Rupert.*

Sed quanuis ex his verbis veritas iſta cum aliqua probabilitate deducatur (ad hoc enim ſatis eſt hoc placuiſſe Hieronymo, & Ruperto) ex illis tamen efficaciter non deducitur, nec ſufficienti cum probabilitate: quia verbum illud *Adam* non ſumitur pro primo parente; ſed eſt nomen appellatiuum, & commune ſignificans hominem, vt volunt fere omnes Græci, & cum illis *Theodoretus, & Theophylactus*: quæ explicatio ſatis conſentit cum verſione 70, quæ ita habet: *Ipſi autem, ſicut homo, tranſgreſſi ſunt pactum meũ* & eſt ſenſus *ipſi ſicut ſolent homines &c.* vt nomẽ ſingulare ſumatur pro plurali. Cui explicationi fauet paraphraſis Chaldaica, quæ locum ita vertit: *At ipſi, ſicut generationes priſcæ &c.* quæ verba ſatis indicãt *Adam* eo in loco non ſumi pro primo parente, vt ſit nomen proprium, ſed ſit nomen commune, & appellatiuum. Iuxta hanc explicationem aduerbium *ibi* non poteſt referre locum Paradiſi, in quo primus homo in Deum eſt præuaricatus. 2. *Non recipitur.* *Theodoret. Theophyl.* *Paraphraſ. Chaldaica.*

Deinde; quanuis *Adam* ibi ſumatur pro primo parente (quæ eſt communis explicatio cum *D. Hieronymo, & Cyrillo*) ad huc non omnes admittunt aduerbium *ibi* referre Paradiſum; ſed terram promiſsionis inter omnes optimam: in qua Iudæi (ſiue potius Prophetæ, de quibus Deus ibidem loquitur) diuinam legem à Deo illis datam ſunt præuaricati: quam explicationẽ expreſſe probat paraphraſis Chaldaica, quæ ita habet: *At ipſi, ſicut generationes priſcæ tranſgreſſi ſunt pactum meum: & in terra bona, quam dedi eis, vt ibi exequerentur voluntatem meam, præuaricati* 3. *2.Ratio & vera explicatur.*

Ribera: Ariaſmōt. Bellom.

ricati ſunt in verbū meum. Quam explicationem probarunt *Ribeira, & Arias Mōtanus, & ſatis Lyranus in eodem loco, cum Bellom. 1.2. diſp. 130. c. 2. n. 12, & 13.* quæ etiā mihi plurimū placet, quoniam cū antecedētibus & cōſequentib⁹ maximè cōſentit: quod latius oſtendere nō eſt huius loci: nam quæ diximus, ſatis ſunt, vt oſtendamus ex his verbis non poſſe ſumi argumentum, quo probetur omnes in Adamo peccaſſe.

ARTICVLVS VIII. & Vltimus.

An præcitata veritas deducatur ex verbis Geneſ. 17. Maſculus cuius præputij caro, &c.

§. 1.

Prima opinio explicat de pacto inito cū Adā.

1. *De verbis Geneſ. 17.*

VLtimo loco ad confirmandam noſtram veritatem adducit Auguſtinus verba Gen. 17 *Maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit.* Quæ verba interpretatur *Auguſtinus* de lege Adamo impoſita in Paradiſo, ne de ligno ſcientiæ boni, & mali ederet: cum Auguſtino conſentiunt *Fulgentius in lib. de Incarnat, c. 15. Iſidorus in Geneſ. c. 13. in fine: Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap. 33. Eucherius lib. 2. in Geneſ. c. 24. non diſplicet* Procopio in eiſdem verbis: placet *Gloſſæ interliniari ibidem: probat Diuus Thomas in eodem loco cum Abulenſi.*

Auguſt. Fulgent. Iſidorus. Rupert. Eucher. Procopius. Gloſ. D. Thom. Abulenſ.

§. 2.

Probabilius eſt verba intelligi de pacto inito cum Abrahamo.

2. *Non probatur.*

SEd quamuis propter tantorum Patrum authoritatem locus probabiliter ita exponi valeat: ſi tamen diligēter expēdatur, nec exponi poteſt de præcepto impoſito Adamo, nec vt infantes comprehendat, ſed de ſolis adultis, & de pacto circunciſionis, quod Deus in eodē capite pepigit cum Abrahamo, & illius poſteris: quod multis cōfirmat *Benedictus Pereira in eodem loco, & Vaſq. Bellomont. 1. to. ad 1. 2. diſp. 130. c. 2. n. 6. cum ſequentibus, & Yſtella in eodem loco n. 21. 22. & 23. & ſatis placuit Caietano ad eadem verba.*

Pereira. Bellom: Yſtella. Caietan.

Quæ explicatio ſine vlla eſſet dubitatione, ſi verbū, *Circuncido* nō legatur paſſiue, ſed actiue his verbis: *maſculus, qui carnem præputij ſui non circunciderit, &c.* quo modo habet editio ſyriaca, imò etiam hebraica, vt teſtatur *Diodorus Tharſenſis*, D. Chryſoſtomi magiſter, & poſt eum Procopius in eodem loco: etenim verbū, *non circūciderit*, cū actionem voluntariā ſignificet, præſtādam, vel per ſe, vel per aliū de illius conſenſu, & iuſſione, nō poteſt comprehendere infantes, ſed ſolos adultos; quibus merito pæna imponitur, quoniam pactū cum Abrahamo initum fregerunt: vnde Hugo de S. Victore ad illū locum cenſet paruulum, tunc puniendū eſſe pęna ibi impoſita, cū ad vſum rationis veniens non fecerit ſe circuncidi: quod etiam probat Carthuſianus in eodē loco art. 55. q. vlt. ¶ Sed quia pleriq; dubitāt, an apud editionem Hebraicam verbum *Circuncido* actiue legatur, cum doctiſſimi Bibliorum interpretes ex hebręo verbū illud non actiue verterint, ſed paſſiue, & in paſſiua ſignificatione in noſtra vulgata habeatur his verbis: *Maſculus, cuius præputij caro circūciſa non fuerit:* alio opus eſt firmiori argumento, vt à pœna ibi impoſita infantes excludamus.

3. Diodorus. Procopius. Dubia eſt explicatio:

Quare Benedictus Pereira ex eō ſumit argumentū, quod in prima circunſione, quæ in domo Abrahami facta eſt, omnes erant adulti, vt ex patet *ex d. c. 17. Geneſ.* & inde infert locū infantes non cōprehēdere, ſed adultos. ¶ Sed nec hoc magnā habet fidem: quoniā pactum circunciſionis non ſolū comprehendit eos, qui tunc aderant; ſed omnes in ſuis generationibus futuros, ſiue adulti ſint, ſiue paruuli, vt manifeſte patet ex verbis pacti, quod in d. c. 17. Deus iniuit cū Abrahamo his verbis: *Et ſtatuam pactū meum, inter me & te, & inter ſemen tuū poſt te in generationibus ſuis:* quod iterum, & iterum repetit in eodēm loco.

4. 2. Arg. Non cōcludit.

Magnā tū vim habet ārgumentū, quod idē Pereira ſumit ex verbis immediatè præcedētibus: explicans enim Deus, quinam circuncidendi eſſent, ait: *infans octo dierū circuncidetur in vobis, & omne maſculū in generationibus veſtris* in quibus verbis cū maſculus ab infāte diſtinguatur, ꝓ

5. Arg. efficax.

adulto ſum debet; quaſi dicat Deꝰ (vt benè aduertit Pereira) *[Pereira.]* *Omnes mares veſtræ ſtirpis, tā infantes, quā adulti circūcidentur*: quare in verbis, quibus pœnā ſtatuit dicens, *Maſculus, cuius præputij caro circunciſa nō fuerit, &c.* Nomine maſculi in eadē ſignificatione ſumi debet, in qua in præcedētibus ſumebatur, ne æquiuocatio cōmittatur: iam verò in verbis præcedentibus maſculus idem eſt quod adultus; vnde non comprehendit infantes.

6. *1. Confirmatio.* Et ad confirmandā hanc veriſsimā explicationē, primū expēdo, in ſacris literis *Animā deleri de populo ſuo*: idem eſſe quod hominē occidi, & morte puniri: ita enim phraſis, illa accipitur Exod. 31: *[Exod. 31.]* *Qui polluerit Sabbatum meum morte morietur: qui fecerit in eo opus: peribit anima eius de medio populi ſui*: in quo loco priora verba manifeſte intelliguntur de morte corporis, vt patet nu. 15. *[Mumer. 15.]* vbi obruitur lapidibus, qui Sabbatum violauit: *Morte*, inquit, *moriatur homo iſte: obruet eum lapidibus omnis populus extra caſtra: cumq; eduxiſſent eum foras obruerunt eum lapidibus, & mortuus eſt.* Porrò ſi priora verba in d. cap. 31. *Morte moriatur*, intelliguntur de morte corporali. Satis illa cōfirmant poſteriora, *Peribit anima eius de medio populi ſui*, intelligēda eſſe de eadem corporali morte: etenim verba priora explicant ſenſū poſteriorū. Quare in hoc loco, *animā maſculi incircūciſi*, deleri de populo ſuo idem erit, quod maſculum incircunciſum morte puniri: quæ videtur cōmunis explicatio: ita Caietan. *[Caietan. Pereira. Procopius.]* *in d. c. 17. & latè Pereira ibid. diſp. 6. p. 391.* ex Patribus conſentit Hugo de Sancto Victore in ſuis annotationibus in Geneſ. ſatis conſentit Procopius ibidem; & inter Rabinos eſt receptiſsima, vno excepto Paulo, *[Carthuſia.]* qui teſte Carthuſiano negabat apud Hebræos morte puniri, qui circunciſionem omittebat, ſed non eſt audiendus, quia fragili ducitur fundamento, dum ait in illo loco Gene. 17. non dici maſculū morte moriturū; ſed periturū de populo ſuo: quaſi perire de populo in ſacris literis nō idē ſit, quod morte puniri, cōtra id quod adduximus ex d. c. 15. Nu. & patet Leuitic. 17. in illis verbis: *Quaſi ſi ſanguinē fuderit ſic peribit de medio populi ſui*, vt plures alios locos omittamus, in quibus perire de medio populi, idem eſt; quod morte corporis puniri. Ex hac igitur expoſitione verè literali ſumitur argumentū ſatis efficax, *[Applicatur arg.]* vt dicamus verba Geneſ. 17. ſæpe adducta non agere, niſi de adultis, qui cum legem Dei ſcienter violauerint, verè digni ſunt morte corporis: nam pœnam iſtam ad parentes infantium referre, ideô quod eos circuncidi non curauerint, non videtur ſatis accommodate dictum, quanuis id non diſpliceat Procopio, & placuit quibuſdā alijs. *[Confirmatur.]* Quod ſi vis hanc pœnam ad infantes extendi, nō pro tempore infantiæ; ſed poſt quam facti adulti in circunciſi manent (quod placuit Hugoni de Sancto Victore) iam locum illū intelliges de adultis, qui hanc pœnam nō incurrunt, quia in infantia nō ſunt circunciſi (in ea enim ętate, ſicut non peccant, ita nec puniri poſſunt pro ijs, quæ in infantia fecerunt) ſed quia poſt vſum rationis legem diuinam confregerunt.

8. *Confirmatur ex ſequentibus.* Quæ veriſima explicatio optimê colligitur ex verbis ſequētibus, quibus redditur cauſa pęnæ inflictę: *Quia pactū meū irritū fecit*: quæ verba non ſatis accōmodate intelligi poſſunt de præcepto, in Paradiſo impoſito Adamo, ne ederet de ligno vetito; ſed de pacto, quod Deus *in d. cap. 17. Geneſ.* *[Pereira.]* cum Abrahamo eiuſq, poſteritate iniuit, vt aduertit *Pereira ibidē diſp. 391.* Qua ſuppoſita expoſitione ex hoc loco nullū poteſt ſumi argumentum, vt probemus omnes etiam infantes in Adamo peccaſſe, & diuinum mandatū de nō edendo de ligno vetito fregiſſe. Quod vero præcitata verba explicanda ſint de pacto inito cū Abrahamo, nón vero cum Adamo, ex eo cōfirmatur; quoniam præceptū impoſitum Adamo, quanuis verā habeat rationem præcepti; nullam tamē rationem pacti habere poteſt, ſi de pacto propriè loquendum eſt: de cuius ratione eſt, quod reſultet ex mutuo duorum cōſenſu, vt probatur *Ex l. 1. ff. de pactis*: iam vero illa obligatio Adami, ne deligno vetito comederet, ortum non habebat ex mutuo Dei, & Adami conſenſu; ſed ex pura Dei voluntate, imperio, & iuſsione, vt patet ex illis verbis Geneſ. 2. *Præcepi ei dicens; ex omni ligno. &c.*

9. *Alia cõfirmatio.* Deinde ex eo etiã conuincitur; quia præcitata verba intelligenda ſunt de illo pacto, de quo agitur & verbis immediatè præcedentibus, *eritq; pactũ meũ in carne veſtra in fœdus æternũ*: & immediatè ſubiũgitur pœna cõfringẽtibus pactũ: *Maſculus, cuius præputij caro. &c.* quod ſatis cõuincit verba illa: *Quia pactũ meum irritum fecit*, explicanda eſſe de pacto, de quo immediatè erat ſermo: & hæc eſt cõmunis explicatio, & antiquorũ, & recentiorum ex *Procopio, Hugone, Lyra, Caiet. Carthuſiano, Pereira. Yſtella, & alijs*: imò etiam eſt *Chryſoſtomi ad eadẽ verba*, nec eam potuit negare *D.Thom. in eodem loco*; ſi tamẽ illi cõmentarij ſunt D.Thomæ. Quare puto verba Geneſ. 17. adducta non cõprehendere infantes, ſed ſolos adultos, qui nõ recipiendo circunciſionem, pactũ diuinum cũ Abrahamo initũ confregere; & proinde ex illis nõ poſſe ſumi efficax argumentum ad probandum omnes Adami poſteros in Adamo peccaſſe. *Chryſoſt. D.Thom.*

§. 3.

Soluuntur argumenta in contrarium.

10. *Solutio argum.* VT explicata reſolutio fiat euidentior, oportet explicare aliqua argumẽta, quę in oppoſitũ objiciũtur.

11. *Ad 1. arg.* Primum argumentũ eſt: quoniam in pleriſq; codicibus ita legitur: *Maſculus cuius caro octauo die circunciſa nõ fuerit. &c.* ita legunt *Auguſt. ibi, Chryſoſto. homil. 49. in Geneſ. Beda in eodẽ loco, Iſidor. in Geneſ. c. 13. & plures alij*: quæ verba nõ poſſũt non accõmodari infantibus. *Auguſtin. Chryſoſto. Iſidoru. Solutio.* ¶ Ad hoc argumentum dicimus verba illa, *Octauo die*, nec in noſtra vulgata poni, nec in Hebraica lectione, nec in Paraphraſi Chaldaica: vnde à pleriſq; viris doctiſsimis tanquam aliena, & extrinſecus intruſa cenſẽtur: & merito; quoniã ſi illa admittantur, & referantur ad circunciſionẽ; ſententia illa non adultis accõmodaretur, ſed ſolis infantibus: quia ſoli illi octauo die ab ortu poſſunt circuncidi: cõſequens tamen cũ antecedentibus non conſentit. Aduertimus tamen 70. iuxta emendatã Sixti V. tranſlationem ponere quidem illa verba
12. *Octauo die*; ſed ita ea diſtinguere, vt nõ referantur ad circunciſionẽ, ſed ad pœnam maſculo incircunciſo imponendam: ita enim ſcribunt: *Et qui non fuerit circunciſus maſculus, cui non circũcidetur caro præputij ſui octauo die interibit anima illa de genere ſuo; quia teſtamentũ meũ violauit.* Quare ſicut infans octauo die a natiuitate circuncidẽdus erat; ita adultus octauo die (.ſ. poſt admonitionem) tenebatur circũcidi; alioquin peribat de populo ſuo morte punitꝰ. Sed cũ nec vulgata, nec hebræa, nec Chaldaica editio verba illa habeat, argumentum parum habet efficaciæ.

Secundo loco obijci poteſt: quoniam *Perire de populo ſuo*, in Sacra Scriptura nõ ſemper idem eſt, quod *Morte corporis puniri*. Sed interdũ idem eſt, quod nõ ſcribi cũ fidelibus illius temporis, & veluti quadam excõmunicatione ab illis ſeparari: vnde verba in d. c. 17. Geneſ. in hoc ſenſu eſſe explicanda probat Yſtella; vt idem ſit *maſculum incircunciſum perire de populo ſuo*, quod non adſcribi cum fidelibus illius populi; quod non ſolũ adultis, ſed etiam infantibus conuenire poteſt. Quod vero illa verba non ſemper dicant punitionem corporis probat Yſtella: quoniam num. 19 qui tangebat cadauer, & ſe ſe aqua non luſtrabat modo à Deo pręſcripto, peribat de populo ſuo: ſimiliter & ille, qui pollutus edebat de carnibus hoſtiæ pacificæ, vt patet Leuit. 7. Ille etiam qui occidens ouem, vel capream non offerebat ad oſtium tabernaculi oblationẽ Domino, vt ſcribitur Leuit. 17. Denique Leuit. 18. Anima, quæ aliquã ex abominationibus ibi prohibitis faciebat, de medio populi peribat: quæ tamen omiſsiones nõ erant dignæ pœna mortis. 13. *2. Arg.* *Yſtella.* *Solutio.* ¶ Ad hoc argumentum dicimus Yſtellam nõ eſſe audiendum: quia verba illa nullibi in ſacris literis in ſenſu explicato reperiuntur, ſed in ſenſu à nobis probato: & in eo ſenſu illa ſumi in locis in oppoſitũ citatis docet Paulus ad Hebræos 10, dum ait: *Irritam quis faciens legem Moyſi ſine vlla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur.* Quare perſiſtendum eſt in noſtra, & cõmuni explicatione, vt idem ſit animam perire de populo ſuo, quod morte corporali puniri; Ita vt anima ibi ſumatur pro vita corporali, in quo ſenſu in ſacris literis ſæpiſsimè ſumitur.

14. 3. *Arg.* Tertio obijcitur: quoniam in præcitato loco Geneſ.17. *Deleri de populo ſuo*, idẽ eſt, quod poſt mortem à ſocietate Sãctorũ Patrũ excludi; quod non ſolũ adultis incircuncifis conuenire poteſt: ſed etiã infãtib⁹: vnde in hoc ſenſu verba illa explicat *Auguſt.lib.16.de Ciuit. Dei c.27.& lib.3.contra Iulianum c.12.& Pſalm.118. concione 25.& multis alijs locis*: quẽ ſenſũ etiam probat: *Carthuſianus in eodem loco ar.54.* & eum ita confirmat; quoniam in Sacra Scriptura de viris ſanctis vita functis ſcribitur, quod aggregẽtur, &apponãtur ad populum ſuũ ſiue ad Patres ſuos; ita vt apponi ad populum ſuum idem ſit, quod poſt mortem aggregari ad locum, in quo ſancti mortui apponuntur. Ergo à contrario ſenſu impij morientes ideo dicentur ſeparari à populo ſuo, quia à loco, & ſocietate ſanctorum Patrum excludũtur. ¶Sed hęc expoſitio nõ eſt recipienda, vt ex dictis ſatis conuincitur. Ad argumentm dicimus illud ſolum habere vim, ſi admittamus in ſacris literis: *Apponi ad populum ſuum*, idem eſſe, quod poſt hanc vitam aggregari ad ſocietatem Sanctorũ Patrum in Lymbo: quod tamen non admittimus: quoniam Scriptura hac phraſi vtitur non ſolũ in ſanctis, qui moriuntur; ſed etiam in impijs, qui damnãtur: nam ſicut de Abrahamo Geneſ. 25. dicitur: *Congregatus eſt ad populum ſuum*: ita de Iſmaele impio in eodem c.25. ſcribitur: *Deficiens mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum.* Quare per illa verba: *Apponi ad populũ ſuum*, deſcribitur mors cuiuſq; vt ſit ſenſus: *Appoſitus eſt ad populũ ſuum. i. Mortuus eſt*, vt benè annotauit *Pereira vbi ſupra, & latius trac. de benedictionibus Patriarcharũ n.293. & cum eo Yſtella ad præcitata verba Geneſ. 25*, cũ pluribus alijs. Quem eundem ſenſum continent illa verba in ſacris literis ſatis vſurpata: *Dormiuit cũ patribus ſuis*, quibus Scriptura vtitur non ſolũ in viris Iuſtis (vt de Abrahamo Geneſ.47. *Dormiam cum Patribus meis*, & de Dauid 2.Reg.7. *Cũ dormieris cũ patribus tuis*) ſed etiam in hominibus iniuſtis, & reprobis: nã de Salomone (qui damnatus à pluribus reputatur) 3. Reg.11. dicitur: *Dormiuit Salomon cũ patribus ſuis*, & de impio Ieroboam, idẽ ſcribitur 3.Reg.14. & de Achab reprobo 1. Reg.22. Quare cũ in ſacris literis idẽ ſit: *Dormire cũ patribus ſuis, & apponi ad patres ſuos*: & vtraq; iſta phraſis applicetur tam viris ſanctis, quã iniuſtis, non eſt admittẽdum, *Apponi ad populũ ſuũ*, idẽ eſſe, quod per mortẽ aggregari ad ſocietatẽ Sãctorũ Patrũ in Lymbo. Vnde ab his verbis, nec à contrario ſenſu, benè colligitur, idẽ eſſe *Deleri, ſiue interire de populo ſuo*, atque excludi à Sanctorum ſocietate poſt mortem. Quare argumentum allatum nullã vim habet, vt probet verba citata ex Geneſ. 17. *Delebitur de populo ſuo*, conuenire nõ ſolum adultis, ſed etiam infantibus; & per conſequens ex illis non poſſe ſumi firmum argumentum, vt probemus omnes in Adamo peccauiſſe.

[Margin: Auguſt. — Carthuſia. — 15. Solutio. — Geneſ.25. — Pereira. — Yſtella. — Geneſ.47. 2. Reg.7. — 3.Reg.11 — 3. Reg. 2. 1.Reg.22.]

Concluſio totius Quæſtionis.

16. *Concluſio.* Concludentes igitur hunc ſecundum articulum; dicimus hanc propoſitionem *Omnes in Adamo peccauerunt*, in ſua vniuerſalitate ſimpliciter admittẽdã eſſe, nec poſſe abſolutè negari; cum abſolutè in ſacris literis proponatur, & à Patribus vniuerſaliter doceatur, & ab omnibus Theologis, nullo diſcrepante, recipiatur. Vtrùm vero hęc vniuerſalitas ex diuino priuilegio aliquam admittat exceptionem? alterius eſt quæſtionis, de qua in ſequentibus diſputabitur.

QVÆSTIO III.

An Virgo peccauerit in Adamo?

IN præcedenti quæſtione art. 1. explicauimus, quid nam ſit peccare in Adamo? in ſecundo autem ſtatuimus hanc propoſitionem abſolutè eſſe concedendam: *Omnes in Adamo peccauerunt*: ſupereſt expendere an ab illa vniuerſali regula excipienda ſit Virgo Maria? quæ quæſtio inter Theologos eſt celebris, cuius vera reſolutio eſt ſatis neceſſaria ad ea, quæ dicẽda ſunt, tum de debito virginis ad contrahendum peccatum originale, de quo in hoc libro dicemus: tum etiam de præſeruatione eiuſdem Virginis, nè maculã originalẽ ex Adamo contraheret: de quo diſputandum eſt in libro ſequenti.

Ordo dicẽdorum. In hac autem quæſtione hoc ordine procedemus; nam in primo articulo referemus varias ſententias: varioſque modos dicendi: quibus defenditur Virginẽ in Adamo non peccaſſe. In 2. partem affirmantem, vt veriſsimam multis argumentis confirmabimus. In tertio impugnabimus tres dicendi modos, quibus nõ nulli defendunt Virginem in Adamo nõ peccaſſe. Quartus diligenter expugnabit modum dicendi Catharini, & eorum, qui eum probant. Quintus, & vltimus inquiret; in quonam gradu certitudinis tenenda ſit opinio, quæ affirmat Virginem in Adamo peccaſſe.

ARTICVLVS I.

Referuntur variæ opiniones: & varij modi dicendi opinionis negantis.

§. 1.

Authores cuiuſque ſententiæ.

1. QVæſtio iſta, an Virgo peccauerit in Adamo inter Theologos ſatis eſt controuerſa. De qua tres inuenio ſententias: duæ ex diametro opponũtur: tertia vtramque nititur conciliare. Prima igitur opinio abſolutè negat Virginem peccaſſe in Adamo. Authores huius opinionis ſunt qui ſequuntur. Primo loco eam probat *Galatinus lib.7.contra Iudæos*: & quãuis in locis, quibus communiter refertur (.ſ.c.2.& 6.in fine) id expreſſe non dicat; ſatis tamen id ſignificat *in eodem lib.cap.*10, vbi reſpondens argumẽto Hogoſtraſsi ita ſcribit: *Concedo quidem mortem peccati fuiſſe effectum, poſtquã Adam peccauit in his, qui in ipſo peccauerũt.* Et inferius docet *Virginem, & Chriſtum eius filium Adæ peccati nõ fuiſſe participes*: nec aliquis dubitabit eũ huius opinionis fuiſſe, qui expenderit modũ, quo Virginẽ à cõtractione peccati originalis liberat, de quo inferius dicemus. Eandem ſentẽtiã expreſſe probat Ambroſius Catharinus, *in trac. de conceptione Virginis in prima editione 1.p.c.1.pag.10.§.Quarto igitur loco; in 2. altero editione, quæ habetur in Opuſculis correctis; ſatis id docet in eodem trac.lib.2 c.1.in princ.& inferius pag.29; id etiam ſatis declarat in lib.de caſu hominis, & peccato originali c.vlt.pag.192.& in capit. 5. ad Rom.* ad illa verba: *In quo omnes peccauerunt §.Nunquid autem de hoc contaminato Mundo pag.53.col.2.in fine*: in quibus locis ſatis expreſſe declarat Virginẽ exẽptam fuiſſe à lege Adamo, & poſteris impoſita de non edendo de ligno vetito; & ideo in Adamo non peccaſſe.

Authores 1.opinionis Galatinus.

Catharinus

2: *Viguerius.* Idem affirmat *Viguerius in præcitata verba Pauli pag.* 45, vbi expreſſe docet Virginem ab hac Pauli regula fuiſſe exemptam; idem inſinuat *in ſuis inſtitutionibus Theologicis c.* 18.§.5.*verſ.*2. dum ait: *Virginem mortuam fuiſſe, non in pœnam, ſed ex conditione naturæ*: fuiſſet autem mortua in pœnam peccati Adami, ſi in eo peccaſſet. Citari poſſunt pro eadem ſententia Mayronius *in 3. diſt.3. q.2.art.10. & Martinus de Martines lib.6.Hypothepoſion cap.3.pa.* 460.& *Yſtella in cap.3.Lucæ pag.*184.*col.* 2: qui authores ab illis verbis Pauli: *omnes in Adam peccauerunt*, expreſſe excipiunt Beatã Virginem, quod etiam inuenies apud noſtrum *Baſilium Leoginenſem Theologum doctiſsimum in ſuis varis diſputationibus quæſtione decima Scholaſtica capite primo fol.* 328. *pagina ſecunda litera B. & C.*

Mayroni. Martines.

Baſil. Leoginenſ.

3. *Turrianus* Ad eandem ſententiam accedit *Franciſcus Turrianus in Epiſtol.de peccato originali fol.*43.*pag.*1. vbi docet Virginem liberam, & immunẽ fuiſſe à debito, quod omnes habebant, qui in Adam peccauerunt, & *inferius fol.*45.*pag.*2. aperte ſcribit propoſitionem Pauli. *In quo omnes peccauerũt* ſolum eſſe vniuerſalem figura, nõ ſententia; quia non comprehendit eos, qui vel peccare non poterant (qualis fuit Chriſtus Dominus:) aut peccare dedecebat, vt B. Virgo: quod clarius exprimit fol.53.pag.2. vbi expreſſe docet indecorum eſſe Virginem in Adamo peccaſſe, & ſubinde aſſerit eam in vniuerſali Pauli regula non comprehendi.

Valentia. Eandem ſententiam eſſe piam affirmat *Valentia 2.to. diſp.6.q.11.punct.2.pag.626.litera E. vbi inferius pag.627.litera B.§.Cum hæc vtraque opinio* affirmat eam bonã: & quanuis ibidem dicat oppoſitam ſententiam eſſe meliorẽ: & eã probet. *to.4. diſp.11.q.1. pũc.2.lit.D.tamen pag.429. lit. B.* Potius

probat Virginem non peccaſſe in Adamo, Hos Theologos pro hac opinione inueni: qui omnes à generali regula Pauli Virginem excipiunt, docentq; eam nec in ſui conceptione peccatum originale contraxiſſe, nec in Adamo peccaſſe. Adducuntur etiam pro hac ſententia teſte Petro Cartagena homil. 16. Stephanus Mendes lib.3. ſui Marialis c.34. cum alijs quos referemus inferius q.4.art.3 §.1.

4. *Authores 2. opinionis. Medina. Palatius.* Authores ſecundæ opinionis, quæ affirmat Virginem peccaſſe in Adamo in ſequenti art. referemus: pro tertia tandẽ opinione inuenio *Medinam 3.p.q.27.art. 2.pag.595.& 596.vtrobique col.1.& Palatium in 3.diſt.3.diſp.1.pag.47.&* 48. expreſſe enim docent Virginem de facto non peccaſſe in Adam; benẽ tamen de iure, & ſecundum meritum. Pro qua etiam ſentẽtia ſatis videtur ſtare *Salmeronius to. 13. in cap.5. ad Rom. diſput.* 50. dum docet *Virginem ſecundum meritum Adami fuiſſe peremptam: actu tamen peremptam nõ fuiſſe* vt patet *in citato loco pag.465.col.1.§. Mirum eſt.* *Salmeron.*

§. 2.

Explicantur varij dicendi modi opinionis negantis Virginem ſaltem de facto in Adamo non peccaſſe.

5. *1. Modus dicendi Galatini.* QVanuis authores negantis ſententiæ in hoc cõueniant, vt Virgo nõ peccauerit in Adamo; in modo tñ quo ſuam explicant ſententiam non parum variant: nam Galatinus ſuppoſita ſua opinione, quod Deus in principio mũdi creauerit quandam maſſam, vt ex ea formaret Adam, & partem nobiliorem illius reſeruaſſe, vt eſſet materia corporis tum Meſsiæ, tum Virginis; hunc excogitauit modũ: vt.ſ. idem ſit peccare in Adã, quod Adam ſuo peccato inficere maſſam, ex qua ſinguli poſterorum erant generãdi; non tamẽ infeciſſe partem illã maſſæ, quam ad formandũ Virginis corpus reſeruauit, Deo illã à tali infectione prẹſeruante, vt latè oſtendimus *ſupra q.2.art.1*, ad hunc igitur modum putat Virginem in Adamo non peccaſſe.

6. *2. eſt Catharini.* Secundum dicendi modũ excogitauit Catharinus ſupra citatus: putat enim Virginẽ præfuiſſe quidẽ in Adam, & eo comedente cũ omnibus nobis verè comediſſe; ideo tamen comedẽdo nõ peccaſſe, quia ex meritis Chriſti præuiſis diuina diſpenſatione exẽpta fuit à lege de non comedendo de ligno vetito, quam Deus Adamo, & poſteris impoſuit: quia igitur Virgo in Adamo comedit, Deo illi comeſtionẽ nõ prohibente, ideo in Adamo comedens, diuinam legem non fuit præuaricata; cum tamen ex conditione ſuæ naturæ ſubiecta fuerit legi, illam comeſtionẽ prohibenti: vnde comedendo præuaricaretur, niſi diuina gratia ex Chriſti meritis à lege fuiſſet excepta. Hic dicendi modus plerìſque noſtri ſæculi Theologis placuit, etiam placere videtur *Viguerio, & Turriano locis citatis*; nec illum omnino improbat Valentia, imô eum pium eſſe, & bonum appellat. 2. to. vbi ſupra. ¶ Fundamentum huius opinionis ex eo ſumitur; quia potuit Deus facere ne Virgo in Adamo peccaret; quia verè potuit eam eximere à lege de non comedendo impoſita Adamo, & poſteris. Porrò ſi potuit; vtique de facto eam exemit: hæc enim exẽptio Virginis dignitatẽ, & excellentiam maximẽ decet: eſſet enim illa hoc modo purior, & à peccato magis aliena; & Chriſti redẽptio iſto modo fuiſſet efficatior, & altior, dũ maiori gratiæ priuilegio, & illuſtriori dono gratiæ eã à peccato prẹuenit.

Tertiũ dicendi modũ excogitauit *Valẽtia in 2. & 4. tom. in locis ſupra citatis*: in ea enim eſt opinione, vt peccare in Adamo ſit quidem actionem peccati in Adamo facere; nõ tamen abſolutê, & ſimpliciter; ſed cũ connotatione, quod in ſua conceptione macula talis peccati actu ſit cõtrahenda. Cum autem Virgo maculã peccati Adam, gratia Dei præueniente de facto non debuerit contrahere; vtiq; comedens in Adamo, nõ peccauit: hunc dicendi modum putat Valentia cæteris eſſe meliorẽ, vnde eum ſimpliciter probat. 9. *3. Modus Valentiæ.*

Quartus, & poſtremus dicendi modus eſt eorũ, qui volunt *peccare in Adamo* abſolutè nihil aliud eſſe, quam actu contrahere maculam peccati quod contra legẽ Dei Adamus in Paradiſo cõmiſit: authores huius opinionis retulimus ar. 1. huius quæſtionis. Cum vero Virgo Deipara 8. *4. Modus.*

macu-

Medina. Palatius. Mayron. Martines. Yſtella.

maculã originalẽ actu nõ contraxerit, vt *lib. 3. oſtendemus*; inde probant Virginẽ in Adamo non peccaſſe: huius opinionis au thores ſunt *Medina, & Palatius* §. 1. *citati pro tertia opinione*. Pro eodẽ dicendi modo citari poſſunt *Mayronius, Martines, & Yſtella in eodem loco adducti*: nam cum Medina. & Palatius exiſtiment peccare in Adamo idem eſſe, quod contrahere maculam peccati Adami; cum negent Virginem originale peccatum contraxiſſe; ex conſequenti negare debent Virginẽ in Adamo peccaſſe.

ARTICVLVS II.

Latè confirmatur Virginem in Adamo peccaſſe.

§. 1.

Referuntur huius opinionis authores.

1. *Vera eſt opinio affirmans.*

Reiecta tamen præcedente opinione, ſtatuenda eſt, & diligentiſsimè defendẽda ſententia, quæ affirmat Virginem Deiparam cum omnibus nobis in Adamo peccaſſe: quę opinio & apud antiquos Theologos, & apud nouiores eſt receptiſsima. *Authores illius. Iacobus de Valentia.* Probata fuit noſtro Iacobo de Valentia *Pſalm. 46. fol. 135. col. 3. in fine*, vbi multis docet ab illa Pauli ſententia ad Rom. 5. *Omnes in Adã peccauerunt*, nullum fuiſſe exceptum, nec etiam Virginem: & addit hanc conſequentiam non valere. *Virgo peccauit in Adam: ergo habuit peccatum originale.* Id ipſum explicat in expoſitione ad Canticum Virginis, vbi *fol. 388. col. 2. in medio* expreſſe docet Virginem in Adamo ad culpam originalem fuiſſe obligatã, quanuis in perſona eam non contraxerit. *Canniſius. Bellarm.* Satis hanc ſententiam probat *Canniſius de Maria Deipara lib. 1. c. 5. pag. 55. lit. A, B. & Bellarminus tom. 4. in 2. controuerſia lib. 4. de amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati c. 16. pag. 328. litera A.* vbi omnino ſubſcribit ſententiæ, quod Virgo in Adamo peccauit. *Suarius.* Ita etiam *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 2. pag. 31. col. 1. §. Dicendum ergo ſentio*, affirmans abſolutè & ſimpliciter fatendum eſſe beatam Virginem in Adamo peccaſſe. *Bellomon.* Accedit *Vaſquez Bellomontanus 2. tom. ad 3. p. diſp. 115.* vbi poſt longum diſcurſum c. 3. concludit manifeſtũ eſſe Virginem in Adamo peccaſſe: *Azorius.* *Azorius hanc ſentẽtiam ſatis probat lib. 4. inſtit. moral. c. 34. q. vltima, pag. 437.* vbi affirmat nihil cogere, vt cum Catharino dicamus Virginem in Adamo nõ peccaſſe. *Henriq. 2.* Expreſsius *Henriquez tom. 1. Theologiæ moralis lib. 3. c. 1. de confirmatione, & extrema vnctione, §. 3. in Gloſſa litera L. pag. 195. col. 1.* *Cumelius.* *Cumelius 1. 2. tom. 1. q. 81. art. 3. diſp. vnica concl. 3. pag. 548.* *Petrus Morales.* *Petrus Morales de Chriſto Domino, & Virgine Deipara lib. 3. tract. 1. concl. 4. pag. 276. B.* affirmãs nullam dari repugnantiam, quod Virgo in Adamo peccauerit, & quod maculam originalem non contraxerit, expreſsius & latius id probat poſt quintam concl. pag. 277. n. 21. §. *Ex qua concluſione.* *Cornelius.* *Cornelius à Lapide in eodem loco Pauli, verſ. 12. n. 293. pag. 86.* Eandem ſententiam ſatis inſinuat *Cordub.* *Cordubenſis lib. 1. quæſtionar. q. 46. in fine. fol. 390. col. 1*: nam explicans differentiam inter Chriſtum & Virginẽ, poſtquam oſtendit Chriſtum ex vi ſuæ generationis non peccaſſe in Adamo, nec Adamum ſuo peccato eum excluſiſſe à iure hæreditario habendi iuſtitiam originalem; de Virgine aſſerit eam Adami peccato excluſam fuiſſe ab hæreditate Adæ, ſcilicet à iuſtitia originali perdita in Adamo propter Adami peccatum, & ſubinde obnoxiam fuiſſe peccato Adami. Cum vero nullus maneat obnoxius alicui peccato, quod ipſe nullo modo fecit: nec vllus excludatur ab hæreditate propter peccatum quod ipſe aliquo modo non commiſit. Vtique admittit Virginem in Adamo peccaſſe. *Salas.* Denique hãc ſententiam eſſe probabiliorem aſſerit *Salas 2. tom. ad 1. 2. q. 81. tract. 13. diſput. 11. ſect. 5. q. 2. pag. 640. col. 2. ad finem*, vt alios omittamus.

§. 2.

Confirmatur hæc ſententia ex Gilberto & Auguſtino.

3. *1. confirmatur ex Gilberto.*

Hanc ſententiam expreſſe confirmat Gilbertus Porretanus in cõmentarijs ad Boetium in libr. de duabus naturis, vbi ita ſcribit: *Corpus Chriſti ex Maria ſumptum eſt, quæ (ſicut cæteri*

omnes) ex primorum parentum præuaricatione peccato & morti ſubiacuit. Iam verò cæteri Adami poſteri, ideo ex præuaricatione Adami ſubiacent contractioni maculæ originalis, quia omnes illi eadem præuaricatione legem Dei ſunt præuaricati, ſicut Auguſtinus multis in locis docet, maxime epiſt. 23. ad Bonifacium, vbi agens de paruulis, ita ait: *Traxit ergo reatum; quia vnus erat cum illo, & in illo, à quo traxit, quando quod traxit admiſſum eſt.* Satis explicat lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 4. ita ſcribens: *Reſtat, vt in illo primo homine peccaſſe omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccauit: vnde peccatum naſcendo trahitur.* Igitur ex ſententia Auguſtini ideo naſcendo ex peccato Adami trahimus maculam illius peccati; quia in Adamo illud commiſimus. Et ſubinde, ideo cum naſcimur, maculæ originali ſubiacemus; quia in Adamo præuaricati ſumus. Quare ſi Virgo (ſicut & cæteri) ex præuaricatione Adami ſubiacebat peccato originali, vt ait Gilbertus; vtique illa in Adamo præuaricata eſt, ſicut nos omnes in eo ſumus præuaricati.

Auguſt.

4. *2. confirmatur ex Auguſt.* Secundò confirmari poteſt ex ſententia Auguſtini *Pſalm. 44 conc. 2. ad illa verba: Ego autem cum mihi moleſti eſſent, pag. 104. col. 2.* vbi ita ait: *Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum: Adam mortuus eſt propter peccatum: caro autem Domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata.* Iam ſic, Maria ex Auguſtino mortua eſt propter peccatum, nimirum Adami: per quem peccatum intrauit in mundum: & per peccatum mors, vt ait Paulus ad Roman. 5. & ſatis docet idem Paulus 1. Cor. 15: *ſicut in Adam omnes moriuntur.* ſ. morte corporali: quod adeo verum eſt, vt per Adami peccatum mors ad Chriſtum trãſierit: mortuus eſt enim propter delendũ peccatum. Non eſt igitur negandũ Virginem mortuam eſſe propter peccatum Adami, vt ait Auguſtinus. Ergo Virgo peccauit in Adamo. Hæc conſequentia ex eo primum probatur; quoniam omnis qui moritur propter peccatum Adami, vel moritur, quia participat Adami peccatum, in quo & ipſe peccauit, vel quia moritur, vt deleat Adami peccatũ, vt ſatis colliges ex verbis Auguſtini. Sed Virgo non eſt mortua propter delendũ peccatum; quia hoc ſoli Chriſto conueuenit. Ergo mortua eſt, quia in Adamo peccauit. Deinde probatur eadem conſequentia: quoniam omnis qui propter peccatum Adami moritur, aut moritur ex merito peccati Adami; aut propter delendum Adami peccatum, vt ſatis colliges ex Auguſtino in præcitatis verbis, & eſt communis Patrum doctrina. Sed ſolus Chriſtus moritur ſine merito peccati propter delendum peccatum, vt in eiſdem verbis docet Auguſtinus, & expreſsius *lib. 2. de peccatorum meritis c. 30.* ita ſcribens: *Teneamus ergo indeclinabilem fidei confeſsionem: ſolus vnus eſt, qui ſine peccato mortuus eſt propter delendum peccatum.* Ergo Virgo mortua eſt ex merito illius peccati, per quod mors intrauit in mundum. Quæ conſequentia inde confirmatur: quoniam ex Auguſtino *lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 4. pati mortem ſine meritis mortis de vno ſolo mediatore Catholica fides nouit.* Sed meritũ mortis ſolum eſt primum illud Adami peccatum: quia ad Rom. 5: *Per illud mors intrauit in mundum, & in omnes pertranſijt.* Sed Virgo non potuit habere peccatum Adami, niſi in Adamo peccauerit. Ergo negari non poteſt Virginem peccaſſe in Adamo.

Rom. 5. *1. Cor. 15.* *.. probatio conſeq.* *2. probatio* *Auguſt.* *Aug.*

5. *Alia confirmatio Aug.* His accedit; quoniam ex Auguſtino in verbis ſuprà adductis, *Virgo ex Adamo mortua eſt propter peccatum*, ex Adamo, inquam, quia. ſ. erat filia Adami, & erat ipſe Adamus, & Adamus erat ipſa, vt docet Auguſtinus. Ergo peccante Adamo, & ipſa peccauit: nec enim poterat ex Adamo mori propter peccatũ, niſi quia cum eſſet ipſe Adamus, Adamo peccante, peccauit & ipſa. Quod adhuc confirmatur ex verbis Auguſtini *lib. 2. de peccatorum meritis cap. 29: Mors in carne peccati inobedientiæ debita redditur.* Ex quibus patet carnem filiorum Adami ideo dici carnem peccati, quia eſt caro, cui Adami inobedientia imputatur: imputari autem non poteſt, niſi quia in Adamo fuit inobediens. Iam verò carnem Virginis eſſe carnem peccati ex Auguſtino, & alijs Patribus inferius oſtendemus.

Corroboratur. Auguſt.

mus. Ergo caro Virginis, atque ipſa Virgo in Adamo inobedientiam commiſit, quam commiſit Adamus.

6. 3. confirm. Tertio eadem veritas demonſtratur: quoniam Virgo vere fuit mortua morte peccati; idque ex Adamo: ſed non fuit mortua ex Adamo in propria perſona; quia actu non contraxit maculam peccati originalis, vt oſtendemus lib. 3. Ergo mortua fuit in alio, nempe in Adamo: ſed non potuit in Adamo mori morte peccati, niſi in Adamo ſicut & cæteri, peccauerit. Ergo concedendum eſt eam peccaſſe in Adamo. Huius argumenti ſecundus diſcurſus eſt indubitatus: quia omnis, qui peccato Adami mortuus eſt, ideo ipſo peccato mortuus eſt, quia in

Rom. 5. Adamo peccauit: nam ex Paulo ad Rom. 5: *Per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi*: minor autem primi diſcurſus ſimul cum cõſequentia patet. Solum ſupereſt oſtendere maiorem propoſitionem: *Virginem. ſ. vere fuiſſe mortuam*

7. *morte peccati.* Hęc autem euidenter oſtē-

2. Cor. 5. ditur ex Paulo 2. Cor. 5: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt. Ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Quæ verba non eſſe intelligēda de morte corporis; ſed animæ per peccatum, euidenter oſtenditur ex verbis immediatè ſequentibus: *Vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit*; quæ de vita ſpirituali, quā per Chriſti mortem ſunt conſecuti, intelliguntur: vnde Paulum in verbis præcedentibus agere de morte peccati per culpam, docet communis & Patrum, & interpretum explicatio, & ſatis *Auguſtinus*

Auguſt. *lib. 20 de Ciuitate Dei cap. 6. & expreſsius lib. 6. contra Iulianum c. 4.* vbi explicans præcitata verba Pauli, ita ſcribit: *Vnus pro omnibus mortuus eſt. Ergo omnes mortui ſunt. Vide quia conſequens eſſe voluit, vt intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus Chriſtus eſt mortuus: quia ergo non corpore; reſtat, vt in peccato eſſe mortuos omnes, ſi pro omnibus mortuus eſt: nemo neget, nemo dubitet, qui ſe non negat, aut dubitat eſſe Chriſtianum.* Quare ex Auguſtino dubitari non poteſt Paulum in præcitatis verbis agere de morte animæ, quæ peccato moritur. Et in eodem ſenſu verba illa intelligit idem Auguſtinus *lib. 20. de Ciuitate Dei c. 6.* vbi ex prædictis Pauli verbis ita concludit: *Omnes vtique mortui ſunt in peccatis, nemine excepto.* Qui etiam Auguſt.

ſenſus ſatis deducitur ex verbis Chriſti Matthæi 15. *Non ſum miſſus. niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Senſus etiam Matt. 15.

verborum Pauli eſt iſte: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt. Ergo omnes mortui ſunt morte peccati.* Hoc autem ſuppoſito ex præcitatis Pauli verbis facilè oſtenditur 8.

Virginem ex Adamo, & in Adamo vere fuiſſe mortuam morte peccati: etenim conſequens illud, *ergo omnes mortui ſunt peccato*, non ſolùm figura, ſed etiam ſenſu eſſe vniuerſale (ita vt vniuerſaliter nulla facta exceptione admittendum ſit omnes mortuos eſſe peccato) ex eo euidenter oſtenditur, quia hoc antecedens *Virgo vere fuit mortua peccato Adami.*

vnus pro omnibus mortuus eſt, ex quo conſequens deducitur, vniuerſale eſt & figura & ſenſu; ita vt vnus pro omnibus nemine excepto, mortuus ſit, vt ſatis declarat propoſitio cathegorica, quam Paulus immediatè adiungit, *& pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*: quæ etiam eſt fidei doctrina ex verbis Pauli euidenter deducta: etenim ſi Chriſtus pro omnibus nullo excepto mortuus eſt; vtique omnes nullo excepto ſunt peccato mortui: nam ſi aliquis ex Adami poſteris peccato mortuus non fuit; vtique nec Chriſtus pro omnibus mortuus fuit; cum pro nullo mortuus ſit, niſi qui peccato mortuus Explicatur Pauli.

fuit, iuxta illud Matthæi 15: *Non ſum miſſus* (ſcilicet ad moriēdum) *niſi ad oues, quæ perierunt, &c.* & Paulus ad Rom. 5: Matt. 15.

Chriſtus pro impijs mortuus eſt: vix enim pro iuſto quis moritur, & tanquam de fide docet Auguſtinus lib. 6. contra Iulianum Ad Rom. 5.

cap. 4. ita ſcribens: *Nullo modo hoc negare permittens, non niſi pro eis, qui mortui ſunt, mortuum fuiſſe Ieſum.* Auguſt.

¶ Antecedente igitur explicato cū vniuerſalitate excluſiua, vt Chriſtus pro omnibus peccato mortuis, & pro ſolis mortuis peccato, mortuus ſit: neceſſario infertur omnes nullo excepto, pro quibus Chriſtus eſt mortuus, mortuos eſſe peccato. Quod ſatis declarat Auguſtinus *in d. cap. 4. libri 2. contra Iulianum*, ita concludens: *Vnus pro omnibus mortuus eſt, &c.* 9. Applicatur argum. Aug.

vt ſuperius adduximus, & hanc vniuerſalitatem non ſolum eſſe talem figura, ſed ſenſu, ita vt nullam exceptionem admittat, ſatis exprimit Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei c. 6: adducta enim illa Pauli conſequentia, ita concludit: *omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine excepto; ſiue originalibus, ſiue voluntate additis: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.*

Concluſio argum. ¶ Ex his iam euidenter conſtat maiorẽ propoſitionem eſſe veriſsimam, nec ſine fidei periculo negari poſſe, quatenus habet Mariã ex Adamo eſſe peccato mortuam: etenim ſi abſque fidei periculo negari non poteſt omnes, nulla facta exceptione, pro quibus Chriſtus fuit mortuus, mortuos eſſe peccato, vt ait Auguſtinus: cum fides doceat Chriſtum pro Virgine fuiſſe mortuum: vtique hæc propoſitio ſeruatis fidei principijs eſt veriſsima: Virgo fuit peccato mortua: quæ eſt maior à nobis demonſtranda. Ea autem admiſſa efficaciter infertur Virginem in Adamo peccaſſe, vt in diſcurſu argumenti oſtendimus.

10. *4. confirm.* Quarto loco eadem veritas inde etiam efficaciter confirmatur: quoniam cum Virgo in ſe peccatum originale non cõtraxerit, vt in ſequenti libro oſtẽdemus: ſi illa in Adamo non peccauit, nulla ratione dici poteſt Chriſti ſanguine redẽpta: conſequens tamen non ſolum falſum eſt, ſed etiam hæreticum, vt omnes fatẽtur ex Paulo 2. Cor. 5: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*: & 1. ad Timotheum 4. *Chriſtus eſt omnium hominum ſaluator, maxime fidelium*, quod Virgo ipſa in ſuo Cãtico fatetur: *& exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, ſalutari, inquam, id eſt Saluatore; vt habet litera Græca, & eſt indubitata omnium explicatio. Porrò ſequela ex eo patet, quoniam Chriſtus ideo dicitur omnium redemptor, quia *eos ſaluos fecit à peccatis eorum*, Matthæi 1: *redimendo populum ſuum ab iniquitatibus eius*, vt dicitur Lucæ 2: vnde Paulus ad Rom. 5: *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem filij eius.* Ad Coloſſ. 1: *Et vos cum eſſetis aliquando alienati, reconciliauit in corpore carnis ſuæ per mortem.* Satis ſint verba Matthæi 26: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum*: pro multis, inquam. i. pro omnibus, vt Eccleſia Catholica declarat. Ex quibus omnibus patet non ſolùm omnes nos eſſe Chriſti ſanguine redemptos; ſed etiam redemptos à peccatis: ita vt nullus Chriſti ſanguine dici poſsit redemptus, niſi qui aliquod habuerit peccatum, à quo redimeretur: *nec enim Chriſtus venit, niſi ad oues, quæ perierunt*, vt dicitur Matthæi 15: vnde Paulus ad Rom. 5: *Chriſtus pro impijs mortuus eſt: vix enim pro iuſto quis moritur*, & Auguſtinus de natura & gratia in principio: *Qui non pertinent ad eos, qui peccauerunt, nullam habent neceſsitatem, quod Chriſtiani fiant.* Sed Virgo mater, ſi nec in ſe, nec in Adamo peccauit, nullum habuit peccatum à quo redimi poſſet: quia omnis peccans vel peccat in ſe ipſo, vel in alio; nec fingi poteſt alia ratio peccati, quod vere ſit præuaricatio. Ergo Virgo nulla ratione poteſt dici redempta Chriſti ſanguine, quæ fuit ſequela.

2. Cor. 5. 1. Tim. 4. Matth. 1. Rom. 5. Ad Coloſſ. 1. Matt. 26. Matt. 15. Ad Rom. 5.

11. *Non recipitur 1. ſolutio.* ¶ Nec vim argumenti elides, ſi cum nõnullis dicas, vt quis poſsit dici redemptus à peccato, ſatis eſſe; quod ex ſua natura habeat debitum peccandi, quanuis non peccet: non elides, inquam, quia tale debitum non ſatis eſt ad veram & propriã Chriſti redemptionem, vt contra Catharinum inferius latè dicemus. *Nec ſolut. 2.* Nec rurſus vim argumenti effugies, ſi dicas, vt quis vere dicatur redemptus à Chriſto, ſatis eſſe, ſi aut in ſe contrahat maculam peccati Adami, aut habeat debitum contrahendi, quanuis in Adamo non peccauerit: non effugies, inquam: quia implicat aliquem contrahere, aut habere debitum contrahendi maculam peccati, quod ille nec in ſe, nec in alio commiſit, vt ſuprà diximus, & inferius iterum dicemus.

12. *Vltima cõfirmatio.* Poſtremo accedit: quoniam ſi Virgo in Adamo non peccauit, non contraheret originale peccatum, etiamſi diuina gratia non præueniretur: conſequens tamen & falſum eſt, & parum tutum: quia, vt ſuo loco oſtendemus, Virgo indiguit gratia Chriſti iuſtificatiua præueniente, vt ad contrahenda peccati macula præſeruaretur; ita vt eam de facto contraheret, niſi gratia iuſtificante præuineretur, vt dicemus inferius, & ſatis colliges ex Paulo

Rom. 5.

ad Rom. 5. dum ait: *Sicut per vnius delictũ in omnes homines in damnationem; ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem.* Sequela euidenter oſtenditur: quia nemo recipit in ſe maculam peccati, niſi illud vel in ſe perſonaliter, vel in alio originaliter actu commiſit: macula enim peccati permanens in peccatore neceſſario cauſatur ab aliquo actuali peccato commiſſo vel in ſe, vel in alio, vt ſuprâ latè oſtendimus. Ergo ſi Virgo, nec in ſe, nec in Adamo peccauit, illud ipſum peccatum, quod Adamus commiſit: vtique non poſſet contrahere maculam illius peccati, quantumuis gratia non præueniretur, quæ fuit ſequela. Quæ adhuc cõfirmatur: quoniam vel Virgo indigebat gratia, vt præſeruaretur ab illa macula; vel non indigebat. Si indigebat: ergo habebat debitum contrahendi illam: hoc autem debitum non poterat aliunde prouenire, niſi in Adamo illud ipſum peccatum peccauerit, quod Adamus peccauit: quod eſt noſtrum intentum, ſi verò non indigebat; vtique quantumuis illa nulla donaretur gratia, non contraheret talem maculam, quæ eſt ſequela ad probandum propoſita.

ARTICVLVS III.

Impugnantur tres dicendi modi Galatini, Soti, & Valentiæ.

1. *Impugnatur modus Galatini.*

VT huius opinionis affirmantis veritas magis confirmetur, impugnabimus omnes dicendi modos, quibus oſtenditur Virginem in Adamo non peccaſſe. Et vt à modo dicendi Galatini incipiamus, in illius impugnatione non eſt immorandum, cum nitatur fundamento, quod vere fabula eſt, & vere contrarium tum Philoſophię, tum Theologiæ: etenim Deum à principio mundi creaſſe certam ſpecialem maſſam, vt ex ea & Adamum, & Adami poſteros formaret, nullum habet in ſacris literis fundamentum: vnde fabuloſe id fuit excogitatum. Philoſophiæ autem repugnat, quatenus ſupponit materiam, ex qua quiſque noſtrum generatur, actu fuiſſe in Adamo: non conſentit etiam cũ Theologia, quoniam non facilè explicabitur quomodo maſſa illa pro efformãda Virgine reſeruata ab infectione peccati Adami diuinitus præſeruata fuerit: quæ omnia late oſtendimus in præcedenti quæſtione ar. 2. Denique contra eam faciunt omnia abſurda contra fidem, quæ in ſequenti articulo contra Catharinum adducemus: nec enim diceretur ſanguine Chriſti vere & propriè redempta.

2. *Impugnatur modus Valentiæ.*

¶ Sed nec approbandus eſt modus, quẽ excogitauit Valentia & vt cæteris longe meliorem elegit: inde enim probat Virginem in Adamo non peccaſſe; quia licet cum Adamo comederit lignum vetitũ; non tamen illum actum elicuit connotando actualem maculam actu contrahendam; cum illam non contraxerit, iam verò (vt vult) peccare in Adamo, abſolutè non eſt præuaricari in eo frangendo præceptum Dei: ſed formaliter eſt illud frangere cum connotatione, quod frangens cõtracturus ſit maculam illius peccati.

3. *Contra Valentiam.*

Hunc tamen dicendi modum tanquam vere improbabilem reiecimus in præcedente quæſtione art. 5: etenim (vt ibidem oſtendimus) nec iſte explicandi modus eſt vſitatus, nec verbum *peccare* etiam vt poſteris Adami applicatur, illã connotationem includit, nec comeſtio peccaminoſa Adami, & poſterorum, ſecluſa connotatione poteſt â vera culpa liberari: & ſubinde ſecluſa omni connotatione ſatis eſt, vt comedens contra Dei præceptum vere & proprie dicatur præuaricator. Denique ſi Virgo à præceptò Adami non fuit exempta, vt Valentia contra Catharinum nobiſcum admittit, nullo modo poteſt liberari, quin in Adamo peccauerit, quantumuis in ſua conceptione maculam commiſſi peccati nõ ſit contractura. Implicat igitur Virginẽ præcepto Dei comprehenſam non peccaſſe in Adamo, quantumuis maculam peccati ex diuino priuilegio contrahere non debeat: etenim ſi non peccauit, vt Valentia admittit, vtique non habuit debitum contrahendi maculam, quod nec ipſe Valẽtia admittit, nec admitti poteſt.

4. *Impugnatur modus quorundã.*

¶ Denique non eſt admittendus dicendi modus, qui docet Virginem ideo in Adamo non peccaſſe, quia actu non contraxit peccatũ originale. Cuius impugnatio

1. impugn. ex eo efficaciter ſumitur; quia hæc opinio non ſolùm ſupponit, ſed etiam formaliter docet peccare in Adamo nihil eſſe aliud, quàm maculam peccati Adami actu non contrahere: cum vero hæc opinio & explicatio non ſolum falſa ſit, ſed nec ſatis tuta, vt oſtendimus in præcedẽti quæſtione art. 3. euidenter patet eam non ſolum falſo niti fundamento, ſed etiã temerario, & ſubinde à Scholis relegandam eſſe, quãuis pluribus placuerit, quos adduximus in præcedente quæſt. art. 1.

5. 2. impugn. Quæ rurſus ex eo reijcienda venit; quoniam ex dictis euidenter conſtat lõge aliud eſſe contrahere peccatum Adami, & peccare in Adamo: etenim peccauimus in Adamo, cum adhuc in lumbis eius eſſemus: contrahimus autem illius peccatum, cum actu concipimur, & perſonaliter exiſtimus: ita fit vt hæc conſequentia gratia formæ non valeat: *peccauit quis in Adamo: ergo contraxit peccatum originale*: quia priori ſuppoſito poteſt per diuinam potentiam à poſteriori præſeruari: ſicut etiam non valet hæc conſequẽtia: *non contraxit peccatum originale: ergo non peccauit in Adamo*: quia peccare in Adamo ex diuino priuilegio conſtare poteſt ſine illo priori: qui enim in Adamo in paradiſo peccauit, poteſt, dum cõcipitur, per diuinam gratiam actu non cõtrahere maculam peccati, quod in Adamo commiſit.

6. 3. impugn. Poteſt adhuc hæc opinio inde efficaciter impugnari; quoniam huius opinionis authores expreſſe docent Virginem Deiparam de facto non peccaſſe in Adamo; benè tamen de iure, & ſecũdum meritum: ita docet Medina, & Palatius ſupra citati. Iam igitur ab illis inquiro; quidnam ſit de iure peccare in Adamo? quid item ſit in eo peccare ſecundum meritũ? etenim ſi de facto peccare in Adam idem eſt, quod de facto contrahere maculam peccati, quod Adamus commiſit, vt inquiunt: profecto peccare in Adam de iure idem erit, quod de iure obligatum eſſe ad contrahendum maculam peccati ab Adamo commiſſi: ſimiliter etiam peccare in Adamo ſecundum meritum idem erit, quod habere meritũm, id eſt debitũ contrahendi maculam peccati commiſſi ab Adamo. Iam igitur rurſus inquiro; vnde nam iſte, qui maculam peccati Adami de facto non contraxit, & ideò de facto in Adamo non peccauit, habeat obligationem iuris atque meritum, ſiue etiã debitum contrahendi talem maculam? 7. etenim cum macula peccati ex actu peccati commiſſi neceſſario oriatur (manet enim macula, actu non manente) ſi actu & de facto peccare in Adamo idem eſt, quod de facto contrahere maculam peccati Adami; explicent nobis, ex quo nam actu peccati reſultat obligatio & debitũ ad contrahendam maculam, quam de facto non contraxit?

8. Occurritur ſolutioni. Dicent talem obligationem reſultare quidem ex actuali Adami inobedientia, qua in paradiſo præceptum Dei violauit (quoniam macula, quam contrahimus, vere eſt macula illius inobedientiæ, vt fides docet ex Paulo ad Rom. 5; dum ait, *Per inobedientiam vnius peccatores conſtituti ſunt multi*) eam tamen in nobis reſultare, non ex eo quod exiſtentes in Adamo illa inobedientia actu cum Adamo præuaricati ſumus (hoc enim negant hi authores;) ſed ex eo, quia ab Adamo præuaricatore propagati ſumus. Sed quam ſolutio iſta à veritate ſit aliena, ex eo vel euidenter deducitur, quia licet ex parentibus filij poſſint trahere reatum pœnæ (nam filij pro peccato parentum ſæpè puniuntur) nullo tamen modo poſſunt trahere formalem culpam actualis peccati, quod non illi, ſed ſoli parentes commiſerunt: & per conſequens non ſatis eſt filium eſſe à parente peccante propagatum, vt maculam talis peccati in ſe recipiat; per quam vere & formaliter fit Deo inuiſus, ſi tale peccatum nullo modo patrauit, ſed ſoli parentes: etenim, vt dicitur Ezechiel. 18: *Iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij ſuper eum erit*: alioquin eſſet Deus iniuſtus, ſi nos obligaret ad maculam peccati, quod nullo modo commiſimus, ſed ſoli parentes: & in hoc ſenſu veriſſima eſt Domini ſentẽtia Ezechiel. 18: *Anima, quæ peccauerit ipſa morietur*, morte ſ. peccati, qua formaliter fit inuiſa Deo & inimica. Quare aduerſarij propriam ignorant vocem, dum admittunt poſteros

Rom. 5.

Ezech. 18.

9. Adami cum Adamo in paradiſo non peccaſſe; & tamen eſſe debitores contrahendi maculam originalem, qua vere ſint Deo odibiles, ex eo, quia ab Adamo naturaliter ſunt propagati. Fieri igitur non poteſt, vt qui in Adamo ſimul cum eo non peccauit, habeat debitum & meritũ ad contrahendam maculam talis peccati, & ſubinde nullo modo dici poteſt iſtum in Adamo de iure, & ſecundum meritum peccaſſe. Vnde reijcienda eſt opinio Medinæ, Palatij, & aliorum, qui volunt Virginem de facto quidem non peccaſſe in Adamo, ideo quia de facto à macula originali fuit præſeruata: peccaſſe tamen de iure, & ſecundum meritum, quatenus illam erat contractura, niſi per gratiam præſeruaretur.

ARTICVLVS IIII.

Impugnatur modus dicendi Catharini.

§. 1.

Refertur & explicatur Catharini opinio.

1. *Refertur opinio Catharini.* EX dictis art. 1. huius quæſtionis iam patet Catharinum cum ſuis ſequacibus ideo defẽdere Virginem in Adamo non peccaſſe, quia diuino priuilegio exempta fuit à lege, ſiue præcepto Adamo, & poſteris impoſito, nec comedere de ligno arboris ſcientiæ boni, & mali: & inde infert Virginem in Adamo comedentem de tali ligno non peccaſſe; peccante Adamo cum cæteris: quia ſcilicet non prohibebatur comedere de tali ligno. Quem dicendi modum pleriſque placuiſſe oſtendimus in dicto art. 1. Cuius opinionis nullum aliud fundamentum adducunt, niſi quia Deus potuit Virginem eximere ab illo præcepto. Ergo illam exemit: quia id in Virginis excellentiam, & dignitatem cedebat.

2. *Quod nam debitũ admittat?* Addit tamen Catharinus Virginem ex conditione ſuæ naturæ ſubiectam fuiſſe tali præcepto: etenim ſeminaliter continebatur in lumbis Adami; tanquam vera illius filia: Deus autem præceptum impoſuit omnibus, qui in virtute ſeminali Adami continebantur. Quare ex conditione ſuæ naturæ vere peccaret in Adamo contra legem peccante, niſi ex priuilegio ſpeciali ab illa lege eximeretur. Ex quo colligit in Virgine fuiſſe quidem debitum peccandi in Adamo, & ex conſequenti contrahendi maculam peccati ab Adamo commiſſi: peccatum tamen non habuiſſe, nec maculam talis peccati. Et inde infert Virginem vere fuiſſe redemptam ex meritis paſsionis Chriſti præuiſis: etenim Deus ex eiſdem meritis exemit eam à lege Adamo impoſita: nam ad hoc ſatis eſt (vt ait) quod ſecundum debitum ſuæ naturæ deberet peccare. ¶ Hæc omnia colliges ex Catharino in vtroque tractatu de conceptione Virginis, & ex Turriano in dicta epiſt. de peccato originali, quamuis neuter ſatis clare id explicet.

§. 2.

Impugnatur hæc Catharini opinio.

HÆc Catharini opinio ideo aliquibus placuit, quia præ ſe fert ſpeciem quandam tum probabilitatis, tùm etiam pietatis. Tamen ſi principia Fidei & veræ Theologiæ conſideratius expendantur, tantum abeſt vt præ ſe ferat pietatis ſpeciem, vt vere impietatem includat: etenim nequaquam ſaluare poteſt Virginem vere fuiſſe redemptam ſanguine Chriſti: quod tamen oportet ſaluari. Vnde eam non eſſe admodum tutã cenſet *Bellarminus 4. tom. in 2. controuerſia. generali lib. 4. cap. 16. pag. 328. A.* Eam vt erroneam impugnat *Vaſquez Bellomontanus 2. tom. ad 3. p. diſp. 115. cap. 3. pag. 16.* Eandem vt hæreticam reijcit *Cordubenſis libr. 1. quæſtionar. q. 44. concl. 5.* Quod ſatis mihi ſentire videtur *Cumelius 2. tom. ad 1. 2. q. 81. ar. 3. q. vnica, prop. 3. pag. 548*: nam licet hanc opinionẽ expreſſe non damnet: tamen ſatis eam videtur damnare, dum ex ea conſtanter deducit Virginem dici non poſſe vere redemptam à Chriſto, quod conſequens omnino eſt damnandum. Suarius ideò eã reijcit; quia nec conſequenter loquitur, nec omnino ſatisfacit teſtimonijs ſacræ Scripturæ. Eam ſimpliciter non recipiũt

3. *Impugnatur vt fidei contraria.* *Bellarm.* *Bellomon.* *Cordub.* *Cumelius.*

Azorius. Petrus Morales. *Azorius lib. 4. inſt. Moral. c. 34. q. vltima, pagina* 837: *Petrus Morales libro 3. de Chriſto Domino, & Virgine Deipara tract. 11. pagina 277. num. 21. §. Ex hac concluſione.* *Valentia.* Et quamuis *Valentia 2. tomo diſp. 6. q. 11. puncto 2. pagina 626. E. & 627. B. §. Cum hæc vtraque ſolutio,* hanc opinionem non modo non improbet, ſed affirmet eam piè defendi poſſe: tamen 4. *tomo, diſput. 2. quæſt. 1. puncto 2. pagina 428. §. Nunc autem,* eam minus probabilem exiſtimat ideò quod vix poſsit ſaluari Virginem incurriſſe debitum contrahendi peccatum originale. *Salas.* Denique *Salas 2. tom. ad primam ſecundæ quæſt. 81. tract. 13. diſput. 11. ſect. 5. quæſt. 11. pag. 641. col. 2. ad finem* ſimpliciter eam non probat: putat tamen argumenta contra eam non ſatis eſſe efficacia: vnde ſatis ſignificat eam eſſe probabilem.

5. *Authoris iudicium.* Ego in ea ſum opinione, vt opinio Catharini non ſolum ſit omnino improbanda, ſed etiam vt pluſquam temeraria in fide omnibus modis ſit releganda, cuius veram cenſuram explicabimus inferius. Et vt hoc noſtrum & ferè omnium iudicium euidentius demonſtretur nonnulla ſunt hoc loco præmittẽda, ex quibus totius difficultatis vera reſolutio pẽdet.

§. 3.

Quod gratia redemptionis Chriſti per ſe ſupponat mortem peccati.

6. *1. præmiſſ. de duplici gratia.* Primo igitur loco præmittimus duplex à Theologis admitti genus gratiæ: vnum gratiæ ſimpliciter ſanctificantis: alterum vero gratiæ iuſtificantis. Inter vtrumque genus hoc intereſt; quod primum per ſe incipit à contradictorio, id eſt, à non ſancto, ſiue à nõ grato: quæ gratia collata fuit Angelis, & primis parentibus in ſua creatione. Secundum verò gratiæ genus per ſe incipit à contrario, ſcilicet ab iniquo, impio, & inuiſo ipſi Deo: qualis gratia infunditur peccatoribus. 7. *Ad quod genus gratiæ ptinet gratia redẽptionis?* Addimus deinde gratiam redemptionis Chriſti per ſe pertinere ad poſterius gratiæ genus: ita vt per ſe includat, vt ex iniuſto, & inuiſo faciat iuſtum, & Deo gratum. Quæ doctrina ex ſacris literis euidenter deducitur: ex illis enim conſtat gratiam, quam Chriſtus per Crucem nobis meruit; eſſe gratiam reconciliatiuam: *Deus enim* (inquit Paulus 2. Corint. 5.) *reconciliauit nos ſibi per Chriſtum*: nam vt ibidem ait: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*: idem repetit ad Romanos 5. & ad Coloſſ. 1. ad Epheſios 2. & mille alijs in locis. 8. *Eſt gratia reconciliatiua. 2. Cor. 5. Rom. 5.* Reconciliatio autem per ſe ſupponit inimicitiam ex peccato, vt ex ſe patet, & ſatis declarat Paulus ad Romanos cap. 5: *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.* Et ad Coloſſenſ. 1. *Cum eſſetis aliquando alienati reconciliauit vos in corpore carnis eius per mortem.* *Ad Coloſſ. 1. 2. Cor. 5.* Vnde cum idem Paulus 2. Corint. 5. dixiſſet, *Deum in Chriſto mundum ſibi reconciliare,* adiungit *non reputans illi delicta eorum*; quia nimirum ex natura rei non poteſt dari reconciliatio ſine remiſsione peccatorum, deſtructioneque inimicitiæ præcedentis.

9. *Eſt gratia pacificans. Ad Eph. 2 Coloſſ. 1.* ¶ Conſtat etiam ex ſacris literis gratiam redemptionis per Crucem eſſe gratiam pacificantem: dicitur enim ad Epheſ. 2: *Eſt enim pax noſtra*; & ad Coloſſenſ. 1. *Pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt.* Gratia autem pacificans per ſe ſupponit diſcordiam, & inimicitiam inter eos, qui pacificantur: vnde Paulus adiungit: *& ita cum eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis, reconciliauit in corpore carnis eius per mortem exhibere vos ſanctos*: & ad Epheſ. 2. verbis præcitatis immediatè addit: *medium parietem maceriæ ſoluens inimicitias in carne ſua*: & ſtatim *interficiens inimicitias in ſemetipſo.*

10. *Eſt propitiatiua. Rom. 5.* ¶ Eadem etiam redemptionis gratia dicitur propitians, iuxta illud ad Rom. 5: *Quem poſuit propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*: propitiatio autem ſupponit culpam, & delictum dignum ira & vendicta, quæ per ſanguinem Chriſti remittatur, & condonetur. Vnde Paulus immediatè addit: *propter remiſsionem præcedentium delictorum*: & 1. Corint. 2. dicit: *1. Cor. 2.* *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi,* & ibidem cap. 4: *Miſit Deus filiũ ſuum propitiationẽ pro peccatis noſtris.*

11. ¶ Adhuc gratia redemptionis Chriſti

dici-

Eſt gratia iuſtificatiua. *Rom. 5.* *1. Cor. 1.* *Ad Tit. 3.*

dicitur iuſtificatiua, iuxta illud ad Rom. 5. *Iuſtificati ſumus in ſanguine eius*, quod in eodem capite ſæpè repetit, & in cap. 4. præcedente, & 1. Corint. 1. & 6. & ad Titum 3: iam verò gratia iuſtificatiua per ſe ſupponit iniuſtitiam, & iniquitatem peccati, vt patet ex definitione iuſtificationis poſita à Tridentino ſeſsione 6. de Iuſtificatione cap. 4: *Eſt enim tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionem filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum.* Quod etiam oſtendit Paulus ad Romanos 5: *Gratia ex multis delictis in iuſtificationem.* ¶ Adhuc gratia redemptionis Chriſti eſt viuificans, iuxta illud Chriſti Ioannis 10: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*, & inferius: *Ego vitam æternam do eis.* Quod autem hæc gratia redemptionis per ſe viuificet à morte peccati, patet ex verbis Chriſti Ioannis 5: *Qui credit in me, habet vitam æternam, & tranſiet de morte ad vitam.* Et inde eſt, vt ad gratiam viuificantem redemptionis Chriſti nullus pertinere poſsit, niſi ſit mortuus propter peccatum, vt patet ex *Auguſtino libro 6. contra Iulianum cap. 4.* vbi docet ſecundum fidem omnino concedendum eſſe Chriſtum pro ſolis mortuis, & peccatoribus mortuum eſſe; ita enim ait: *Nullo modo hoc negare permitteris: non niſi pro eis, qui mortui ſunt, mortuum fuiſſe Ieſum.* Quin potius eo in loco expreſſe docet *fieri non potuiſſe, vt Chriſtus moreretur, niſi pro mortuis peccato*, & id confirmat ex verbis Pauli: & merito ſane; quia, vt ait Paulus ad Romanos 5: *Vix pro iuſto quis moritur*, quæ Catholica Auguſtini doctrina conſentit cum doctrina Chriſti Marci 2. & Lucæ 5. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Quæ propoſitio æquipollet huic: veni vocare ſolos peccatores.

Trident.

12. *Eſt gratia viuificatiua.* *Ioan. 10.* *Ioan. 5.* *Auguſt.* *Rom. 5.*

13. *Crucis gratia per ſe incipit à cõtrario.*

Ex qua propoſitione manifeſtè colligitur gratiam, quæ ad redemptionem Chriſti ſpectat, ex ſua natura incipere à ſuo contrario, nempe à peccato: ab iniuſtitia, ab inimicitia cum Deo. Hanc doctrinam eſſe vniuerſalem, ita vt in omnibus redemptis per Chriſtum, nullo excepto, ſit vera, expreſsis verbis docet *Auguſtinus libro 2. de peccatorum meritis cap. 20*: quo in loco propoſita quæſtione, an eſſet aliquis, aut eſſe poſsit ex hominibus, qui non ex peccato peruenerit ad iuſtitiam? negatiue reſpondet, & nullum excipit, niſi Chriſtum: in eadem ſententia perſiſtit in libro de natura, & gratia in principio, dum ait, *Eos nullo modo indigere gratia Chriſtiana, qui nullo modo pertinẽt ad illos, qui peccauerunt*: etenim (vt ait Paulus ad Hebræos c. 9.) *ideo Chriſtus noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento repromiſsionem acciperent, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.* Quibus verbis Paulus vtrumque expreſsit terminum: terminum ſcilicet à quo; *redemptionem præuaricationum*: terminum verò ad quem, *repromiſsionem æternæ beatitudinis.* Quod etiam eleganter expreſſit ad Romanos 5. dum gratiam Chriſti in omnibus contraponit peccato Adami, vt iſto modo doceat, gratiam Chriſti quoad ſua dona incipere à deſtructione damnorum, quæ per peccatum Adami ſunt in mundum introducta: vnde in fine capitis concludit: *Vbi autem abundauit delictum ſuperabundauit & gratia, vt ſicut regnauit peccatum in morte, ita & gratia regnet per iuſtitiam, in vitam æternam per Chriſtum Dominum noſtrum.* Quæ verba ſatis declarant gratiam redemptionis Chriſti inde regnare cœpiſſe, vnde regnabat peccatum. Quod etiam manifeſtè docuit ad Galatas cap. 3: *Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſsio ex fide daretur credentibus*, & ad Romanos cap. 11. *Concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereretur*: ex quibus verbis iam patet ex Pauli doctrina gratiam crucis Chriſti ex miſericordia procedere: miſericordia autem per ſe ſupponit miſeriam, vt vera ſit doctrina *Auguſtini de natura & gratia cap. 5*: *Quos gratia Chriſti liberat, vaſa miſericordiæ nominari*; quia poterat Deus eos tanquam peccatores iuſtè damnare.

Auguſt. *Aug.* *Ad Hebr. 9.*

14.

Ad Galat. 3. *Ad Rom. 11.* *Auguſt.*

15. *Qui nã pertineant ad Chriſti redemptionẽ*

Hæc tam latè diximus, vt apud omnes ſupponatur tanquam indubitatum in fide gratiam redemptionis Chriſti nõ redimere, niſi eum, qui præſupponitur

vere inimicus, vt reconcilietur: dignus ira, vt Deus illi propitietur: mortuus gratiæ propter peccatum, vt per gratiam viuificetur: captiuus, vt redimatur. Deniq; poſitus in ſtatu veteris Adami, vt renouetur, atque iuſtificetur, tranſlatione ſui, ad ſtatum filiorum Dei, iuxta ea, quæ docet *Tridentinum ſeſſ. 6. de iuſtificatione à cap. 1. vſque ad 4.* *Trident.*

§. 4.

Duplex debitum oportet diſtinguere in materia de peccato originali.

16. *Duplex debitum contrahēdi maculam originalem.* SEcundo loco præmittimus in hac materia de peccato originali duplex debitum in quolibet noſtrum eſſe diſtinguendum. Primum debitum eſt ad contrahendam maculam originalem, cū propagatione ex Adamo concipimur: *1. debitū.* hoc autem debitum in nobis oritur ex peccato, quod in Adamo adhuc originaliter exiſtentes actualiter commiſimus. *2. debitū.* Secundum verò debitum eſt, quod ex pura conditione naturæ in nobis inerat, cum adhuc in lumbis Adami eſſemus, ad peccandum peccante eo contra legem ſibi & poſteris impoſitam.

17. Primum illud debitum ortum ex peccato, & inobientia in Adamo à nobis commiſſa expreſsit *Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium*, vbi agens de paruulo, inquit: *Traxit ergo reatum; quia vnus erat cum illo & in illo, à quo traxit, quando quod traxit, admiſſum eſt*: vbi nomine *reatus* obligationem intellige; vt ſit ſenſus: paruulus naſcendo, traxit ſecum obligationem peccati, id eſt maculæ peccati, quod contrahit; quia exiſtens in Adamo vnus cum illo homo peccauit; & ideo ſecum traxit maculam illius peccati, quod in Adamo fecit. Idem expreſsit *Auguſtinus libro 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 4. Reſtat* (inquit) *vt in illo primo homine peccaſſe omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccauit: vnde peccatum naſcendo trahitur.* Quibus verbis ſatis explicat nos peccatum, quo concipimur, trahere ex peccato, quod in Adamo commiſimus. Idem ſatis declarant verba *D. Anſelmi in libro de conceptu virginali, & de peccato originali cap. 7.* vbi ita ſcribit: *In Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit: non quia tunc peccauimus ipſi* (ſcilicet perſonaliter) *quia non dum eramus; ſed quia de illo futuri eramus, & tunc facta eſt illa neceſsitas, vt cum eſſemus, peccaremus*, peccaremus, inquam, id eſt, maculam peccati contraheremus. Ecce igitur ex D. Anſelmo, ideo quia omnes peccauimus, quando Adam peccauit, facta eſt in nobis neceſſitas, vt maculam peccati in Adamo à nobis commiſſi tunc contrahamus, cum primum concipimur. Idem ſatis explicat definitio Tridentini in decreto de peccato originali ſeſſ. 5. dùm ait: *Peccatum, quo omnes concipimur, origine quidem eſſe vnum, vnicuique autem proprium*: eſt, inquam, vnum origine, id eſt cauſalitate: quia nimirum illud vnum, quod omnes in Adam commiſimus, & ideo eſt omnium noſtrum, eſt cauſa, cur quiſque noſtrum in ſe ipſo contrahat ſuum propriū.

August. *August.* 18. *Anſelm.* 19. *Trident.*

Ob quam rationem iam eſt communis & indubitata doctrina, nos omnes ex peccato Adami trahere debitum, & obligationem, vt dum primum concipimur, maculam originalem contrahamus: maculam, in quam, illius peccati, quod ſinguli in Adamo peccauimus: & merito; quia in vnoquoque peccato macula, quæ actione tranſeunte permanet, & qua dicimur peccatores, ſuo modo trahitur ex ipſa actione peccati, cui non poſſumus naturaliter non ſubijci, dum actionem peccati facimus. Similì igitur modo dicendum eſt in peccato originali: etenim ex actuali præuaricatione, quam in Adamo elicuimus, manſimus ſubiecti, & obligati ad contrahendam, & recipiendam in nobis maculam ipſiuſmet peccati, quod cum Adamo in Adamo fecimus. Quare neceſſario admittendū eſt in nobis quoddam debitum contrahendi maculam originalem, ortum ex peccato, quod omnes in Adamo peccauimus. Vnde hoc debitum & à Patribus & à Theologis communiter admittitur, vt inferiùs oſtendemus. *Debitum contrahendi maculā ex peccato Adami.*

Poſterius debitum eſt à nobis ſimul cū aduerſarijs admittendum: nam ſuppoſita diuina inſtitutione, qua Deus voluit vt ſeminaliter exiſtentes in Adamo vince- 20. *Poſterius debitum.*

remus eo vincente, & eo peccante, peccaremus: quia eadem diuina ordinatione, & Adamus erat nos omnes, & nos omnes eramus ille: ſuppoſita, inquam, illa inſtitutione omnes habuimus debitum, vt peccaremus ipſo peccante.

21. *Explicatur aduerſariorũ opinio.* Ex his, quæ diximus, iam patet explicatio ſententiæ aduerſariorum: putant enim in B. Virgine nullum dari debitum contrahendi peccatum originale, ortum ex peccato Adami, quia Deo eam eximente à præcepto impoſito Adamo, & poſteris, illa non peccauit, peccante Adamo; & ſubinde ex peccato Adami nullũ poterat in ea reſultare debitum ad contrahendum peccatum originale: admittunt tamen debitum; tum peccandi in Adamo, tum contrahendi peccatum ex Adamo ortum ex conditione ſuæ naturæ: cum enim ex ſua natura eſſet naturalis filia Adami, ex ſua natura ſubiecta erat, habebatque debitum peccandi peccante Adamo, & contrahendi maculam talis peccati, cum primum conciperetur: vnde niſi à lege eximeretur, de facto peccaret in Adamo, & illius maculam contraheret.

§. 5.

Debitum ad peccandum in Adamo, quod in nobis inerat, antequam peccaret Adamus, non ſatis erat, vt redderet nos Deo exoſos, & inimicos.

22. *3. præmiſſum.* Tertio loco præmittendum eſt, & quamdiligentiſsimè obſeruãdum, debitum illud ad peccandum in Adamo, ſi ipſe peccaret, quod in omnib⁹ Adami poſteris cũ aduerſarijs admittimus, antequã Adamus peccaret, nõ ſatis eſſe, vt antequam actu peccaret Adamus, nos in eo ſeminaliter exiſtentes redderet nos Deo inimicos, exoſos, & mortuos gratiæ: quod in hac materia eſt quamdiligentiſsimè aduertendum. Hoc autẽ ex eo primum probatur: quoniam ſi creatura rationalis à Deo in puris naturalib⁹ crearetur, in ea daretur debitum ad peccandum ortum ex conditione & naturali infirmitate ipſius naturæ in puris naturalibus conſtitutæ: eſſet enim ſubiecta peccato, & de facto peccaret, ſi ſeclu omni gratia ſuæ naturę relinqueretur, vt cum omnibus Theologis ſupponimus ex materia de gratia: & tamen nullus diceret talem creaturam ob ſolũ illud peccãdi debitum, antequam actu peccaret, futuram fore Deo exoſam, & inimicam. Quod de facto concedendum eſt in Angelis malis apud eos, qui vel negant eos vnquam habuiſſe gratiam; vel ſi eam aliquando habuerint in via, eam nõ habuerint ſtatim à principio creationis, ſed poſtea: etenim hac opinione ſuppoſita Angeli mali, antequam actu peccarent, habuerunt debitum peccandi, ex conditione infirmitateque ſuæ naturæ; & tamen nullus vnquam dixit, aut dicere potuit, eos ante peccatum fuiſſe Deo inimicos & exoſos. Similiter Angeli boni ex cõditione ſuæ naturæ, ideo quia creati ſunt ex nihilo, ſubiecti erãt debito peccandi, & de facto peccarent, ſicut peccauerunt mali, niſi diuina gratia adiuuarentur: at quis dicet Angelos bonos pro illo tempore fuiſſe Deo inuiſos, aut fuiſſe ſanctificatos ex peccato? quin potius iuſti, dũ ſunt in gratia, non ſolùm ex conditione naturæ, ſed etiam ratione fomitis, ſubditi ſunt & obnoxij actualibus peccatis, etiã mortalibus, niſi gratia perſeuerãtiæ ſpecialiter donentur: & tamen nullus, niſi hæreticus, dixerit hoc debitum, & hanc captiuitatem eos, antequam peccẽt, reddere exoſos Deo & inimicos. Denique Adamus antequam peccaret, ex conditione ſuæ naturæ ex nihilo creatæ ſubiectus erat debito peccandi, niſi à Deo efficaciter iuuaretur: & tamen antequam peccaret, nunquam fuit exoſus Deo; à fortiori igitur poſteri contenti in lumbis eius, pro illo tempore exoſi non erant, quanuis haberent debitum peccandi, ſi Adamus peccaret. Quin potius Adamo in gratia exiſtente, inerat in nobis omnibus tale debitum, & tamen in Adamo ante peccatum grato, nos etiam grati eramus: imò à primo inſtanti creationis Adami, in eo grati fuimus, quia in eo gratiam accepimus. Quare dubitãdum non eſt, ſed neceſſario aſſerendum debitum illud peccandi ex naturæ infirmitate ortum non ſatis fuiſſe, vt nos redderet inimicos Deo.

23. *Diſcrimen inter vtrũque debitũ* Ex qua veriſsima doctrina infertur, quantum interſit inter illa duo debita ſuperius explicata: nam debitum peccandi in Adamo, antequam ille peccaret, non ſatis erat, vt in eo redderemur immundi immunditia peccati: imò nec per illud debitum poteramus dici tales, cum tale debitum etiam aduerſarijs conſentientibus naturaliter naturam humanam comitetur, quandiu ſibi relinquitur deſtituta omni adiuuante gratia: cum tamen poſterius debitũ, quo, poſtquam in Adamo peccauimus, facti ſumus debitores, ſatis ſuperque ſit, vt antequam actu maculam eius recipiamus, faciat nos originaliter immundos; originaliter inimicos, & exoſos: originaliter gratiæ mortuos: denique originaliter filios iræ, etiam cum adhuc ſumus in parentum lumbis, quam doctrinam vt veriſsimam & Catholicam ſupponimus, de qua iterum dicemus in §. 8.

§. 6.

In quolibet peccato duplicem diſtinguendam eſſe culpam.

24. *4. præmiſ. de duplici culpa in quolibet peccato.* Qvarto loco pro abſoluta huius rei explicatione præmittendum eſt & ſummoperè aduertendũ; quod licet in quolibet peccato vnica tantum detur culpa & deordinatio in genere moris: in genere tamen rei duplicem culpã, & deordinationem eſſe diſtinguendam: vnam in ipſa actione peccaminoſa, quæ tranſit: alteram in anima mediante voluntate, quæ tranſeunte actione permanet. A priori dicimur peccantes, quia actionem peccati efficienter elicimus: à poſteriori vero dicimur peccatores, etiã quando nihil agimus. Prior deordinatio (quæ nihil aliud eſt, quam carentia rectitudinis & conformitatis ad primam regulam) formaliter ineſt in ipſa actione: actio enim in ſe ipſa dicitur culpa ex deformitate, quam in ſe habet ratione carentiæ rectitudinis, & cõformitatis cum prima regula. Deordinatio verò poſterior, quæ, tranſeunte actu permanet in anima, immediatè ineſt in voluntate: quoniam voluntas ex actione deformi, quam elicuit, manet in ſe ipſa deformis à prima regula, quæ eſt diuina voluntas: & hæc voluntatis deformitas eſt macula, qua voluntas dicitur permanere in peccato, & auerſa à Deo, quanuis actu iam non peccet. Cum verò illæ duæ deordinationes, diſtincta habeant ſubiecta, quæ ſuo modo immediatè informant, erunt diſtinctæ culpæ, & diſtinctæ deordinationes in genere rei; habentes inter ſe ordinem prioris, & poſterioris: nam deformitas, quæ immediatè ineſt in voluntate, naturali ſequela reſultat ab ea, quæ eſt in actione: etenim ex eo quod voluntas actionem peccati vel elicuit, vel imperauit, conſecuta eſt in ſe ipſa deformitatem & obliquitatem habitualem à lege Dei, quæ in ea permanet, actu peccati tranſeunte. Quanuis autem illæ culpæ & deformitates in genere rei ſint diſtinctæ: tamen in genere moris vna eſt tantum deformitas & culpa, alio & alio modo ſe habens: etenim illa vna moralis obliquitas, & peruerſio vt eſt in motu, atque in fieri actionis peccaminoſæ, dicitur peccatum actionis, actualiſque præuaricatio: vt autem permanet tranſeunte actu, dicitur peccatum, à quo permanenter, & veluti habitualiter dicimur immũdi. Et ad hunc ſenſum explicabis, quæ docet *Bellarminus 3. tom. in 2. controuerſ. lib. 5. de amiſsione gratiæ & ſtatu peccati cap. 17.* *Bellarm.*

25. *In quo vtraque deformitas cõueniat.* Aduertimus deinde vtramque iſtam deformitatẽ (ſiue conſiderẽtur vt actu diſtinctę in genere rei, ſiue vt diſtinctę ſola ratione in genere moris) per ſe ſumptam ſatis eſſe, vt reddat hominẽ vere culpabilẽ, immundũ, & inimicũ Deo: etenim vtraque per ſe ſumpta, tam moraliter, quã theologicè habet rationẽ veræ culpæ: nemo enim eſt, qui neget, actionem ipſam, qua legẽ Dei præuaricamur, eſſe & dici proprie peccatũ & culpam: nam peccatũ definitur *dictum, vel factum, vel concupitũ contra legem Dei*: quod vero deformitas & macula, quæ tranſeũte actu permanet, vere ſit peccatũ, ex eo patet, quia trãſeũte actu, homo vere dicitur peccator, & ab ea vere mundatur, quando per pœnitẽtiã infunditur gratia. Quare cum omne peccatum eſſentialiter ſit quædam immunditia, & quando eſt mortale, faciat hominem Deo exoſum; vere infertur vtraque

defor-

deformitatem tam actionis, quàm volũtatis per ſe ipſam facere hominem immundum, & mortuum gratiæ.

26. *Diſcrimen inter vtrãque formitatem.* Multum tamẽ intereſt inter vtramq; deformitatem: quoniam deformitas, & culpa actionis, cum immediatè actionem informet, animam vero nõ niſi mediante actione, nõ denominat ipſum hominem peccatorem, niſi extrinſecè, eo modo, quo actio denominat agentem, quæ doctrina eſt manifeſta de actione peccati externa, verbi gratia de actione furti homicidij, &c: nam cum in anima non recipiatur, non poteſt ipſum hominem formaliter, & intrinſecè denominare, ſed ſolũ extrinſecè, ideo. ſ. quia eſt ab homine. Idẽ dicendũ eſt de actione peccati interna, quæ à voluntate elicitur, & in eadem recipitur (vt quando voluntas vult moroſe delectari in re turpi:) nam quanuis volitio ſit immanens, & proinde à volũtate elicita, & in ea recepta: tñ prout habet rationẽ peccati actualis eliciti à volun tate, nõ eam denominat, niſi prout eſt ab ea, & ſubinde extrinſecè: vtraq; enĩ actio tam externa, quã interna denominat hominẽ non peccatorẽ, ſed peccantẽ. Porrò deformitas; quæ tranſeunte actu permanet in anima, ſicut immediatè, & intrinſecè informat animam; ita etiam hominẽ denominat peccatorem denominatione intrinſeca, tanquam forma immediatè, & intrinſecè inhærente in ipſo homine, cõnotando ſemper actionem, qua homo legem fuit prævaricatus: ab hoc enim, tan quam à prima, & fontali culpa (cum adhuc habitualiter placeat) homo habet, quod ſit immundus.

27. *Intereasdatur ordo prioris & poſterioris.* Ex dictis infertur inter iſtas duas culpas, tam in genere rei, quàm in genere moris dari ordinem prioris, & poſterioris: ſi nõ ſemper tempore, ſaltem natura: ordinem, inquam, realem in genere rei, rationis verò in genere moris: & ideo inter vtrãque datur veluti quidam tranſitus, & quędam ſucceſsio vnius ad alteram: ratione cuius ſucceſsionis prior ſeparari poteſt à poſteriori, ſaltem mente, & cogitatione; ita vt prior, vel ſit ſine poſteriori, vel ſaltem ſine poſteriori concipiatur. Et vt res iſta m[illegible]s intelligatur, philoſophemur, & concipiamus hominem ſub ſola actione furti, pro illo priori naturæ, antequam in volũtate reſultet culpa habitualis, quæ communiter appellatur macula peccati; negandũ non eſt hominem pro illo priori naturæ præciſe conſideratum nõ poſſe non conſiderari, vt verè culpabilem culpa actionis peccaminoſæ: quæ licet in eo intrinſecè non inſit tanquam in ſubiecto; ineſt tamen in eo, tanquam in eliciente, à quo emanat: quod abſque dubio ſufficit, vt verè ſit, & dicatur actu peccans, prævaricans, & actu offendẽs Deum.

Simili modo philoſophandum eſt in peccato originali, in quo ſicut modo ſupponimus, datur actio peccati (nempe inobedientia Adami, quam, & Adamus, & nos in eo cõmiſimus) ex qua in Adamo quidem ſtatim reſultauit habitualis macula; quia perſonaliter peccauit, quæ tamẽ nõ ſtatim reſultauit in nobis, quia nõ dum eramus, niſi ſolum potentialiter, ſeminaliter, & in origine: reſultauit tamen debitũ, & obligatio, & quædam neceſsitas eam contrahendi in propria perſona, cum primum conciperemur, quod verbis expreſsis docuit *D. Anſelmus in lib. de conceptu Virginali, & peccato originali cap. 7.* ita ſcribens: *In Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit: non quod tunc peccauimus ipſi*, ſcilicet in proprijs perſonis, *quia nondum eramus, ſed quia de illo futuri eramus: tunc facta eſt illa neceſsitas, vt cum eſſemus peccaremus*, contrahendo. ſ. maculam peccati in Adamo commiſsi. 28. *Simili modo philoſophandũ eſt in peccato originali.* *D. Anſel.*

Et in hoc diſtinguitur peccatum originale ab actuali: quoniam in actuali in eodem inſtanti datur vtraq; culpa, quãuis culpa actionis ſit prior natura: in peccato vero originali culpa actualis ſolum fuit in Paradiſo, quia in paradiſo peccauimus in Adamo de ligno vetito comedentes: habitualis culpa ibi actu non fuit in nobis, quia nondum eramus: ſed ſolum fuit in debito, & obligationẽ habendi illã, dum quiſque generaretur: actualiter vero tunc eſt, cum actu generamur. Ita fit vt in peccato originali actio peccati in quolibet noſtrum longo tempore antecedat reſultantiam habitualis maculæ. Ob quam rationem quiſque noſtrum, ante quam actu ſit, concipi poſsit in parentum 29. *Quomodo peccatũ originale in hoc diſtĩguatur ab actuali.*

lumbis ſub illa culpa actuali quã in Adamo fecit; & ſubinde poſsit concipi ſub culpa actuali, abſque hoc quod concipiatur ſub habituali. Quin potius pro inſtãti generationis, in quo primo ſumus, poſſumus conſiderari ſub actuali culpa, in debito permanente, antequam conſideremur, cum macula actualiter exiſtente: nam cum ſubſtantia ſit prior natura quocunque ſuo accidente; prius natura eſt me in propria perſona generari, & eſſe, quam me recipere maculam habitualem originalis peccati: ob quam rationẽ pro inſtanti generationis ſine errore concipi poſſumus ſine macula habituali: non tamen ſine actuali culpa cõmiſſa in Adamo extrinſecè nobis aſsiſtente: nam cum hęc meã generationem longò tempore anteceſſerit; ita ſuo modo mihi extrinſecè aſſiſtit, vt nec pro illo priori naturæ ſine illius extrinſeca aſsiſtentia concipi valeam: nam ſicut ex vi generationis nunquam poſſum conſiderari homo, quin conſiderer filius Adami: ita conſiderari nõ poſſum homo ex Adamo propagatus, quin concipiar cum debito culpæ commiſſæ in Adamo mihi aſsiſtentis: de quo in 3. libro plura dicemus.

30. *Poſſumus conſiderari cũ ſola culpa actuali in Adamo non conſiderata macula.*

Sed quidquid de hoc ſit: illud veriſsimum eſt, quemque noſtrum poſſe conſiderari cum ſola actione peccati in Adamo ſine macula actualiter contracta: idq; in toto tempore antecedente inſtans generationis, in quo toto fuimus, aut in lũbis parentum, aut in ſemine ab illis emiſſo. Cum verò illa actualis culpa præuaricationis, verè ſit culpa, & offenſa Dei, vt fides docet, & verè originaliter ſit mea, vt etiam docet fides: negandum nón eſt illam ſatis eſſe, vt nos adhuc in maioribus originaliter exiſtentes conſtituat peccatores, iræ filios, & verè mortuos originaliter, ſi non formaliter intrinſecè, ſaltem extrinſece, eo modo quo actio denominat agentem; cum ex illa tanquam ex radice, debitores ſimus, & obligati ad contrahendam maculam, cum primum generabimur.

31. *Diſcrimen inter vnũ & alterũ debitum.*

¶ Ex quibus iam patet quam latum ſit diſcrimen inter debitum ad contrahendã originalem maculam, quod oritur ex culpa à nobis in Adamo commiſſa; & illud, quod non oritur ex culpa, ſed vel ex cõditione naturæ; vel ex defectibilitate naturali, quale fuit in Angelis, & in Adamo ad peccandum, niſi gratia diuina iuuarentur: nam primum debitum infert debitores eſſe mortuos gratiæ, ob culpam ab illis aliquo modo commiſſam: ſecundum verò debitum, cum ex culpa nõ oriatur, debitores non facit inuiſos Deo, & mortuos gratiæ: cum, nulla verè culpa præcedente, nullus verè, & propiè dici poſsit mortuus, & Deo inimicus,

§. 7.

Contra Catharinum infertur ex eius opinione Virginem vere & proprie non eſſe à Chriſto redemptam.

EX his, quæ tam latè explicauimus, iam facilè demonſtratur id, quod §. 3. in principio demonſtrandũ ſtatuimus: ſ. opinionem Catharini ideo eſſe relegandam: quia ex illa infertur B. Virginem vere, & propriè non fuiſſe redemptam Chriſti ſanguine, quod fides improbat: ètenim Virginem à Chriſto eſſe redemptam ſimul ſtare non poteſt cum debito peccandi in Adamo ex ſola naturæ cõditione: ideò .ſ. quia cum eſſet filia Adami, habebat debitum peccandi in Adamo, niſi eximeretur à lege Adamo, & poſteris impoſita. Quod hæc duo ſimul conſtare nequeant, ex dictis euidenter demõſtratur: nam ex primo pręmiſſo conſtat gratiam, quę eſt ex Chriſti ſanguine non redimere, niſi eum, qui vel actu, vel debito eſt inimicus, filius iræ, mortuus gratiæ, verè captiuus, denique conſtitutus in ſtatu veteris Adami: latè enim probauimus; gratiam, quæ eſt ex meritis Chriſti, ex ſua ratione habere, quod incipiat nõ à cõtradictorio, ſed à cõtrario, nempe à peccato, quod vel actu præcedat, vel ſecundum debitum permaneat. Sed ſi Virgo in Adamo non peccauit, nec actu, nec debito poteſt dici Deo inimica, filia irę, peccato mortua, captiua, aut cónſtituta in ſtatu veteris Adami. Ergo ſi Virgo nõ peccauit in Adamo, nullo modo dici poteſt redempta [illegible] Chriſti ſanguinem. Quæ fuit ſequela, cuius conſequens 32. *Ex opinione Catharini ſequitur B. Virginẽ non fuiſſe redẽptã à Chriſto.*

ſequens

ſequens eſt hæreticum etiam apud aduerſarios.

33. *Demōſtratur minor.* In maiore huius diſcurſus omnes cōuenimus: quare ſtatus controuerſiæ poſitus eſt in minori, quā aduerſarij negāt. Illa tamen (ni fallor) euidentiſsime probatur, ex ijs, quæ diximus in 2. & 3. præmiſſo. Quoniam ſi Virgo non peccauit in Adamo, nullum habuit debitum contrahendi maculam ortam ex culpa, quam in Adamo cōmiſimus. Quare Virgo ſolum habuit debitum peccandi in Adamo ortum ex ſola conditione naturæ, modo ſuperius explicato. Hoc autem debitum ex ſententia aduerſariorum habuit antequam Adamus peccaret. Tale autem debitum non ſatis erat, vt ante Adami peccatum eam conſtitueret inimicam Deo, filiam iræ, gratiæ mortuam, captiuam, denique repoſitam in ſtatu veteris Adami. Ergo tale debitum non ſatis erat, vt illa ſanguine filij ſui verè, & propriè diceretur redempta. Minor huius vltimi diſcurſus inde demonſtratur: quoniam qui ex ſola naturæ conditione, & infirmitate ſubiectus eſt peccato, ex vi talis debiti antequam actu peccet, nulla ratione dici poteſt Deo inimicus, aut filius peccati, vt per ſe patet: Angeli enim antequam peccarent, erant cum tali debito orto ex cōditione ſuæ naturę, vt pote ex nihilo creatæ: & tamen antequam actu peccarent, nec fuerunt, nec eſſe potuerunt inimici Deo, & peccato mortui, vt patet. Eodem igitur modo nullus filius Adami, antequā in Adamo peccaret, dici potuit mortuus peccato, & in inimicus Deo, quantumuis ex conditione ſuæ naturæ pro illo tempore habuerit debitum peccandi cū Adamo: nam quamuis ex conditione naturæ futurus eſſet peccator, quia in Adamo erat peccaturus: tamen antequam in eo peccaret, nullo modo dici poterat Deo inuiſus propter peccatum, quia nullam cum Deo adhuc contraxerat inimicitiā. Quare dici nullo modo poteſt, nec vllus vnquam dixit omnes, qui in Adamo peccauimus, fuiſſe iræ filios, & inimicos Deo, antequam peccaremus; idque ratione ſoliùs debiti peccandi in Adamo, quo omnes tunc tenebamur.

34 Quin potius ſicut Adamus antequam peccaret, erat in gratia, & homo nouus abſque vlla vetuſtate ſtatus futuri: ita etiam nos pro illo tempore eramus grati Deo, & abſque vlla futuri ſtatus vetuſtate: vnde ſi ſimul cum Adamo diuina gratia præſeruaremur. non præſeruaremur gratia ſanguinis Chriſti, quia non præſeruaremur à cōtrario, nec à debito, quod conſtitueret nos contrarios Deo: fieri enim non poteſt, vt debitū peccandi quēquam conſtituat verum filium peccati, & iræ, niſi tale debitum oriatur à culpa actuali iam commiſſa: alioqui rediret hæreſis eorum, qui volebant poſſe quem puniri à Deo pro culpa, quam non cōmiſit, ſed committeret, ſi amplius viueret, contra quos multis in locis diſputat Auguſtinus, maximè in lib. de correctione, & gratia cap. 8, nam iuſtus, qui Sapientiæ 4. morte pręuentus eſt, ne malitia immutaret ſenſum eius, quem eſſe malitia immutandum, ſi viueret, Deus præſciebat, non punitur tanquam filius iræ, quamuis ex conditione naturæ debitum haberet incurrendi futuram malitiam; ſed potiùs præmiatur, vt docet Auguſtinus. *Confirmatur.*

35. *Concluſio argument.* Concludendum eſt igitur debitum illud peccandi, quod ex conditione naturæ Catharinus agnoſcit in Virgine, non ſatis eſſe, vt illa dicatur redempta ſanguine Chriſti: quoniam tale debitum non ſatis fuit, vt illam redderet filiam iræ, & filiā veteris Adami: nullus enim dicitur talis ex debito incurrēdi peccatū futurū orto ex cōditiōe naturę, niſi gratia adiuuetur: ſed neceſſario debet dici talis ex debito peccati vere ab eo cōmiſsi, vel in ſe, vel in alio. Quare minor (in qua ſtatus quęſtionis erat poſit[9]) eſt omnino veriſsima.

36. *Cenſura authoris.* Quo argumento non ſolum adducor vt affirmem Catharinum cum ſequacibus non conſequenter loqui, dū admittens in Virgine debitum ortum ex ſola conditione naturæ, putat eam verè fuiſſe redēptam ex meritis ſanguinis Chriſti: ſed etiam vt aſſeram modum iſtū dicēdi Catharini eſſe parum in fide tutum: quā cenſuram puto efficaciſsimè confirmari ex doctrina Auguſtini de natura, & gratia cap. 5; dum ait *eos, qui per gratiam à peccato liberantur, ita à peccato liberari, vt niſi liberarerentur, poſsēt à Deo iuſte dānari.* *Auguſt.*

Quare cũ damnatio ex ſe ſupponat culpam in ſe,vel in alio præcedentem, qua, qui damnatur,vere ſit reus damnationis: vtique ſi Virgo per gratiam Chriſti vere fuit redempta à peccato; vtique ex doctrina Auguſtini, ita fuit liberata, vt niſi liberaretur, vere & iuſte pro tali debito poſſet damnari,etiam antequam in Adamo peccaret.

37. *Alia implicatio Catharini.*

Accedit etiam quia hæc duo inter ſe nullo modo conſtare poſſunt: ſcilicet Virginem exemptam eſſe à lege Adamo & poſteris impoſita; & quod ſit redẽpta ex meritis Crucis Chriſti. Quare cum fides doceat Virginem ex meritis Chriſti redemptam fuiſſe: dici nullo modo poteſt Virginem fuiſſe exemptam à tali lege,& proinde non poſſe dici Virginẽ in Adamo non peccaſſe. Quod vero illa duo inter ſe conuenire nõ poſsint, ex eo oſtenditur; quia ex communi ſententia cõſtat Deum noſtro intelligendi modo priùs præuidiſſe peccatum Adami, quã præuiderit paſsionem, & mortem Chriſti: nam licet forte admittẽda ſit opinio, quod Verbũ diuinum carnem ſumeret, etiam ſi Adamus non peccaret: non eſt tamen admittendum Chriſtum moriturũ fuiſſe, ſi nõ peccaret Adamus. Vnde licet admitti poſsit Deum noſtro intelligendi modo priùs præuidiſſe Verbi incarnationem, quam præuiderit peccatum Adami: tamen admitti non poteſt Deum priùs præuidiſſe Chriſti mortem, quam præuiderit Adami peccatum, Imò contrario modo theologizandum eſt; peccatum.ſ.Adami noſtro modo intelligendi priùs à Deo præuiſum fuiſſe, quã Deus ſtatueret morte Chriſti hominem redimere.

Deus prius præuidit peccatũ Adami,quã mortẽ Chriſti.

38. Hæc omnia ſupponimus tanquam veriſsima, & receptiſsima, quæ eleganter explicauit *Fonſeca in 6. Met.capit.2.q.6. ſect.1.lit.I. L. M. & ſect.2.concl.4.liter.I, latè etiam Suarius 1.tom.ad 3.p.diſp.5.ſect. 3.in 1.& 2. dicto; fuit etiam ſententia Scoti,& aliorum.* Quæ Theologia nõ poteſt non recipi à Thomiſtis,qui putant,quod Verbum carnem nõ ſumeret, ſi Adamus non peccaret: apud iſtos enim peccatum neceſſario præſupponitur ad incarnationem. Porrò ſi Deus pro illo ſigno,in quo

Fonſeca. Suarius. Scotus.

præuidit peccatum Adami, nihil adhuc noſtro modo intelligendi abſolutè decreuerit circa hominum redemptionem, & paſsionem Chriſti; à fortiori non dum præuiderat paſsionem Chriſti, & mortẽ pro illo ſigno, in quo decreuit creare Adamum,& poſteros, & legem illis imponere de non comedendo de ligno vetito: nam ſicut hoc ſignum præceſsit illud, in quo decreuit permittere peccatum Adami; ita etiam præceſsit ſignum, in quo præuidit Adami peccatum. Quomodo igitur,aut fieri,aut concipi poteſt, vt Deus pro illo ſigno,in quo impoſuit præceptum,eximeret Virginem ex meritis Chriſti? etenim pro illo ſigno nondum
erant præuiſa. Admittimus potuiſſe Deũ 39.
pro illo ſigno eam à lege eximere mere gratis abſque vllis meritis, ſi vera eſt ſententia,quod Verbum non incarnaret, ſi Adamus non peccaret: vel ex meritis Verbi incarnati, ſi incarnatio alioquin futura eſſet,licet nullũm fuiſſet peccatum, quæ eſt plurimorum ſententia: negamus tamen potuiſſe Deum pro illo ſigno eximere Virginem à lege ex meritis paſsionis Chriſti, ſi quidem pro illo non dum erant præuiſa: id enim omnino repugnat ſuppoſito ordine prioritatis, & poſterioritatis ſignorum in actibus diuinis, qui noſtro intelligendi modo à Theologis admittitur. Porrò ſi aduerſarij admittant exemptionem illam factam fuiſſe ex meritis quidem Chriſti incarnati,non tamẽ paſsi, & mortui; concedant neceſſe eſt Virginem nullo modo pertinere ad redemptionem,quæ per Crucem facta eſt. Quo argumento olim Catharinum impugnauimus: & ſumme gauiſi ſumus, cum vidimus *Salam eodem vſum eſſe contra Catharinum 2.tom. ad primam ſecundæ, q.81.tract.13.diſp.11.ſect.5.quæſt.11.pag. 641.col.1.*

Salas.

40. *Alia confirmatio.*

Id ipſum amplius cõfirmatur: ponamus enim,quod Deus præuiſo Adami peccato noluiſſet hominẽ redimere; ſicut verè potuit nolle. Hoc ſuppoſito iam inquiro: an Virgo tunc ſine peccato foret concipienda, an vero cum peccato? Si cum peccato: igitur non fuit exempta à lege, & ita peccauit in Adamo ſicut cæteri. Si ſine peccato (quod concedendum eſt, ſi

fuit

fuit exempta à lege) ergo non fuit exẽpta ex meritis Chriſti: ſupponimus enĩ nulla futura fore Crucis merita. Ergo ſi Virgo de facto fuit exempta à lege impoſita Adamo; vtique fuit exempta independenter à meritis Chriſti, & ſine vlla præuiſione eorum: repugnat enim merita Crucis pro illo ſigno eſſe præuiſa: quia Deus pro illo ſigno adhuc poterat nolle Chriſtum pati: non poſſet autem; ſi pro illo ſigno paſsio Chriſti ſupponeretur volita, & decreta. Quare non conſequẽter loquũtur aduerſarij, dum volunt Virginem fuiſſe exemptam à lege, & fuiſſe exemptam ex meritis Chriſti præuiſis.

§. 8.

Suppoſita illa ſententia, Virgo non vere incurriſſet debitum contrahendi maculam peccati.

41. *Ex opinione Catharini Virginẽ non habuiſſe debitum contrahẽdi maculam. Probatur ſeque.*

EX eo etiam opinio Catharini reijcienda eſt; quia ſi Beata Virgo de facto fuit exempta à lege, ita vt non peccauerit in Adamo: vtique ex vi generationis ex Adamo non habuit debitum contrahẽdi maculã peccati Adami, quod eſt contra fidem, vt in ſequenti quæſtione oſtendemus. Sequela facilè patebit, ſi aduertamus, quod ſicut generatio ab Adamo phyſice conſiderata vincente Adamo non haberet munditiam, & vim ad transfundendam ſanctitatem, & iuſtitiam, ſi Adamus non peccaret: ita etiam eo peccante ſecundum conſiderationem phyſicam non habebit immunditiam, & vim ad transfundendam iniuſtitiam, & maculam originalem. Quare quod generatio ex Adamo dicatur munda, vel immunda ex vi transfundendi in poſteros, vel iuſtitiam originalem, vel originalem maculam, id ſolũ habet ſecundum conſiderationem theologicam, quę munditiã vel immunditiam in generatione ſumit, tum à cauſa efficiente, nempè ab Adamo; tum à termino, nempè à filio Adami, qui generatur, prout vterq; theologicè ſumitur: Adamus autem tunc theologicè conſideratur, quando conſideratur tanquam vnus homo repręſentans omnes ſuos poſteros in ordine ad transfundendum in eos, vel iuſtitiam, ſi vincat; vel culpam, ſi peccet. Hanc autem repræſentationem non haberet, niſi Deus ordinaret, vt ille nos omnes repræſentaret; quæ conſideratio ad ſolum Theologum ſpectat. Itaq; ſicut ſi Adamus vinceret, poſterorum generatio ſecundum conſiderationem theologicam eſſet munda; ideo quia ex diuino pacto; & ordinatione Adamus eſſet potens iuſtitiam originalem transfundere in filium genitum, cuius perſonam ex diuina ordinatione geſsit; ita etiam peccãte Adamo, generatio, quæ eſt ex eo, immunda eſt loquendo theologicè, quia prout eſt ab Adamo ſingulorum perſonã gerente, ex eadem diuina ordinatione vim habet transfundendi in poſteros peccatum, quod cõmiſit, vt erat perſona ſingulorum.

Eadem etiam generatio ſecundũ conſiderationem theologicam habet munditiam, vel immunditiam à termino, id eſt ab homine, qui generatur; non abſolutè, ſed prout in Adamo erat ipſe Adamus in quo peccante peccauit: vinceret autem ſi ille viciſſet. Quare ſicut generatio ex Adamo fuiſſet munda, ſi Adamus obediendo vinceret; quia ſecundũ conſiderationem theologicam generabat filium Adami, cui ex victoria reportata debebatur iuſtitia, & ſanctitas: ita etiam poſt Adami peccatũ dicitur ĩmunda, qa generat filiũ Adami, qui in Adamo peccauit, & ideò mãſit debitor maculę peccati in eo cõmiſsi. Ex quibus patet immunditiã debiti ad contrahendum maculam originalem, quæ nunc generationem ex Adamo comitatur, ſumi tum ex eo, quod ſecundum conſiderationem theologicam eſt ab Adamo gerente perſonam eius, qui generatur: tum ex eo, quod terminatur ad hominem, qui dum Adamus peccauit, erat ipſe Adamus; ad hunc enim modũ Auguſtinus Theologorum maximus cõſiderat Adamũ, & poſteros Adami, quando de peccato originali diſputat: vt .ſ. Adamus ex Dei ordinatione ſit omnes poſteri, quia omnium perſonas generabat: & omnes poſteri ſint ipſe Adamus, vt patet ex lib. 1. de peccatorum meritis cap. 10. & ex lib. 3. cap. 7. *Auguſtin.*

42. *Quomodo eam habeat ab homine genito.*

43. *explicatur præcedens Theologia.*

Et pro maiori huius Theologiæ explicatione aduertimus Deum, qui omnium, hominum plenum habet dominium, in

quo-

quocunq; ſtatu illi ſint; conſtituiſſe Adamum caput omnium ſuorum poſterorũ, qui ab eo per rationem ſeminalem procreandi erant, quorum omnium voluntates poſuit in voluntate vnius Adami; ita vt voluntas Adami eſſet omnium illorum voluntas; vnde omnes eramus ille homo Adamus; & ille erat omnes nos. Deus igitur impoſuit præceptum Adamo, & poſteris in eo ſub hoc pacto, & lege, vt Adamo obediente, omnes eius poſteri obedirent, vt iure quaſi hæreditario iuſtitiam originalẽ, & promiſſam gratiam obtinerent: Adamo autem præuaricante, in eo ſimul omnes præuaricarentur: & propter talem præuaricationẽ, & peccatũ manerent Deo inuiſi, & inimici. Itaq; cũ ex inſtitutione diuina Adamus, & nos eſſemus vnus homo, ita vt ipſe eſſet nos, & nos eſſemus ille; ideo peccante Adamo nos in eo exiſtentes etiam peccauimus; & eo comedente, nos etiã comedimus. Hæc eſt conſideratiō Auguſtini, qua ſuppoſita facilè intelligitur, quomodo generatio ex Adamo dicitur immunda: ſicut etiam facilê intelligeretur, quomodo diceretur munda, ſi Adamus Diabolum vinceret.

44. *Cōcluditur intentum.* His ita explicatis iam facilè patet Virginem, ſi in Adamo non peccaret, nō habituram fore debitum contrahendi maculam peccati ab Adamo commiſſi: etenim nec Adamus quãdo peccauit geſſiſſet perſonam Virginis; nec Virgo quoad hoc fuiſſet ipſe Adamus: alioquin Adamus peccante ipſa etiam in eo peccaſſet. Ex quo infertur generationem Virginis licet ſecundum phyſicam conſiderationem verè fuiſſet ex Adamo; quia verè, & naturaliter fuiſſet eius filia: at tamen ſecundum conſiderationem theologicã non fuiſſet ex Adamo. Quod ſi admittatur, neceſſario infertur Virginem ex Adamo nullam traxiſſe immunditiam debiti ad contrahendum maculam originalẽ; quæ fuit ſequela à nobis probãda.

§. 9.

Suppoſita illa ſentẽtia, Virgo nō contraheret maculam peccati Adami, etiam ſi non præueniretur gratia.

45. *Aliud abſurdũ ex ſẽtẽtia Catharini.* Adhuc opinio Catharini ex eo eſt reijciẽnda; quoniam ſi B. Virgo exempta fuit à lege impoſita, non fuiſſet de facto contractura maculam originalem peccati Adami; etiam ſi nulla infuſione gratiæ præueniretur. Quod tamen falſum eſt; & nullo modo concedendum. Etenim neceſſario concedẽdũ eſt eam tali legi de facto fuiſſe ſubiectam, & ſubinde in Adamo peccaſſe, ſicut cæteri peccauerunt: & per conſequens indiguiſſe gratia præueniente, ſi maculam peccati non contraheret. Sequela probatur: quia nemo recipit in ſe maculã peccati, niſi illud cõmiſerit, vel perſonaliter in ſe, vel originaliter in alio: *Etenim aliena peccata nulli nocere poſſunt; ſed tantũ ea, quæ ſunt ſua,* vt latè probat *Auguſtinus lib. 1. retrac. c. 10.* Quod vero nulla ratione cõcedendum ſit, Deum, qui propria peccata dimittit, imputare aliena, affirmat idẽ Auguſtinus lib. 3. de peccatorum meritis cap. 8. Ob quam rationẽ, vt Auguſtinus cõtra Pelagianos defendat paruulos abſque vlla iniuſtitia maculam originalẽ ab Adamo trahere, & pœnalitates contrahere; multis probat, peccatum Adami etiã illorum fuiſſe: vt patet in citatis locis: niſi enim aliquo modo fuiſſet noſtrum, non ſine iniuſtitia maculæ illius ſubijceremur, vt verbis expreſſis affirmat *lib. 6. cōtra Iulianum cap. 4.* vbi poſtquam docuit peccatum Adami etiam fuiſſe noſtrum, ita ſcribit: *Quod ſi falſum eſſet, profectò graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre, nullo modo iuſtum eſſet.* Et merito ſane: quoniam iuxta illud Ezechiel. 18. *Anima quæ peccauit, ipſa morietur.* Quod ſi ſola anima peccans mortem corporis ſubibit, à fortiori ſola, quæ peccauerit, ſubibit mortem animæ. Cum vero macula peccati originalis verê ſit mors animę vt definit Tridentinum ſeſſ. 5. de peccato originali Can. 2. vtique iniuſtè illi ſubijceretur, qui nec in ſe, nec in Adamo verè peccauit, vt Auguſtinus in citatis locis indubitanter definit: ſed Virgo ex ſentẽtia Catharini nullo modo peccauit, aut in ſe, aut in Adamo; quia à lege impoſita Adamo fuit exempta. Ergo quando cõcepta fuit, non erat obnoxia ad contrahẽdũ maculam originalem, quam Adamus

Auguſt.

46.

Auguſtin.

ratione ſui peccati ad nos generatione transfundit. Et per conſequens quamuis non præueniretur gratia, maculam illam in ſe non reciperet, quæ fuit ſequela.

47. *Alia probatio ſequelæ.* Secundo eadem ſequela confirmatur: quoniam ſi aliquis ex Adamo naturaliter naſceretur, præter eos, quos Deus ab Adamo generandos fore decreuit (quod non eſt extra abſolutam Dei potentiam) ille non contraheret peccatum originale, etiam ſi nulla præueniretur gratia, vt latè oſtendimus in materia de peccato originali: non ob aliam rationem, niſi quia in lege Adamo impoſita non fuit incluſus; & ideo peccante Adamo non peccauit: Deus enim lege à ſe impoſita eos ſolos obligauit, quos nouit ab Adamo generandos. Ergo ſimiliter, ſi Virgo exempta à tali lege non peccauit in Adamo, non cõtraheret maculam originalem, quamuis nulla eſſet præuenta gratia: quæ fuit ſequela.

48. *Falſitas cõſuqeentis.* Conſequens tamẽ eſſe falſum, nec aduerſarij negant, nec catholicè negare poſſunt: alioquin Virgo nõ eguiſſet gratia Dei, ne peccatum in ea intraret, à cuius introitu nemo liberatur, niſi per gratiam Chriſti, vt patet ex Paulo ad Rom. 5. & in eodem ſenſu Virgo ipſa contra peccatũ eguit gratia Dei: de qua ad Rom, 3. *Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei.* *Auguſt.* Quod etiam de Virgine ſatis expreſsit *Auguſtinus de natura, & gratia cap.* 36. dũ ait: *Virgini fuiſſe collatam à Deo gratiam ad vincendum omni ex parte peccatum*: omni, inquam, ex parte, quia per eam à peccato originali fuit præſeruata. Id conuincit cõmunis Patrum doctrina, qua affirmant carnem Virginis fuiſſe carnẽ peccati: ita Auguſtinus lib. 5. *aduerſus Iulianum c.* 15. dum ait: *Omnem carnem, vna excepta Chriſti carne, eſſe carnem peccati*: quod expreſsius ſcribit lib. 2. de peccatorũ meritis cap. 24. inquiens *Chriſtum non ſumpſiſſe carnem peccati, quãuis eam ſumpſerit ex materna carne peccati.* Iam vero caro ex eo dicitur caro peccati, quia ex Adamo ſubijcitur maculæ peccati: carnem Virginis huic maculæ fuiſſe obnoxiam expreſſe docet Ambroſius *Pſalm.* 118. dum ait: *carnem Chriſti in matre obnoxiam fuiſſe peccato*: illud enim haberet, niſi diuina gratia ab eo fuiſſet præſeruata. Deniq; niſi Virgo ſecluſa gratia haberet debitum contrahendæ maculę originalis, nec benè explicarentur quam plures fidei regulæ, nec cõmunes Sanctorum doctrinæ. ¶ Quare admittendum eſt, & concedendum Virginem contracturam fuiſſe maculam originalem, niſi infuſione gratiæ per Chriſtum præueniretur: quod tamen eſſet falſũ, ſi à lege Adamo impoſita fuiſſet excẽpta, ita vt in Adamo peccante ipſa non peccaret. Et hæc fuit tota vis argumenti initio propoſiti. *Cõcluſio argumenti.*

Caro virginis eſt caro peccati. Auguſt. *Ambroſij. 49.*

50. *Occurritur ſolutioni.* Nec illius vim elides, ſi dicas, vt Virgo maculam peccati contraheret, ſatis fuiſſe debitum, quod in ea prę fuit ad peccandũ in Adamo, niſi eximeretur à lege: non elides, inquam, argumenti efficaciã: quia ſuppoſita exemptione à lege, repugnabat diuinæ iuſtitiæ obligare Virginem ad cõtrahendum maculam, niſi præueniretur gratia: quoniam verè iniuſtum eſt aliquẽ obligare ad habendum maculam peccati quod ille nec in ſe, nec in alio commiſit, vt ex Auguſtino iam oſtendimus: quæ iniuſtitia non tollitur ex eo, quod virgo peccaret peccatũ Adami, niſi à lege eximeretur; etenim hoc debitum ſatis quidẽ eſſet, vt peccatum Adami ſuum fuiſſet conditionate, ſi nimium non eximeretur non tamen ſatis eſſet vt tale peccatum in Adamo futurum, ſimpliciter eſſet illius. Iam vero obligatio illa conditionata, ſi exemptio de facto aduenit, nec tollit, nec poteſt tollere iniuſtitiam obligationis ad maculam de facto contrahendam, ſi tale peccatũ nullo modo fuit ipſius Virginis. Quod facilè patet in vaſſallo, quem Rex exemit à lege aliquid prohibẽte pęna impoſita: cui tamen legi aliàs erat ſubiectus, niſi ab ea ex imeretur: Rex enim ille vere eſſet iniuſtus, ſi vaſſallũ illũ obligaſſet ad pœnã legis, quam facta exẽptione nõ fuit præuaricatus. Idẽ etiam patet in eo homine, quẽ Deus ex Adamo vellet generare vltra eos, quos de facto generãdos & nouit, & voluit: cũ enim Deus illũ in Adamo de facto nõ obligauerit, vt iam oſtẽdimus, non eſſet iuſtũ illũ obligare ad cõtrahendam maculam peccati, quod in Adamo, de facto non commiſit. Quare argumentum in ſua manet efficacia.

§. 10.

Illa ſententia poſita potuiſſet Virgo ſine Chriſti meritis vendicare ſibi iuſtitiam, & ſanctitatem promiſſam Adamo, ſi vinceret.

51 *Aliud abſurdum ex opinione Catharin.*

TAndem opinio Catharini ex eo eſt reijcienda, quoniam ex ea ſequitur potuiſſe Virginem ſecluſis meritis Chriſti vendicare ſibi, tum iuſtitiam originalem, tum ſanctitatem promiſſam Adami poſteris, ſi in Adamo non peccaſſet: quod tamen eſt hæreticū: quia iuſtificatio ex ſanguine Chriſti abſq; vllis meritis merè gratis, & nulla præcedente obligatione fuit Virgini conceſſa, ſicut & nobis. Sequelam facilè probabimus, ſi ſupponamus Deum conceſsiſſe Adamo non ſolum iuſtitiam originalem, ſed etiā ſanctitatē, & gratiā pro ſe, & pro poſteris: quam, ſi non peccaret, in omnes transfūderet tanquam donum ex diuina ordinatione, & pactione ſibi debitum, vt communis Theologorum docet, & ſatis colligitur ex *Trident. ſeſſ. 5. de peccato originali Can. 2.* Iam ſic: poſteri Adami ius iſtud nullo modo amiſerūt, aut amittere potuerunt, niſi ex præuaricatione Adami, vt

Tridentin.

patet ex eodem Tridentino, dum definit *Adamum ſua præuaricatione non ſolum ſibi, ſed etiam poſteris nocuiſſe, & receptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam, & ſibi; & nobis perdidiſſe*: idque non ob aliam rationem, niſi quia eo peccante, nos etiam peccauimus. Sed ſuppoſita exemptione, quam aduerſarij fingunt, Virgo non peccauit in Adamo. Ergo præuaricatio Adami nullo modo nocuit Virgini, nec illi perdidit ſanctitatem, & iuſtitiam poſteris promiſſam, ſi non peccaſſent: etenim Adamus eam non perdidit, niſi ijs, qui in eo peccauerunt. Ergo ius, quod Virgo habebat in Adamo ante peccatum, vt cū ſanctitate, & iuſtitia naſceretur, ſaluum, & illæſum illi manſit; neque ad id indigebat meritis Crucis Chriſti, quoniam pactum Dei initum cum Adamo, & poſteris fuit antequam noſtro intelligendi modo præuiſa fuerint merita Crucis Chriſti, vt ſuperius diximus: inde enim eſt, vt ſi Adamus non peccaret, ſecluſis Crucis Chriſti meritis (quę per paſsionem nulla fuiſſent) omnes illius poſteri cū ſanctitate, & iuſtitia naſcerētur: Adamus enim ſanctitatē, & iuſtitiā, quā in ſua creatione ante peccatū accepit, nō accepit ex meritis ſanguinis Chriſti, vt ſupponimus.

Ad confirmandam hanc veritatem adhuc inquiro; an ſi Adamus non peccaſſet, fuiſſet tranſmiſsurus in Virginē, ſicut & in cæteros, iuſtitiam originalem & ſanctitatem, quam pro ſe, & poſteris accepit? Si negat Catharinus: Virgo peioris conditionis eſſet, quam cæteri: quod non eſt admittendum: ſi vero affirmat; concedat etiam neceſſe eſt, vincente Adamo, Virginem viciſſe: & ſubinde in Adamo ſibi meruiſſe iuſtitiam, & ſanctitatem, vt cum illa conciperetur ex vi initæ pactionis. Hoc autem eſſet falſum, ſi Virgo ab illo pacto, & lege fuiſſet exēpta: nam ſicut Adamo ſuccūbente mors impoſita fuit in pœnam; ita etiam trāſfuſio ſanctitatis, & iuſtitiæ Adamo vincēte fuit impoſita in præmiū. Nec ſatis eſt, ſi reſpōdeas Deū ab illo pacto, & lege exemiſſe Virginem, quatenus imponebat pœnam, non tamen quatenus imponebat præmium: ita vt eam ſua lege comprehenderet, vincente Adamo, non tamen eo peccante: nec enim huius generis exceptio vllum habet veriſimile fundamentum. 52. *Alia confirmatio.*

Concluſio totius articuli.

53. *Concluſio art.*

¶ Hæc tam latè diximus pro expugnando, & omnino reijciendo fundamento Catharini ſūpto ex eo, quod Virgo exēpta fuit à lege Adamo impoſita; & ideò Adamo comedente, & præuaricante ipſā in eo non fuiſſe præuaricatā: quod fundamentū oportuit totis viribus, & omnibus adhibitis medijs impugnare: quia nō nullis placuit, tanquam habens aliquam non ſolū probabilitatē, ſed etiam pietatis ſpeciem: cum tamen potius ſit relegandū, quam approbandum.

ARTICVLVS V. & Vltimus.

In quonam gradu certitudinis habenda ſit ſententia, quod Virgo in Adamo peccauit.

1. SVpereſt vt explicemꝰ,in quonã gradu certitudinis habendũ ſit Virginẽ peccaſſe in Adamo?nec enĩ in hoc cõueniant Thelogi,qui nobiſcũ conſentiũt.

2. *1,Opinio.* *Henriquez* Sunt qui varias hac de re opiniones referunt:proprium tamen de ea iudiciũ nõ referũt,inter hos referri poteſt *Henriquez in ſua Sũma lib.3.de Confirmatione, & Extrema Vnctio.c.11.§.3. in Gloſ.1.* & ſatis *Azorius* *Azorius lib.4. Inſtit.Moraliũ c.34.q.3.pa. 437.paulò ante finem*,dum referens varias hac de re ſententias ſimul cum ſententia Catharini ſolũ ſcribit ſe nõ videre, quod nos cogat cum Catharino ſentire.

3. *2.Opinio.* Alij putant ſententiã,quæ aſſerit Virginem in Adamo peccaſſe,tenẽdam eſſe vt probabiliorem; oppoſitam tamen eſſe probabilem, & à cenſura abſtinent. Satis in hoc ſignificantes eam nulla indigere cenſura. *Salas.* Ita *Salas 2.tom. ad 1.2.q. 81. tract.13.diſp.11.ſect.5.q.11.pag. 640. col. 1.* vbi expreſſe docet probabilius eſſe Virginem peccaſſe in Adamo, oppoſitã ſententiam nulla notans cenſuram,imò affirmans eam facilè argumenta in oppoſitũ poſſe ſoluere. *Valentia.* Pro hac ſententia referri ſolet *Valentia.tum 2.tom.diſp.6.q.11.pũct. 2. ad primum argumentum pag. 626.E, & 627.B.C.& 4.tom.diſp.2.q.1.punct.2.pag 428. B.C.D.* Cęterum cum in vtroq;loco expreſſe probet Virginem non peccaſſe in Adamo ,tantum abeſt, vt putet noſtrã ſententiam eſſe probabiliorẽ,vt oppoſitũ doceat: quare ſolum agit de controuerſia, vtrùm Virgo fuerit exempta à lege Adamo impoſita,& ideò in Adamo non peccaſſe, quæ fuit imaginatio Catharini: in hac igitur controuerſia,licèt putet opinionem Catharini bonam, & piam eſſe; probabiliorem tamen putat ſententiam oppoſitam: putatque Virginem in præcitata lege fuiſſe comprehenſam; & tamẽ hoc ſtante putat Virginẽ in Adamo nõ peccaſſe,vt ar. 1.retulimꝰ in 4.opinione.

3,Opinio. Tertio loco ſunt, qui velint oppoſitã ſententiam nullo modo eſſe probandam, ſed omnino tenendũ Virginem in Adamo peccaſſe: addunt tamen opinionem oppoſitã nulla dignam eſſe cenſura; quia vtcũq; ſaluat locutiones Sacrę Scripturæ *Suar.* & admittit Virginem per Chriſtũ fuiſſe redemptam.Ita *Suar 2.tom.ad 3.p.diſp.* *ſect.2.§.Quæret aliquis pag.32.col.2.*

4. *4.Opinio.* Quarto loco non deſunt,qui velint de fide eſſe Virginem peccaſſe in Adamo, & oppoſitum eſſe hæreticum.Ita ſenſiſſe Cordubenſem affirmat Suarius quem refert *lib.1.quæſtionũ,q.44.concl.5.* verũ *Non bene citatur Cordub.* Cordubẽſis ibi nõ agit de noſtra quęſtione in terminis, in quibus à nobis proponitur. *Caietan.* Pro hac cenſura citatur Caietanus *2.tom.Opuſculor.in 1.Opuſc.quod eſt de ſanctificatione Virginis cap.3.& 1.2.q.81. ar. 3.cum Medina in eodem loco* : ſed neuter noſtram quæſtionem in terminis excitauit;quamuis ſi ea,quæ docent,diligentius expẽdantur,ad hanc cẽſurã trahi poſsũt.

2. *Vltima opinio.* *Bellarm.* Tandem inuenio Bellarminum *to. 3. lib.4.de amiſsione gratiæ,& ſtatu peccati c. 16.§. Quæ ſententia pag. 250.* aſſerentem contrariam ſententiam,quæ negat Virginem in Adamo peccaſſe,non eſſe tutam. Fundamentum inde ſumit: quia non ſatis videt, quomodo Virgo poteſt dici redempta Chriſti ſanguine, ſi illa in Adamo non peccauit. *Ouandus.* Cum Bellarmino conuenit *Ouandus in comm.ad Scotum in 3.diſt. 3.in titulo an Virgo fuerit propriè redempta?* facilè conſentiet Cumelius *1.2.q.81.ar.3. diſp.vnica concl.3.pag.548.* nam licet oppoſitam ſententiam nulla notet cenſura; eam tamen ſatis ſignificat, dum firmiter tenet Virginẽ nulla ratione excipi poſſe à propoſitione Pauli *Omnes in Adamo peccauerunt*. Fundamentum illius eſt; quia ex illa exceptione apertè ſequitur Virginem non poſſe dici redemptam, quod omnium conſenſu eſt hæreticum. Quare ſi Cumelius ſequelam vt indubitatã probat, nõ poteſt non affirmare oppoſitam ſententiã non eſſe in fide tutam.

6. *Propria authoris ſententia.* Ego nõ ſolum cũ Bellarmino exiſtimo non eſſe tutum in fide negare Virginẽ in Adamo peccaſſe; ſed addo eſſe errorẽ in fide:tũ,quia oppoſita opinio verè & propriè ſaluare nõ poteſt ſacrarũ literarũ locutiones:tum ſecundo,quia inde ſequitur Virginem non indiguiſſe vlla gratia iuſtificatiua, & reconciliatiua: tum tertio, quia hæc opinio non admittit in Virgine ſimpliciter fuiſſe debitum ad contrahendum peccatum originale;ſed ſolum ſecũdum quid,& cum particula diſtrahente à debito , quod ſecum coniunctam habeat

inimicitiam cum Deo. Errorem contineri in duobus prioribus abſurdis oſtendimus in ſuperioribus: eundẽ etiã in hoc tertio contineri oſtendemus in 4. q. ſeq.

7. *Trident.nõ obſtat.* Nec huic reſolutioni repugnat Trid: *Seſſ.5.de peccato originali in fine*, quatenus declarat, non eſſe ſuæ intentionis in illo decreto cõprehendere Virginem: quia ſolum agit de cõtractione peccati, & maculæ, de qua egerat Can.2. & 3: nam de illa ſola ſermo erat in conſtitutione Sixti 4. quam præcipit obſeruare. ¶ Sed nec fundamentum pro Catharino additum aliquid facit:quoniam Virgini illa ſãctitas, & puritas eſt concedenda, quæ non repugnat gratiæ redemptionis per Crucem Chriſti:etenim Deus Chriſtum Dominum conſtituit omnium hominũ redemptorẽ in gloriam ipſius Chriſti. Virginem autem eximere ab illa lege impoſita Adamo non eſt aliud, quam eam eximere à redemptione per Chriſti ſanguinem: nam licèt potuerit Deus eam ab illa lege eximere, vel omninogratis abſq; vllo redemptionis merito; vel ex meritis Verbi incarnati:nõ tñ potuit ꝑillo ſigno illam eximere ex meritis Chriſti paſsi; qa pro illo ſigno nõdũ erat præuiſa mors Chriſti. Quare ſi ſermo ſit de exẽptione à lege ex meritisChriſti páſsi;negandum eſt Deũ pro illo ſigno, in quo præceptũ Adamo impoſitũ conſideratur, potuiſſe Virginem eximere ex meritis paſsionis Xp̃i præuiſis: & ita ceſſat vis,& efficacia argumẽti:quin potius omnino ceſſat pietas illius opinionis:neq;enim piũeſt,priuilegium Virgini concedere, quod non ſit ex Chriſti ſanguine emanans. Maximè; quia Virginẽ in Adamo peccaſſe in nullo derogat perfectę illi⁹ ſãctitati, & puritati dũmodo à reali cõtractione maculæ eximatur:etenĩ licet peccauerit in alio:nunquam tamẽ in ſe habuit illius peccati immunditiam. Hoc autem ſicut Chriſti redemptionem facit efficatiorem, & longe potentiorẽ, ita etiam eam reddit illuſtriorem: redẽptio enim Chriſti eo erit illuſtrior,quo fuerit efficacior:iam vero gratia præſeruans ab immunditia ob culpam actionis in alio cõmiſſæ debita, efficacior eſt,quã præſeruans àprçuaricatione actionis: ob quam rationẽ illuſtrior fuit redẽptio, qua Chriſtus redemit homines iam peccatores;quã fuerit redẽptio,quaDeus redemit Angelos,ne peccarent, iuxta illud Pauli adRom.5. *Cõmendat autẽ charitatẽ ſuam Deus in nobis; quoniã cum adhuc peccatores eſſemus;Chriſtuspro nobis mortuus eſt.* Vide alia argumẽta in ſequente, q. 4. art.3. §. 1. & ſolutionem eorum ibid. *Ad Rom. 5.*

8. *Soluitur fũdamentum Catharini.*

QVÆSTIO IIII.

De debito Virginis ad maculam originalem contrahendam.

Explicata difficultate, an B. Virgo in Adamo peccauerit? conſequenter inquirẽdum eſt;an habuerit debitũ contrahendi maculam peccati ex Adamo? etenim vt in ſuperioribus aduertimus, nõ idem eſt originaliter peccare in Adamo,& contrahere maculã peccati Adami;quod etiam aduertit Toletus adRoman.5.annot.16.in principio. Nam peccauimus in Adamo inParadiſo, adhuc exiſtentes in lumbis eius:contrahimus autem maculam illius peccati,quando in propria perſona actu cõcipimur,& generamur. Præterea peccatum in Adamo fuit vnum tantum in nobis omnibus; at non omniũ eſt vna macula, ſed in vno quoque eſt ſua propria. Ex Tridentino ſeſſ.5.Can.3.In Adamo etiã peccatũ fuit actuale;quia fuit actualis inobedientia, vt ait Paulus: at in nobis ſolum eſt macula inobedientiæ illius. Quare poſt diſputationẽ;an B.Virgo peccauerit in Adamo? conſequenter inquirendum eſt; an, & quomodo habuerit debitum contrahẽdi maculã,peccatiex Adamo?etenim macula originalis non cõtrahitur à nobis, niſi præcedẽte in nobis debito cõtrahẽdi illã. 1. *Cõtinuatio ad præcedẽte.*

Pro reſolutione quæſtionis ſequentes articulos excitabimus. Primus referet varias de propoſita quæſtione opiniones. Secundus diligenter expendet primam opinionem, quæ in Beata Virgine abſolutè negat omne debitũ.Tertius, accurate examinabit opinionem, quæ in Beata Virgine ſolum admittit debitum ſecundum quid, & improprium; propriũ autẽ abſolutè negat. Quartus extendet opinionẽ eorũ, qui duplex debi- 2. *Art.excitandi.*

tum diſtingũt proximũ ſc. & remotum. In quinto articul. pro explicatione quartæ & quintæ opinionis excitabitur quęſtio, an B. Virgo in ſua propria perſona habuerit debitum contrahendi originalẽ culpam? In ſexto ponetur vera totius quæſtionis reſolutio. In ſeptimo, & poſtremo explicabitur in quo certitudinis gradu poſita reſolutio ſit tenenda?

ARTICVLVS I.

Referuntur variæ opiniones de debito Beatæ Virginis ad contrahendum originalem maculam.

1. — 1. Opinio. DE propoſita difficultate varias inuenio opiniones, inter ſe non omnimode conſentientes. Prima ſimpliciter, & abſolutè negat B. Virgini omne debitum ad contrahendum originale peccatum. Qui ita abſolutè, & indiſtinctè id probauerit? inter Theologos inueni neminem: à viris tamen fide digniſsimis accepi hanc aſſertionem ita abſolutè, & diſtinctè prolatam à nonnullis Theologis Toleti, fuiſſe propoſitam, aſſerentibus B. Virginem non ſolum non contraxiſſe maculam originalis peccati; ſed nec habuiſſe debitũ contrahendi illã.

2. Opinio. Secũda hac de re opinio admittit quidem in B. Virgine debitum ad originale peccatum contrahendum: non tamen abſolutum, ſed ſecundũ quid; quia. ſ. abſolutè nõ habuit debitũ, vt quæ fuit diuinitus exempta à lege Adamo, & poſteris impoſita de non comedẽdo de ligno vetitò: at tamen, quia ex conditione ſuæ naturæ illi legi erat ſubiecta, niſi exẽpta eſſet, &, ſublata exẽptione, peccante Adamo de facto peccaret in eo; debitũ habuit contrahendi maculã peccati, quod Adamus cũ ſuis poſteris cõmiſit. Cum vero tale debitum ſimpliciter non habuerit; quia illud nõ habuit ex vi legis, â qua fuit exẽpta; ſed ex ſola conditione ſuæ naturæ; ideô ſimpliciter, & abſolutè loquendo, debitũ non habuit, ſed ſolum ſecundum quid. Catharin. Turrianus. Ita expreſſe *Catharinus in 1. tract. de Conceptione Virginis 1. p. c. 1. 5. quarto igitur loco aſſerimus pag. 10. & §. Sed exiſtunt nonnulli pag. 14. & in eadem ſententia perſiſtit in 2. tractat, de eadem Conceptione libro 2. cap. 1. pag. 21. & ſatis videtur conſentire Franciſcus Turrianus in Epiſt. de peccato origin. fol. 43. pag. 1.* quatenus docet Virginẽ fuiſſe liberam; & immunẽ à debito, quod õnes habemus, qui in Adamo peccauim⁹.

3. — 3. Sententia. Tertia ſententia vtitur diſtinctione: quoniam, vel ſermo eſt de debito proximo, ad contrahendum originale, vel de debito remoto. Volunt igitur B. Virginem non habuiſſe debitum proximum; benè tamen remotum. Qui in hac controuerſia ita diſtinguat, inueni neminẽ: accepi tamen à viris fide digniſsimis, hãc ſententiã, & diſtinctionem pluribus viris doctiſsimis in Academia Complutenſi placuiſſe. Quia tamen illi ipſi Complutẽtes Doctores, non eodem modo explicant, quid ſit debitum proximum, quid ve remotum: hanc tertiam ſententiam explicabimus iuxta eorum placitum, qui volunt debitum proximum eſſe illud, quod oritur ex lege à Deo impoſita Adamo, & poſteris de non edendo de fructu vetito, & ex pacto, cum Adamo, & nobiſcum inito, vt Adamo peccante, omnes in eo peccaremus: debitum vero remotum eſſe, quod ex conditione naturæ omnes habebamus, vt in Adamo tanquam in capite poſſemus obligari.

4. — explicatur hæc 3. opinio. Pro huius opinionis explicatione authores illius ſupponunt Adamum fuiſſe caput naturale omnium poſterorum, inſuper, & morale. Fuit caput naturale; quia in ſua naturali potentia generatiua omnes ſuos poſteros virtualiter continebat, tanquam primum caput naturæ humanæ in poſteros propagatione transfundendæ. Fuit autem caput morale; quia Deus tanquam Dominus totius naturæ voluit, vt Adamus eſſe nos omnes; & omnes nos eſſemus ipſe Adamus; ita vt voluntas Adami ex diuina inſtitutione fuerit noſtra, vt ex Auguſtino in præcedente quæſtione tertia ſæpe diximus. Addunt deinde Deum, & Adamo & nobis in eo impoſuiſſe præceptum de non edendo de fructu vetito, eo appoſito pacto, vt Adamo peccante, & præceptum præuaricante, & ille, & nos in eo peccaremus.

5. *Opinio iſtorum:* Inquiunt igitur hi authores debitum proximum peccandi eſſe illud, quod habuit ortum ex lege Adamo, & nobis impoſita, & ex pacto, quod peccatum Adami eſſet etiam noſtrum: ex hoc enim pacto omnes, etiam antequã Adamus peccaret, mãſim⁹ obligati, & obnoxij, vt peccante Adamo, nos etiam peccaremus: hoc autem debitum, ideo dicitur proximum, quia non fuit in nobis, niſi poſt initum pactum. Debitum verò remotum eſt debitum ortum ex cõditione naturæ; quia ſcilicet, ideo quod in Adamo virtualiter contenti capaces eramus, & ſuo modo obligati, vt in Adamo poſſemus obligari ad peccandum, illo peccante. Quod debitum ideo appellant remotum; quia licet in nobis naturaliter daretur; non tamen ad actum reduci poterat, niſi mediante pacto, ex quo ortum fuit debitum proximum, & immediatum: & inde eſt, vt hoc debitum appellent debitum debiti; quia ex debito orto ex naturæ conditione capaces fuimus debiti, quod ex diuino pacto ortum habuit.

6. *Expilcant ſuam opinionẽ.* Inquiunt igitur B. Virginem, etiam prout in Adamo virtualiter cõtinebatur, non habuiſſe debitum proximũ, vt peccante Adamo ipſa etiam peccaret: nam cùm tale debitum immediatè oriatur ex lege Adamo, & poſteris impoſita, Deus autem ab illa lege, & pacto B. Virginem ſpeciali quodam priuilegio exemerit; nec in ipſo Adamo habuit tale debitum: obquam rationem peccante Adamo illa in eo non peccauit: hanc enim opinionem ſupponunt hi authores tanquam vnicũ ſuæ opinionis fundamentum. Addunt tamen habuiſſe debitum remotum, quatenus ex ſuæ naturæ conditione debitũ habebat, vt in lege à Deo ſtatuta cõprehenderetur, niſi ab ea ſpeciali dono exciperetur. Hæc igitur ſit tertia in hac quæſtione ſententia.

7. *4. Opinio.* Quarta opinio in hac quæſtione admittit diſtinctionem debiti proximi, & remoti: in Virgine autẽ admittit remotum: negat tamen proximum, ſed huius diſtinctionis membra longe aliter explicat ac præcedens: etenim debitũ proximũ appellat illud, quod eſt in propria perſona, quando generatur: remotum vero; quod eſt in eadem, prout eſt in alio, ſ. in Adamo, cæteriſq; parẽtibus. Volunt igitur huius opinionis authores in B. Virgine non fuiſſe debitum proximum, quia in propria perſona, in primo inſtãti infuſionis animæ, in quo primo fuit genita, nullum habuit debitũ contrahendi peccatum; quia pro eodem inſtãti fuit per gratiam præſeruata, ne vlla in eam macula originalis reſultaret: at tamen in B. Virgine admittunt debitum remotum; quia tam in Adamo, quam in cæteris parentibus ſubiecta fuit, & obnoxia ad contrahẽdum originalem maculam, ideo quia per naturalem propaginem ab Adamo erat generanda, quæ propagatio ex ſua natura eſt maculæ originalis transfuſiua. Hanc opinionem ita explicatam pluribus ex Theologis Complutenſibus placuiſſe in quorundã ſcriptis legi. Quorũ illi qui putant B. Virginem in Adamo peccaſſe, in ea admittunt, tum debitum peccandi in Adamo ortũ ex conditione naturæ: tum debitum ad contrahendum maculam peccati in Adamo cõmiſsi, niſi per gratiam præſeruetur: & vtrumque debitum appellant remotum. Porro, qui defendunt B. Virginem non peccaſſe in Adamo, cum in ea nullum debitũ admittant ortũ ex Adami peccato, in ea ſolum admittunt debitum remotum, quod ex conditione naturæ oriebatur.

Quintam adhuc inuenio ſententiam, quæ in B. Virgine non ſolũ admittit debitum remotum, ſed etiam proximũ in propria perſona, quantumuis in ea nulla originalis macula admittatur. Quare non ſolũ admittunt hi authores debitum ad peccandum in Adamo; ſed etiam debitũ ad contrahendã maculã ortũ ex eo, quòd actu peccauit in Adamo: vnde volũt hoc debitũ ex peccato reſultans fuiſſe in B. Virgine, non ſolum in lumbis parentum exiſtente; ſed etiam in ipſa propria illius perſona; & ſubinde habuiſſe debitum proximum, quocumque modo illud explicetur. Hæc ſententia placuit *Bellarmino tomo* 4. *&* *libro*. 4. *de amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati c.* 16. §. *Deniq; obnoxia*; vbi expreſſe docet B. Virginem in primo generationis inſtanti, in quo conſideratur, vt iam habens eſſe perſonæ huma- 8. *5. Opinio.* *Bellarm.*

nx,

næ, in quodam tamen priori naturæ ante infuſionem gratiæ, obnoxiam fuiſſe peccato: & perconſequens habuiſſe debitũ ad contrahendum peccatum. Quam etiã opinionem, vt veriorem probauit *Suar. 2.tom.ad 3 p.diſp.3.ſect.4. §.3. & verius, pag.35.col.2.* Eandem ſatis probauit *Caietanus in tract.de Conceptione Virginis c.2. & 3.* dum explicat defendi poſſe B. Virginem in ſua propria perſona præſeruatã fuiſſe à macula originali, non tamen à debito contrahendi illam: hoc enim in propria B. Virginis perſona non poſſe non admitti, conſtanter defendit.

Suar. Caiet.

9. Has opiniones in hac perdifficili quęſtione non ſine labore deſumpſi ex ijs, quæ de ea Theologi tum in ſuis libris editis; tum in ſuis ſcriptis, & prælectionibus publicè annotarunt: maximè qui ſunt Complutenſis Academiæ.

ARTICVLVS II.

An opinio, quæ abſolutè negat in B. Virgine vllum debitum contrahendi peccatum originale, ſit probabilis?

§. I.

Refertur pars affirmans cum argumentis.

1. *Pars affirmans.* IN præcedenti articulo varias retuli ſententias Theologorum circa quæſtionem; an in B. Virgine admittendũ ſit aliquod debitum contrahendi originale peccatum? de qua quæſtione anno præterito 1615. Toleti non parua excitata fuit controuerſia, inter grauiſsimos Minorum, & Prędicatorum Theologos: de qua ſupremum Sanctæ Inquiſitionis Tribunal varios & doctiſsimos Theologos conſuluit, & celebrem Complutenſem Academiam. Quare operæpretium me facturum duxi, ſi illam in hoc noſtro libro de immaculata B. Virginis conceptione, quamdiligentiſsimè explicarem. Relatis igitur in præcedenti articulo varijs de propoſita quæſtione placitis, de ſingulis ſingulos excitabimus articulos. Et primo loco expendemus, quæ primo loco rel[illegible]fuit; & inquiremus in hoc articulo; an opinio, quæ abſolutè nega[illegible] in B. Virgine aliquod fuiſſe debitum contrahendi peccatum originale, ſit probabilis?

Qui huius quæſtionis partem affirmantem abſolutè probauerit, inueni neminem: accepi tamen nonnullos Toleti abſolutè & indiſtinctè aſſeruiſſe B. Virginem non ſolum maculam originalis peccati non contraxiſſe; ſed nec vllum habuiſſe debitum contrahendi illud. Et pro hac ſententia ita abſolutè prolata (ſi vera ſunt, quæ ad me peruenerunt) allegant *Valentiam tom.2.diſp.6. q.11. punct. 2.§. Quare ad primum reſpondeo: Vaſquez Bellomontanus 2.tom.ad 3.p. diſp.115.c.3. Azorium tom.1.inſtit.moral.lib.4. c.34. q. 3. Henriquez tom. 1. ſuæ Summæ lib. 3. de Confirmat. & extrema vnctione c.1.n.3.lit. L. Baſilium Legionenſem in libro variarum diſput.repet.3.pag.546.col.2. Angles in 2. diſput.31. de traductione peccati originalis, Turrian.in epiſt.de peccato origin. Stephanũ Mendes lib.3. de dignitat. Virginis ſacratiſſimæ c.34.§.2. Denique Catharin. in tract. de Concept. Virginis.* 2.

Valentia. Bellom. Azorius. Henriq. Baſilius. Angles. Turrian. Stephanus Mendes. Catharin.

Pro hac ſententia primum afferri poteſt Richardus de S. Victore, ex quo in officio conceptionis compoſito à Leonardo de Nogarolis referuntur hæc verba: *Non decuit vt caro Mariæ, qualicunque foret obnoxia culpæ.* Similia verba recitantur in eodem officio edito à Bernardo de Buſti. *Beatus* (inquit) *venter Mariæ, qui nulli vnquam fuit culpæ obnoxius.* Iam verò ſi B. Virgo habuiſſet aliquod debitum contrahendi peccatum originale, vtique originali culpæ obnoxia fuiſſet. 3. *1.argum. Richar. de S. Vict.*

Secundò adduci poteſt illud D. Anſelmi, quod adducitur in vtroque conceptionis officio à Sede Apoſtolica approbato: ex cõm.ad 1.Cor.5. *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* Sed puritas, quæ non ſolũ non admittit aliquam culpam, ſed nec vllum debitum ad eam, maior eſt, quam puritas, quæ admittit debitum ad culpã, quanuis culpam non admittat, vt patet; & talis puritas ſub Deo poteſt intelligi. Ergo ex doctrina Anſelmi B. Virgini debet concedi puritas non ſolum excludens omnem culpam, ſed omne debitum ad illam. 4. *2.argum. Anſelm.*

5. *Confirmatio.* Confirmatur hæc ratio: quoniam ex tertia ſynodo generali act. 3. *B. Virgo purior eſt omni ſenſibili, & intelligibili creatura*: & ſubinde eſt purior Angelis. Hoc autem eſſet falſum, ſi haberet debitum ad contrahendam originalem maculam; quia, vt diximus, maior eſt puritas ſanctitatis, quæ & culpam, & omne debitū ad culpam excludit, quam illa, quę ſolam excludit culpam. Ergo concedendum eſt in B. Virgine non ſolum nullam fuiſſe culpam originalem; ſed nec vllum ad illam debitum: nam in Angelis talis puritas reperitur.

6. *3. argum. Auguſt.* Tertiò adduci poteſt illud Auguſtini in lib. de natura & grat. c. 36: *De Virgine Maria, cum de peccatis agitur, nullam habere volumus quæſtionem.* Quæ verba non ſolum intelligenda eſſe de peccatis actualibus, ſed etiam de originalibus, omnes nouiores conueniunt, vt latius oſtendemus *lib. 3. q. 4. art. 1. § 4. n. 72.* Hoc autem admiſſo efficaciter infertur in hac controuerſia ex mente, & intentione magni P. Auguſtini B. Virginem excipiendā eſſe à communi aliorum regula: & ſubinde ex mente Auguſtini nullum in ea peccati debitum eſſe admittendum. *Auguſt.* Quòd confirmari poteſt ex verbis ab Auguſtino additis, *quia ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum.* Iam verò peccatum originale tunc omni ex parte vincitur, cum ita vincitur, vt non ſolum non detur, ſed nec vllum debitum ad illud.

7. *4. argum. D. Hier.* Quartò adduci poſſunt nonnulla Sanctorum Patrum teſtimonia: nam D. Hieronymus in officio conceptionis relatus, ita habet: *Ideo immaculata, quia in nullo corrupta*; quæ habentur in ſermone de Aſſumptione apud Hieronym. tom. 5. pag. 95. qui potius tribuitur Sophronio. Iam verò debitum ad incurrendam originalem maculam ſine aliqua corruptione non datur. *Origenes.* Origenes etiam in eodem officio relatus, ſcribit, *Beatā Virginem nec ſerpentis perſuaſione deceptam, nec eius venenoſis afflatibus infectam*: reperiuntur hæc verba *homil. 1. ex varijs collecta tom. 2. in antiquis pag. 499: in nouis autem tom. 3. pag. 3. B.* Iam verò debitum ad contrahendum culpam originalem ex venenoſis ſerpentis afflatibus ortum eſt. Sanctus etiam Dominicus relatus in dicto officio Leonardi de Nogarolis in tract. de corpore Chriſti, vt grauiſsimi authores referunt, ita ait: *Sicut terra, ex qua Adamus formatus fuit, nunquam alicui maledicto fuit ſubiecta, ita etiam B. Virgo, ex qua ſecundus Adamus Chriſtus Dominus formatus fuit, nunquam fuit maledicta,* quæ etiam verba adducunt præsbyteri Achaiæ ex Diuo Andrea. Iam verò debitum ad contrahendum originale peccatum à maledictione ortum habuit. *S. Dominicus.*

Quintò accedat Cardinalis Nicolaus de Cuſſa *lib. 8. exercit. ex ſermone ſicut lilium, pag. 192.* quatenus ſcribit, *B. Virginem non indiguiſſe liberatione à ſeruitute peccati.* 8. *5. arg. Nicolaus de Cuſſa.*

Poſtremò pro hac ſentētia maximè facit, quoniam hæc propoſitio abſolutè his verbis prolata: *B. Virgo Maria non contraxit debitū peccati originalis*, à Supremo Inquiſitionis Officio Madriti qualificata eſt, tanquam probabilis, vt patet ex fide Secretarij eiuſdem Officij: propoſitio autem iſta abſolutè prolata generaliter intelligitur de omni debito, vt. ſ. abſolutè nullum contraxerit debitum. 9. *Poſtremū argum.*

Ex his inferunt huius opinionis authores explicationem Concilij Tridentini ſeſſ. 5. de peccato originali non ſolùm intelligendam eſſe de ipſo originali peccato, ſed etiam de debito ad illud cōtrahendum: vt ſicut in regulis generalibus originalis peccati Concilium non intendit comprehendere B. Virginem; ita nec in regulis debiti eiuſdem peccati; & aſſerunt Vaſquez Bellomontanum ita docuiſſe. 10. *Illatio.*

§. 2.

Pro vera reſolutione nonnulla præmittuntur.

HIs non obſtantibus, non ſolum reijcienda eſt pręcedens affirmatiua ſententia; ſed omnino damnanda tanquam in fide periculoſa, & erronea. Pro vera tamen huius difficultatis reſolutione, & pro clariori impugnatione præcedentis ſententiæ nonnulla ſunt præmittenda. ¶ Primo loco præmittēdum eſt id, quod in præcedenti q. art. 4. 11. *1. præmiſſum.*

§. 4. n. 16. iam præmiſimus, in omnibus Adami poſteris in ordine ad contrahendam originalem maculam duplex debitum eſſe diſtinguendum: vnum ante peccatum, quo obligati eramus ad peccandū in Adamo, ſi ipſe peccaret: alterum ad cōtrahendam, & recipiendam maculā peccati in Adamo commiſsi, cum primum in propria perſona conciperemur. Hæc duo debita eſſe inter ſe diſtinguenda euidenter patet ex diſtinctione extremorū vtriuſque: nam primum debitum fuit ad peccandum in Adamo, ſi ipſe peccaret; vnde immediate terminabatur ad actionem peccati ab Adamo committendi. Alterum verò debitum non terminabatur ad actum peccati; ſed ad ſolam maculam illius peccati, quod in Adamo omnes commiſimus, cuius maculæ contrahendæ debitores ſumus, cum primum in proprijs perſonis concipimur. Iam verò contrahere maculam peccati, propriè nō eſt peccare, quanuis macula ex Adamo contracta communiter appelletur peccatum. Licet autem actio peccati, quæ tranſit, & macula illius remanens cenſeātur vnum peccatum in genere moris; tamen pro vitanda æquiuocatione ſatius eſt in hac controuerſia actionem peccati diſtinguere à macula illius; ita vt illa duo conſiderentur non in genere moris, ſed in genere rei; cum re vera, quando maculam peccati contrahimus proprie loquendo non peccemus.

13. *2. præmiſſum.* Præmittendum eſt deinde primum debitum habuiſſe ortum ex conditione naturæ ſuppoſita diuina ordinatione, qua Deus voluit omnes homines in vno Adamo obligare, ſtatuendo, vt omnes homines eſſent ille homo Adamus; & ille homo Adamus eſſet omnes homines ab eo propagandi, vt cum Auguſtino omnes admittunt, & ex pluribus illius locis oſtēdimus in præcedenti q. art. 4. §. 4. n. 17. & 18. ratione cuius inſtitutionis Adamus, qui ſolum erat naturale caput omnium hominum, quia omnium erat principiū factus eſt caput morale omnium illorū; quatenus illius voluntas, Deo ita ſtatuēte, erat voluntas omnium noſtrum; ratione cuius peccante Adamo, omnes peccauimus. Ex quibus iam patet prius illud debitum habuiſſe ortum ex conditione naturæ, cuius primum principium erat Adamus, ſuppoſita tamen diuina inſtitutione, qua Deus ſtatuit, vt omnes eſſemus ille; quæ diuina inſtitutio in eo eſt fundata, quod omnes virtute eramus in potentia illius generatiua: qui ideo quia erat naturale omnium caput, quoad eſſe, factus eſt caput morale omnium, quoad agere morale. Poſterius verò debitum ſolum habuit ortum ex peccato Adami, & ex meritis illius, ideo quia fuit etiam omnium noſtrum: & hoc libēter admittit Catharinus docens obligationem, & debitum contrahendi maculam originalem peccati in Adamo commiſsi, tunc primum incepiſſe, cum Adamus peccauit, vt ex profeſſo ſcribit in 1. tract. de Conceptione Virginis 1. p. c. 1. pag. 14. in princip. & in hoc quidem recte: quoniam idem docuit D. Ambroſius in Pſal. 118. ſerm. 6. dum ait: *Adamum ſuo peccato totam ſuam poſteritatem obligaſſe.* Et clarius D. Anſelmus in tract. de peccato originali c. 7. vbi poſtquam docuit *nos omnes in Adamo peccaſſe, quando ille peccauit,* addit hæc verba: *& tunc facta eſt illa neceſsitas, vt cum eſſemus peccaremus*, id eſt, contraheremus maculam peccati, quod commiſimus in Adamo.

14. *Ambr.* *Anſelm.*

15. Ex quo bene infertur prius illud debitum non bene dici, eſſe ab Adamo; bene tamen poſterius: & ratio eſt; quia cauſa poſterioris debiti fuit Adamus, idque per ſuam liberam voluntatem, quæ erat noſtra: vnde potuit tale debitum in nobis non fuiſſe, quia potuit Adamus non peccaſſe. At verò cauſa debiti prioris nō fuit Adamus, ſed conditio naturalis propriæ naturæ, ſuppoſita diuina inſtitutione, quod voluntas Adami eſſet ñoſtra. Quare tale debitum fuiſſe vel non fuiſſe in nobis, non fuit in libera Adami poteſtate, ſed prouenit ex naturali naturæ noſtræ conditione, quatenus omnes eramus Adami filij: vnde ſuppoſita diuina inſtitutione nullus noſtrum potuit non peccare, niſi ex diuina diſpenſatione eximeretur.

§. 3.

Statuitur concluſio contra affirmantem opinionem.

His

16. HIs præmiſsis contra præcedentẽ affirmatiuam ſententiam hæc ſtatuitur propoſitio omnino amplectenda: *B. Virginem ſimpliciter & abſolutè nullum habuiſſe debitum contrahendi maculam peccati Adami, ſine maximo fidei periculo, & errore aſſirmari non poteſt*. Hæc propoſitio ex eo primum confirmatur, quia opinio oppoſita contra quam ſtatuitur, nullum pro ſe habet authorem: nam qui pro ea citantur, vel noſtram opinionem indubitanter approbant; vel in terminis noſtræ propoſitionis non loquuntur, vt ſtatim oſtendemus: quin potius ſententia illa, tanquam falſa & improbabilis ab omnibus reijcitur; etenim authores tertiæ, quartæ, & quintæ opinionis nõ poſſunt illam non improbare; quia vel omne debitum tam proximum, quàm remotum admittunt, vt patet ex quinta opinione; vel ſi negant debitum proximum, admittunt remotum, vt patet ex opinione 3. & 4: Catharinus autẽ author ſecundæ opinionis noſtram propoſitionem tanquam primum & firmũ ſuæ fundamẽtum iacit in vtroque tract. de Concept. Virginis: in primo quidem cap. 1. & 2: primæ partis; in ſecundo autẽ lib. 2. cap. 1. Quare cum illa opinio in re grauiſsima nullum pro ſe habeat authorem, & ab omnibus abſolutè improbetur; non poteſt ex hoc cap. non relegari, ſaltem tanquam improbabilis & omnino falſa.

17. Deinde eam nõ poſſe non relegari, vt in fide periculoſam, & erroneam euidenter cõuincitur, ſi ſupponamus negari non poſſe ſine fidei periculo, B. Virginẽ peccaſſe in Adamo, vt in quæſt. præcedenti art. vltimo oſtendimus: hac autem veritate ſuppoſita, ſine errore in fide negari non poteſt B. Virginem habuiſſe debitum contrahendi maculam originalis peccati, vt oſtendemus §. 5. ſiue illud debitum dicatur remotum, vt plerique putant; ſiue proximum, vt alij exiſtimant, de quo inferius.

18. Accedit tertiò; quoniam licet admitteremus (quod tamen non admittimus) B. Virginem non peccaſſe in Adamo (quæ fuit multorum opinio, quos citauimus in quæſt. præcedente art. 1. §. 1.) adhuc ſine periculo affirmari non poſſet B. Virginem nullum habuiſſe debitum: etenim ſi abſolutè nullum debitum habuit, vtique non potuit dici redempta Chriſti ſanguine, quod ſine hæreſi affirmari non poteſt, vt nunc ſupponimus lib. 3. latiùs id oſtenſuri, quod ipſi etiam aduerſarij (ſi aliqui darentur) libenter admitterent. Porrò ſequela huius argumẽti ex eo apertè probatur; quoniam ad Chriſti redemptionem nullus pertinere poteſt, niſi aliquo modo ſit peccator, vt q. 3. iam oſtendimus, & iterum oſtendemus in art. ſequenti; ad hoc autem probandum ſatìs nunc ſint verba Chriſti Domini Marc. 2. & Luc. 5: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*: quibus verbis ſatis edocemur Chriſtum propter ſolos peccatores veniſſe: ob quam rationem gratia redemptionis Chriſti dicitur reconciliatiua, pacificatiua, denique viuificatiua, vt q. 3. monſtrauimus: quæ omnia ſatis conuincunt eos, qui ſanguine Chriſti ſunt redempti, non ſolùm ſub peccati iugo fuiſſe captiuos, ſed Deo inuiſos, & peccato mortuos. Quare de fide eſt, neminem poſſe ad Chriſti redemptionem pertinere, niſi aliquo modo fuerit mortuus peccato: iam verò nullus poteſt dici peccato mortuus, niſi propter peccatum, cuius aliquo modo ſit debitor: vnde qui abſolute nullum habuit debitum contrahendi peccatum ex Adamo, nullo modo poteſt dici mortuus peccato Adami: etenim peccatum Adami nulli poteſt mortem ſpiritualem inferre, niſi Adami peccatum aliquo modo ad eum pertineat: quoniam peccatum nulli nocet in ordine ad ſpiritualem mortem, niſi ſuum; vt verbis expreſsis ait Auguſtinus lib. 1. retra. cap. 10. inquiens: *naturæ humanæ nulla nocuere peccata, niſi ſua*, & lib. 3. de peccator. meritis c. 7. expreſſe negat: *poſſe liquidè affirmari peccatum Adami, etiam non peccantibus nocuiſſe*. Quare ſi B. Virgo nullũ prorſus habuit peccatum ex Adamo, nec debitum ad contrahendum illud, ficut nullo modo poteſt dici mortua illo Adami peccato; ita nullo modo poteſt ad Chriſti redemptionem pertinere. Cum igitur hoc ſine hæreſi affirmari nequeat, vt iam ſuppoſuimus; vtique ſine periculo

19. August.

&

& errore in fide nequit ſimpliciter affirmari B. Virginem abſolute nullum habuiſſe debitum contrahendi ex Adamo originale peccatum, quod propoſitio noſtra aſſerit: de qua cenſura agemus §. 5.

20. Denique hæc opinio ex verbis Auguſtini euidenter conuincitur lib. 10. de Geneſ. ad lit. c. 18. dum ait: *Carnem eſſe ex propagine Adami, ſatis eſſe, vt quis præuaricationi Adami ſimpliciter ſit ſubiectus.* Nullus autem negabit B. Virginem ex Adamo habere propaginem.

§. 4.

Communis ſententia, nemine diſcrepante, in B. Virgine aliquod admittit debitum.

21. *In B. Virgine admittendum eſt aliquod debitum.*

SEd vt huius noſtræ propoſitionis veritas magis appareat, non ſolùm eam probabimus, quod oppoſita ſententia nullum pro ſe patronum habeat, vt iam diximus; ſed etiam ex eo, quod omnes Theologi, qui de hac quæſtione ſcripſerunt, ſimpliciter agnoſcunt, in B. Virgine aliquod debitum ad contrahendum originale. An verò tale debitum ſit proximum, an verò remotum? de hoc eſt inter eos controuerſia: de qua in ſequentibus articulis agemus.

22. Quod in B. Virgine admittendum ſit aliquod debitum: imò vtrumque debitū, remotum ſcilicet & proximum, conſtāter probant omnes Theologi, qui admittunt eam contraxiſſe originale: nam (vt aiunt) ideo originalem maculam contraxit; quia ex peccato in Adamo commiſſo traxit obligationem, & debitum ad contrahendam maculam illius, cum primum concepta foret. Ex Theologis autem, qui defendunt eam non cōtraxiſſe originale plures admittūt in ea debitū contrahendi, quodcumq; illud ſit. Id ſatis ſignificauit *Gerſon* 1. *p. alphab.* 15. *verit.* 10. & 11. *in nouis; in antiquis vero in tract. ad prouincialem cœleſtinorum, verit.* 10. & 11. *fol.* 15. *col.* 2: vbi expreſſe docet in hoc B. Virginem à filio diſtingui, *quod habuit neceſſitatem contrahendi originale peccatū, ideo quia deſcendit ab Adamo per naturalem propagationem: quam tamen neceſſitatem non habuit Chriſtus.* Neceſſitas autem contrahendi nihil eſt aliud, quàm debitu

Gerſon.

Latè *Cordubenſis lib.* 1. *quæſtionar. q.* 44. *concl.* 5. *per totam, in terminis pag.* 354. *col.* 2. *§ Tunc vltra. & §. & notanter dixi*, & ſæpè alibi expreſſe affirmat B. Virginem in debito fuiſſe peccato mortuam, Deo inimicam, & ſubinde habuiſſe debitum contrahendi originale peccatum, quod contraheret, niſi præſeruaretur: *Canniſius lib.* 1. *de Maria Deipara cap.* 6. *pag.* 59. *B. vbi docet B. Virginem peccato ſubijciēdam: inter iræ filias recenſendā, niſi gratia fuiſſet præſeruata.* Et inferius litera D. cum Durando affirmat *eam in ſua radice, & ex natura ſuæ conceptionis fuiſſe obligatam ad incurrendum peccatum*: hæc autem obligatio idem eſt, quod debitum. In terminis *Valentia in lib. de rebus fidei controuerſis in tract. de peccato originali c.* 3. *pag.* 785. *col.* 2. *G.* vbi expreſſe tanquam certiſſimum ſcribit, *B. Virginem incurriſſe neceſſitatem ſiue debitum contrahendi peccatum originale, ſiue illud actu contraxerit, ſiue non contraxerit.* Eiſdem verbis idem repetit 2. *tom. diſp.* 6. *q.* 11. *punct.* 2. *pag.* 625. *E. & clarius* 4. *p. diſp.* 2. *q.* 1. *punct.* 2. *pag.* 403. *§. Tertio hinc etiam*: vbi docet certum eſſe *B. Virginem non fuiſſe liberatam à debito incurrendi peccatum.* Idem affirmat *Veiga lib.* 2. *in Tridentinum cap.* 6. *ad finem*, dum ait, *Beatam Virginem, licet originale non cō traxerit, indiguiſſe tamen redemptione*, qua non indigeret, ſi debitum contrahendi non haberet. In terminis *Bellarm. tom.* 4. *& lib.* 4. *de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap.* 16. *pag.* 328. *§. Quod attinet ad ſecundū, & clarius pag.* 329. *§. Nec illud negamus*, vbi ait, *Nec illud negamus eandem Virginē in Adamo eſſe mortuam; hoc eſt propter Adæ peccatum mortis debitum contraxiſſe.* Vidēdus eſt *ibidem pag.* 330. *in principio*: *Vaſquez Bellomont.* 2. *tom. ad* 3. *part. diſp.* 115. hanc opinionem approbaſſe ſatis colliges ex ijs, quæ ſcribit ibidem cap. 2. vbi affirmat communem ſententiam docere B. Virginem in Adamo peccaſſe, & inde contraxiſſe debitum contrahendi peccatum; quorum ſententiam, alijs tamen ductus rationibus, approbat cap. 3. ita concludens: *ex quo manifeſtum fiet B. Virginē in Adamo peccaſſe, & neceſſitatem contrahendi ex ipſo peccato incurriſſe.* Idem ſignificat *Salas* 2. *tom. ad* 1. 2. *q.* 81. *tractatu* 13. *diſp.*

Cordub. 23. *Canniſius.* *Valentia.* *Veiga.* *Bellarm.* *Bellom.* *Salas.*

Caiet. *diſp.11.ſect.5.n.69.pag.641. Caietanus in tract.de Conceptione Virginis c. 2. & 3.* vbi in terminis docet in B. Virgine fuiſſe debitum contrahendi peccatum originale: & idem declarat *1. 2. q.81. art. 3. vbi*

24.

Medina. Cumelius. Palatius. Morales. Azorius. Henriq. Baſil. Leg.

Medina,& clarius 3.p.q.27.art.2.concl.1. pag.505.col.2. Cumelius 2.tom. ad 1. 2. q. 81.art.3.prop.3. Palatius in 3.diſt.3. diſp. 1.pag.47. & 48. Petrus Morales de Chriſto Domino.& ſanctiſsima Virgine lib.3.tract. 1. concl.5.n.20.pag. 276. Azorius tom.1. inſtit.moral.lib.4.c.34.q.3.pag.437. Henriquez 1.p.ſuæ Summæ lib.3.c.11.in Gloſſa L. Baſilius noſter Legionenſis in lib.variar. diſput.in 3.relect.pag.546.col.2. Idem admittit

Durand. *Durand.in 3.diſt.3.q.1. vt innumeros alios omittamus.* Quibus addimus hoc debitum contrahendi peccatum in Beata Virgine admittere etiam illos, qui putãt eam in Adamo non peccaſſe: etenim

Catharin. Catharinus huius opinionis author expreſſe docet B. Virginem ex meritis Adami ad contrahendam originalem maculam fuiſſe ſubiectam, vt patet *in 2.tract.de Cõcept.Virginis lib.2.c.1.pag.29.& idem repetit in toto illo cap.pag.28.29. & 30.* vbi latè probat eam ſecundum naturæ ſuæ conditionẽ ex meritis peccati Adę fuiſſe ſubiectam peccato, quæ ſubiectio nihil eſt aliud, quam debitum.

25. Concludendum eſt igitur opinionem, quæ in B. Virgine admittit debitum peccandi, ita eſſe receptam apud omnes, vt ñemine contradicente, recepta ſit: nec enim aliquem legi, qui oppoſitam opinionem probauerit, vt ſæpè aduerti. Et admiratus ſum, cum in quadam huius cõtrouerſiæ ad me miſſa relatione legi pro cõtraria ſententia citari Valentiam, Bellomontanum, Azorium, Henriquez, Baſilium, Angles, Turrianum, & Fratrem Stephanum Mendes: cum tamen hi vel nihil hac de re ſcribant; vel noſtram opinionem expreſſe probent; vel non agant de omni debito, ſed de ſolo illo, quod ex peccato Adami oritur: quod facile quiſque intelliget, ſi ſingulos illos doctores expendamus. Nam Valentiam in B. Virgine debitum admiſiſſe patet ex verbis, quæ ex eo adduximus; & hanc opinionẽ putat eſſe certiſsimam, ſiue B. Virgo in Adamo peccauerit, ſiue non peccauerit.

Falſò citãtur hi Theologi.

Falſò citatur Valentia.

26. Nec obſtat locus adductus ex 2.to.diſp. 6.q.11. punct.2. pag.626. ad 1. litera E: quoniam eo in loco dicit, *Piè credi poſſe Deum B. Virginem à lege Adamo, & poſteris impoſita eximiſſe: & ſubinde in Adamo non peccaſſe.* Ex hoc autem non bene infertur eum in B. Virgine nullum debitum admiſiſſe, vt ipſemet eodem in loco aduertit pag. 625. in fine: & merito, quoniam cum hoc, quod in Adamo non peccauerit, bene conſtat eam habuiſſe debitum, non quidem ortum ex peccato Adami, ſed ortum ex conditione naturę; ratione cuius ex ſe ſubijciebatur legi, & habebat debitum, vt illa obligaretur, niſi diuino priuilegio eximeretur: & hoc eſt vnicum fundamentum Catharini, & eorum, qui volunt B. Virginem in Adamo non peccaſſe.

27. *Falſò citatur Vaſq. Bellom.* Bellomontanus autem *2.tom. ad 3.p. diſp.115.cap.3. in principio, n.18. & n.23.* abſolutè tenet in B. Virgine, non ſolum dari debitum ex conditione naturæ ortum, ſed etiam debitum ortum ex peccato Adami, & oppoſitum ſine nota erroris dici non poſſe contra Catharinum multis contendit; de quo in ſequenti art. multa dicemus. Quare falſum imponitur Bellomontano, quod tanquam probabile admittat nullum in B. Virgine fuiſſe debitum: nam licet admittat potuiſſe B. Virginem non habuiſſe debitum ex peccato Adami ortum, fatetur tamen eam ſemper habituram fore debitum peccandi in Adamo, ſi à lege Adamo impoſita non eximeretur. ¶ *Azorius autem 1.tom. Inſtit.moral. lib.4. cap.34. q.3.* nihil ſcribit, quod oppoſitam ſententiam iuuet. Henriquez verò ſolum refert opinionẽ, quod B. Virgo ſit præſeruata à debito peccati Adami; vnde pro oppoſita ſentẽtia citari non poteſt: ſed nec pro ea citari poteſt noſter Baſilius Legionenſis; quia ex verbis eius euidenter patet eum loqui de debito, quod ad peccatum Adami cõſequitur, de quo etiam debito intelligẽdus eſt Frater Stephanus Mendez. Ioſephus Angles in loco, in quo citatur, nullum verbum de hac quæſtione ſcribit: ſicut nec Turrianus in d.epiſt.de peccato originali. ¶ Veriſsimum e[illegible] igitur id, quod ſępè admonui, oppoſitam ſententiã

Falſo etiã Azorius.

Falſò Henriquez.

Falſo Baſilius.

[F]alſo Turrianus.

nullum

nullum pro ſe habere authorem: & ob id eſſe reijciendam, non ſolum vt falſam; ſed etiam vt improbabilem.

§. 5.
An opinio affirmans indigeat aliqua cenſura?

28. SI verò inquiras; an opinio, quæ in B. Virgine abſolutè nullum agnoſcit debitum, digna ſit aliqua cenſura? reſpondeo affirmatiuè, ſi abſolutè intelligatur negare debitum, tum quod oritur ex conditione naturæ ad peccandum Adamo peccante, tum quod ortum habet ex peccato Adami, & immediatè terminatur ad contractionẽ maculæ peccati in Adamo commiſsi: nam quanuis aliquo modo cõtrouerſum ſit; an negare debitum cauſatum ex peccato, quod omnes in Adamo commiſimus, aliqua cenſura indigeat, vt in ſequenti art. videbimus: nullus tamen dubitat, nec dubitare poteſt aſſertionem, quæ abſolutè negat omne debitum rigida dignam eſſe cenſura, vt aſſerit concluſio poſita ſupra §. 3: etenim ſi B. Virgo nullum habuit peccandi debitum, nullo modo poteſt pertinere ad eos, qui peccauerunt: ad peccatores enim nullus aliquo modo pertinere poteſt, niſi vel ipſe peccauerit in ſe, vel in alio; vel habuerit debitum peccandi.

Indiget rigida cenſura.

29. Porrò ſi aliquo modo non pertineret ad eos, qui peccauerunt; nullo modo indigeret gratia Chriſtiana, & redemptione per Chriſti ſanguinem: etenim ex Auguſtino *nullo modo indiget Chriſtiana gratia, qui non pertinet ad eos, qui peccauerunt*, vt ſcribit libr. 2. de peccatorum meritis c. 20. & in lib. de natura & gratia in principio. Et profectò res eſt abſque dubio, ſi ſemel admittatur (quod non poteſt nõ admitti) B. Virginẽ in Adamo peccaſſe: quoniam ſinẽ errore in Fide negari non poteſt eos, qui in Adamo peccauerunt, ipſo peccato Adami debitores factos fuiſſe, & obligatos ad contrahendum maculam peccati in Adamo commiſſi: etenim qui actu peccat, eo ipſo, quod peccat, ſubijcitur maculæ ipſius peccati: vel actu, ſi perſonaliter peccat; vel habitu, & in debito, ſi peccat in alio. Quare ſi ſemel admittatur B. Virginem in Adamo peccaſſe, non poteſt ſine Fidei errore negari cã ſubiacuiſſe debito contrahendi maculam peccati, quam contraheret, niſi præſeruaretur: quod euidentius fiet in 2. artic. vbi Bellomontani imaginatam Theologiam expendemus.

Auguſt.

Indiget cẽſura ſi B Virgo peccauit in Adamo.

30. Idem dicendum eſt, licet admittatur B. Virginem in Adamo non peccaſſe: etenim, vt ſupra dicebamus §. 3. in hac opinione ſeruatis Fidei principijs, admittendum eſt, eam ita à lege Adamo, & poſteris impoſita fuiſſe exemptam, vt ex conditione naturæ illi legi fuerit ſubiecta, niſi eximeretur; & ſubinde ex conditione naturæ habuiſſe debitum peccãdi, peccante Adamo: & ex conſequenti ad peccatores aliquo modo pertinuiſſe, & ideò indiguiſſe gratia redemptionis per ſanguinem Chriſti. Quod authores illius opinionis ita conſtanter admittũt, vt doceant id, ſine errore in Fide negari non poſſe, vt ex artic. ſequenti patebit. Quare ſiue dicas B. Virginem peccaſſe in Adamo, ſiue id neges; ſemper Fidei principijs ſeruatis ita teneris in ea admittere debitum ad contrahendum originale peccatum, vt ſine errore id negare nequeas.

Eadem indiget cenſura etiã ſi in Adamo non peccauerit.

31. Nec Theologi Complutenſes id vnquam negauerunt: quin potius, licet exiſtimauerint debitum proximum probabiliter & ſine vlla Fidei cenſura poſſe B. Virgini negari; remotum tamen ſemper admiſerunt; licet in illius explicatione varient, vt ex varijs illorum annotationibus ad me delatis intellexi.

Theologi Complutẽſes quomodo id intelligant?

32. Quare nullo modo admittenda eſt hæc propoſitio ſimpliciter prolata: *Beata Virgo Maria non habuit debitũ contrahendi peccatum originale*: quia hæc propoſitio iſto modo propoſita in rigore loquendo denotat B. Virginem nullum habuiſſe debitum, vt patet, quia ſimpliciter aſſerit eam nec habuiſſe debitum proximum, nec remotum. Nec iſta propoſitio à Supremis Inquiſitorib⁹ in his terminis fuit qualificata, ſed in alijs, vt ad vltimum argumentum dicemus.

Illa propoſitio ſimpliciter prolata non eſt admittenda.

§. 6. & vltimus.
Soluuntur argumenta §. 1. adducta.

33. *Ad 1. arg.*

NEc argumenta, quæ §. 1. pro parte affirmante adduximus, aliquid faciunt. Nam ad primum ſumptum ex Richardo de S. Victore dicendum eſt primò ea verba in Richardo non inueniri: deinde dicimus illa eſſe intelligenda de ſubiectione actuali alicuius culpæ, ſiue actualis, ſiue originalis: etenim cum B. Virgo nullam actualem culpam commiſerit, nulli culpæ actuali vnquam ſubiacuit: cum verò maculam originalẽ actualiter non contraxerit, vt in ſequenti libro demonſtrabimus; nunquam actu ſubiecta fuit originali maculæ. Cum quo bene ſtat, quod caro illius debito culpæ originalis fuerit obnoxia: etenim ſine errore negari non poteſt carnem illius fuiſſe carnem peccati, vt ex Auguſtino, & communi Patrum doctrina ſæpè oſtẽdimus: caro autem peccati dicitur illa, quæ obnoxia eſt debito contrahendi peccatum, vt ex eodem Auguſtino latè oſtẽdemus *lib.* 3. *q.* 4. *art.* 2. §. 1. *n.* 53. *& deinceps.* Quæ verò ſecundo loco adducuntur, ſi vere ſunt Richardi, vel eodem modo ſunt explicanda, quo priora; vel cum expreſſe loquantur de ventre B. Virginis, intelligenda ſunt de culpa contra caſtitatem.

33. *Ad 2.*

Ad ſecundum dicimus verba illa Anſelmi non eſſe explicanda ſub tota verborum latitudine: etenim ſub Deo maior eſt puritas Chriſti hominis, quàm Beatæ Virginis; & ideo communiter explicantur, vt ſub Deo, & ſub Chriſto homine maior nequeat intelligi. *Explicantur verba D. Anſelmi.* Deinde puritas ſub Deo ex gratia ſanctificante ſyncathegorematicè eſt infinita; ſicut & ipſa gratia, vnde de potentia abſoluta poteſt dari maior gratiæ puritas: vnde verba illa explicanda ſunt de puritate non ſecundum potentiam abſolutam, ſed ſecundum ordinariam. Tertio modo intelligenda ſunt de puritate gratiæ ſanctificãtis, quæ ad Chriſti redemptionem pertineat: etenim omnis puritas hominum ex Adamo propagatorum ad gratiam redẽptionis per ſanguinem Chriſti ſpectat. Quare verba D. Anſelmi ita ſunt intelligenda; *vt decuerit Virginem ea puritate gratiæ ſanctificantis, & ad ſanguinem Chriſti pertinentis nitere, qua maior ſub Deo ſecundum potentiam ordinariam nequit intelligi.* In quo ſenſu verba nihil contra nos faciunt: quia licet puritas gratiæ ſanctificantis, quæ nec culpam admittit, nec debitum ad illam, abſolute maior ſit, quã puritas, quæ culpam excludit, non tamẽ debitum: illa tamen non eſt puritas, quæ pertineat ad redemptionem per ſanguinem Chriſti: vnde licet talis puritas abſolutè poſſit ſub Deo intelligi: non tamẽ eſt puritas, quæ B. Virgini conueniat, cum illa ad redemptionem per Chriſti paſſionem non pertineat.

35. *Ad confirmationẽ.*

Ad confirmationem dicendum eſt verba tertiæ ſynodi intelligenda eſſe de puritate per gratiam ſanctificantem, quę maior ſit, non in modo ſanctificandi, ſed in intenſione gratiæ, quæ ſanctificat. Cum verò gratia ſanctificans collata Beatæ Virgini ſit intenſiue longe maior omni gratia, quæ vel puris hominibus, vel Angelis eſt collata; Virgo ipſa Deipara ſecundum gratiam purior eſt omni creatura ſenſibili, & intelligibili. In quo ſenſu nullus obiectioni datur locus, quia non agimus de puritate gratiæ, ſecundũ modum, quo reſpicit culpam; ſed ſecundum gradualem intentionem gratię, quę à culpa purificat.

36. *Ad 3.*

Ad tertium admittimus decretum illud Auguſtini non ſolum intelligi de peccatis actualibus, ſed etiam de originalibus, vt libro tertio oſtendemus: dicimus tamen decretum illud ſolum eſſe intelligendum de peccatis in ſe ſumptis; non verò de modo, & obligatione habendi illa: quod euidenter patet ex doctrina Diui Auguſtini: vbique enim docet carnem Beatæ Virginis eſſe carnem peccati, vt patet *libro ſecundo de peccatorum meritis capite* 14. *tomo* 7. *& libro decimo in Geneſi. ad literam cap.* 18. *tomo* 3. *& libro quinto contra Iulianum cap.* 15. *& multis alijs in locis*: idem autem Auguſtinus ſæpè declarat eam carnem, eſſe carnem peccati, quæ eſt ſub debito, & obligatione habendi peccatum, vt oſtendemus *libro tertio q.* 4. *artic.* 2. §. 1. *à n.* 54. *Caro Virginis eſt caro peccati ex Aug.* Ex quo euidẽter cõuincitur Auguſtinũ in q. de peccatis ſiue actualibus, ſiue originalibus B. Virginem nolle cõprehẽdere: [illegible]m tamẽ cõprehẽdiſſe in q. de debito, &

ob li-

obligatione ad contrahendum peccatũ. Vide quæ dicemus ex Auguſtino, & alijs Patribus in d. art. 2. §. 1. quare illa verba, quæ ex eodem objiciuntur *ad vincendum omni ex parte peccatum* explicanda ſunt de victoria contra peccatum; non vero contra debitum ad contrahendum peccatum. *Auguſt.*

37. *Ad 4.* Ad quartum ſumptum ex quibuſdam Patrum teſtimonijs facilis eſt ſolutio: nam verba, quæ ex Hieronymo, ſeu potius Sophronio adducuntur, intelligenda ſunt de actuali corruptione alicuius culpæ in propria Virginis perſona: non verò de corruptione ſecundum debitum contrahendi culpam: quia debitum non eſt formalis corruptio, ſed virtualis. Vide, quæ dicemus libro tertio q. 4. art. 1. §. 3. n. 55. & 56. *Ad Sophronium.*

¶ Vbi etiam oſtendemus in illis verbis Origenis *per afflatus venenoſos* probabiliter intelligi malas ſuggeſtiones à Diabolo oblatas; à quibus Beata Virgo fuit libera, vt dicemus libro quarto: ſenſus igitur erit B. Virginem nec à Diabolo deceptam fuiſſe, vt aliquod vel leuiſsimum peccatum committeret: nec malis ſuggeſtionibus tentatam. Quod ſi *per venenoſos afflatus* volueris intelligere peccatum originale (quod eſſe probabile ibidem dicemus.) per eos non intelligas debitum, ſed maculam, ad quam contrahendam, debitum habebat. *Explicatur Orig.*

¶ Sanctus autem Dominicus, & B. Andræas Apoſtolus intelliguntur de maledictione in propria B. Virginis perſona; non verò in perſona Adami, in qua aut peccauit, aut erat peccatura, niſi à lege liberaretur, de quo iterum in ſequenti art. *Explicantur verba S. Dominici.*

38. *Ad 5. Nicolaus de Cuſſa.* Ad quintum deſumptum ex Nicolao de Cuſſa facilis eſt reſponſio: quia intelligitur de liberatore à culpa, quam in primo ſui eſſe actu incurreret, vt expreſſe declarat in illis verbis: *Sola ipſa clariſsima Dei mater hoc habet, quod in initio eſſendi ſub ſeruitute maligni deficere nequiret; puta, quod in creatione rationalis animæ in corpore, in poteſtate maligni nunquam fuit. Sola igitur glorioſiſsima Virgo non reperitur tempore vllo peccato originali ſubiacuiſſe.* Quare ſolum negat actualem ſubiectionem, ſiue exiſtentiam ſub macula originali; quæ negatiò non excludit debitum ad exiſtendum ſub illa, niſi præſeruetur. Et in hoc ſenſu negat eam indiguiſſe liberatore, aut poſt liberatore, vt ait: at tamen admittit eam indiguiſſe præliberatore, & illum vere habuiſſe: & ob id indiguiſſe redemptione, non liberatiua à peccato, ſed præſeruatiua ab eo, quod debebat incurrere: quæ liberatio ex ſuo modo ſupponit debitum, vt lib. 3. latius oſtendemus. Quare B. Cuſſanus pro nobis ſtat, & non contra nos.

Ad poſtremum argumentum dicimus ſupremos Sanctæ Inquiſitionis Iudices ſolum qualificaſſe vt probabilem hanc propoſitionem: *Beata Virgo Maria non contraxit debitum peccati originalis*, vt patet ex ſcriptis ad me miſsis; & hanc propoſitionem nulla dignam eſſe cenſura contendunt Theologi tam Complutenſis Academiæ, quàm alij, quos ſanctiſsimi iudices conſuluerunt. 39. *Ad poſtremum.*

Hæc autem propoſitio longe alia eſt ab ea, quæ abſolutè negat, *Beatam Virginem vllum habuiſſe debitum*, quam digniſsimam eſſe graui cenſura oſtendimus ſuprà §. 5: etenim hæc poſterior propoſitio abſolutè negat omne debitum, tam proximum, quàm remotum: tam illud, quod oritur ex conditione naturæ, quam illud, quod oritur ex peccato Adami: denique negat omne debitum, tam in propria perſona, quàm in lumbis Adami, & aliorum parentum: quod ſine errore in Fide aſſeri non poteſt, vt ſuprà diximus. 40. *Diſtinguendæ ſũt duæ propoſitiones.*

Prior autem propoſitio à Supremo Sanctæ Inquiſitionis Senatu qualificata ſolum negat debitum in propria perſona Beatæ Virginis contractum; alia vero debita libenter agnoſcit: etenim debitum à Beata Virgine contractum nullum eſt aliud, quam debitum à propria illius perſona contractum, vt illa iam habet in ſe eſſe. Quod in lumbis parentum, & Adami ſolum habuit virtualiter, habitualiter, originaliter, ſiue potentialiter. Hoc autem debitum, quod actu eſt in propria perſona Theologi ab Inquiſitoribus Supremis conſulti appellant proximum: alia verò debita appellant remota, quæcumque 41. *In quo ſenſu qualificetur à S. Officio propoſitio.*

illa ſint. Et ratio eſt (vt aiunt) quia in nobis eſt immediata cauſa, à qua macula originalis actu reſultat. Hanc opinionem eſſe probabilem, imò & veriſsimam, ſi debitè explicetur oſtendemus art. 5. vbi vide. Quare nec propoſitio, à ſupremo ſanctiſsimæ Inquiſitionis Senatu qualificata noſtræ repugnat qualeficationi: nec cenſura propoſitionis à nobis damnatæ cenſuræ ſanctiſsimi Officij contradicit: vnde nec nos contradicimus doctiſsimis Theologis Complutenſibus, alijſque, qui hac de re à Sanctiſsimo Officio conſulti fuerunt.

42. *Illatio.* Ex quibus patet declarationem Concilij Tridentini, quæ in regulis generalibus peccati originalis B. Virginem non vult comprehendere, non agere de debito ad originale contrahendum; ſed de ſola macula orignali, quæ contrahitur: nec Bellomontanus oppoſitum docuit, vt inferius ſuo loco oſtendemus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in B. Virgine admittendum ſit debitum abſolutum, & proprium; an verò ſolum debitum ſecundum quid, & improprium?

§. 1.

Refertur opinio Catharini, & aliorum, qui ſolum admittunt debitum ſecundum quid; non verò abſolutum.

1. *Præmiſſũ.* PRo explicatione quæſtionis repetendum eſt hoc loco id, quod aduertimus ſuprà art. 2. §. 2. in omnibus Adami poſteris duplex debitum eſſe diſtinguendum: vnum ante peccatũ, quo obligati eramus ad peccandum in Adamo, quatenus ex diuina inſtitutione factus eſt caput morale omnium poſterorum, ideo quia Deus ſtatuit, vt voluntas illius, eſſet omnium noſtrum voluntas. Alterum poſt peccatum, quo obligamur cõtrahere maculam peccati, quod in Adamo commiſimus. Primum non potuit non eſſe; quia ortum habebat ex cõditione naturæ, ideo quia omnes in Adamo, tanquam in primo naturæ capite virtualiter continebamur. Poſterius verò potuit non eſſe; quia potuit Adamus non peccare. Inde eſt vt prius illud debitum fuerit debitum veluti naturale, nec dependebat à voluntate Adami: hoc verò poſterius fuerit voluntarium, quia ex voluntate Adami, quæ noſtra erat, per ſe dependebat. Quæ omnia iñ d. §. 2. explicauimus: & omnia placent Catharino Authori ſecundæ opinionis, quam art. 1. adduximus.

Inter hæc duo debita hoc diſcrimen poſuit Catharinus vt prius debitum ſimpliciter & abſolutè non ſit debitum, ſed ſecundum quid, & improprie: poſterius verò debitum vere & proprie ſit debitũ; vnde Catharinus illud appellat abſolutũ. Hæc omnia colliges ex Catharino in 1. tract. de Conceptione Virginis 1. p. cap. 1. §. *Quarto igitur loco*, pag. 11. & §. *Sed exiſtunt nonnulli*, pag. 14. idem ſcribit in 2. tract. de eadem conceptione lib. 2. cap, 1. pag. 21. 2.

Ponitur opinio Catharini.

¶ His ita præmiſsis Catharinus locis citatis in ea eſt ſententia vt Beata Virgo nullum habuerit debitum contrahendi originalem maculam ortum ex peccato Adami: etenim in ea eſt opinione, quod B. Virgo non peccauit in Adamo; iam verò nullus vere & proprie poteſt habere debitum & obligationem contrahendi maculam peccati, quod vere ñon commiſit, quare nullum in Beata Virgine admittit debitum per ſe originatum ex peccato, quod in Adamo poſteri commiſimus, ſed in ea ſolum admittit debitum ortum ex ſola conditione naturæ; quatenus ſcilicet illa erat naturalis Adami filia, & ob id ex naturæ ſuæ conditione ſubiecta præcepto, quod Deus Adamo & poſteris erat impoſiturus; & ob id debitum habebat peccandi in Adamo, & ex conſequenti contrahendi maculam talis peccati, niſi ex ſpeciali priuilegio ab illo præcepto eximeretur: quod debitum abſolutè non eſt debitum, ſed ſolum ſecundum quid, & impropriè. 3. *Opinio Catharini.*

Cum Catharino, ſi non in terminis, ſenſu tamen ſatis videtur conſentire 4.

Fran-

Turrianus. *Franciſcus Turrianus in epiſt.de peccato ori-*
ginali,fol.43.pag.1:ſupponens enim cum
Catharino B. Virginem in Adamo non
peccaſſe, docet eam fuiſſe liberam, &
immunem â debito, quod omnes, qui in
Adamo peccauerunt, habebant. Et ſatis
conſentit Aluarus Peſanha de Palatios
in tractatu de Conceptione Virginis in
Qui pro Ca primo diſcurſu, punct.3. fol.12. pag. 2.
tharino re- poſt principium. Pro eadem ſententia
feruntur. referuntur *Ioannes Viguerius in inſtitut.*
Viguerius *Theolog. cap. 17. §.5. de peccato originali,*
Bollanus. *verſ. 2. Bollanus in Bibliot. ſancti montis*
Carthag. *aurei Romæ, quem refert & ſequitur Petrus*
Carthagena homilia 16. ſcholaſtica in fine
ſui moralis: Frater Stephanus Mendez libro
Mendez. *3.ſui marialis cap. 34. Gutterius Placen-*
Gutterius. *tinus ad Romanos 3: Cornelius Muſius Bi-*
Muſius. *ſentinus in eadem epiſtola cap. 5. fol. 226.*
Angles. *Angles in ſecundo ſentent. diſtinctione 31.*
Ioan. Sua- *quæſt. 1. appendic: Frater Ioannes Suarius*
rius. *in ſuis concionibus conc. 23. Carthuſianus*
Carthuſ. *in 3. diſtinct.3: Salmeronius ad Romanos 5.*
Salmeron. *fol.596. Magallanus in epiſt. ad Timotheũ,*
Magalla. *& Titum fol.227.num.25.§.vltimo:Hen-*
Henriq. *riquez lib.3.Summæ cap.11. §.3. Salas pri-*
Salas. *ma ſecundæ q.83.tract.5.quæſt.10: Valen-*
tia,& Azorius locis citatis:Ludouicus Mon
Baſilius. *teſinus in diſput. de Sanctificatione Virgi-*
Cumelius. *nis:Baſilius Legionenſis loco citato: Cume-*
Herrera. *lius prima ſecundæ quæſt.81. artic. 3. Her-*
Vaſquez. *reira 2.parte, diſput.24.articul.1: Vaſquez*
Suarius. *2.tomo ad 3.partem diſput. 115: denique*
Suarius 2.tom.ad 3.p.diſp.3.ſect.2.ad finẽ.
Et cum eodem Catharino in ſenſu con-
Complutẽ- ueniunt illi Theologi Complutenſes,qui
ſes. in B. Virgine admittentes, debitum re-
motum,non vero proximum per debitũ
proximum intelligunt debitum ortum
ex peccato commiſſo in Adamo; per re-
motum verò illud, quod ex conditione
naturæ quiſque poſterorum habuit, vt
peccante Adamo ipſe peccaret, niſi ſpe-
cialiter eximeretur.
5. *Arg.1.* ¶ Pro hac opinione (vt accepi) hæc ar-
Ex Cant. gumenta afferri ſolent. Primum ſumitur
8. ex c.8.Cantic. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de*
deſerto dilitijs affluens, innixa ſuper dilectũ
ſuum. Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrup
ta eſt mater tua: ibi violata eſt genitrix tua;
pone me, vt ſignaculũ ſuper cor tuũ; vt ſigna-
culum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt
mors dilectio: dura ſicut infernus æmulatio.
Secundò affertur hiſtoria Eſter c. 15: 6. *2. argum.*
Quid habes Eſter? ego ſum frater tuus: noli *Eſter.*
metuere: non morieris: non enim pro te, ſed pro
omnibus hæc lex conſtituta eſt: etenim in
officio conceptionis approbato â Sixto
IIII. & Pio V. in quodam reſponſorio
habentur verba præcitata, & accommo-
dantur B. Virgini, vt. ſ. Deus eidem ita
loquatur: *Quid habes Eſter? id eſt, Virgo ma*
ter: non morieris, & reddens rationem, in-
quit: *quia non pro te, ſed pro omnibus Adami*
poſteris hæc lex conſtituta eſt.
Tertio adducunt verba Prouerb. 31:
Non extinguetur in nocte lucerna tua, in no 7.
cte inquam delicti. Illa etiam *nec timebis* *3. argum.*
à frigore niuis: quia ſcilicet B. Virgo non *Prou. 31.*
fuit denudata in Adamo, in quo non
peccauit.
Quarto confirmant; quia exceptio 8.
Concilij Tridentini ſeſſ.5. de peccato ori *4. arg.*
gin. non ſoli actuali maculæ adaptari po-
teſt; ſed etiam debito ad illam contra-
hendum. Quam ſententiam affirmant
viris doctiſsimis placuiſſe.
Quinto eam confirmant varijs Patrũ 9.
teſtimonijs. Primum eſt Auguſtini lib. *5. arg. ex*
de natura & gratia, quatenus dicit; *cum de* *Patribus.*
peccatis agitur, de B. Virgine, propter honorẽ *Auguſt.*
Domini, nullam prorſus habere volo quæ-
ſtionem, ſi nullam: ergo nec iſtam; quę in-
quirit; *an in Adamo peccauerit; & inde ha-*
buerit debitum contrahendi maculam. Et
hanc fuiſſe illius mentem, ſatis probat ra-
tio, quam adducit: quia ſcilicet *illi collata*
eſt gratia ad vincendum omni ex parte pec-
catum. Fuit igitur illi collata gratia, vt in
Adamo vinceret peccatum, dum illo pec
cante, non peccauit; & ſubinde vt vince-
ret omne debitum contrahendi maculã
ex illo peccato. ¶ Secundum teſtimoniũ
affertur ex D. Hieronymo, ex quo in *Ex Hiero*
officio conceptionis à Sede Apoſtolica *nymo.*
approbato hæc referuntur verba: *ideo*
immaculata; quia in nullo corrupta. Ergo
nec corrupta debito contrahendi macu-
lam. Accedant & illa alia verba eiuſdem
in 6. lect. diei octauæ: *ad quam nulli doli*
errupere: nec præualuit fraus inimici: ſed per-
manſit ſancta mente, & corpore. Ibidem illi
accõmodantur verba Iſaiæ 19: *Dominus*
aſcendit ſuper nubem leuem: quia. ſ. nunquã

in tenebris, ſed ſemper in luce fuit. ¶ Tertiũ
Ex Origine. teſtimonium ſumitur ex verbis Origenis in eodem officio poſitis: *quæ nec ſerpentis perſuaſione decepta, nec eius venenoſis afflatibus infecta fuit.* ¶ Quartum teſtimonium
Ex Richardo de S. Victore. ſumitur ex verbis Richardi de S. Victore poſitis in eodem officio: *non decuit, vt caro Mariæ qualicumque fuerit obnoxia culpæ,* & inferius, de ventre B. Virginis ita ſcribitur: *qui nulli vnquam*
Ex D. Bernardo. *fuit obnoxius culpæ.* ¶ Quintum teſtimonium D. Bernardi in ſermone de Natiuitate, vbi ita ait: *Caro Mariæ ex Adam aſſumpta maculas Adæ non admiſit.* Et ex eodem Bernardo in officio Bernardini de Buſtis hæc ponuntur verba: *Ergo ibi non fuit maculata: quia maculas illius peccati, damnationis, & debiti non admiſit.*

Ex S. Dominico. ¶ Sexto loco additur teſtimonium S. Dominici: *quod ſicut primus Adam fuit de terra virgine, & nunquam maledicta formatus; ita decuit in ſecundo Adam fieri,* quę
Ex S. Andræa. verba referuntur ex B. Andræa in eodẽ officio. Et hæc alia ex Auguſtino, *Quod ſecundus Adam quaſi de intacta, & rudi terra, de Virginis carne formatus ſit.* Ex quibus verbis (vt volunt) euidenter colligitur B. Virginem in Adamo non fuiſſe aut reprehenſam, aut maledictam; & ſubinde ex peccato Adami debitum contrahendi maculam non traxiſſe. ¶ Septimo loco adducunt verba S. Ildephonſi
Ildephonſ. in lib. *de perpetua virginitate B. Virginis tom. 9. Bibliot. Patrum, pag. 678.* vbi non ſolum ſcribit, *B. Virginem originale non contraxiſſe;* ſed etiam aſſerit *eam maledicto Euæ non ſubiacuiſſe, nec corruptioni peccati, aut primæ originis: prædicatur à maledicto primæ damnationis omnino extranea, & tandem in Adamo ſordes non admiſiſſe.*
Cardinalis Cuſſa. ¶ Vltimum teſtimoniũm refertur ex Cardinali de Cuſſa lib. 8. exercit. in ſermone *Sicut lilium,* pag. 192. vbi (vt volunt) pro hac parte plura ſcribit.

10. 6. argum. Sexto loco rationibus id cõfirmant: Prima eſt; *quod peccare in Adamo, idem eſt, quod labe infici: violari: corrumpi: auerti à Deo: deturpari: denigrari: vinci à Diabolo, denique eſſe inimicum Dei.* Quæ omnia indigna ſunt, quæ de Virgine dicantur, quæ ab Eccleſia tota pulchra prædicatur. Porrò ſi in Adamo non peccauit, nullum habuit debitum contrahendi maculam peccati illius.

Septimo loco adducitur ſecunda ratio: quoniam qui in patre damnatur, & 11. 7. arg.
maledicitur, abſolute dicitur damnatus, vt conſtat ex poſteris Cham, Caim, & aliorum. At verò beata Virgo, cùm inter omnes mulieres dicatur benedicta, non eſt abſolutè maledicta, aut damnata: & ſubinde nec peccauit in Adamo, nec cõtraxit debitum ad talem maculam.

Octauo loco ponitur tertia ratio ſumpta ex verbis Saluatoris Lucæ 10. *Si vos* 12. 8. arg. Luc. 10.
cum ſitis mali, noſtis bona data, dare filijs veſtris; quanto magis pater veſter cœleſtis, &c. Sed homines ſimilia dona dare ſolent filijs, & ſponſis: & Rex Aſuerus ſponſam Eſter à lege omnibus impoſita exemit. Ergo Deus beatam Virginem ſponſam filij ſui exemit à lege Adamo, & poſteris impoſita. Quod ex eo etiam confirmatur, quia in iure mater gaudet priuilegio filij, & Auguſta priuilegio Auguſti Imperatoris.

Nono ſit quarta ratio: quoniam altioribus altior congruit modus, ſed B. 13. 9. arg.
Virgo eſt longe altior omnibus Adami filijs. Ergo altiori modo fuit redempta; ſed altiųs eſt redimere in cauſa, & in ea præuenire cauſam peccati. Ergo beata Virgo fuit præuenta, ne in Adamo peccans haberet debitum contrahendi maculam.

Decimo ſit quinta ratio: quoniam in 14. 10. arg.
alijs pactis, vbi non tantum intereſt, ſit ſimilis exceptio. Ergò eadem exceptio facta fuit in pacto inito cum Adam. Cõſequentia eſt nota. Antecedens patet ex Geneſ. cap. 47. vbi terra ſacerdotalis libera fuit à tributo, cui tota terra Ægypti fuit ſubiecta.

Vndecimo loco ponitur ſexta ratio: 15. 11. arg.
quoniam in priuilegijs immunitatis à ſolutione alicuius, idem eſt dicere, non ſoluat debitum, atque non teneatur ſoluere, ſed immunitas B. Virginis fuit, quod non ſoluat debitum contrahendi maculam: Ergo etiam fuit, vt nec debitum habuerit ad illam contrahẽdam.

Confirmatur: quoniam ad ingenuita- 16. Confirmatur.
tem perſonæ melius eſt ſoluere abſque debito, quam debere, & non ſoluere. Er-

go ad B. Virginis ingenuitatem præſtantius erat non debere, & ideo non ſoluere; quam debere, & ex gratia non ſoluere.

17. 12. *Arg.* 12. Loco (& eſt ratio ſeptima.) Debitum culpæ grauius eſt, quam debitũ pœnæ ex culpa: etenim debitum ad contrahẽdam culpam ſecum defert ſæditatem; ſed debitum pœnæ non fuit in B. Virgine. Ergo nec in ea fuit debitum ad culpã: nam Iſaiæ 19. B. Virgo *fuit nubes leuis ſuper quam Dominus aſcendit.* Talis autem non eſſet, ſi debitum ad culpam haberet.

18. 13. *Arg.* 13. loco (& eſt ratio octaua:) ſemper fuit grande piaculum, quod res dedicatæ templis deſtinarentur ad prophanos vſus: ſed B. Virgo ab æterno deſtinata fuit in Dei matrem, ſacrariumque Spiritus Sancti. Ergo non debuit comprehendi in pacto inito cum Adamo: & per conſequens à peccato Adami libera fuit.

19. 14. *Arg.* 14. & eſt ratio nona, B. Virgo à tertia Synodo action. 3. *dicitur purior omni ſenſibili, & intelligibili creatura*: & in Liturgia B. Iacobi vocatur *omnibus modis irreprehenſa.* Et ex D. Anſelmo: *decuit ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* Sed hæc illi non competerent, ſi in Adamo peccaret, & ex eo traheret debitum ad contrahendam originalem maculam, quia Angeli verè puriores forent; & illa verè foret reprehenſa. Ergo nec peccauit in Adamo, nec debitum contrahendi maculam incurrit.

20. 15. *Arg.* 15. Sit ratio 10. B. Virgo in quodam ſigno ante præuiſionem peccati Adami fuit prædeſtinata mater Dei, & ad ſummum gradum gloriæ poſt filium. Ergo non decuit, vt in Adamo cum cæteris fuerit corrupta: traxerit debitum contrahendi maculam: facta ſit Deo inimica: & alia huius generis, quæ horret animus de B. Virgine audire.

21. 16. *Arg.* 16. Sit ratio 11. Chriſtus Dominus, ideo quia reconciliator hominum, debuit eſſe omnibus modis innocens, vt omnes ſancti clamant. Ergo illius mater, quæ ſuo modo eſt omnium hominum reconciliatrix, & ſuo modo maledictionem ſoluens, debuit eſſe innocens, & libera, tum à culpa, tum à debito culpæ.

22. 17. *Arg* 17. Sit ratio 12: quoniam potuit Deus B. Virginem eximere non ſolum à culpa originali, ſed etiam à debito contrahẽdi illam. Ergo Deus eam, & à culpa, & à debito culpæ exemit. Antecedens ab omnibus conceditur: conſequentia inde patet, quia hoc cedit in maiorem Virginis dignitatem; Deus autem B. Virgini omnia conceſsit, quæ in maiorem illius excellentiam cedunt.

Poſtremo eſt vnicum Catharini fundamentum: B. Virgo non peccauit in Adamo. Ergo ex illius peccato nullum habuit debitum: & per conſequens non habuit debitum abſolutum, & proprium; ſed ſolum ſecundum quid. ¶ Hæc ſunt omnia huius opinionis argumenta, quæ à varijs accepi, & collegi. 23. *Poſtremũ.*

§. 2.

Statuitur admittendum eſſe in Virgine debitum abſolutum, ortum ex peccato Adami.

His non obſtantibus, contra Catharinũ, & ſequaces ſtatuendum eſt, in B. Virgine neceſſario admittẽdum eſſe verum, & proprium debitum contrahendi peccatum originale, ortum ex peccato Adami. Pro vera & clara huius ſententiæ confirmatione, aduertimus inter omnes conſtare, aliquod debitum ad contrahendum peccatum originale admittendum eſſe in B. Virgine, vt artic. 2. præcedente conſtituimus. Cum vero duplex debitum diſtinguendum ſit in ordine ad contrahendam maculam peccati Adami, vt oſtendimus §. 1. in principio: vnum ante peccatum, ortũ ex conditione naturæ, quod immediatè terminabatur ad peccandum in Adamo eo peccãte: alterum poſt Adami peccatum, quo obligamur ad contrahẽdam maculam peccati, quod Adamus peccauit. Et cum inter omnes conſtet prius illud debitum abſolutè, & propriè non eſſe debitum; ſed ſolum ſecundũ quid: poſterius vero eſſe debitum abſolutum, verum, & proprium; tota controuerſia in eo eſt poſita; an in B. Virgine ſolum ſit admittendum debitum ſecundũ quid ad peccandũ, peccãte Adamo, an vero debitum abſolutum, & proprium, quod ex peccato Adami habemus, qui in Adamo peccauimus? & vt

24. *Vera opinio affirmat.*

annotatio de duplici debito.

omnis

omnis æquiuocatio tollatur, aduertimus controuerſiam eſſe inter Theologos Cõplutenſes, quodnam illorum debitorum appellandum ſit remotum, quod ve proximum? cũ vero Catharinus huius diſtinctionis non meminerit, nihil dixit de debito proximo, vel remoto; ſed ſolùm docuit in B. Virgine non eſſe admittendum debitum ortum ex peccato Adami, quod appellauit debitum abſolutum.

De debito proximo & remoto.

26. Attamen inter Complutenſes, quorũ ſcripta legi, de hoc non conuenit, vt ſupra aduertimus: communior ſententia ſolum illud debitum appellat remotum, quod fuit ante peccatum: quod vero ex peccato ortum eſt, appellat proximum: quia ex illo immediatè, & proximè reſultat macula originalis, quam cõtrahimus, quando concipimur. Alij tamen hoc debitum, quandiu eſt in nobis exiſtentibus in lumbis parentum, adhuc appellant remotum: proximum vero illud idẽ, quatenus infuſa anima rationali iam exiſtit in propria perſona. Et inde eſt, vt quidã eorum, qui B. Virgini negãt debitũ proximum, & admittunt remotum, in hac quæſtione contra Catharinum ſentiant: quia non ſolum in B. Virgine admittunt debitum, quod fuit ante peccatum; ſed etiam illud, quod fuit poſt peccatum, quandiù illa fuit in parentum lumbis; vtrũque enim debitum appellant remotum. Porrò alij, qui ſolum debitum ante peccatum vocant remotum, cum Catharino cõſentiunt, dum debitum proximũ negant, remotum autem agnoſcunt, in qua opinione foret Catharinus, ſi diſtinctionem debiti remoti, & proximi agnoſceret.

27. *Senſus quæſtionis.*

Hoc aduertimus, vt in hac quæſtione vitaremus æquiuocationis confuſionẽ: in hac igitur quæſtione ſolũ inquirimus; an in B. Virgine præter debitum, quod in ea fuit ante peccatum ex conditione naturæ, etiam ſit debitum proprium, & abſolutum ortum ex peccato Adami? ſiue illud appelletur proximum, ſiue remotum. Catharinus negantem partem defendit; nos autem affirmantem.

§. 3.

Probatur ex Patribus.

Hanc opinionem primum probamus expreſsis, & indubitatis Patrum teſtimonijs. Primũ ſumitur ex Gilberto Porretano in Commentar. ad Boetium in lib. de duabus naturis, vbi ita inquit: *Maria (ſicut & cæteri omnes) ex primorum parentum præuaricatione, peccato & morti ſubiacebat*, quæ verba ſunt omni ſolutione maiora. Deinde probatur ex communi Patrum doctrina, qui ſimpliciter, & abſolutè docent, omnes, vno excepto Chriſto, huic debito ſimpliciter ſubiacere. Satis hanc doctrinam ſcribit Auguſtinus *lib. 2. contra Iulianum cap. 10.* vbi poſt longam cõtra Pelagianos diſputationem, quod omnes homines peccato originali ex vi ſuæ generationis, & deſcendentiæ ab Adamo ſint obnoxij, ita concludit: *Propter quam catholicam veritatem ſancti, & beati, & in diuinorum eloquiorũ pertractatione clariſsimi ſacerdotes aduerſum vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia ſucceſsione ſententiam: vnde nemo eruit, niſi quem ſine lege peccati virgo concepit*: & in eodem loco aperte teſtatur vniuerſam Eccleſiam id tenere: quæ Auguſtini verba euidenter concludunt B. Virginem ſub illa obnoxia obligataque ad contrahendum originale ſucceſsione contineri. Qua etiam phraſi vtitur in eodem libro 2. ita inquiens, *Solum Chriſtum, quia ſit natus ex Virgine, à vinculis obnoxiæ generationis excipit*, ſcilicet Eccleſia: *Cæteris omnibus ex Adã ſub peccati obligatione naſcentibus*. Et in d. cap. 10. pro iſta ſententia refert Irenæũ Cyprianum, Retitium, Olympiũ, Hilarium, Ambroſium, Gregorium, Innocentium, Ioannem, Baſilium: & illis addit etiam Hieronymum. Teſtatur etiam omnes, qui pro illa tempeſtate viuebant, eandem tenere, & credere veritatem. Porrò ſi Eccleſia ſolum Chriſtum excipit ab illa ſentẽtia de generatione, & ſucceſsione obnoxia Adami peccato; quis negabit B. Virginem ex vi ſuæ ab Adamo propagationis originali peccato obnoxiam fuiſſe? ſi obnoxia fuit; vtique, & debitrix, debito orto ex peccato Adami. ¶ De Irenæo plerique referunt hęc verba: *Totum genus humanum, vno excepto Chriſto, aſtrictum eſſe peccato Adami,*

28. 1. *Teſtimonium. Gilbert. Porretan⁹.*

Auguſtin.

Auguſt.

29.

Irenæus.

ſed

ſed cum determinatus locus non annotetur, verba iſta refero ex aliorum relatione; quæ non dubito eſſe Irenæi, cum Auguſtinus eum pro ſua referat ſententia. Plerique affirmant *Boetium in lib. de duab. natur.* idē ſcripſiſſe: ſed in eo hæc verba inuenire non potui: quanuis ex ijs, quæ ſcribit ad finem libri, hæc ſententia ſatis colligatur. Eandem ſententiam ſcripſiſſe Euſebium Emiſſenum *homil. 1. de Natiuitate Domini*, plerique teſtātur: in eo tamen hæc ſola verba reperio: *Hanc lucem tenebræ non comprehenderunt* (agit de Chriſto) *Ipſe enim ſolus inter peccatores ſine peccato viuere potuit: hæc ſola lux nullis tenebris eſt obſcurata: nulla caligine denigrata: nullis vitijs maculata*: ex quibus verbis pro nobis nihil poteſt inferri: ſed idem *Euſebius homil. 2. de eadem Natiuitate Domini poſita fol. 240. pag. 1.* ita ait: *à peccati veteris nexu per ſe non eſt immunis, nec ipſa genitrix redemptoris: ſolus ille licet ex debito renaſcatur, lege tamen veteris debiti non tenetur*: ſi dixeris hæc verba ſolum probare B. Virginem ex vi ſuæ generationis non fuiſſe à debito immunem; benè tamen per gratiam, quæ eam à lege Adamo impoſita exemit: ſi ita reſpondeas, obijciam illa verba: *Solus ille, licet ex debito naſcatur*, quæ ſignificant Chriſtum Dominum ex debitrice natum fuiſſe: id eſt ex matre, quæ debito illi ſubiacuit. Sed quidquid ſit de Euſebio, D. Gregorius eandem ſententiam ſcribit 18. Moralium cap. 35. explicans enim illa verba Iob: *Non adæquabitur ei Topazion*, ita ſcribit, *nullus ſanctus, quibuſcumque virtutibus plenus, ex iſta tamen nigredine mundi collectus, æquari ei poteſt, de quo ſcriptum eſt; quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei: nos quippe, & ſi ſancti efficimur, non tamen ſancti naſcimur; quia ipſa naturæ corruptibilis conditione cōſtringimur, vt cū Propheta dicamus: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea: ille enim ſolus veraciter ſanctus natus eſt, qui vt ipſam conditionem naturæ corruptibilis vincit: ex commiſtione carnalis copulæ conceptus non eſt.* Magnus igitur Gregorius ab illa generali regula ſolum excipit Chriſtum; & ita ſatis confirmat ſolum Chriſtum nullum

Boetius.

30. Euſebius Emiſſenus.

Idē Euſeb.

31.

D. Gregor.

buiſſe debitum, vt in peccatis conciperetur; & ex conſequenti ſub lege debiti comprehendit B. Virginem. Quod etiam docuit D. Ambroſius *lib. 1. Examer. cap. 4.* ad finem; vbi de Chriſto Domino ita ſcribit: *Sanctus autem Dominus ſuper omnem creaturam, etiam ſecundum corporis cōceptionem: quia ſolus ſine peccato: ſolus ſine vanitate: omnis enim creatura ſubiecta vanitati eſt.* Ecce ex Ambroſio ſolus Chriſtus conceptus eſt ſine peccato, & ſine vanitate peccati, cui omnē creaturam ſubiectam eſſe aperte docet: hæc autem ſubiectio deſignat debitum, & obligationem peccati in ipſa conceptione contrahendi. D. Ambr.

32. Concluſio.

Cum igitur omnes Sancti Patres: imò vniuerſa Chriſti Eccleſia teſte Auguſtino in omnibus Adami poſteris ſimpliciter, & abſque vlla particula diminuente agnoſcat vincula generationis peccato obnoxiæ, & obligationem ad contrahendam maculam originalem ortam ex peccato Adami; & ab hac obligatione vnus tantum excipiatur Chriſtus; bene infertur omnes Patres in B. Virgine agnoſcere debitum contrahendi maculam originalem; non quodcumque, ſed illud, quod ex peccato Adami ortum eſt, quod debitum eſſe abſolutum, & proprium Catharinus cum ſuis admittit: quare Patribus contradicit, dum in B. Virgine ſolum admittit debitum ſecundum quid.

Ex alio capite id ex Patribus deducitur.

33. Ex alio capite id docēt Patres. Auguſt.

¶ Eadem veritas etiam conuincitur ex alia communi Patrum doctrina, qua ſimpliciter, & abſolute docent carnem B. Virginis fuiſſe carnem peccati, & ideo peccato obnoxiam. Ita Auguſtinus *lib. 5. aduerſus Iulianum cap. 15.* quatenus expreſse affirmat, *omnem carnem, vna Chriſti carne excepta, eſſe carnem peccati.* Imò ſæpe ſcribit: *Carnem Chriſti in matre obnoxiam fuiſſe peccato*, vt patet in Pſalm. 114. & clarius lib. 2. de peccatorum meritis cap. 24. vbi affirmat, *Chriſtum non ſumpſiſſe carnem peccati: eam tamen ſumpſiſſe ex materna carne peccati*: Denique B. Virginem veniſſe de propagine mali, & conceptam fuiſſe de propagine carnis peccati, ſatis declarat *libro 10. de Geneſ.*

*Geneſ.ad literam cap.*18.Cum Auguſtino
34. conueniunt cæteri Patres: nam D.Am-
broſius *in Pſalm.*118.*ſerm.*6. ita ait, *Venit Ieſus in carne, quæ peccato fuerat obnoxia:* cum verò nõ fuerit obnoxia in Chriſto, vt fides docet; vtique fuit obnoxia in matre, & maioribus, à quibus Virgo mater deſcendit. Idem docuit D.Anſelmus
35. *D. Anſel.* *lib.*2.*cur Deus homo cap.* 16. dum affirmat, *Carnem Chriſti de maſſa peccatrice ſumptam eſſe:* quod iterum, *Repetit cap.*18.*& in lib.de conceptione Virginis & peccat.orig. cap.*14.*&* 15. Quæ verba intelligẽda eſſe de maſſa, id eſt carne peccatrice, & in Virgine peccato ſubiecta, manifeſte patet: quoniam interrogatio Diſcipuli, cui Anſelmus reſpondet, agebat de B.Virgine: vnde in eodem libro Beatã Virginem appellat peccatricem.i. ſubiectam peccato contrahendo. Hugo etiam de Sancto
36. *Hugo de S. Victore.* Victore lib.2.de Sacram. 1. parte cap.5. affirmat: *Filium Dei de carne obnoxia peccato aſſumpſiſſe carnem à peccato liberam.* Ex quibus patet carnẽ B.Virginis apud Patres ſimpliciter, & abſolutè loquendo fuiſſe carnem peccati, & oppoſitum eſſe contra fidem cum Auguſtino oſtẽdemus inferius.

Iam vero apud eoſdem Patres illa caro
37. *Quid ſit caro peccati.* dicitur caro peccati, quæ ex Adami peccato ſubiecta eſt, & obligata ad contrahendam eiuſdem peccati maculam. Nam in eodem ſenſu dicitur caro concepta ex propagine peccati, quod ſatis docuit Auguſtinus 1. de peccator. merit. cap.23. & 24. vbi ait: *Eam carnem dici carnem peccati, quæ ex lege, quæ fuit poſt peccatũ concipitur.* Et lib. 14. contra Fauſtum c. 5. affirmat *Eam carnem eſſe carnem peccati, quæ eſt ex traduce mortalitatis,* id eſt, ex ea traducente in nos mortalitatem: mortalitas autem ſine debito, & obligatione culpæ originalis non traducitur, vt patet
Trident. ex *Tridentino ſeſſ.*5.*Can.*2. *de peccato originali,* cauſa autem transfundens in nos culpam originalem, ſimul cum mortalitate, fuit peccatum Adami ex eodem Tridentino, & ſatis ex *Paulo ad Roman.*
Ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors:* & inde eſt, vt per peccatum Adami (quod etiã fuit omnium noſtrum) concipiatur caro peccati, ſub lege peccati. Lex autem peccati non eſt alia, quã lex, ſub qua generatio ex Adamo dicitur propago peccati, & mali; quatenus ſcilicet lex illa carnem propagatam ex Adamo ſubijcit & obligat ad peccatum contrahendum: *Auguſt.*
quod ſatis explicauit *Auguſtinus* 10. *de Geneſi ad literam cap.*18. dum ait carnem eſſe ex propria propagatione Adami ſatis eſſe, vt quis præuaricationi Adami ſimpliciter ſit ſubiectus: agens enim de Chriſto ſumente carnem ex B.Virgine ait: *Verbum ex Virgine accepiſſe, quod ſufficeret exoluẽdæ indebitæ morti; non tñ quod ſufficeret cõtagioni præuaricationis.* Licet enim ſumendo carnem mortalem, ſumpſerit quod ſufficiebat ad deſtruendã mortem; non tamen ſumpſit carnem ſufficientem, vt eum præuaricationi ſubijceret; quatenus eam non ſumpſit ex Adamo per rationem ſeminalem: quod declarat, dum ibidem ait: *Et quid incoinquinatius vtero Virginis? cuius caro, & ſi de peccati propagine venit, non tamen de peccati propagine concepit; ne in ipſum quidem corpus Chriſti ea lege ſæuiret.* Quibus verbis 38.
euidenter explicat carnem eſſe ex propagine peccati ſatis eſſe, vt quis debito præuaricationis Adami ſubiaceat. Et hãc doctrinam adeo eſſe veram putat Auguſtinus, vt dicat carnem Chriſti legi præuaricationis ſubijciendam fore, ſi per rationem ſeminalem ex ea veniret. Deniq; eandem Auguſtini doctrinam probauit Ambroſ.*Serm.*6.*in Pſal.*118. dũ ait, *carnẽ peccati, ideo dici peccati carnem, quia hæreditario eſt damnata maledicto.* *Ambroſ.* Porro ſi caro peccati per ſe ſubiacet maledicto hæreditario; vtique is, cuius caro eſt caro peccati, tanquam Adami hæres, maculæ præuaricationis abſolutè ſubiacet.

Ex his euidenter deducitur non poſſe
non admitti in Beata Virgine debitum 39. *Concluſio argum.*
abſolutum ortum ex peccato Adami: etenim ex ijs, quæ Patres indubitanter docẽt manifeſte patet eam carnẽ, quę ſimpliciter, & abſolutè eſt caro peccati, ſimpliciter, & abſolutè eſſe ſubiectam contagioni peccati ex Adamo; & habere abſolutum debitum ad contrahendam illius maculam: idque non modo ex conditione naturæ, ſed etiam ex vi legis peccati

quod

quod in Adamo cōmiſſum eſt. Iam vero caro B. Virginis teſte Auguſtino ſimpliciter,&abſolute eſt caro peccati,& concepta de propagine peccati, & id teſte Auguſtino docet Fides Catholica. Ergo concedendum eſt carnem Beatę Virginis ſimpliciter, & ex vi generationis vitiatæ ſubiectam fuiſſe contagioni pręuaricationis Adami, & ſubinde maculæ originali ex Adamo; & ex conſequenti habuiſſe debitum contrahendi illam non præciſe ex conditione naturæ, vt erat in Adamo ante peccatum (quia natura humana pro illo ſtatu nondum poterat dici propago mali; erat enim tunc indifferens ad vincendum, & ad peccandum) ſed ex conditione naturæ, prout iam erat peccato vitiata,& effecta propago mali:cuius conditio ſecum affert debitum contrahendi originalem maculam non ſecundū quid, ſed ſimpliciter, & abſolutè.

41. *Catharinus non poteſt hoc non admittere.*

Quod, velit nolit,debet Catharinus admittere: is enim conuictus hac veritate in ſecundo tract. de conceptione Virginis lib. 2. cap. 1. pag. 29. libenter concedit Beatā Virginem ex meritis Adami ſubiectā fuiſſe peccato. Cum vero Adamus hanc ſubiectionem, & debitum non meruerit, niſi peccando; nec potuerit illam ſubiectionem in poſteros transfundere, niſi peccatum, quod commiſit, fuerit eam peccatum poſterorum, vt ſatis diffinit Tridentinū ſeſſ. 5. Can. 2. neceſſario debet cōcedere B. Virginem peccaſſe in Adamo,& ex meritis talis peccati ſecū traxiſſe verum, & abſolutum debitum maculæ originalis.

42. *Alia cōfirmatio cōtra Catharinū.*

Quod inde confirmari poteſt; quoniā debitum peccandi in Adamo, quod fuit in Virgine,& in nobis ante peccatum,nō pendebat ex meritis Adami, nec ex voluntate illius, vt in principio huius articuli aduertimus; ſed præciſe pendebat ex conditione naturæ, ſecundum quam omnes eramus in potētia generatiua Adami: quæ virtualis continentia adueniente diuina inſtitutione obligabat nos in Adamo, obligatione adhuc indifferenti, vel ad palmam victoriæ, ſi vinceret; vel ad demeritum, ſi vinceretur, & peccaret: vnde tale de[illegible]m nondum fundabatur in natura vitiata,&in demerito Adami: [illegible] de nec erat debitum abſolutum ad cōtrahendam maculam, ſed ſolum conditionatum, ſi Adamus peccaret: & proinde per tale debitum non potuit B. Virgo ex meritis Adami peccato ſubijci. Quare cum Catharinus fateatur eā ex meritis peccati Adami ſubiectā fuiſſe peccato nō poteſt non admittere in ea debitū abſolutū ortū ex merito Adami, & ſubinde ex natura iam vitiata: quæ fuit doctrina Patrum, & Auguſtini, dum docent eam fuiſſe cōceptam cum carne peccati, & ex propagine peccati, qualis non fuit humana caro, niſi poſt peccatum.

§. 4.

Probatur eadem veritas ex eo, quod Beata Virgo peccauit in Adamo.

43. 2. *Huius opinionis cōfirmatio.*

SEcundo loco eadem veritas ex Patribus confirmata euidenter oſtenditur ex alia veritate apud Patres indubitata; quod. ſ. *B. Virgo peccauit in Adamo*: hac enim veritate ſuppoſita neceſſario infertur admittendum eſſe in B. Virgine debitum abſolutum, & propriū originatum ex peccato Adami: etenim, qui peccat, non poteſt eo modo,quo peccat, non fieri reus ſui peccati, non ſolum quoad pœnam, ſed etiam quoad maculā culpæ commiſſæ, vt latè oſtendimus *ſupra quæſt. 3. art. 4. §. 6*: quod nec Catharinus,nec aliquis alius negare poteſt: vnde non poteſt quiſquam liberari à tali debito,quanuis poſſit liberari ab actuali reſultantia maculæ ex peccato debitæ, vt ibidem diximus. Ob quam rationem indubitatū eſt in omnib⁹, qui in Adamo peccauerunt, ex ipſa præuaricatione, reſultaſſe veram, & abſolutam obligationem contrahendi maculam peccati, quod in Adamo commiſerunt: hoc enim tanquā indubitatum docet D. Anſelmus *in libro de conceptu Virginali, & peccato originali cap. 7.* vbi poſtquam docuit nos omnes in Adamo peccaſſe, quando ille peccauit addit hæc verba: *Et hinc facta eſt illa neceſſitas, vt cum eſſemus, peccaremus*, id eſt contraheremus peccati maculam: quæ neceſſitas nihil eſt aliud,quam obligatio, & debitum ad contrahendam talem maculam. Idem docuit Gilbertus Porretanus

Nota reſolutionem.

D. Anſel.

Gilbertus Porretan.

nus,dum ſcribit: *Omnes homines ex primorum parentum præuaricatione, peccato, & morti ſubiacuiſſe.* Euidenter colligitur ex ijs, quæ ſupra §.3. ex Patribus adduximus: omnes enim (vt ait Auguſtinus) contra Pelagium hanc proferunt ſententiam, *vt ex Adami peccato omnium hominum ſucceſsio peccato originali ſit obnoxia: omnes ex peccato Adami ſub peccati obligatione naſci: totum genus humanum aſtrictũ eſſe peccato Adami: peccati veteris nexu omnes teneri: omnes ex peccato Adami conſtringi, vt dicant ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea: omnem creaturam vanitati peccati eſſe ſubiectam: denique omnem carnem ex Adami peccato eſſe carnem peccati,* vt patet ex dictis ſupra §.3. Concludendum eſt igitur, nec in Theologia, nec in Fide negari poſſe omnem Adami poſterum, qui in Adamo peccauit, ex ipſo peccato manſiſſe debitorem, & obligatum ad contrahendam propriam maculam peccati, quod in Adamo commiſit, vt ſatis infertur ex Tridentino ſeſſ.5.de peccato originali Cano. 2. & 3. Quare ſi ſemel admittatur Beatam Virginem in Adamo cum cæteris peccaſſe, non poteſt ſine errore, & hæreſi negari eam habuiſſe debitum verum, & propriũ contrahendi culpam originalem, quam de facto contraheret, niſi præſeruaretur. ¶ Porrò quod B. Virgo in Adamo peccauerit latè oſtendimus, in præcedente quæſtione, & iterum oſtendemus ad vltimum argumentum.

Auguſt.

45. *Concluſio argum.*

§. 5.

Ex illa opinione ſequeretur Beatam Virginem non fuiſſe redemptam à Chriſto.

46. *3. huius ſẽtentiæ confirmatio.*

TErtio loco eadem veritas euidenter confirmatur; quoniam niſi dicamus Beatam Virginem habuiſſe debitum abſolutum ex peccato Adami, nullo modo poſset dici redempta ſanguine Chriſti. Conſequens autem eſt hæreticum. Ergo neceſſario eſt concedendũ in B. Virgine fuiſſe tale debitum. Minor huius diſcurſus veriſsima eſt, & admiſſa ab aduerſarijs: toti enim ſunt in defendendo B. Virginem verè fuiſſe redemptã ſanguine Chriſti, quamuis non habuerit debitum abſolutum ortum ex peccato Adami; de quo dicemus in ſequenti libr. quæſt. vltima. Tota igitur difficultas eſt in probãda ſequela, quam multis medijs probabimus.

Prima probatio ſequelæ.

47. *1. Probatio ſequelæ.*

¶ Pro prima probatione ſtatuimus tanquam de Fide gratiam redemptionis per Chriſti ſanguinẽ non redimere, niſi eum qui verè eſt inimicus Dei, vt Deo reconcilietur; verè eſt filius iræ, vt Deus illi proprietur: verè eſt captiuus captiuitate peccati, vt ab ea redimatur: verè eſt peccato mortuus, vt reſuſcitetur: deniq; vere eſt poſitus in ſtatu veteris Adami, vt renouetur, & transferatur ad ſtatum filiorum Dei. Quæ doctrina euidenter traditur à Tridentino ſeſſ. 6. de iuſtificatione à cap. 1. vſque ad 4. vnde fit vt gratia redemptionis Chriſti ex ſua natura diſtinguatur à gratia, quæ ſimpliciter eſt ſanctificatiua, & per ſe incipit à contradictorio id eſt à non ſancto, qualis fuit gratia data Angelis, & primis parentibus: quoniam ex ſua natura eſt iuſtificatiua, & incipit à contrario, nimirum à peccato mortali: vnde ex ſua natura ſupponit eum, quem iuſtificat, eſſe peccatorem; iniquum, & peccato mortuum: vt latè oſtendimus in præcedenti *q. art. 4. §. 3. à num. 6. vſque ad 13.* vbi id oſtendimus, tum ex Tridentino vbi ſupra; tum ex ſacris literis, ex quibus euidenter colligitur gratiam, quæ ad Chriſti redemptionem pertinet, ex ſua natura eſſe reconciliatiuam, pacificatiuã, propitiatiuam, viuificatiuam, & iuſtificatiuam, qua Deus hominem ex ſtatu veteris Adami transfert in ſtatũ filiorum Dei.

48. *Explicatur data doctrina.*

Quæ Fidei veritas ita explicanda eſt, vt ad redemptionem factam per Chriſti ſanguinẽm, nullus poſsit pertinere, niſi ſit mortuus, Deo exoſus, & vere inimicus per aliquãm culpam, aliquo modo ad eũ pertinentem: etenim ex doctrina Auguſtini lib. 1. retract. cap. 10. *Aliena peccata nulli nocere poſſunt, ſed tantum ea, quæ ſunt ſua,* & lib. 3. de peccatorum meritis cap. 8. docet *nulla ratione credendum eſſe Deũ, qui propria peccata dimittit, imputare aliena.*

Auguſtin.

aliena.. Quod adeo verũ eſt, vt Auguſt. contra Pelagianos multis cõtendat peccatũ Adami aliquo modo fuiſſe omnium paruulorũ;non ob aliam rationẽ,niſi quia ſi aliquo modo non eſſet illorum; graue, & iniuſtum eſſet iugũ filijs Adami impoſitũ,quo ſubiecti ſunt ad contrahendam maculã peccati ipſius Adami, vt verbis expreſsis docet *lib.6.contra Iulianum c.4.*

49. *Concluſio diſcurſus.* Quare neceſſario concedendũ eſt eum, qui ad redemptionem Crucis Chriſti vere pertinet,eſſe ſpiritualiter mortuum,& Deo exoſum per aliquam culpã,quæ aliquo modo ſit ſua: implicat enim aliquẽ eſſe ſpiritualiter mortuũ, & Deo inimicũ per culpam, quæ nullo modo ad eum pertinet,vt idem Auguſtinus ait,& ſatis probant verba Ezechielis c.18. *Ezech.18.* *Anima, quæ peccauerit,ipſa morietur.* Et rũrſus: *impietas impij ſuper eũm erit.* Cũ verò paruuli qui ex Adamo ſeminaliter deſcendunt, actualiter non peccauerint,illa Catholica doctrina ita intelligẽda eſt,vt omnes,qui ad redemptionẽ Chriſti pertinent, ſupponantur ſpiritualiter mortui per aliquam culpam,quã, vel in ſe cõmiſerunt,vel in alio .ſ. in Adamo: *Ad Rom. 5.* quod ſatis exprimit Paulus ad Rom.5. *Per vnius inobedientiã peccatores conſtituti ſunt multi.* Et rurſus *Sicut per vnius delictum in omnes homines in damnationem,* ex quo diſcurſu infertur doctrinam Catholicam, quam præmiſimus, ita eſſe intelligendam, vt nullus ad redemptionem Crucis Chriſti pertineat, aut ptinere poſsit, niſi ſaltẽ ipſo peccato Adami in ipſo Adamo fuerit ſpiritualiter mortuus, Deo exoſus, & inimicus; imò etiam maledictus, ita vt ex illa maledictione traxerit obligationem, & debitũ ad contrahendam maculam peccati Adami,cum primum in propria perſona fuerit genitus.

50. *Probatur ſequela.* Suppoſita hac Catholica doctrina euidenter probatur ſequela noſtri argumẽti ſc. B. Virginẽ ad redemptionem ſanguinis Chriſti pertinere non poſſe, ſi nullum habuit debitum contrahendi maculam originalẽ ortum ex peccato Adami: etenim ex præcitata doctrina nullus poteſt ad redemptionẽ Crucis Chriſti pertinere,niſi ſit peccato mortuus per culpã, quæ in Adamo aliquo modo fuerit ſua: quæ ſatis explicat Auguſtinus de natura, & gratia in princ. *Auguſtin.* *dum ait eos nullo modo indigere gratia Chriſtiana,qui nullo modo pertinent ad eos,qui peccauerunt.* Et rurſus dum ait: *quos gratia Chriſti liberat, vaſa miſericordiæ nominari*, quatenus poſſet Deus illos dãnare,ſi illorũ nõ miſereretur. Sed ſi B. Virgo nullum habuit debitum contrahẽdi originalem maculam ortum ex peccato Adami,nunquam fuit Deo exoſa, & inimica per culpã,quæ in Adamo aliquo modo ſua fuerit. Ergo nullo modo potuit ad Chriſti redẽptionẽ pertinere,quæ fuit ſequela. Maior huius argumẽti ex dictis patet,& ex Auguſt. Minor vero inde oſtẽditur;quia nullus dicitur Deo inimicus,& exoſus,niſi ex debito culpæ, quæ in Adamo aliquo modo fuit ſua. Quare ſi Virgo nullũ habuit debitum ex peccato Adami,quod aliquo modo fuit ſuũ (quia ex aduerſarijs nõ peccauit in Adamo) nõ potuit per culpã Adami dici Deo exoſa, & inimica: etenim ex adducta Auguſt. *Auguſt.* doctrina, *aliena peccata non poſſunt alicui nocere,ſed ſola,quæ aliquo modo ſunt ſua.* Et oppoſitũ concedi nõ poſſe expreſſe docet Auguſtinus. Hoc eſt efficaciſsimum huius opinionis argumentum.

Impugnatur ſolutio Catharini.

¶ Ad hoc argumentum Catharinus cum ſuis negat maiorem: putat enim ſatis eſſe debitum peccandi in Adamo ortum ex ſola conditione naturæ, vt quis verè,& propriè dicatur redemptus ſanguine Chriſti. *51. Refertur ſolutio Catharini.* Quoniam vero (vt accepimus) in hac ſententia cõſtanter perſiſtũt nonnulli ex Cõplutẽſibus, operæpretiũ erit hoc effugiũ diligentius impugnare,quãuis illud iam impugnauerimꝰ *ſupra q.3.ar.4.§.5.* Et vt illius falſitas euidẽtior fiat,prius aduertimus Theologos illos debitũ ortum ex conditione naturæ (quod in Virgine agnoſcũt) ita explicare,vt doceant omnes Adami poſteros (etiam B. Virginem) virtualiter fuiſſe in Adamo, tanquam in naturali omniũ capite: ratione cuius virtualis cõtinẽtiæ õnes capaces fuimus,vt Deus poſſet eũ cõſtituere caput morale omniũ noſtrum; ita vt illius voluntas eſſet etiam noſtra, in qua poſ-

ſemus obligari vt faceremus, quod ille faceret: & ſubinde, vt illo vincente, vinceremus; peccante vero, peccaremus: quare ex ipſa conditione naturæ humanæ, quæ tota in Adamo cõtinebatur, reſultauit in omnibus nobis debitũ ad peccandũ illo peccãte; & ex conſequenti reſultauit debitũ ad contrahendam maculam peccati, quod in Adamo peccauimus. Prius illud debitũ peccandi, peccãte Adamo, appellant debitum nõ ſolũ culpæ, quã in Adamo faceremus; ſed etiã debitum debiti reſultantis ex culpa Adami ad contrahendã maculam talis peccati. Addunt adhuc prius illud debitũ peccandi in Adamo triplici via in nobis ineſſe. ſ. *tendentia, aptitudine, & pronitate*: quæ verba vellem mihi explicari: libenter enim fateor me ea nõ ſatis percipere. Sed quocũq; modo explicentur, ſemper obtinẽbo talẽ debitũ ſub triplici illa via conſideratum non ſatis eſſe, vt B. Virgo ad redemptionẽ Crucis Chriſti dicatur pertinere, niſi illi etiã concedatur debitũ ortum ex culpa Adami, quæ aliquo modo ſit ſua.

Cõtra aduerſarios.

52. *1. probatio*

Quod ex eò primũ probabimus; quonam tale debitum ſub quacunq; via conſideratum, non ſatis eſt, vt aut ipſum Adamum (qui ex conditione naturæ creatæ debitum habebat peccandi, niſi diuinitus adiuuaretur) aut poſteros Adami (in quibus datur debitum peccandi Adamo peccante) ante Adami peccatum faceret Deo inuiſos, inimicos, & mortuos peccato, quod non dum erat, ſed futurũ erat. Hoc autem euidenter demõſtratur: quoniam Adamus (etiam poſtquam factus eſt caput morale ſuorum poſterorum) ex conditione naturæ habebat tendentiam illam, aptitudinem, & pronitatem ad peccandum: & tamen præſtantiſsimi illi Theologi non admittent Adamum, antequam actu peccaret, fuiſſe Deo inuiſum, inimicum, & mortuum peccato, cuius debito tenebatur, niſi à Deo iuuaretur: etenim nullus ſine errore negãbit Adamum pro toto tempore ante peccatum fuiſſe Deo amicum, & gratum: nam eum fuiſſe in ſanctitate, & iuſtitia conſtitutum, & peccando eam amiſiſſe, diffinit *Tridentinum ſeſſ. 5. Can. 1. de peccato originali.* Quod dicimus de Adam pro ſtatu ante peccatum, dicendum etiam eſt de omnibus poſteris: omnes enim in Adamo ſanctitatẽ, & iuſtitiam habebant, qua in Adamo erant Deo grati, & iuſti: etenim. Idem *Tridentinum loco citato Can. 2.* diffinit Adamũ ſua præuaricatione propagini acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam perdidiſſe: & tamen debitum illud ſub triplici explicata via omnes habebant, vt aduerſarij fatentur. Concedendum eſt igitur debitũ illud peccandi peccante Adamo, non ſatis fuiſſe, vt & Adamum, & nos in Adamo redderet Deo inuiſos, & iniuſtos.

Trident. *Trident.* 53.

54. *Alia ratio*

Quod etiam euidenter demonſtratur in Angelis, ſuppoſita quorũdam opinione, quod non fuerunt creati in gratia; ſed poſtea in via eam acceperunt: omnes enĩ ſiue boni, ſiue mali, ideo quia erant creaturæ ex nihilo conditi, ex ſua natura ſubiecti erant debito peccandi: vnde mali de facto peccauerunt; boni autẽ peccaſſent, niſi gratia iuuarẽtur. At tamen quis dicet Angelos bonos ex illo debito peccandi fuiſſe Deo exoſos? imò nec mali tales fuerunt, antequã peccarent. His addimus tale debitũ peccandi, niſi per gratiã perſeuerantię ſpecialiter iuuetur, ſimul eſſe cũ gratia. Tantũ igitur abeſt, vt debitũ illud etiã ſub illa triplici via conſideratũ ſatis ſit vt habẽs ſit exoſus Deo: cũ gratia ipſi non contrarietur, ſed ſimul ſtet cum ea, vt patet in Adamo in ſtatu innocentiæ, & in viatore iuſto, qui non habet bonum perſeuerantiæ, ſed tandem eſt peccaturus.

55. *Concluſio probationis.*

Ex his iam euidẽter demõſtratur debitũ peccandi in Adamo, & in poſteris, nõ ſatis fuiſſe, vt Adamũ, & poſteros redderet Deo inimicos, & exoſos. Quomodo igitur ſatis eſſe poteſt, vt habens illud ad Chriſti redẽptionem pertineat? Etenim de Fide eſt ſolos illos, qui in Adamo fuerũt mortui pertinere ad Chriſti redẽptionẽ, nã ex *Paulo 2. Cor. 5.* valet hæc conſequentia: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt*, quã explicat Auguſtin. *6. cõtra Iulianũ c. 41.* docẽs negare non poſſe hoc, qui nõ negat ſe eſſe Chrianum. Porrò ſi debitum peccandi, qui in omnibus erat, antequam Adamus peccaret, non ſatis fuit, vt faceret quem *2. Cor. 5.*

mortuum peccato; vtiq; nec ſatis erit ad redemptionē, quæ facta eſt per mortem Chriſti. Quo contra Catharinum, & ſequaces ſuppoſito, neceſſario infertur B. Virginē ex ſoloillo debito non potuiſſe ad Chriſti redemptionem pertinere: & ex conſequenti in ea admittendum eſſe debitum ortū ex peccato Adami, quod aliquo modo fuit ſuum. Efficaciſsima eſt igitur prima probatio ſequelę ſuperius in Maiore adductæ.

Secunda probatio ſequelæ.

56. *2. Demonſtratio ſeq.* ¶ Secundo probatur ſequela poſita in maiore principalis diſcurſus: ſ. *B. Virginē nullo modo pertinere ad redemptionē paſſionis Chriſti, ſi non habuit debitum contrahendi originalem maculā ortum ex peccato Adami*: probatur autē ex doctrina, quā oſtēdimus in pręcedente quæſtione art. 4. §. 7. n. 37. etenim inter Theologos indubitata eſt doctrina, quod Deus noſtro intelligendi modo prius præuiderit peccatū Adami, quā ſtatuerit homines redimere meritis ſuæ paſſionis. Hanc doctrinā probarūt omnes vtriuſq; Scholæ Theologi, & eam Thomiſtæ nō poſsūt non recipere, cū apud eos Verbū carnem nō ſumeret, ſi Adamus nō peccaret: fateantur igitur neceſſe eſt, peccatū Adami præſupponi ad incarnationē, & ad decretū paſſionis, & per cōſequēs fatebūtur peccatū Adami noſtro intelligendi modo prius à Deo præuiſū fuiſſe, quā præuiſa fuerint
57. merita paſſionis. Eandē doctrinam probāt Scotiſtæ, & alij, qui docent verbū humanā carnem ſumpturū fuiſſe, etiāſi nullū fuiſſet Adami peccatum: hi enim licet admittant incarnationem Verbi prius præuiſam fuiſſe, quam præuiſum fuerit peccatum Adami: non tamen admittent Deum prius præuidiſſe Chriſti mortem, quā præuiderit Adami peccatū imò oppoſito modo theologizant docentes peccatum Adami noſtro modo intelligendi præuiſum fuiſſe in quodam ſigno priori, quam præuiſum fuerit decretū de redimendo homine per Chriſti mortē. Quare Deus prius præuidit Chriſtū hominē: quam illū præuiderit redēptorem hominum. Hæc omnia ſupponimus tanquam veriſsima, & omnium conſenſu receptiſſima: quæ inter alios doctiſsimē explic-runt Fonſec. in 6. Met. c. 2. q. 6. ſect. 1. lit. I. L. M. & ſect. 2. concl. 4. lit. I. Suar 1. to. ad 3. p. diſp. 5. ſect. 3. dicto 1. & 2. quam etiam admittunt aduerſarij, vt in quorundam annotationibus legi.

Ex hac veriſsima, & indubitata Theologia infertur propoſitę ſequelæ euidēs demonſtratio: 58. *Demōſtratio.* etenim Deus pro illo ſigno, in quo præuidit peccatū Adami, nihil adhuc noſtro intelligendi modo abſolutè decreuit circa hominū redemptionē per paſsionem Chriſti: etenim potuit nolle homines redimere. Ergo à fortiori pro illo ſigno, in quo decreuit creare Adamū, & poſteros, & legē illis imponere de non comedendo fructū vetitum, adhuc nihil decreuit de futura Chriſti morte: etenim tàm illud ſignū, in quo ſtatuit creare Adamū, quam illud, in quo decreuit illi legē imponere, antecedit ſignū, in quo præuidit peccatū Adami. Quare ſignū, in quo præuidit tale peccatū anteceſsit ſignū, in quo ſtatuit homines redimere per Crucē, ita vt pro illo ſigno nondum præuiderit Chriſti mortē; vtiq; eandem mortē non præuidit pro ſigno, in quo decreuit legē Adamo, & poſteris imponere. Quomodo igitur fieri, aut concipi poteſt, quod Deus pro illo ſigno, in quo voluit imponere præceptū, B. Virginē ab eo exemerit ex meritis pręuiſis Crucis? etenī ꝓ illo ſigno, ſicut nondū erat abſolutū decretū redimēdi; ita nec erat præuiſio paſsionis. Admittimꝰ potuiſſe Deū ꝓ illo ſigno mere gratis, & abſq; vllis meritis eam à lege eximere; ſi vera eſt ſentētia, quod Verbū nō incarnarętur, ſi Adamus nō peccaret: 59. *Nota doctrinam.* admittimus etiā potuiſſe Deū eā eximere à tali præcepto ex meritis Chriſti incarnati apud eos, qui volūt incarnationē Verbi futurā fuiſſe, etiā ſi Adamus non peccaſſet: etenim cū in pręcedētibꝰ ſignis decreta fuerit Verbi incarnatio, ſimul cū meritis incarnationē cōſequētibus, potuit Deus ex illis meritis præuiſis B. Virginē à tali præcepto eximere: attamen admitti non poteſt potuiſſe Deum pro illo ſigno, in quo voluit præceptū imponere, B. Virginem eximere ex meritis paſsionis præuiſis: etenim non dum erant, aut decreta, aut præuiſa. Fieri igitur nō poteſt, B. Virginem pro illo ſigno, in quo Deus

voluit præceptum imponere; fuiſſe excẽptam ex meritis paſsionis præuiſis. Et per conſequens repugnat eam ex meritis præuiſis Crucis in Adamo non peccaſſe. Quomodo igitur poteſt dici redempta morte Chriſti? quare admittendum eſt B. Virginem nullo modo ad redemptionem Crucis Chriſti pertinere, ſi eis Adami peccato nullum debitum ſecũ traxit: quæ fuit ſequela.

60. *Alia confirmatio.* Confirmatur adhuc: quoniam, vt diximus, potuit Deus præuiſo Adami peccato nolle hominem redimere. Supponamus igitur quod Deus noluit eum redimere: inquiro, an poſito hoc caſu B. Virgo forêt concipienda ſine peccato? an vero cũ peccato? ſi cum peccato, igitur non fuit excẽpta à lege, & per conſequẽs peccauit in Adamo, ſicut cæteri peccauerunt. Si ſine peccato (quod non poteſt non concedi, ſi fuit exempta à lege) ergo nõ fuit exempta ex meritis Chriſti. Supponimus enim, quod nulla futura erat redemptio per Chriſti mortẽ. Hoc autẽ admiſſo, neceſſario admittendũ eſt B. Virginem, ſi de facto fuit exempta ab illa lege, fuiſſe exemptã independenter à meritis Chriſti, & ſine vlla eorũ præuiſione:

61. *Nota.* etenim iuxta Theologiam ab omnibus receptam, quæ in decretis Dei prioritatẽ, & poſterioritatem ſignorum admittit; ſicut priora ſigna noſtro intelligẽdi modo ſunt independentia à ſignis poſteriorib⁹; ita quæ in ſignis prioribus decernuntur, independenter decernũtur ab ijs, quę decernũtur in poſterioribus, & ſine vlla prę uiſione illorũ: vnde poſſũt ſtare cũ vtraq; illorũ parte, ſiue illa fiant, ſiue non fiant. Verbi gratia Deus in ſigno A. decreuit creare Adamũ; & in ſigno B. decreuit illũ creare cũ iuſtitia, & gratia: vtiq; in ſigno A. creauit Adamũ independẽter ab hoc, quod crearetur cũ iuſtitia, & gratia, vel in puris naturalibus: potuit enim Deus hoc vel illo modo illũ creare. Vnde creatio pro ſigno A. decreta, eſt abſoluta cũ indifferentia, quod creetur, vel in gratia, vel in pura natura. Eodẽ modo Deus in ſigno B. decreuit creare Adamũ cum gratia & iuſtitia, & in ſigno C. libere decreuit imponere illi, & poſteris legem de non edendo de frũctu vetito: vtiq; decretum in ſigno B. de creando illũ cum gratia independẽs fuit ab impoſitione præcepti, vel non impoſitione: quia potuit libere imponere tale præceptũ, vel non imponere, ſed velle quod homo, & poſteri in tali ſtatu permanerent. Simili modo in ſigno D. ſtatuit Deus pẽrmittere peccatũ in Adamo, & poſteris: in eo vtiq; illud ſtatuit indepẽdenter à redẽptione per Chriſti mortẽ, quam decreuit in ſigno E; quia potuit Deus hominem nõ redimere per mortẽ Crucis: vnde permiſsio peccati in ſigo D. independẽs fuit ab hoc, quod homo eſſet; vel non eſſet redimendus; quia potuit Deus pro ſigno E. nolle hominẽ redimere. Veriſsima eſt igitur doctrina, quæ docet ea, quæ in priori ſigno à Deo decernuntur, decerni independenter ab ijs, quæ decernuntur in ſigno poſteriori. 62.

Qua Theologia ſuppoſita, iam infertur exemptionem B. Virginis à lege impoſita Adamo, ſi facta eſt in ſigno antecedẽte ſignum redemptionis per ſanguinem Chriſti, factam fuiſſe abſolutè ſine depẽdentia à decreto de redimendo, vel non redimendo, vt ſupra diximus. Quare ſi talis exemptio admittenda eſt, admittenda eſt cum independentia à redemptione per crucem; ita vt ſimul potuerit ſtare cũ decreto de non rẽdimendo hominem. Ex quo infertur talem exemptionem (ſi eſt admittenda) factam eſſe abſq; vlla dependentia; & prȩuiſione meritorum Crucis Chriſti: quo ſuppoſito B. Virgo nullo modo potuit pertinere ad redemptionem Chriſti, vt diximus.

His argũmentis (ni fallor) euidenter demonſtratur ſequela argumenti ſupra propoſiti §. 5. quæ inferebat B. Virginẽ nullo modo ad redẽptionem Chriſti pertinere, ſi nullum habuit debitum contrahendi maculam originalem ortũ ex peccato Adami. Quibus etiam argumentis inductus fuit Salas, vt opinionem Catharini reijceret 2. *tom. ad* 1. 2. *q.* 81. *tract.* 13. *diſp.* 11. *ſect.* 5. *q.* 11. *pag.* 641. *col.* 1. Nec video ſolutionem, quæ vel apparenter vim illorum elidat: nam recurrere ad ſcientiã mediam, & conditionatam inutile ẽſt refugium, quanuis ad illam quidam recurr[illegible]t, qui vulgari idiomate hanc quæſtio[illegible]em diſputarunt. 63. *Concluſio.*

§. 6.

Quartum argumentum, quod B.Virgo non contraheret maculam,licet gratia non præueniretur.

64. *4. Argu. principale.*

QVarto adhuc argumento euidenter cõuincitur falſitatis opinio Catharini: quoniam ſi B. Virgo nõ habuit debitum abſolutũ,ex Adami peccato,non fuiſſet de facto contractura maculam originalem, etiam ſi à Deo gratia iuſtificante nõ præueniretur.Conſequẽs tamen non eſt admittendum. Ergo in ea admittendum eſt debitũ abſolutum ortũ ex peccato Adami. Hoc argumento vſi ſumus *ſupra q.3.art.4.§.9.n.45.* vt probaremus B. Virginem peccaſſe in Adamo: quod etiam eſt efficaciſsimum ad probandum in ea fuiſſe debitum ortum ex Adami peccato: falſitas conſequentis à nobis latè probata eſt in d.§.9.n.48. quam ad-aduerſarij admittunt cum ſit Catholica.

65. *Latè probatur ſequela. Auguſt.*

Sequela ex eo primumprobatur, quia nemo recipit in ſe maculam peccati, niſi illud cõmiſerit, vel perſonaliter in ſe, vel originaliter in alio. Quam propoſitionẽ latè probat Auguſtinus *lib.1.retract. cap. 10.* vbi multis oſtẽdit. *aliena peccata nulli nocere poſſe;ſed tantum ea,quæ ſunt ſua:* qua ratione probat peccatum Adami fuiſſe noſtrum,&ob id nobis,tum concipimur, iuſte imputari. Ex quo patet illum agere de peccatis alienis in ſenſu explicato,qua- *Auguſt.* tenus .ſ. ea, nec in propria , nec in aliena perſona cõmiſimus: vnde idem Auguſt. *lib.3.de peccator. merit.c.8.* affirmat nulla ratione concedendum eſſe *Deum,qui propria peccata dimittit, imputare aliena.* Ob quam rationem lib.6.contra Iulianum c. 4. vt defendat paruulos abſq; illa iniuſtitia ab Adamo trahere maculam,&pœnalitates, multis probat peccatum Adami fuiſſe illorum: aliàs enim non ſine iniuſtitia maculæ illi ſubijcerentur, vt colliges ex d.c.4.ibi poſtquam docuit peccatum Adami etiam fuiſſe noſtrum, ita ſcribit: *Quod ſi falſum eſſet,profectò graue iugum ſuper filios Adami à die exitus à ventre, nullo* *Ezech.18.* *modo iuſtum eſſet.* Quam veritatem loco citato deduximus ex verbis Ezechielis c. 18. *Anima, quæ peccauit, ipſa morietur.* ſ. morte corporis: & animæ: iam vero macula peccati originalis verè eſt mors animæ,vt diffinit Tridentinũ ſeſſ.5. de pec. orig.d.Can.2.Quare à quolibet fideli cõcedendum erit eum, qui nec in ſe,nec in Adamo verè peccauit,iniuſte ſubijci maculæ ex peccato Adami.Sed ex Catharino B.Virgo nec in ſe,nec in Adamo peccauit; 66. quia (vt ait) exẽpta fuit à lege Adamo impoſita. Ergo iniuſte ſubijceretur legi,& obligationi cõtrahendi maculã ex Adami peccato in poſteros trãsfuſã.Hoc autẽ admiſſo, nõ poteſt nõ admitti eã in ſui cõceptione nõ indiguiſſe gratia præſeruãte à tali cõtractione: nã gratia, quæ ex Chriſti meritis eſt præſeruatiua originalis maculæ, in ſua intrinſeca ratione includit,quod ſit liberatiua à debito incurrendi eam: iam vero qui non debet, non indiget,quod à debito liberetur.

Confirmatur; quoniam ſi aliquis naturaliter ex Adamo naſceretur,præter eos quos Deus ab illo generandos fore de- 67. *Ad cõfirmat,* creuit (quod abſolutam Dei potentiam non excedit) iſte non contraheret peccatũ originale,etiam ſi nulla præſeruaretur gratia,vt oſtendimus in tract. de peccato origin.non ob aliam rationẽ, niſi quia in lege Adami nõ fuit incluſus: quia Deus in Adamo ſolos eos obligauit, quos voluit ab eo propagandos fore:cum vero in ea lege cõprehenſus non fuerit, nec Adamus de facto fuerit caput morale illius: vtiq; peccante Adamo ipſe non peccaret, & ex conſequenti propagatus ab Adamo abſq; vllo debito contrahendi maculam conceptus eſſet, nec vlla indiguiſſe gratia cum à tali macula præſeruante.Similiter igitur ſi B.Virgo exẽpta à tali lege non peccauit in Adamo, non contraheret originalem maculam, quantumuis nulla præueniretur gratia : quæ fuit ſequela.

Nec vim huius argumenti elides, ſi cũ Catharino, & ſuis reſpondeas ſatis fuiſſe 68. *Impugnatur ſolutio Catharini.* debitum peccandi in Adamo ortum ex conditione naturæ repertum in Virgine,vt indigeret gratia præſeruante à macula peccati, quod committeret, niſi à lege eximeretur : non elides, inquam, vim argumenti : quoniam ſolutio iſta arguit Theologiam huius difficultatis non ſatis eſſe perceptam : etenim ex ijs, quæ ex Auguſtino diximus,iam conſtat

Biblioteca Nacional S.A.R. LISBOA

graтiam præſeruatiuam à macula peccati Adami in ſua ratione intrinſeca includere, quod tale peccatum aliquo modo fuerit ipſius præſeruati, ita vt ei aliquo modo imputetur: ſupponit enim eum, qui præſeruatur, tali peccato fuiſſe inimicũ, & oxoſum Deo, vt ſupra §. 5. oſtendimus: iam vero debitum, quod habuit ortum ex cõditione naturæ, ſuppoſita exẽptione, non ſatis fuit, vt peccatum Adami ita fuerit illius, vt eam in Adamo fecerit Deo inimicam, vt aduerſarij libenter admittunt. Igitur nec ſatis fuit, vt indigeret gratia præſeruante à macula peccati Adami: etenim illa gratia, quæ ſatis fuit, ne peccaret in Adamo, ſatis etiam fuit, ne indigeret gratia præſeruante à peccato, quod nullo modo commiſit: nam in humanis eadem numero gratia, qua rex aliquem exemit à lege imponente tributum, liberat eundem ab actuali ſolutione tributi, & ideo nulla noua gratia eſt neceſſaria, ne actu ſoluat tributum. Vide quę diximus ſupra q.3.ar.4.§.9.n.50.

69. *Concluſio articuli.* Concludendum eſt igitur ſolutionem allatam vim argumẽti non elidere. Quare cũ falſitas conſequentis, nec ab aduerſarijs negetur, nec poſsit negari: efficaciter concluditur in B. Virgine admittendum eſſe debitum ortum ex peccato Adami: quantumvis Catharinus cũ ſuis reclamet.

§. 7.

Soluuntur argumenta adducta §.1.

70. SVpereſt diſſoluere argumenta, quæ pro opinione Catharini adduximus ſupra §.1.à nu.5. Quod attinet ad primum ſumptum ex cap. 8. Cãtic. non video, quomodo ex verbis adductis inferatur non fuiſſe in Virgine debitum ex Adamo ortum, etiamſi illa verba in ſenſu myſtico de Virgine à pluribus explicentur: etenim ex verbis illis nihil, vel apparenter deduci poteſt: quod quiſque facilè intelliget, ſi legerit, quæ in illorũ verborum explicatione ſcribunt Patres, & interpretes; inter quos videndus eſt Martinus Delrio ad illa verba ſect.3.§.4. pag.609. illorum enim vera explicatio lõgiorem poſtulabat commentationem.

71. *Ad 2.* Ad ſecũdum ſumptum ex c.15. Eſther admittimus Eſther in aliquibus geſſiſſe figuram B. Virginis: nimirũ in pulchritudine, & in coronatione, de quibus in c.2. & 7. eiuſdem libri, nõ tamen in omnibus: vnde à claſsicis authoribus nõ adducitur pro cõfirmanda illius immunitate à peccato originali: & à fortiori non poteſt adduci ad carentiam debiti ex Adamo orti. Quin potius in cõtrarium poſſet adduci, *Retorquetur.* ſi benè expendantur verba, quæ in d. c. 15. ſcribuntur. Et quidem locus ille debitum contrahendi maculam ex præuaricatione Adami euidenter confirmaret, ſi Rex Aſſuerus Eſther iam iã caſurã, antequam caderet, manibus ſuis ſuſtinuiſſet, ne caderet, vt refert *Petrus Morales lib.3. de Chriſto & Maria Deipara tract.1.n. 44. pag.291. litera B:* *Petr. Morales.* etenim ſi eam iam iam caſuram ſuſtentauit, nec caderet, figura illa euidenter probaret B. Virginem iam iam caſuram fuiſſe à Deo præſeruatam, ne caderet: quæ verba manifeſte denotãt debitum cadendi; non quidem remotũ, quod habuit ante peccatum Adami, ſed proximum, quod habuit poſt peccatum pro tempore conceptionis; idq; ex peccato Adami. Siquidẽ Eſther ex eo cadebat, quia contra pręceptum Aſſueri ad eũ nõ vocata venit: quod ſatis probat B. Virginẽ in Adamo præceptum fuiſſe pręuaricatam. At tamen ponderatio iſta falſo nititur fundamẽto; quia ex dicto loco cõſtat Eſther, dum vidit Regẽ ardẽtibus oculis ſuum furorem indicaſſe, corruiſſe: vt patet ex illis verbis: *Cumque eleuaſſet caput & faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit.* Quare ſi hæc vt figurata accipiãtur; potius probant B. Virginem prius corruiſſe contrahendo originalem maculã, quam Deus eam iacentem in peccato, à peccato ſubleuaſſet Et cũ aduerſarij hoc nõ admittant; vtiq; nec admittent Eſther in hoc loco fuiſſe B. Virginis figuram. Quę opinio ex eo etiã confirmatur; quia Eſther vlnis Regis ſuſtentata, & à morte iam exempta, iterum *Confirmatur.* corruit: quod B. Virgini nullo modo poteſt conuenire, vt omittamus hiſtoriam illam non poſſe accõmodari conceptioni B. Virginis; cũ intelligatur de Eſther præ timore furoris Regis, & metuẽte, & cadẽte. Deniq; ſi ptinaciter inſiſtas Eſther in hoc loco figurã geſſiſſe B. Virginis. reſpõ 32.

debo

deboverba illa: *Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex cõſtituta eſt*, nõ eſſe intelligẽda de lege impoſita Adamo, & poſteris ante peccatú: quia hiſtoria illa vere ſupponit Eſther contra præceptum Regis feciſſe; & ſubinde ſignificare B. Virginem in Adamo peccaſſe: ſed eſſe intelligenda de maledictione poſteris Adami impoſita de contrahenda originali morte, cui ipſa Virgo ex vi ſuæ generationis ſubiacebat, à qua gratis diuina infuſa gratia præſeruata fuit.

73. *Ad* 3. Ad tertiũ reſpondetur verba illa Prouerbiorum; etiamſi intelligantur de B. Virgine, probare non poſſe immunitatẽ eius aut à macula; aut à debito: quia ſi B. Virgini accommodentur, illi accommodantur, quatenus dono ſapientiæ, cæterarumque virtutum repletâ actionibus vitæ, tum contemplatiuæ, tum etiam actiuæ incumbebat, vt euidenter patet ex litera; & explicant omnes, qui illud caput eidem accommodant, vt videre eſt apud Carthuſianum in d. cap. 31. art. 33. fol. 57. pag. 2: nec aliquem legi qui verba iſta conceptioni eius accommodet.

74. *Ad* 4. Ad quartum vellem explicarentur nobis viri illi doctiſsimi, qubus hæc placuit opinio: nec enim induci poſſum, vt credam opinionem illam alicui fuiſſe probatam; quod ſi fuit, illorum iudicium nec recipimus, nec recipiendũ eſſe putamus: tum, quia Concilium in canonibus antecedentibus ſolum agit de peccato, & de macula illius, quæ vere eſt mors animæ; & quæ per baptiſmum tollitur: debitum autem ad contrahendam maculam iam non eſt in ipſis pueris, ſed ſola macula, quod ex eo vel euidẽter patet; quoniam omne debitum ad aliquid ſoluẽdum ipſa actuali ſolutione ſoluitur, ita vt primum eſſe ſolutionis ſit primum nõ eſſe debiti, vt inferius dicemus: quomodo enim manebit debitor, qui ſoluit, quod debebat? nos autem debitores eramus contrahẽdi maculam: ergo, illa contracta, iam non ſumus debitores illius. Porrò ſi Tridentinum in regulis antecedentibus ſolum agit de macula peccati, quæ in nos transfuſa per baptiſmum tollitur, & ea, quæ docet debito applicari non poſſunt; profecto excep[illegible] B. Virginis à regulis fi[illegible] de peccato originali explicatis, non poteſt adaptari debito contrahendi maculã; ſed ſoli maculæ contractæ. Quod ex eo etiam confirmatur: quoniam controuerſia inter Theologos agitata, cui occurrit Sixtus IIII. in Extrauag. *Graue nimis*, quam Concilium renouat, & confirmat non de debito excitabatur, ſed de ſola macula. Sed de hoc iterum redibit ſermo in vltimo huius quæſtionis articulo.

Ad quintum ſumptum ex Patribus facilè reſpondebimus, & ad primum ex 75. *Ad* 5.
Auguſtino iam reſpondimus, ſupra art. 2. §. 6. ad 3. n. 36. vbi diximus decretum illud Auguſtini intelligendum eſſe de peccatis, quæ formaliter ſunt peccata; nõ *Ad Aug.*
vero de debito ad peccatum: quod licet ſit ex peccato, & ad peccatum obliget; formaliter non eſt peccatum. Vnde licet Auguſtinus in q. de peccatis actualibus & originalibus nolit quæſtionem habere de B. Virgine; eam tamen comprehendit in quęſtione de debito, & obligatione ad contrahendam originalem culpam; vt ſuprà oſtendimus §. 2. n. 28. 29. & 33. Quibus accedit; quod in illo decreto ſolum agit de B. Virgine in propria perſona; nõ verò vt fuit in Adamo, & in parentibus: vnde decretum illud ſolum conuincit Auguſtinum in q. de peccatis noluiſſe comprehendere perſonam B. Virginis in ſe ipſa, non vero vt fuit in Adamò: etenim ex illius doctrina euidenter deducitur B. Virginem in Adamo peccaſſe, vt oſtendimus ſuprà q. 3. art. 2. §. 2. n. 3. & 4. Quare ex præcitatis Auguſtini verbis non poteſt ſumi argumentum, quod in B. Virgine non fuerit debitum ortum ex Adamo. Vnde prima conſequentia neganda eſt: quoniam quæſtio de debito non eſt quæſtio de peccato in propria perſona B. Virginis. Verba autem, quæ in confirmationem adducuntur, explicanda ſunt de victoria contra peccatum in propria perſona commiſſum, non vero de peccato commiſſo in Adamo, nec de debito ex illo reſultante.

¶ Ad ſecundum teſtimonium ex Hieronymo dicimus verba illa inueniri in 76. *Ad Hieronymum.*
ſermone de Aſſumptione Virginis apud Hieronymum *tom. 5. epiſt. 510. pag. 95.* qui tribuitur Sophronio: & eſſe intelli-

genda de propria B. Virginis perſona: hæc enim nulla peccati macula corrupta fuit; quia nullam culpam actualem commiſit, nec maculam originalem contraxit. Cum quo ſtat, vt in perſona Adami fuerit corrupta, tum corrumptione culpæ, quam in Adamo commiſit; tum corruptione debiti ad culpam in propria perſona contrahendam: quæ in hoc ſenſu dici poteſt corruptio: quia ex corruptione culpæ oritur. Verba ex eodem ſermone ſecundo loco adducta nihil obſtãt, ſi intelligantur de dolo & fraude actuali: ſed nec obſtabunt, ſi intelligantur de dolo & fraude, qua omnis natura humana, id eſt, omnes Adami poſteri etiam ipſa B. Virgo in Adamo decepti ſunt: quoniam licet doli illi, & illæ dæmonis fraudes in Adamo, in B. Virginem eruperint, ita vt illa debitum habuerit ad maculam originalem contrahendam; non tamen in propriam illius perſonam eruperunt; quia gratia præſeruante mente, & corpore ſemper fuit ſancta. Et eodem modo explicanda ſunt verba tertio loco adducta: quia B. Virgo, licet in Adamo fuerit in tenebris, & ex eo tenebras debiti ad contrahendam maculam attulerit; in propria tamen perſona nunquam in tenebris fuit, ſed ſemper in luce. Quare D. Hieronymus, ſiue Sophronius nihil facit cõtra debitum B. Virginis.

77. *Ad Orig.* ¶ Ad tertium teſtimonium ex Origene *homil. 1. ex varijs collecta tertio tom. in nouis, pag.* 3. dicimus illud nihil obſtare, ſi per afflatus ſerpentis venenoſos intelligantur malæ ſuggeſtiones, â quibus B. Virgo fuit libera: quæ eſt plurimorum probabilis explicatio. Sed nihil etiã obſtabunt, ſi per illos afflatus intelligamus culpam originalem, quoniam illi licet B. Virginem in Adamo infecerint, ita vt ex eo debitum trahat ad maculam originalem: non tamen eam in propria perſona infecerunt; quia à macula per gratiam fuit præſeruata. ¶ Quartum teſtimoniũ
78. *Ad Rich. de S. Vict.* ex Richardo de S. Victore, in Richardo non inuenitur: & quanuis inueniretur, non probaret B. Virginem non ſubiacuiſſe debito; ſed non ſubiacuiſſe culpæ, cuius debito tenebatur: etenim illa verba: *qualicumque fuerit obnoxia culpæ*, non intelliguntur de obnoxietate ad contrahendam culpã, ſed de obnoxietate actuali, qua actu alicui culpæ foret obnoxia: nam qui actu alicui obnoxius eſt peccato, actu obnoxius eſt illi, quia actu culpæ ſubiacet. Quod vero additur de ventre, intelligitur de ſubiectione culpæ contra puritatem caſtitatis. ¶ Teſtimonia
quinto loco ex Bernardo adducta facilè 79. *Ad Bern.*
explicantur; nam primum euidenter intelligitur de macula actuali peccati Adami; quam B. Virgo vere non contraxit: & in eodem ſenſu intelligitur teſtimonium poſterius; quia vere non admiſit maculam debiti, quod habebat: vnde argumentum pro nobis eſt; quia in eo ſupponitur debitum ad contrahendam maculã; & negatur actualis illius contractio. ¶ Quod attinet ad ſextum teſtimonium
ex B. Dominico, Andræa Apoſtolo, & 80. *Ad S. Dominicum.*
ex Auguſtino, dicimus Chriſtum ſumpſiſſe carnem ex terra, carnemq́ue Beatæ Virginis, quæ in ſe nunquam fuit maledicta; quanuis maledicta fuerit in alio. Et in hoc tantum ſenſu tenet comparatio terræ, ex qua vterque Adamus formatus fuit. ¶ Ad ſeptimum teſtimonium 81. *Ad Ildephonſum.*
dicimus, S. Ildephonſum in citato loco non omnia illa ſcribere, quæ adducũtur: ſed ſolum aſſerere B. Virginẽ, ideo quia præſeruata fuit à culpa, fuiſſe etiam præſeruatam à maledictione pariendi cum dolore: ex quo contra nos nihil poteſt
inferri. ¶ Ad poſtremum teſtimonium 82. *Ad Nicolaũ de Cuſſa.*
ex Nicolao de Cuſſa; negamus illum in citato loco aliquid ſcribere contra datam reſolutionem: quia ſolum docet B. Virginem nunquam ex Adamo ſubiacuiſſe culpæ; quia nullam in eo contraxit; quãuis contrahendi debitum habuerit.

Ad ſextum argumentum dicimus illa 83. *Ad 6. arg.*
omnia indigna eſſe, quæ dicantur de B. Virgine, vt in propria exiſtit perſona: nõ eſſe tamen indigna, vt de illa dicantur, prout fuit in Adamo: quin potius non poſſunt in ea non admitti, vt ad Chriſti redemptionem pertineat: quia (vt iam diximus) nullus, niſi qui aliquo modo fuit inimicus Deo, & filius iræ, fuit Chriſti ſanguine redemptus. Oportet igitur cõcedere B. Virginem in Adamo fuiſſe inimicam: quod non toll[illegible] quin in pro-

pria perſona ſemper amica fuerit, & pulchra.

84. Ad 7. Ad ſeptimum negandum eſt, eum qui in ſolo patre damnatur; vel propter delictum, quod in patre commiſit (quod in ſolo Adamo reperitur) vel per imputationem delicti, quod commiſit pater, dici poſſe ſimpliciter & abſolute damnatum in propria perſona: quia nullus ſimpliciter damnatur aut maledicitur, niſi qui in propria perſona commiſit culpam, propter quam maledicitur.

85. Ad 8. Octauum argumentũ futile eſt: quoniam Deus largitur dona modo conuenienti ſuæ diuinæ diſpoſitioni, & prouidentiæ: iam verò ſtatuit nòn redimere, niſi eos, qui vel in ſe, vel in Adamo peccauerunt, & qui ab eo trahunt debitum contrahendi maculam peccati, quod in Adamo commiſerunt: à cuius actuali cõtractione gratis B. Virginem voluit prçſeruare. Aſſuerus autem liberauit Eſther à morte, non à debito mortis; quia vere eam debebat; quia vere violauit legem, quam impoſuit: vnde videns eam non vocatam veniſſe, ardentibus oculis furorem pectoris indicauit: diuinitus tamen in mãſuetudinem mutatus eam à morte, quam meruerat, liberauit; inquiens, *non morieris: quia non pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt*: ſcilicet quoad executionem pœnæ; non vero quoad exemptionem à lege, in qua vere comprehẽſa fuit, vt furor Regis euidenter probat. Eodem igitur modo Deus B. Virginem non exemit à lege impoſita Adamo; & ideo in Adamo peccans, in eo fuit Deo inuiſa: eam tamen exemit ab executione legis; nimirum ab actuali contractione maculæ, cuius debitrix erat: vnde in legis executione diſpenſauit.

86. Ad 9. Ad nonum dicimus B. Virgini, tanquam cæteris omnibus nobiliori, & chariori, debitam fuiſſe redemptionem nobiliorem, intra limites redẽptionis factæ per crucem: præſeruatio autem ab omni debito orta ab exemptione à lege impoſita Adamo, altior quidem erat, & Deo poſsibilis: attamen ad redemptionem Crucis pertinere non poterat, & ideo illi debita non fuit.

87. Ad 10. Ad 10. reſpondetur terram ſacerdotalem nullum debitum habuiſſe ſoluendi tributum; quia ñon fuit Regi vendita; nec in dominium Regis tranſlata, quæ venditio & tranſlatio fuit totum fundamentum imponendi tributum. Et inde eſt vt Ioſephus terram ſacerdotalem à tributo gratis non exemerit; cum illa de rigore iuſtitiæ tributo nunquam ſubiacuerit. Et ideo ex hoc non poteſt ſumi argumentum ad probandum B. Virginẽ exemptam fuiſſe à lege Adami: nam cũ debitum habuerit ad peccandum in Adamo ex conditione naturæ, vt aduerſarij fatentur, indiguit gratuita exemptione ab illa lege.

Vndecimum argumentum in eo deficit, quod ſupponit in priuilegio immunitatis idem eſſe, *non ſoluat debitum*, & *non teneatur ſoluere*: etenim cum debito ſoluendi ſtat remiſsio debiti per liberam cõdonationem aut diſpenſationem, ne actu ſoluat: poteſt enim Rex diſpenſare ne quis ſoluat tributum, ad quod ſoluendũ tenebatur. Quare longe aliud eſt Regem, cum imponit legem tributi, eximere aliquem ex priuilegio ab illa lege; & aliud condonare ſolutionem illi, qui ad ſoluẽdum tenebatur. Potuit igitur B. Virgo non fuiſſe exempta à lege, & obligatione peccandi in Adamo, & ſubinde in Adamo, & parentibus habuiſſe debitum cõtrahendi maculam, cum conciperetur, & maculam illam actu non cõtrahere, Deo eam â tali contractione præſeruante. 88. Ad 11.

Ad confirmationem dicimus in ea inuolui implicationem, ſi de ſolutione propriè ſumpta ſit ſermo: nec enim cum ingenuitate ſimul ſtare poteſt propria ſolutionis ratio: nam cum ſolutio ex ſua ratione obligationem ſoluendi ſupponat; implicat aliquem ſoluere ſine debito ſoluendi: & per conſequens implicat perſonam eſſe ingenuam à ſeruitute, & ſoluendo ſe illi ſubijcere. Negamus etiam in ingenuitate in ordine ad peccatum melius eſſe peccare, ſine debito peccandi; quàm habere debitum ad peccandum, & actu non peccare: nam actuale peccatum, quocũque modo fiat, peccantem ipſum ſemper facit Deo inuiſum: quod tamen non facit debitũ ad peccandũ, ſine actuali peccato, vt ex aduerſarijs colligitur. 89. Ad confirmat.

Ad

90. Ad 12. Ad 12.admittimus maiorem,ſi ſermo ſit de debito ad culpam habitualem orto ex aliquo actuali peccato:eam tamen negamus, ſi ſermo ſit de debito culpæ orto ex naturæ conditione, & imbecillitate. Quod maior illa neganda ſit de debito poſteriori,ex eo patet;quia hoc debitum in Angelis fuit,& in Adamo ante peccatum;& tamen in illis fuit ſimul cum gratia ſanctificāte,vt alibi diximus:cum qua tamen debitũ ad pœnam, licet ſupponat præceſsiſſe aliquam culpam,poteſt tamē ſtare poſt illam culpam remiſſam, vt patet in debito mortis ex peccato Adami in nos tranſmiſſo, quod in nobis permanet poſt iuſtificationem à culpa:cum tamen debitum ad maculam culpæ ſtare non poſsit ſimul cum gratia, vt dicemus art.5. Quare grauius eſt debitum ad culpam,quam debitum ad pœnam, vt aſſerit Maior, quam in ſenſu explicato concedimus. Quod vero attinet ad minorem, negandum eſt in B. Virgine non fuiſſe debitum alicuius pœnæ; quia in ea fuit debitum mortis ex peccato Adami, vt contra nōnullos alibi oſtendimus. Quod vero adducitur ex Iſaia, nihil ad rem facit: quoniam verba illa ſatis ſunt,vt probent in B. Virgine non fuiſſe maculam originalem; non tamen vt probent eam ex Adamo non habuiſſe debitum contrahendi illam,vt alibi diximus.

91. Ad 13. Argumentum 13. ſatis ſoluitur, ſi dicamus ſemper fuiſſe piaculum res ſemel Deo dicatas in prophanos vſus conuertere; ſecus de illis dicendum eſt,antequā Deo ſint dicatæ.Beata autem Virgo licet ab æterno prædeſtinata ſit, & electa in matrem Dei,& in ſacrarium Spiritus Sācti, noſtro tamen intelligēdi modo prius fuit præuiſa filia Adami, & peccaſſe in Adamo, quam præuiſa fuerit mater Dei: etenim prius pręuiſa fuit Verbi incarnatio, quam electio,& prædeſtinatio Beatæ Virginis in Dei matrem: & tamen prius fuit præuiſa præuaricatio illius in Adamo, quàm præuiſa fuerit Chriſti incarnatio: idque apud eos,qui volunt Verbũ non fuiſſe incarnandum, ſi Adamus non peccaſſet. Si verò oppoſitum probas; non negabis præuaricationē illam prius fuiſſe pręuiſam,quam decreta & præuiſa fuerit Chriſti paſsio: & per conſequens priuſquam homines ſint prædeſtinati, tum ad gloriam, tum ad media, quibus gloriam ſunt cōſequuturi, vt modo ſupponimus. Quare potuit B. Virgo præuideri mortua in Adamo;& ita exiſtens in vſu prophano, antequam diſtinaretur, vt eſſet Dei mater.

Ad 14. dicimus tertiam ſynodum intelligendam eſſe de puritate perſonali ſecundum gratiam ſanctificantem, qua & hominibus & Angelis ſemper fuit longe purior; cum & homines & Angelos in gratia ſemper ſuperauerit:quod non tollit, quin habuerit debitum contrahendi originalem maculam:imò illud ſupponit cum gratia, qua purificata ad Chriſti redemptionem pertinet: & proinde ſupponit eam aliquo peccato mortuam. Eodem modo dicendum eſt ad verba Sancti Iacobi. Intelliguntur enim de irreprehēſione perſonali, quæ non impedit eam in Adamo fuiſſe reprehenſam. Quod verò attinet ad verba D. Anſelmi; illa intelligenda ſunt non ſecundum potentiam abſolutam, ſed ſecundum ordinariam, ſecundum quam omnis puritas ex meritis Chriſti oritur: quæ merita ex ſua ratione ſupponunt ipſum purificatum aliquando fuiſſe impurum, vel in ſe, vel in alio. Admiſſa autem maiore in hoc ſenſu,neganda eſt minor. 92. Ad 14.

Ad 15. negabunt antecedens, qui putant Verbum carnem non fuiſſe ſumpturũ, ſi Adamus non peccaſſet:quî enim fieri poteſt,vt B. Virgo prædeſtinata fuerit mater Dei ante præuiſionem peccati, ſi nullo exiſtente peccato(quod fuit poſſibile) Verbum non erat ſumpturũ carnem. Simili modo negabunt eam fuiſſe prædeſtinatam ad ſummum gradum gloriæ debitum matri Dei: nam ſi ſublato peccato futura non erat mater Dei; non potuit prædeſtinari ad gloriam debitam Dei matri. Quin potius authores huius opinionis negant aliquem hominem ante peccatum Adami, fuiſſe prędeſtinatũ: vnde non ſolum negabunt B. Virginem ante Adami peccatum fuiſſe prędeſtinatam in Dei matrem; ſed etiam eam prædeſtinatam fuiſſe ad gloriam. Itaque negabunt vtramque antecedentis partem. 93. Ad 15. Prima ſolutio.

¶Si

94. 2. *ſolutio.* ¶ Si verò oppoſitum probes. ſ. Verbum ſumpturum fuiſſe carnem, licet homo non peccaſſet; non erit piaculum, admiſſo antecedente, negare conſequentiam: quoniam B. Virginem ante præuiſum peccatum fuiſſe prædeſtinatam, & præuiſam in matrem Dei, non impediebat, vt Deus eam in Adamo obligaret ad ſeruandum præceptum: & vt permitteret eam in Adamo peccare: quin potius id decebat: vt nullus eſſet hominum, qui ad Chriſti redemptionem non pertinuerit: hoc enim in Chriſti dignitatem cederet. Imò ex eo cap. id cedit in Chriſti gloriã, vt in illius redemptione non deeſſet altiſsimus redimendi modus, qualis eſt redimere præſeruando à macula debita pro peccato. Quæ vero obijciuntur vim non habent; quia licet dedecens ſit illa reperiri in propria B. Virginis perſona; non tamen dedecens eſt, ſi in ea reperiantur, vt fuit in Adamo, & parentibus; cum hoc præciſe ſit neceſſarium, vt illa Chriſti ſanguine diceretur redempta.

95. *Reſolutio.* ¶ Sed pro maiori antecedentis explicatione aduertimus eos, qui admittunt futuram fuiſſe Verbi incarnationem, licet Adamus non peccaſſet; non poſſe non admittere incarnationẽ prius fuiſſe præuiſam, quam peccatum Adami, & Chriſti paſsionem: attamen non poſſunt admittere Chriſtum prius fuiſſe prçuiſum, quàm præuiſa fuerit Adami, & hominũ creatio: & ratio eſt; quia Chriſtus homo præuiſus fuit filius Adami, quæ præuiſio ſupponit præuiſionem Adami; & eorũ, à quibus Chriſtus deſcendit. Non negamus ſuppoſita hac opinione Deum in primo ſigno decreuiſſe vt Verbum fieret homo, nihil in ſpeciali determinando: negamus tamen Deum prius præuidiſſe illum hominem Chriſtum in particulari, & cum circumſtantijs indiuiduantibus illum, quam præuiderit Adamum, & omnes Chriſti maiores. Vnde prius prçuidit perſonam B. Virginis, & prius eam elegit in matrem filij ſui, quam prçuiderit Verbum ex ea incarnatum. Præuiſis autem Adamo, & omnibus hominibus de facto creandis, decreuit & ordinauit ordinem cum Adam[illegible] poſteris in eo ſeruan[illegible] quod ſcilicet creandus eſſet in ſanctitate & iuſtitia: quod eſſet conſtituendus pater & caput tam naturale, quam morale omnium poſterorum: quod deberet illi, & poſteris in eo imponere præceptum de non edendo de ligno vetito cum pacto, quod eſſet moriturus, ſi de eo comederet; quod permiſſurus eſſet illum, & poſteros in eo prçuaricari: denique quod Chriſtus pro illis redimendis mortem eſſet ſubiturus. Quem theologizandi modum vt veriſsimum ſupponimus alibi diligentius confirmandum. Ex quo patet ſuppoſita illa opinione admittẽdum eſſe B. Virginẽ in quodam priori ſigno fuiſſe electam à Deo, & præordinatam in matrem filij Dei, quam præuiſum fuerit peccatum Adami. Vtrum vero in aliquo priori ſigno fuerit prædeſtinata ad gloriam? res eſt dubia: plerique admittunt: ego negandum puto; quia in ea ſum opinione, quod prædeſtinatio hominum ad gloriam, etiam illa opinione ſuppoſita, futura non eſſet, niſi poſt præuiſionem victoriæ Adami: de quo alibi latius eſt diſputandum. 96.

Decimum ſextũ argumentum habet conſequentiam non ſatis firmam: tum; quia Chriſtus, licet eſſet filius Adami ſecundum corpulentam ſubſtantiam; non fuit tamen illius filius, ſecundum rationẽ ſeminalem: vnde ex vi ſuæ generationis liber erat â lege Adami, & illorum, qui ſecùndum ſeminalem rationem ab illo propagandi erant; qualis fuit B. Virgo, vnde ex vi ſuæ generationis fuit obnoxia infectioni naturæ humanæ: tum ſecundo; quia Chriſtus erat omnium redemptor nulla indigens redemptione: Beata autem Virgo ex vi ſuæ generationis redemptione indigebat. Dicitur autẽ conciliatrix hominum, & ſuo modo ſoluens maledictionem, quia genuit nobis verum & proprium reconciliatorem: cũ quo bene cõſtat, quod fuerit maledictioni ſubiecta, & indiguerit reconciliatione. 97. *Ad 16.*

Ad 17. conceſſo antecedente negatur conſequentia: Deus autem Beatç Virgini omnia conceſsit, quæ intra limites redẽptæ in maiorem illius dignitatem cedũt. Iam vero licet exemptio à contractione maculæ bene conſtet cum redemptione Virginis: cum ea tamen non conſtat, 98. *Ad 17.*

quod

quod ſit exempta à debito contrahendæ maculæ, vt in ſuperioribus oſtendimus.

99. *Ad vlt.* Ad poſtremum argumentum dicimus fundamentum illud Catharini non eſſe ſatis tutum in Fide, vt latè monſtrauimus ſuprà quæſt.3. per totam.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm, & in quo ſenſu admitti debeat in B. Virgine debitum proximum, & remotũ?

§. I.

Poſita diſtinctione, referuntur variæ explicationes, & opiniones.

1. *Quid agendum.* QVoniã apud noñullos ex Theologis Cõplutenſis Academiæ iam celebris refertur opinio, quæ duplex diſtinguit debitum; proximum.ſ. & remotum; quorum illud denegant B. Virgini; hoc vero eidem libenter concedunt: operæ pretium erit non ſolum diſtinctionem iſtam expendere; ſed etiam varias horum Theologorum hac de re opiniones.

2. *Conueniũt ꝙ duplex debitum ſit admittendum.* Conueniũt igitur hi Theologi, quod in hac materia duplex debitum diſtingui debeat in ordine ad contrahendam originalem maculam proximum. ſ. & remotum, vt iam ſupra artic.1.n.3. annotaui: vbi etiam aduerti membra huius diſtinctionis non eodem modo ab omnibus explicari. Ex ijs autem, quæ ibi adduxi, tres huius diſtinctionis explicationes inuenio: quarum prima hanc diſtinctionẽ ſolum admittit in ordine ad peccatum, quod omnes in Adamo cõmiſimus: duæ verò poſteriores illam explicant in ordine ad contrahendam maculam peccati, quod cõmiſimus, dum in Adamo fuimꝰ.

3. *1. opinio.* Prima igitur ſententia debitum illud appellat proximum, quod fuit in nobis ad peccandum, peccante Adamo: quod ipſum fuit ante peccatum quidem; attamen poſtquam Deus conſtituit Adamũ eſſe noſtrum omnium morale caput, & poſtquam Adamo, & nobis præceptum impoſuit, ne de fructu vetito comederemus. Debitum verò remotum illud vocat, quod ex conditione naturæ habet ortum; quatenus nos omnes, ideo quia ĩn Adamo virtualiter eramus, capaces fuimus, vt in Adamo poſſemus obligari.

¶ Hi igitur authores quæſtionem de B. Virgine ita reſoluunt, vt illa habuerit debitum remotum ad peccandum, peccante Adamo; quia ex conditione naturæ capax erat obligationis, & ita radicaliter obligata, vt Adamo peccante peccaret: non tamen habuerit debitum proximũ, quia à lege Adamo impoſita, & poſteris in eo fuit gratis, & liberaliter exempta: ob quam rationem peccante Adamo, nõ peccauit.

4. *2. opinio.* Secunda opinio ab hac prima in hoc diſcedit, quòd diſtinctionem illam expendit; non in ordinem ad actuale Adami peccatum, ſed ad actualem maculam in propria perſona contrahendam: ſed adhuc huius opinionis authores inter ſe diſſentiunt: quidam enim debitum proximum illud appellant, quod eſt in propria perſona, quando generatur: remotũ vero, quod eidem conuenit, prout eſt in alio, ſcilicet in Adamo, & cæteris maioribus. Inquiunt igitur in B. Virgine non fuiſſe debitum proximum; quia in propria perſona nullum habuit: in ea tamen fuiſſe debitum remotum; quia tam in Adamo, quam in cæteris parentibus fuit obligata ad contrahendam maculam peccati in Adamo commiſſi.

5. *3. opinio.* Tertia tandem opinio in hoc cum ſecunda conſentit; quòd diſtinctionem expendit in ordine ad maculam contrahendam; non verò in ordine ad peccandum in Adamo: diſſentit verò ab ea, quòd illud ſolum debitum appellat remotum, quod ex conditione naturæ ortum habebat ad peccandum in Adamo: proximum vero, quod oriens ex peccato Adami, ſolum reſpicit maculam eiuſdem peccati in propria perſona contrahendam. Hi igitur docent B. Virginem non habuiſſe debitum proximum; quia defendunt eam in Adamo non peccaſſe: habuiſſe tamen debitum remotum; quia ex conditione naturæ debebat peccare in Adamo; & ſubinde contrahere debitum habendi maculam, cum primum in propria perſona conciperetur; quanuis ex diuina gratia, & à peccato Adami, & ab actuali macula fuerit exempta.

§. 2.

6. *Ponitur vera reſolutio de duplici debito.*

ANtequam ſingulas de debito B. Virginis opiniones expẽdamus; oportet explicare; an, & in quo ſenſu admittẽda ſit diſtinctio debiti proximi, & remoti. Pro cuius explicatione aduerto, hanc diſtinctionem debiti apud Theologos nõ inueniri: eam tamen puto eſſe admittendam, ſi bene explicetur. Et vt de allatis explicationibus iudiciũ feram; prima explicatio non ſatis videtur cõueniens: quoniam Theologi, qui in materia peccati originalis diſputant de debito, de illo agunt in ordine ad cõtractionem maculæ peccati, quod in Adamo cõmiſimus: nam ex eo quod vniuerſum genus humanũ in Adamo corruit, omniũ hominum ſucceſsio contrahendæ illius peccati maculæ ſubiacuit, vt videre eſt apud omnes, qui hac de re ſcribunt, & apud Patres, quos in præcedente art. §. 3. adduximus. Quare cum & à Patribus, & à Theologis debitum ſumatur in ordine ad contrahendã maculam peccati Adami, non eſt quod illa explicatio recipiatur.

Prima explicatio nõ admittitur.

7. *Nec ſecũda.*

Secunda explicatio recipienda foret, ſi vera foret ſententia, quę in propria ſingulorum perſona, cum primum generatur, aliquod debitum intrinſece admittit: etenim ſi hoc debitum admittendum eſt; admittendum etiam erit, ſolum illud eſſe proximum, cũ ab eo macula perſonalis immediatê reſultet; remote vero à debito, quod in maioribus habuimus: attamẽ in ſequenti art. oſtendemus, neque in B. Virgine, nec in aliquo, qui in peccato cõcipitur, admittendum eſſe aliquod debitum in propria perſona intrinſecê exiſtens; ſed ſolum extrinſece. Quare ſecũda explicatio ideo eſt reijcienda, quia falſo nititur fundamento.

Nec tertia.

Sed nec admittenda eſt tertia diſtinctionis explicatio; quoniam nullum debitũ ex peccato Adami ortũ in ordine ad cõtrahendam maculã poteſt dici proximum, quandiu perſona, quæ in Adamo peccauit, eſt in parentum lumbis: etenim inter illud debitum, & actualem maculæ contractionẽ mediat debitum, quod perſona generanda habet in ſemine iam cõcepto; in quo iam eſt extra parentum lumbos. i. extra potentiam generatiuam illorũ. Vnde ſicut ex illo ſemine immediate & proxime generanda eſt perſona filia Adami; ita etiam ex illo, prout ex peccato Adami eſt infectum immediatè reſultabit macula originalis.

Quare admiſſa diſtinctione debiti proximi & remoti; quarta erit opinio à nobis probanda, vt duplex admittendum ſit debitum remotũ; vnum primũ & radicale, quod immediate oritur ex conditione naturæ terminatũ ad actuale Adami peccatũ; alterũ immediate ortũ ex peccato Adami reſpiciens originalẽ maculã: vnicum tamẽ debitũ proximum eſt admittendum, quod oritur quidem ex peccato Adami, & reperitur in prima hominis cõceptione, quæ datur, dũ ſemina in ventre matris cõmiſcentur: etenim ex hoc immediatê reſultat originalis macula in perſona, quę cõcipitur: & hoc mediante reſultat ex debito, quod talis perſona habuit, tum in Adamo, tum in cæteris parẽtibus. 9. *Propria authoris opinio.*

§. 3.

Quodnam horum debitorum in B. Virgine ſit admittendum?

EXplicata diſtinctione debiti proximi & remoti, explicandum eſt, an omnia explicata debita admittenda ſint in B. Virgine? de quo variæ fuerunt Complutenſium ſententiæ, vt diximus §. 1. 10.

Pro vera reſolutione, hæc generalis aſſertio ſtatuenda eſt tanquam indubitata: *Abſolute admittendum eſt in B. Virgine, tum debitum primum, radicale, & remotum peccandi in Adamo: tum debitum ortum ex peccato Adami, tam illud, quod remotum appellamus, cum quo fuit in lumbis Adami, & parentum; quam illud, quod vocamus proximum, exiſtens in prima hominis conceptione, quæ datur in conceptione ſeminis.* Prima pars huius aſſertionis abſolute ab omnibus recipitur, exceptis authoribus primæ explicationis, de quibus non eſt curandum; cum ante peccatum Adami admittenda non ſit diſtinctio debiti remoti, & proximi, vt §. 2. oſtẽdimus: admiſſo autem vnico debito peccandi in Adamo illud in B. Virgine nõ poteſt nõ admitti; 11. *Aſſertio.* *1. pars recipitur.*

tum quia illud ex cõditione naturę oriēs non poteſt in illa non eſſe: tum etiã; quia omnes agnoſcunt eam in Adamo peccaturam fore, ſi à tali lege exempta non eſſet: tum denique; quia de facto in Adamo peccauit, vt q.2. huius lib. ex principijs fidei euidenter demonſtrauimus.

12. *2.pars.*

Secũdã verò aſſertionis partẽ, quatenus docet in B. Virgine admittendum eſſe debitum ortum ex peccato Adami, oſtendimus ſupra ar.3.§.2.3.& 4. vbi opinionem Catharini, vt parum in fide tutam, imò erroneam reiecimus. Cum verò ex peccato Adami oriatur tum debitũ, quod ad cõtrahendũ illius peccati maculam habuimus in Adamo, & in lumbis parentũ; tum etiã debitum, quod habuimus in prima ſeminũ conceptione: & illud dicatur remotum, hoc vero proximum, vt patet ex 4. opinione, quam §.2. probauimus: dicendum eſt in B. Virgine fuiſſe tum debitum remotum ortum ex peccato Adami; tum etiam proximum.

13. *Suppoſitio*

In hac reſolutione ſupponimus, non eſſe admittendam opinionem, quæ in propria cuiuſque noſtrum perſona, cum primo concipitur, admittit debitum cõtrahendi originalem maculam: vnde in hac reſolutione nihil de ea diximus: porrò ſi illa admitteretur; non poſſet illud non dici debitum proximum, vt §. 2. in 2. opinione aduertimus: etenim ab illo immediatè reſultaret macula originalis; ab alijs verò debitis, reſultaret iſto mediante; & ideò cætera debita dicerentur remota. Cæterum quia dubium eſt & cõtrouerſum, an in perſona, quę generatur, admittendum ſit aliquod debitum intrin ſecum contrahendi maculam exiſtens in perſona: ideò ſequentem excitamus articulum, vbi veram huius difficultatis reſolutionem videbis.

ARTICVLVS V.

An B. Virgo in ſua propria perſona habuerit debitum contrahendi maculã originalẽ?

§. 1.

Referuntur duæ oppoſitæ ſententiæ.

1. *1.opinio affirmans.*

DE hac quæſtione duas inuenio oppoſitas opiniones. Partem affirmantem probauit *Caiet. in tract. de Concept. Virginis c.2. ad finem,* vbi probat opinionem, quæ docet *B. Virginem, fuiſſe quidem præſeruatam à macula originali: in propria tamen perſona habuiſſe debitum contrahendi illam.* Idem repetit *cap.3. §. In ſecundo autem ſenſu,* vbi non ſemel & iterum, ſed ſæpius verbis expreſsis affirmat B. Virginem in propria perſona habuiſſe debitum contrahendi maculam; quamuis illam probabiliter non contraxerit. Eandem opinionem probauit Bellarmin. *lib.4. de amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati c.16. §. Denique obnoxia peccato fuit, pag. 330.* vbi expreſſe docet B. Virginẽ in primo ſuæ generationis inſtãti, in quo illius perſona fuit cõcepta; in priori quodam inſtanti naturæ obnoxiã fuiſſe peccato, quod de facto contraxiſſet, niſi in poſteriori naturæ fuiſſet præuenta gratia. Eandem opinionem tanquam veriorem defendit *Suar. 2. tom. ad 3.p. diſp. 3. ſect.4. §.2. & vberius, pag.35. col.2. B.C.* expreſſe docens B. Virginem in propria perſona fuiſſe peccato obnoxiam in primo inſtanti ſuæ conceptionis; & in eodẽ potuiſſe carere peccati macula, & præueniri gratia. Cum hac ſententia indubitanter tranſit Vaſquez Bellemont. *2.to. ad 3.p.diſp.116. cap.5.n.51.* ita inquiens: *Hinc ſequitur B. Virginem non ſolum in momento conceptionis ſanctificari potuiſſe, & ſimul obnoxiam eſſe debito contrahendi peccatum: ſed etiam, & cæt.* Hæc ſententia formaliter ponitur *à Cordubenſi lib. 1. q.44. concl.5. pag.353. col.2. in fine, & inferius §. Et notanter, pag.354. col.2:* ita enim habet ſexta illius concluſio: *B. Virgo in ſua propria perſona fuit obnoxia ad contrahendum peccatum, ſeu maculam originalem.* Eandẽ opinionem ſatis probat *Valentia 4. tom. diſp.2. q.1. punct.2, pag.428. A.* dum ait, *Beatã Virginem non ſolum habuiſſe debitum contrahendi maculam originalem, cum fuit in lumbis parentum, atque etiam in prima ſui conceptione, in comixtione ſeminum facta: ſed etiam in ipſo primo inſtanti animationis, quamuis, gratia præueniente, originalem maculam non habuerit.* Ex quibus verbis patet eum ſenſiſſe B. Virginem in ſua propria perſona illud debitu[illegible]abuiſſe: etenim primum inſtans generationis B. Virginis, fuit primum eſſe propriæ perſonę.

Caiet. Bellarm. Suarius. Vaſquez. 2. Corduben. Valentia.

Quare

Quare cum idem Valentia ibidē *pa.* 313. Caietanum citat, & eius opinionem probat de B. Virginis debito, loquitur in ſenſu Caietani. Valentiam ad literam tranſcripſit *Frater Franciſcus de Pitigianis ad* 3. Pitigian. *Scoti diſt.* 3. *q.* 1. *ar.* 5. *pag.* 144. *col.* 1. §. *Ad authoritates Sanctorū*: vnde hanc affirmātem opinionēm probat; quam etiam ſatis ſignificat *Cumelius to.* 1. *ad* 1. 2. *q.* 81. *ar.* 4. 3. Cumelius. *dub. vnic. ad* 3. *argum. principale in* 2. *ſolutione argumenti Ferrarienſis pag.* 551. *col.* 1. §. *Verum ego exiſtimo*: vbi nullam putat dari repugnantiam, quod in eodē inſtanti temporis aliquis ſit obligatus, ad contrahendam originalem maculam, & per gratiam ſit liberatus ab ea; & putat hoc in B. Virgine eſſe admittendum: admittit igitur B. Virginem in primo inſtanti conceptionis ſimul habuiſſe gratiam, & debitum contrahendi maculam. Denique hanc opinionem ſatis videtur ſupponere Ouandus. *Ioannes Ouandus in comment. ad* 3. *Scoti q.* 2. *in tit. an B. Virgo in vtero matris fuit ſanctificata?* nam poſtquam docuit pag. 124. col. 2. in fine vnumquemquam noſtrum in propria perſona fuiſſe obnoxium ad contrahendum originale peccatum; inferius pag. 127. col. 1. in fin. ſimpliciter admittit B. Virginem fuiſſe obnoxiam peccato, quanuis nunquam habuerit peccatum. Et in *tit. Num B. Virgo fuerit à debito præſeruata?* in fine ſimpliciter agnoſcit eam contraxiſſe debitum: quæ verba ex ſe denotant debitum perſonale. Hos authores pro hac affirmante opinione inuenire potui.

4. 2. opinio negans. ¶ Negantem tamen ſententiam noſtro iſto tēpore probaſſe Cōplutenſes Theologos à viris fide digniſsimis accepi, qui nōnullas de hac quæſtione annotationes Complutēſes. ad me miſerunt. Quin potius accepi Toleti à Theologis doctiſsimis hanc concluſionem publicè fuiſſe propoſitā: *B. Virgo in ſua propria perſona non contraxit debitum ad peccatum originale.* Et in eodem ſenſu à cenſura defendūt hanc propoſitionem, *Beata Virgo non contraxit debitum ad originalem maculam*, ſub quibus verbis propoſitio illa à ſupremo Inquiſitionis Officio permiſſa eſt, vt accepi: quia ſen[...]t idem eſt non contrahere debitum, qu[od] in propria perſona illud non habere.

Cum vero debitum perſonale appellent debitum proximum; inde inferunt B. Virginem non habuiſſe tale debitum; 5. habuiſſe tamen remotū: quale fuit debitum, quod in maioribus vſque ad Adamum habuimus. Pro hac opinione inuenio *Henriquez* 1. *tom. lib.* 3. *c.* 11. *de Confir. & extrema vnct. litera L. in fine*; vbi ex Henriq. quorundam ſententia (quam probabiliorem ſupponit) affirmat, *B. Virginem in propria perſona fuiſſe præſeruatam à debito peccati.* Pro hac opinione citat *Cordubenſem lib.* 1. *q.* 44. *Viguerium*; *Catharinum lib.* 4. *contra Caietanum: & Galatin. de arcanis Scripturæ lib.* 7. *c.* 8. Sed Cordubenſis in loco citato expreſſe docet oppoſitum, vt Falſo citatur Corduben. patet ex verbis ſupra citatis: *Viguerius in ſuis inſtit. Theolog. c.* 18. §. 5. *verſ.* 2. de hac quæſtione nullum ſcribit verbum: in Catharino nihil potui inuenire, nec in Galatino; quare non dubites eos falſo citari: Falſo etiā Viguerius. Falſo etiā Catharin. & Galatinus. eius tamen teſtimonium pro hac negante ſententia referamus, cum illam, vt veriorem probet. Pro qua etiam afferri poteſt Cumelius loco citato, quatenus in Cumelius. prima ſolutione docet, bene hæc duo inter ſe conſtare, ſcilicet aliquem eſſe obligatum non in ſe ipſo perſonaliter, ſed in ſua origine, & radice, ſ. in Adam: & tamē in primo inſtanti ſui eſſe liberari à tali debito. Poteſt etiam referri *Ferrarienſis* 4. *contra Gentes cap.* 50. §. *Aduertendum quoque prӕterea, fol.* 450. *col.* 4. Quatenus Ferrar. docet, ſuppoſito quod B. Virgo in primo inſtanti ſuæ perſonalis conceptionis fuit gratia præuenta, dici non poſſe, eam pro illo inſtanti fuiſſe obnoxiam: quoniam, facta illa ſuppoſitione, iam ſoluit debitū, quo antea tenebatur. Hos Theologos pro hac negante opinione potui inuenire: cuius fundamēta inferius adducemus.

§. 2.

Ponitur reſolutio Authoris.

6. Opinio Authoris. Ego hanc negantem ſententiā, tanquā veriſsimā, & puritate B. Virginis digniſsimā multis abhinc annis ſemper probaui; & nunc in eadē firmius perſiſtō, ſi tamen debite explicetur. Et quāuis in illius patronis nullum firmum argumentū reperiam; plurima & efficacia

reperientur, ſi ita explicetur, vt in propria perſona B. Virginis debitum cõtrahendi originalẽ maculam intrinſece non inueniatur; bene tamẽ extrinſece, & per primũ non eſſe debiti: ita vt in toto tempore immediate pręcedente primũ inſtãs generationis perſonæ illius, in ea fuerit debitum contrahendi maculam; nõ tamẽ fuerit pro primo conceptionis inſtanti. Quare de hoc debito ita puto eſſe theologizandũ, vt ſicut primum inſtans cõceptionis Beatiſsimæ illius perſonæ fuit primũ eſſe gratiæ, eam ſanctificantis: ita etiã fuerit primum non eſſe debiti contrahẽdi maculam. Vnde ſicut illud primũ inſtans generationis, fuit primũ eſſe illius perſonæ (quia tũc primum fuit, & antea non erat) & primum non eſſe diſpoſitionum, quæ ad generationem illius perſonæ diſponebant (quia tunc primo corruptæ ſunt, & non fuerunt, cũ in toto tempore immediate fuerint) ita infectio illa carnis, quæ ad contrahendam maculam diſponebat in eodẽ inſtanti primo non fuit; quia tunc primo nõ habuit eſſe, cum tamen in toto tẽpore præcedente fuerit. Dicendũ eſt igitur B. Virginẽ in propria perſona intrinſece nõ habuiſſe debitum: illud tamen habuiſſe negatiue & extrinſece. In quo ſenſu apud Philoſophos, quę in toto tẽpore præcedente fuerunt, non ſunt autẽ in inſtanti immediate ſequẽte, aliquo modo dicuntur pertinere ad tale inſtans, & ad rem, pro illo inſtanti productam. Hanc ſententiã ita explicatam diligentiſsimê confirmabimus: & primo rationibus theologicis; deinde authoritate Patrum. Quod efficiemus, ſi nonnulla præmittamus, tum ex Philoſophia, tum ex Theologia.

§. 3.

Primum præmiſſum ex Philoſophia.

7. *Primũ præmiſſum ex Philoſophia.*

PRimo igitur loco præmittendũ eſt veram Philoſophiã docere ea, quæ incipiunt, incipere vel per primũ ſui eſſe, vel per vltimum ſui non eſſe: quę vero deſinunt; deſinere vel per vltimum ſui eſſe; vel per primũ ſui non eſſe, vt patet ex ijs, quæ à Philoſophis docentur in 6. Phyſic. Eadem etiam Philoſophia tanquam veritatem indubitatam docet, nihil aliud eſſe incipere per primum ſui eſſe, quam ita incipere in hoc inſtanti temporis, vt in toto tempore præcedente non fuerit: homo enim (qui incipit per primũ ſui eſſe in inſtanti ſuæ generationis) ita eſt in eo, vt in toto tempore præcedente non fuerit. E contrario autem, quæ incipiunt per vltimum ſui non eſſe, ita incipiunt, vt in hoc inſtanti vltimo non ſint: ſint verò in tempore immediate ſequẽte: motus enim (qui incipit per vltimum ſui non eſſe) ita incipit in hoc inſtanti, vt in eo vltimo non ſit; ſit autem pro toto tempore immediate conſequente. Simili modo nihil aliud eſt deſinere per vltimum ſui eſſe, quam nunc vltimo eſſe; non eſſe autem pro toto tẽpore, quod immediatè ſequitur. Deſinere verò per primum ſui non eſſe, idem eſt, quod in hoc inſtanti non eſſe; cum tamen pro toto tempore antecedente fuerit: quomodo deſinit forma ſubſtantialis, quæ corrumpitur: aqua enim ex qua generatur aer, ita deſinit in inſtanti generationis aeris, vt in eo primo non ſit; cum tamen fuerit in toto præcedente tempore.

Ex qua Philoſophia infertur, implicare, idem inſtans tẽporis eſſe vltimũ eſſe alicuius rei, & primũ nõ eſſe illius; etiam in ordine ad diuerſa inſtantia naturę: nam ſi inſtans illud eſt primum nõ eſſe talis rei: ergo res illa pro illo inſtanti non eſt; & ſolum fuit pro toto tẽpore antecedente, vt explicata docet Philoſophia. Porrò, ſi ſolum fuit pro toto antecedente tẽpore; vtiq; nõ fuit pro toto inſtãti immediatè ſequenti. Quomodo igitur potuit eſſe in priori inſtanti naturę illius? nam ſi in tali priori fuit; vtiq; fuit in illo tẽporis inſtãti, & per cõſequens falſum eſt rem illam ſolam fuiſſe pro toto tẽpore præcedente. Quare illud temporis inſtans mẽſurabit rei illius exiſtentiam, non intrinſece, ſed ſolum extrinſece. At vero ſi res aliqua deſinit per vltimum ſui eſſe, vtique iuxta principia Philoſophiæ, quam explicauimus, ita in illo inſtanti eſt, vt in toto tempore ſequente primo non ſit: at verò ſi ſolum non erit, niſi in toto tempore immediate ſequente; vtiq; fuit pro toto illo inſtãti temporis. Quomodo igitur iam non fuit in poſteriori naturæ inſtãti 8. *1. corollar.*

eiuſ-

eiuſdem inſtantis: etenim quod pro poſteriori naturæ inſtantis antecedētis iam non fuit, quomodo primùm non fuit in tēpore ſequente? Patet igitur veriſsimū eſſe corollariū,quod ex Philoſophia data intulimus:ſ.implicare, vt idem temporis inſtans menſuret vltimū eſſe alicuius rei, & primū non eſſe illius,etiam ſecundum prius & poſterius naturæ. Sicut etiā implicat, quod idem inſtās tēporis mēſuret primum eſſe alicuius rei, & primum non eſſe illius:quanuis non implicet idem inſtans tēporis eſſe primum alicuius,& vltimum eſſe eius: nam quæ indiuiſibiliter exiſtunt,ita exiſtunt, vt in eodē inſtanti tēporis primo ſint, & vltimo ſint. Vnde ſi Deus rem permanentē pro vno tantū tēporis inſtanti conſeruet(quod factu eſt poſsibile)primum & vltimū eſſe talis rei vno & eodem temporis inſtanti menſurabitur, quanuis prius natura inſtans illud menſuret illud idem eſſe prout primo incipit,& poſterius natura, prout vltimo deſinit.

Secūdo ex data Philoſophia infertur
9. 2.corollar. in eodē inſtanti temporis nec poſſe dari nec cōſiderari prioritatē,& poſterioritatem naturæ in ordine ad eſſe, & non eſſe eiuſdē rei,ſiue quoad inceptionē,ſiue quoad deſitionem illius.Et vt res iſta firmior maneat, admittimus ordinē naturę ſecūdum prius & poſterius in eodē temporis inſtāti:etenim rationale & riſibile in primo generationis inſtanti dantur in homine:&tamen prius natura exiſtit rationale,poſterius autē exiſtit riſibile:illū tamē ordinē ſolum admittimus,vel quoad exiſtentiam prioris ſine poſteriori (poteſt enim homo per diuinam potentiā exiſtere ſine riſibilitate) vel quoad conſiderationem abſtractiuam: quia prius abſtractiue concipi poteſt ſine poſteriori.

§. 4.
Præmittuntur nonnulla ex Theologia.

10. 1.præmiſ. exTheologia. SEcūdo loco ex Theologia præmittendū eſt in peccato originali (ſicut etiā in quolibet actuali) duo inueniri,actionē,ſ. præuaricationis diuini præcepti,& maculā illius;quæ tunc in nos reſultat,cum primū concipimur:& hęc eſt formalis immūditia peccati, quo perſona cōcepta fit immūda:& reſultat in nos,ex actione culpę cōmiſſæ in Adam,nō quocumque modo,ſed vt à Deo nobis imputatur: ideò enim formaliter maculamur, quia culpa,quā in Adamo cōmiſimus,nobis imputatur,cū cōcipimur.Quare ſicut in quolibet peccato pri⁹ datur actio peccaminoſa,& deformis, quam in voluntatem macula illius reſultet, ita in peccato originali prius natura perſonæ conceptæ culpa in Adamo cōmiſſa imputatur, quā reſultet macula. Cum vero caro perſonę genitæ nullam aliā habeat infectionem, niſi quæ illi aduenit ex imputatione culpæ,vt ſupponimus; nec detur debitū cōtrahendi maculā, niſi ex tali imputatione;fit vt prius caro inficiatur,ex imputatione culpæ Adami,quā reſultet macula.

Secundo præmittendū eſt in iuſtificatione cuiuſq; peccati duo etiā includi;re- 11. 2.præmiſſ. exTheologia.
miſsionē.ſ.illius;& ſanctificationē perſonæ,quæ Deū offendit:has enim duas mutationes in iuſtificatione peccatoris admittūt Theologi,vt ſupponimus.Per remiſsionē tollitur imputatio culpæ actualis,& perſona,quę erat inimica, fit nō inimica: per ſanctificationē vero expellitur immūditia culpæ & maculæ, & perſona de nō grata,fit grata & amica;& hoc modo fit, vt per iuſtificationem peccator de ſtatu inimici,in quo fuit in toto tempore præcedēte, transferatur ad ſtatū amici & grati. Et ſicut in omni motu pri⁹ natura eſt mobile nō eſſe in termino à quo; deinde ſequitur eſſe in termino ad quē,ſaltē in fieri: ita in iuſtificatione prius natura eſt remiſsio offēſæ,per quā deſinim⁹ eſſe in termino à quo,&in ſtatu inimici;deinde ſequitur ſanctificatio expellēs immūditiā,per quā ſumus in termino ad quem nēpe in gratia. Quare in iuſtificatione à peccato originali ſic eſt theologizandū, vt prius natura detur remiſsio offenſę cōmiſſæ in Adamo,per quā deſinit termin⁹ à quo.i.ſtatus inimicitiæ, & filij veteris Adami(qui ſtatus tandiu durat,quandiu offenſa in Adamo cōmiſſa nobis imputatur) poſterius vero fit ſanctificatio pſonæ, per quā in nobis quidem expulſa eſt macula: in Virgine autem impedita fuit, ne reſultaret; idq; per acquiſitionē termini ad quem, qui eſt ſtatus filiorum Dei.

§. 5.

Prima probatio reſolutionis, quoniam in cæteris non datur debitũ in propria perſona.

12. *Confirmatur reſolutio.* 1. *probatio* His ita præmiſsis, probanda eſt opinio §. 2. adducta; quod. ſ. B. Virgo in propria perſona intrinſece nõ habuerit debitum; ſed ſolum extrinſece per primum non eſſe debiti. Hanc veriſſimam ſententiam multis cõfirmabimus: & prima cõfirmatio ſumitur ex eo, quod debitum contrahendi maculam intrinſece non datur in perſona, quæ actu eam contrahit; ſed ſolum extrinſece in ſenſu explicato: nec de facto daretur in perſona Virginis; ſi illa originalem maculam actu contraheret: ergo nec in ea intrinſece fuit quando à contrahẽda macula fuit præſeruata. Antecedens huius argumẽti ex eo euidenter probatur; quia debitum contrahendi maculã nihil eſt aliud, quam obligatio quædam ad maculam contrahendam illius culpæ, quam in Adamo cõmiſimus; vt patet ex communi doctrina Patrum, quatenus docent Adami poſteros ex ipſo peccato, quod in Adamo cõmiſerunt, obnoxios manſiſſe, ſubiectos, & obligatos, vt in propria perſona illius peccati maculam haberent, cum primum conciperentur: & inde eſt, vt debitum iſtud vere & proprie ſit quædam obligatio ſoluendi id, quod debemus, vt modo ſupponimus, & ſtatim oſtendemus contra Bellomontanum. Sed inter omnes cõſtat debitum ſoluendi aliquid, ipſa ſolutione ita tolli, vt primum eſſe ſolutionis, ſit primum non eſſe debiti: etenim qui alicui debebat centum aureos, cum primum illos ſoluit, manet ſolutus à debito. Sed quilibet homo in primo ſuæ conceptionis inſtanti contrahẽdo maculam originalem, ſoluit debitum, quod debebat. Ergo quilibet homo in primo inſtanti conceptionis ita liber eſt à debito cõtrahendi maculam, vt in illo nullum iam habeat debitum. Conſequentia ex eo eſt euidens; quia primum eſſe contractionis maculæ eſt primum nõ eſſe debiti, quod erat ad talem maculã. Iam vero id, quod deſinit per primum ſuum non eſſe, ita nõ eſt in inſtanti, in quo deſinit, vt ſolum fuerit in toto tempore antecedente, vt patet ex Philoſophia in primo præmiſſo adducta. Quod vero ſolum fuit in toto tempore antecedente, ita in hoc inſtanti primum non eſt, vt in toto illo non ſit. Veriſsimum eſt igitur antecedens huius noſtri argumẽti; ſcilicet nullum ex Adami poſteris in propria perſona habuiſſe debitum intrinſecũ contrahendi maculã.

13. *Confirmatur ratio.* Confirmatur hæc ratio: quoniam ſi in perſona Petri (qui vere contraxit peccatum originale) intrinſece, & formaliter fuit debitum contrahendi illud ſimul cũ actuali maculæ contractione: iam inquiro; an fuerit in illa pro toto primo conceptionis inſtanti, prout includit totum ordinem, prioris & poſterioris naturæ, ſecundum quem à nobis concipi poteſt; an ſolum fuerit pro priori naturę inſtãti, non vero pro poſteriori. Non poteſt dici quod fuerit pro toto illo temporis inſtanti ad ſenſum explicatum: quia ſequeretur perſonam Petri pro illo inſtanti nõ ſoluiſſe debitum; & ſubinde non contraxiſſe maculam: etenim debitum ſoluendi ſimul eſſe non poteſt cum actuali illius ſolutione: quia ſolutio (vt diximus) actu tollit debitum, ita vt pro inſtanti, in quo ſoluit, iam non ſit debitor: nec huius oppoſitum intelligi poteſt. 14. Dici etiam non poteſt, debitum illud fuiſſe in perſona Petri in eodem quidem temporis inſtanti, in priori tamẽ naturæ ſigno; non fuiſſe vero pro ſigno naturæ poſteriori, in quo fuit ſolutio: etenim ſi tale debitum fuit in primo cõceptionis inſtanti pro primo naturæ ſigno; non fuit autem pro ſigno naturæ poſteriori; nõ poteſt nõn cõcedi debitum illud deſijſſe per vltimũ ſui eſſe; quoniam poſt illud inſtans nõ fuit. Hoc autẽ nullo modo admitti poteſt: quoniã quæ deſinunt per vltimum ſui eſſe, ita deſinunt, vt primo non ſint pro tempore immediate conſequente, ex Philoſophia iam præmiſſa. Quomodo igitur debitum illud primo non fuit in poſteriori naturę ſigno eiuſdem inſtantis temporis, in quo contracta eſt macula, & facta eſt ſolutio? repugnat enim aliquid deſinere per vltimum ſui eſſe, & non habere primum ſui [illegible] eſſe in tẽpore imme[illegible]tè conſequẽ[illegible]e: & merito; quoniam implicat idem inſtans temporis intrinſece menſurare vltimum

timum eſſe alicuius, & primum non eſſe eius: darentur enim duo contradictoria ſimul vera: quia debitum illud in illo cõceptionis inſtanti vere eſſet in perſona Petri, & vere non eſſet.

15. *Solutio antecedentis,* Ex quibus iam patet veriſsimum eſſe antecedens in principali argumẽtatione ſumptum. ſ. debitum contrahendi maculam intrinſecè non dari in perſona Petri & aliorum, qui maculam originalem actu contrahunt, ſed ſolùm extrinſecè per primum non eſſe quatenus in illo cõceptionis inſtanti primo non fuerit; fuerit autẽ in toto tempore immediatè præcedente. Ex qua veriſsima Theologia inferebam⁹ debitũ contrahendi maculam non fuiſſe in perſona B. Virginis in primo inſtanti ſuæ cõceptionis intrinſecè, ſed ſolùm extrinſecè per primũ non eſſe illius: quæ conſequentia ex eo eſt nota; quoniam quoad hoc eadem ratio reperitur in gratia præſeruante à macula, & in actuali cõtractione illius: etenim ſicut actualis cõtractio maculę eſt actualis ſolutio debiti, ita etiam præſeruatio per gratiam à tali macula ex ſua natura eſt remiſsio debiti: iam vero debitum ſoluendi aliquid ſicut tollitur per actualem ſolutionem debiti; ita etiam tollitur per actualem debiti remiſsionem, vt per ſe patet, & benè aduertit *Ferrarienſis in 4. contra gentes cap. 50. §. Aduertendum quoque verſ. præterea iſta obligatio. fol. 450. col. 4.* Hęc igitur ſit prima noſtræ reſolutionis confirmatio. *Ferrar.*

§. 6.
Secunda demonſtratio ſumpta ẽx primo præmiſſo.

16. *2. demonſtratio.* SEcundo loco ex Philoſophia in primo præmiſſo èxplicata, infertur alia eiuſdem veritatis demõſtratio: ſuppoſito quod B. Virgo in primo conceptionis inſtanti habuit gratiam à macula pręſeruantem: etenim ſi in illo inſtanti in perſona B. Virginis fuit debitũ ſimul cum gratia præſeruante eam à macula, iam inquiro: an tale debitum in ea fuerit pro toto illo inſtanti, vt. ſ. continet ordinem priori[s] & poſterioris ſecundum naturam: an fuerit non pro toto illo ordine, ſed ſolùm pro primo naturæ ſigno; non autem pro ſigno poſteriori. Neutrum dici poteſt: ergo debitum illud pro illo conceptionis inſtanti non fuit in perſona B. Virginis. Maior eſt nota; quia ſi debitum illud fuit in perſona B. Virginis; vtiq; fuit vno, vel altero modo; quia alius eſſendi modus fingi non poteſt. Quod autem non fuerit pro toto illo inſtanti, (quæ fuit prima pars minoris) ex eo probatur, quia ſequeretur pro illo inſtanti in ea non fuiſſe gratiam: etenim aduerſarij ideo diſtinguũt duplex inſtans naturæ, in quorum priori fuit debitum ſine gratia; in poſteriori vero fuit gratia ſine debito; quia agnoſcunt debitum ſimul cum gratia in eodem naturæ ſigno eſſe nullo modo poſſe: quare ſi illud debitũ fuit in perſona B. Virginis in toto conceptionis inſtanti pro omnibus naturæ ſignis quibus diſtingui poteſt; vtiq; B. Virgo pro toto illo inſtanti gratiam non habuit; cuius oppoſitum docẽt aduerſarij. 17. *Probatio maioris.* 18. *1. Pars minoris.*

Porrò ſecunda pars eiuſdem minoris (quod ſcilicet debitum fuerit in priori naturæ inſtanti, non autem in poſteriori) facilè demonſtratur: quoniam ſi tale debitum fuit in priori ſigno, non autem in poſteriori; neceſſario admittẽdum eſt debitum illud deſiſſe per vltimum ſui eſſe: etenim poſt tale inſtans immediatè non fuit. Conſequens tamen eſt falſum: quoniam quæ deſinunt per vltimum ſui eſſe, ita deſinunt, vt primo non ſint, pro tempore immediatè conſequente, vt patet ex Philoſophia in primo præmiſſo explicata. Quomodo igitur debitum illud primo non fuit in eodẽ inſtanti ꝓ poſteriori naturæ ſigno, in quo gratia ſupponitur data? repugnat enim aliquid deſinere per vltimum ſui eſſe, & non habere primum non eſſe in tempore immediatè ſequente: quia ſcilicet etiam implicat idem inſtans temporis intrinſecè menſurare vltimum eſſe alicuius, & primum non eſſe eius; quia darentur duo cõtradictoria ſimul vera: ſiquidẽ idẽ in eo dẽ tẽporis inſtãti ſimul eſſet, & nõ eſſet. ¶ Vera eſt igitur ſecunda pars minoris, quæ erat probanda. Vnde veriſsima eſt noſtra reſolutio; ſcilicet in perſona B. Virginis non eſſe admittẽdum debitum intrinſecum, ſed ſolùm extrinſecum, in 19. *2. Pars minoris.*

hoc ſenſu, quia in illius perſona fuit primum non eſſe debiti.

20. *Occurritur ſolutioni.* Huic argumento poſſet aliquis dicere debitum,quod in perſona B.Virginis admittitur,nõ deſijſſe per vltimum ſui eſſe, vt argumentum ſupponit, ſed per primũ ſui non eſſe,quod habuit in eodem temporis inſtanti, in poſteriori tamen naturæ ſigno. Sed ſolutio iſta incidit in Scyllã cupiẽs vitare Charybdim:etenim Ariſtotelis Philoſophia poſita in primo pręmiſſo ſicut docet ea, quæ deſinunt per vltimum ſui eſſe,ita deſinere,vt in hoc inſtãti ſint, & primo non ſint in tempore immediatè ſequente;ita etiam docet ea,quę deſinunt per primum ſui non eſſe,ita deſinere, vt in hoc inſtanti primo non ſint; immediate tamen fuerint in toto tempore antecedente: quare ſicut implicat aliquid deſinere per vltimum ſui eſſe,& primum non eſſe in toto tempore ſequẽte: ita etiã implicat aliquid deſinere per primũ ſui non eſſe,& immediatê non fuiſſe in toto antecedente tẽpore, ſed in priori naturæ eiuſdem inſtantis: quare deſitio per primum ſui non eſſe ex ſe includit, quòd id, quod deſinit, ſolùm fuerit in tempore antecedente, & ideo excludit, quod fuerit in priori naturæ eiuſdem inſtantis; quod in hac materia eſt diligẽter aduertendum,vt vera huius rei Philoſophia intelligatur. Quare cũ debitũ in B. Virgine non potuerit deſinerẽ per vltimum ſui eſſe; ſed ſolùm deſierit per primum ſui non eſſe,neceſſario infertur debitùm illud intrinſecè non fuiſſe in perſona B.Virginis, ſed ſolum extrinſecè, in ſenſu ſæpius explicato.

§. 7.

Tertia probatio, quod debitum ſimul eſſe non poteſt cum gratia.

21. *5. demonſtratio.* TErtia ratio ad confirmandum in perſona B. Virginis intrinſecê nõ fuiſſe debitum contrahendi maculam,ſed ſolùm extrinſecè; ex eo ſumitur quod tale debitum in perſona B. Virginis in eodem conceptionis inſtanti non potuerit ſimul ſtare cum gratia eam â macula præſeruãte. Sed in primo illo inſtãti admittimus gratiam pręſeruantẽ. Ergo in illo in perſona B.Virginis non fuit debitum ad maculam. Minorem huius diſcurſus aduerſarij nobiſcum admittũt, Maior autem ex eo primum probatur: *1. Probatio Maioris.* quoniam imputatio culpæ Adami non poteſt in eodem temporis inſtanti ſimul eſſe cum gratia ſanctificante. Ergo nec debitum ad maculam poteſt cum eadem gratia ſimul exiſtere. Conſequentia oſtẽditur: quia imputatio culpę eſt formalis infectio carnis ex Adamo genitæ,& ſubinde eſt cauſa debiti ad maculam. Quare ſi imputatio culpæ commiſſæ in Adamo non poteſt in eadem perſona eſſe ſimul cum gratia ſanctificante; vtique nec cũ eadem gratia ſimul erit infectio carnis,in qua fundatur debitũ. Antecedentis vero probatio facilis eſt: quoniam ſanctificatio à culpa neceſſario ſecum includit remiſsionem illius,ſaltem ſecundum potẽtiam ordinariam,vt eſt cõmunis Theologorum doctrina: remiſsio autẽ culpæ ex ſua natura eſt excluſio imputationis illius: ita vt primum eſſe remiſsionis, ſit primum non eſſe imputationis, & ſubinde infectionis carnis,& debiti. Quare ſicut eſſe,& non eſſe eiuſdem rei non poſſunt pro aliqua tẽporis menſura,etiam inſtantanea in eadẽ re ſimul reperiri, vt in primo præmiſſo oſtendimus; ita etiam imputatio culpæ,& eius remiſsio nõ poſſũt in eodem tẽporis inſtanti ſimul reperiri in eadem perſona. Et ex conſequenti in eodem temporis inſtanti in perſona B. Virginis non potuit debitum ſimul eſſe cum gratia, quæ fuit maior.

¶ Secundo eadem maior probatur;quoniam ſequeretur perſonam B.Virginis 22. *2. Probatio Maioris.* in primo conceptionis inſtanti ſimul eſſe inuiſam Deo, & gratam: quod admitti non poteſt: nõ igitur admitti poteſt perſonam B.Virginis pro inſtanti ſuæ conceptionis ſimul habuiſſe debitum,& gratiam præſeruantem à macula. Supereſt vt huius ſecundæ probationis ſingulas propoſitiones expẽdamus: illis enim admiſsis legitima eſt conſequentiã.

Et quod attinet ad ſequelam: omnes 23. *Probatio ſequelæ.* conuenimus, quod perſona B.Virginis in primo cõceptionis inſtanti fuerit Deo grata: quia omnes (inter quos hæc controuerſia excitatur) in ea pro illo inſtãti

admittimus gratiam, qua fuit præſeruata ab originali macula. ¶ Quod vero illa fuerit Deo inuiſa, ſi pro illo inſtanti habuit debitum, facilè probatur: quoniam licet debitum ipſum in ſe formaliter non ſit culpa, nec macula, qua formaliter, & intrinſecè conſtituimur peccatores, & Deo exoſi; tamen ſecum defert imputationem culpæ in Adamo cõmiſſæ, quæ ſatis eſt, vt extrinſecè per eam dicamur peccatores, & Deo inuiſi: etenim debitũ illud fũdatur in infectione carnis ex peccato Adami: cõmunis enĩ Patrũ doctrina docet perſonam, quæ in carne ab Adamo ſeminaliter propagata concipitur, ex ipſa carnis infectione manere obnoxiã, & obligatam ad contrahendam maculam culpæ originalis: caro autem ex Adamo propagata, nullam aliã poteſt habere infectionem, niſi quia ex ſe cõſtitutiua eſt perſonæ, cui imputatur culpa, quam in Adamo cõmiſit, vt in ſecundo præmiſſo aduertimus, & latè oſtendimus in noſtro tractatu de peccato originali, & nunc tãquam veriſſimum ſupponimus.

24\. *Debitũ & infectio carnis ſecũ defert imputationem culpæ Adami.*

Concedendum eſt igitur carnis infectionem, & debitum in ea fundatum ſecũ inſeparabiliter deferre imputationem culpæ in Adamo commiſſæ: cum vero hæc imputatio ſit imputatio culpæ, quæ verè eſt offenſa Dei (etenim peccatũ actuale, quod in Adamo commiſimus, verè fuit culpa, & offenſa Dei ex Tridentino ſeſſ. 5. de peccat. orig.) non poteſt nõ reddere inuiſam, & inimicam perſonam illam cui imputatur. Quare concedendum eſt nec carnis infectionem, nec debitũ in ea fundatũ, dari poſſe ſine odio Dei, & inimicitia cum eo: quapropter ſi in perſona B. Virginis pro primo ſuæ conceptionis inſtanti data fuit infectio carnis, & debitũ contrahendi maculam in ea fundatũ, non poteſt non admitti pro illo inſtanti B. Virgini non imputari culpam, quam cõmiſit in Adamo: etenim hæc culpa tãdiù imputatur, quandiù non remittitur; & quamuis actu non imputetur, niſi cum perſona in ſe ipſa concipitur; tamen in diuino proſpectu ſemper fuit imputata in Adamo, & p[illegible]nitoribus: etenim [illegible]lis mortua fuit peccato, & inimica De[illegible].

25\. Porrò ſi ſemel admittatur culpam illã perſonæ B. Virginis pro illo inſtanti actu à Deo imputari; non poteſt non admitti perſonam illam pro illo inſtanti eſſe inimicã Deo, & illi inuiſam: quod erat probandũ. Quare ſi perſona B. Virginis pro illo inſtanti habuit debitum, & carnem infectã; vtique pro eodem inſtanti ſimul fuit Deo inimica, & grata: quæ fuit ſequela.

Falſitas huiùs conſequentis ex eo probatur: quoniam eſſe inuiſum Deo, & eſſe illi gratum inter ſe opponuntur, nõ ſolũ contradictoriè, ſed etiam priuatiuè, vel (ſi malueris) contrariè. Quod cõtradictoriè opponantur facilè patet: quia quod gratum eſt Deo, non eſt non gratum: & tamen quod eſt illi inuiſum, eſt non gratũ. Quod etiam opponantur, aut priuatiuè, aut contrariè, omnes fatentur; quia peccatum vno, vel altero modo opponitur gratiæ. Iam vero, quæ opponuntur, aut contradictoriè, aut priuatiuè, aut contrariè, non poſſunt in eodem temporis inſtãti eidem rei ſimul conuenire; nec pro diuerſis naturæ inſtantibus. 26. *Probatur falſitas cõſequentis.*

Hæc Philoſophia nota eſt in oppoſitis contradictoriè; quia fieri non poteſt, vt duo contradictoria ſimul ſint vera: quoniam eſſe vnius intrinſecè includit non eſſe alterius: & ideo in eodem temporis inſtanti, etiã pro diuerſis inſtantibus naturæ ſimul eſſe non poſſunt: fieri enim nõ poteſt, vt *homo*, & *non homo* ſimul ſint in eodẽ inſtanti temporis, quantumuis in diuerſis inſtantibus naturæ conſiderentur: nam cum primum eſſe *hominis*, ſit primũ nõ eſſe *non hominis*, benè infertur *non hominem* primo non eſſe pro inſtanti, in quo primũ eſt *homo*, cum tamen fuerit in toto tempore præcedente. Iam verò, quæ ſolũ fuerunt in toto tẽpore præcedente, & primo non ſunt in inſtãti totius illius temporis continuatiuo; quomodo in eodẽ temporis inſtanti poſſunt habere aliquã naturæ prioritatẽ in eſſendo? profecto id intelligi non poteſt. 27. *Probatur in oppoſitis contradictoriè.*

¶ Idem reperitur in oppoſitis priuatiuè; nec enim poſsibile eſt, vt in eodẽ oculo pro eodem tẽporis inſtanti, cæcitas ſimul ſit cum viſu: etenim viſus ex ſua natura includit negationem cæcitatis, in ſubiecto, in quo ineſt; & cæcitas priuationem 28. *Idem in oppoſitis priuatiuè.*

viſus:

viſus: fieri igitur non poteſt, vt in quo inſtanti temporis viſus eſt in oculo, in eo ſit cæcitas: ſicut etiam fieri non poteſt, vt in quo inſtanti cæcitas eſt in oculo, in eo ſit viſus: & inde eſt, vt quando cæco reſtituitur viſus, primũ eſſe viſus, ſit primum non eſſe cęcitatis. Quare non bene philoſophabitur, qui dixerit in oculo illius cæci fuiſſe cæcitatem pro priori inſtanti naturæ; viſum verò adueniſſe pro inſtanti poſteriori: etenim inſtans temporis, cum ſit realis quædam durationis menſura non poteſt menſurare, niſi quæ vere ſunt à parte rei: & per conſequens, quæ à parte rei in eo nõ ſunt, realiter mẽſurare non poteſt: iam verò poſito viſu in hoc inſtanti per primum ſui eſſe, in eodẽ cæcitas habet primum non eſſe; quia viſus realiter excludit à ſubiecto cæcitatẽ. Quomodo igitur idem inſtans temporis poterit realiter menſurare exiſtentiam cæcitatis in oculo? vt omittamus, quoniam ſi pro eodem inſtanti temporis in priori naturæ ſigno cæcitas in oculo vere ineſſet; cum in ſigno naturæ poſteriori non ſit; vtique deſineret per vltimum ſui eſſe; quia in illo priori ſigno eſt, & in poſteriori iam non eſt: conſequens autem repugnat veræ Philoſophiæ: quia ex primo prçmiſſo poſito §. 4. quç deſinunt per vltimum ſui eſſe, primo non ſunt niſi in tempore immediatè conſequente.

Idem in oppoſitis contrariè. ¶ Denique idem reperitur in oppoſitis contrariè: etenim primum eſſe vnius in aliquo ſubiecto, eſt primũ nõ eſſe alterius in eodem ſubiecto: nec fieri poteſt, vt nigredo vt ſex in aliquo priori naturæ ſimul ſit cum albedine vt ſex, quia primũ eſſe albedinis vt ſex in hoc ſubiecto, eſt primũ non eſſe nigredinis vt ſex in ſubiecto eodẽ: alias nigredo vt ſex deſineret per vltimum ſui eſſe: quod veræ Philoſophię repugnat.

30. *Concluditur veritas Philoſoph.* Ex his igitur iam patet veriſsimã eſſe Philoſophiam, quod duo oppoſita, aut contradictorie, aut priuatiue, aut cõtrariè, nullo modo ſimul eſſe poſsint in eodẽ ſubiecto pro eodẽ inſtanti temporis, etiam pro diuerſis inſtantibus naturæ. Quod ex eo etiã apparet quoniam ordo naturæ ſecundum prius, & poſterius in eodem inſtanti temporis ſolùm admittitur, vel quoad exiſtentiam prioris ſine poſteriori; vel quoad conſiderationem abſtractiuam vnius ſine alio; non vero quoad ſimultaneam exiſtentiã in eodẽ ꝑ eodẽ tẽporis inſtanti. Quare cũ eſſe Deo inuiſum, & gratum tribus illis modis opponantur, vt maior principalis argumenti ſumit; neceſſario conuincitur perſonã B. Virginis pro primo conceptionis inſtanti, etiam pro diuerſis inſtantibus naturæ, non potuiſſe ſimul eſſe Deo inuiſam, & gratam; quę fuit minor argumenti adducti initio huius ſeptimi §. Cui minori ſi addamus maiorem .ſ. nõ poſſe perſonã B. Virginis nõ eſſe ſimul inuiſam, & gratam, ſi in primo conceptionis inſtanti habuit debitũ contrahendi maculã. Neceſſario etiã cõuincitur hoc debitum intrinſecè nõ fuiſſe in perſona B. Virginis, ſed ſolùm extrinſecẽ per primũ ſui nõ eſſe.

§. 8.

Eadem veritas confirmatur ex Patribus.

31. *Confirmatur ex Patribus.* HAnc veritatem rationibus Theologicis ſatis demonſtratam adhuc confirmabimus Patrum teſtimonijs, de quibus latè egimus ſupra art. 1. per totum. ¶ Nam Sedulius lib. 2. operis paſchalis docet *B. Virginem dum in mundum concepta ſurrexit, nihil habuiſſe, quod læderet.* Iam verò non ſolùm lædit macula originalis actu contracta, ſed etiam debitum; quia ſecũ habet coniunctam infectionem carnis, ex imputatione culpæ Adami. *Sedulius.*

32. *S. Ildephõſus.* ¶ S. Ildephonſus in libro de perpetua virginitate B. Virginis cap. 2. *Affirmat eam in ſui conceptione alienã fuiſſe ab omni contagione primæ originis:* quis autem negabit debitũ pertinere ad contagionem primæ originis? S. Idiota in lib. de contemplat. B. Virginis aſſerit *eam in conceptione totam fuiſſe pulchram.* Nõ eſſet autẽ talis, ſi in propria perſona habuiſſet debitum ex culpæ Adami imputatione.

33. *S. Fulbert.* ¶ S. Fulbertus Carnotenſis in Salutationem Angelicã docet *B. Virginẽm ab exordio ſuæ creationis ſemper extitiſſe immaculatam.* Exordium autem cũ denotet initiũ re[illegible]tis ſignificat illud i[illegible]s conceptio-[illegible]s incæpiſſe non à debito, ſed à puritate: etenim primum inſtans generationis in-

cipit

cipit ab illis,quæ natura ſunt priora. Quã explicationẽ ſatis confirmat illud aduerbium *ſemper*,quod ſecum trahit omnem, & temporis, & naturæ prioritatem.

34. S.Damia. ¶ S.Damianus in ſerm.de Aſſumptione B.Virginis expreſſe ſcribit,*Carnem Beatæ Virginis ex Adam quidem eſſe aſſumptam, maculas tamen Adæ non admiſiſſe: ſed ſingulari puritate in candorem lucis æternæ conuerſam eſſe.* Iam verò inter maculas ex peccato Adami relictas non ſolùm macula originalis enumeratur; ſed etiam debitum ad illam. Vnde ſentit Damianus B. Virginem in ſua perſona nec debitũ habuiſſe, quam explicationem confirmat, *Quod caro illa ſingulari puritate conuerſa ſit in candorem lucis æternæ*: Denique idem confirmat, *Quod nullum thronum habuerit in delicto tenebrarum.* Quæ conuerſio,cũ dicat mutationem,ſupponit in toto tempore antecedente infectam fuiſſe; & in primo inſtanti lucis primum non eſſe infectam: etenim eodem temporis inſtanti, etiam ſecundum naturæ prioritatem, & poſterioritatem non poteſt dari realis conuerſio,vt docet Philoſophia ſuperius explicata. Denique ſi caro B.Virginis in perſona illius nullum habuit thronum in delicto tenebrarum; vtique nec thronũ habuit in debito ad tale delictum.

35. D.Anſel. D. Anſelmus in lib.de excellentia B. Virginis affirmat *eam ab omni originali macula funditus fuiſſe protectam*: funditus, inquam,omnibus modis,ita vt ab ipſa maculæ radice (quæ eſt ipſum debitũ)fuerit protecta. S.Brunus. ¶ S.Brunus in Pſalm.101. *B.Virginem* appellat *terram incorruptam, & ab omni contagione peccati liberam*, quæ verba etiam ipſum debitum excludunt: nam qui illud habet, nec omnino eſt incorruptus, nec ab omni contagione liber. Iuo Carnotenſis. Quod etiam ſatis ſignificat Iuo Carnotenſis in ſerm. de Natiuitate Domini, dum ait, *B.Virginem nullum habuiſſe næuũ originalis peccati.* Næuus autem apud Latinos idem eſt, quod ſignum deformitatis, quam vulgariter appellamus *tacha è nota.* Iam verò negari non poteſt debitũ ad maculam næuum eſſe, & deformitatẽ ex peccato Adami relictam. 36. Damaſcenus. ¶ Damaſcenus lib.3. de Fide ca.2. aſſerit *B.Virginem fuiſſe abſque vlla corruptionis macula:* at debitum ad maculam eſt quædam corruptio maculoſa. Idem in ſecũda oratione de Aſſumptione expreſse aſſerit,*Serpentem ad hunc Paradiſum aditum non habuiſſe*: ad hunc inquam Paradiſum .i. ad perſonam B.Virginis iam in ſe ipſa exiſtentem: nam ad eam in Adamo,& in parentibus contentam aditum habuit. Loquitur igitur de propria perſona B.Virginis in ſe ipſa extra parentes ſubſiſtẽte. Ad hanc igitur perſonam Serpens,id eſt Diabolus non habuit aditum: habuiſſet autem,ſi perſona illa debitum maculæ habuiſſet: quibus addenda ſunt,quæ ſcribit in prima orati. de natiuitate B. Virginis: vbi docet,*Naturã non anteuertiſſe gratiã; ſed pauliſper expectaſſe, vt gratia fructum ſuum produxiſſet: naturam gratiæ ceſſiſſe,& tremulã ſtetiſſe, nec progredi ſuſtinuiſſe*:quæ verba agunt de natura vi ſua ſeminali nitente communicare vitium originale in perſonam B.Virginis conceptam.Docet igitur Damaſcenus naturã non anteuertiſſe gratiam, ſed tremulam noluiſſe illã perſonam aggredi,& attingere;imò permiſiſſe gratiam eam attingere: quomodo igitur natura debitum ad habendum maculam communicauit perſonæ B. Virginis,priuſquam gratia adueniſſet? vtique ſi ita hoc in loco theologizandum eſt; falſum eſt naturam in perſona B.Virginis non anteuertiſſe gratiam; nec illam expectaſſe; nec denique fuiſſe tremulã in progrediendo: quia verè prius illam perſonã aggreſſa eſſet, & ſuo modo maculaſſet, quam eam aggreſſa ſit gratia:vnde gratia non omnibus modis eam feciſſet immaculatam.

37. Origenes. Origenes homilia 1.ex variis collecta teſtatur *B.Virginem non fuiſſe infectam venenoſis Serpentis afflatibus*; quod eſſet falsũ quia debitum ex imputatione culpæ ad venenoſos Serpentis afflatus vere pertinet. Cyprian. ¶ Cyprianus in ſerm.de Chriſti natiuitate docet, *In B. Virgine fuiſſe inſignẽ mẽtis, & corporis integritatem*:quia ſcilicet in ea fuit integritas omnibus modis perfecta: talis autem non foret ſi in propria perſona habuiſſet debitum. ¶ Eodẽ modo exponendus eſt Chryſoſtomus in Lyturgia pro B. Virgine, vbi eam appellat; *penitus immaculatam*, penitus, inquam,

D.*Ambr.* quia nullam maculam habuit, aut defor-
mitatem ¶ D. Ambroſius ſermo.22.in
Pſalm.118. vocat *eam integram ab omni*
D. *Hiero.* *labe peccati.* Debitũ autem verè eſt pec-
cati labes. ¶ Hieronymus in cap.10.
Eccleſiaſtic. ad illa verba, *væ tibi terra* af-
firmat *B.Virginem nullum habuiſſe fruti-*
cem; nullum germen peccati; ſed totum fru-
ctum eius erupiſſe in florem: quæ verba ſa-
tis expreſſe confirmant noſtram ſen-
tentiam, ſi expendamus fruticem, &
germen diſtingui à fructu arboris: nam
frutex eſt quædam arboris virga: ger-
men vero eſt quidam velut ſurculus, â
quo fructus immediatè generatur, quod
Luſitane appellamus *botam de aruore*:
quare per fruticem, & germen peccati
intelligendum eſt debitum in infectione
carnis fundatum, ex quo fructus peccati,
id eſt, peccati macula oritur. Quare apud
D.Hieronymũ B. Virgo in propria per-
ſona nec fruticem habuit originalis pecca
ti, nec aliquod germen: debitum .ſ. obli-
gationemque ad contrahendam maculã:
ſed omnem illius fructum fuiſſe florem
gratiæ, & immunitatis.
39. ¶ Sophronius in ſerm. de Aſſumptione
Sophroni. Virginis, *In Mariam tota ſe infudit pleni-*
tudo gratiæ; quanquam aliter, quam in Chri-
ſtum: quæ gratiæ plenitudo in ordine ad
peccatum expenditur: vnde ſicut Chri-
ſtus Dominus in hoc ſenſu habuit totam
plenitudinẽ gratię; quia nec peccauit, nec
habuit peccati debitũ, ita etiam B. Virgo
in ſua propria perſona, nec habuit pecca-
tum, nec debitum ad illud habendũ: ali-
ter tamen quam Chriſtus: quia Chriſtus
illam gratiæ plenitudinem habuit ex vi
ſuæ generationis, quia non fuit ab Ada-
mo genitus per rationem ſeminalem: at-
tamen B. Virgo illam plenitudinem ha-
buit non ex vi generationis, quia ſemi-
40. naliter erat filia Adami; ſed per priuile-
Heſichius. gium gratiæ præſeruantis. ¶ Heſichius
Conc.2.de B.Virgine ſcribit, *eam Dæmo*
nis audaciam confregiſſe .ſ. in propria per-
ſona: quia .ſ. Dœmon non eſt auſus eam
aggredi, dum concepta fuit. ¶ A Beato
S. Dominicus. Dominico in tractat. de Corpore Chriſti
B.Virgo appellatur, *Terra nunquam ma-*
ledicta: & eodem modo appellatur à Bea-
to Andrea, vt alibi diximus. ¶ In septi-
ma Synodo actione 3.& in Concilio Fra- *7. Synod.*
cofordienſi in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſ-
paniæ B.Virgo, *nõ ſolum immaculata vo-*
catur, ſed etiam prorſus pura. ¶ Rupertus *Rupertus.*
Abbas lib.6.in Cantic. aſſerit, *eam fuiſſe* *Abbas.*
liberam ab omni iugo peccati: iam vero de-
bitum ad contrahendam maculam verè
eſt peccati iugum.
¶ Sophronius etiam Ieroſolymitanus in 41.
Epiſtola ad Sergium approbata in 6.Sy- *Sophroni.*
nodo B.Virgi ẽ in eo ſenſu, *vocat imma-*
culatam, quia in nullo corruptam, debitum
autem eſt corruptio; quod ſatis explicat,
dum ait, *eam fuiſſe liberam ab omni labe.*
Debitum autem eſt quędam labes pecca-
ti: & vt nullus dubitandi relinquatur lo-
cus expẽdamus illa verba, quibus expli-
cat, in quo nam ſenſu dixerit, *eam in nul-*
lo corruptam: ita enim ait: *totum, quod in ea*
geſtum eſt, totum fuit puritas, totum ſim-
plicitas, totum gratia, & veritas: quæ ver-
ba eſſent falſa, ſi generatio ab Adamo in
ipſam perſonam transfudiſſet debitum:
aliquid enim in ea geſtum foret, quod nõ
foret puritas aut gratia.
Germanus Conſtantinopolitanus in 42.
lib. de Zona Virginis affirmat, *eam nulli* *Germanus*
penitus culpæ affinem fuiſſe: affinitatem au
tem cum culpa originali habuiſſet, ſi de-
bitum ad illam in propria perſona con-
traxiſſet: debitum enim contrahendi ori
ginalem culpam cum ea magnam habet
affinitatem. ¶ Satis efficacia ſunt verba
Auguſtini de natura, & gratia cap.36. dũ
ait, *B. Virgini collatam fuiſſe gratiam ad* *Auguſt.*
vincendum omni ex parte peccatũ: quæ ver
ba eſſe intelligenda de peccato etiam ori-
ginali latè oſtendemus inferius li.3.q.4.
art.1 §.4 & in hoc ſenſu illa explicat au-
thor ſermonis 4.ſuper *Salue Regina* apud
D.Bernardum. Iam vero peccatum ori-
ginale tunc omni ex parte vincitur, cum
in perſona concepta nec macula ineſt,
nec debitum obligatio ve ad maculam.
¶ Accedat etiam Frater Leonardus de
Vtino in ſerm. de cõceptione Virginis,
dum ait: *B.Virginem nec momento temporis* *Leonard.*
fuiſſe vas immundum: nulla labe aſperſum: *de Vtino.*
debitum autem eſt peccati labes, ſatis ſuf-
fi[illegible]is, vt perſonam fa[illegible] immundam,
ſaltem extrinſecè propter imputationẽ
culpæ Adami, quæ debitũ per ſe comita-

49. S. Lauren. Iuſtinian. tur, vt ſæpe diximus. ¶ Denique Laurentius Iuſtinianus in ſerm. de Aſſumptione Beatæ Mariæ *eam vocat liberam ab omni culpæ originalis contagio.* Debitum autem verè eſt quoddam contagium originalis culpæ.

Ex quibus (ni fallor) ſatis conuincitur Patres citatos non ſolum liberare perſonam B. Virginis ab actuali peccati macula; ſed à debito contrahendi illam: nam quæ docent, intelligunt de perſona B. Virginis, nō in parētibus, ſed in ſe ipſa.

§. 9.

Adducuntur argumenta pro opinione contraria.

50. Opinio Caietan. SEd iam afferamus, & expendamus fundamēta cōtrariæ opinionis. Quo loco aduertendum eſt Caietanum in tractat. de Conceptione Beatæ Virginis exiſtimaſſe opinionem, quæ docet B. Virginem peccatū originale in propria perſona contraxiſſe eſſe probabiliorem, vt fatetur cap. 4. Tolerabilem tamen eſſe, quæ negat eam contraxiſſe maculam originalem, vt declarat cap. 3. & clarius in fine tractatus; dum tamen ita explicetur, vt licet in propria perſona actu non habuerit originalem maculam; habuerit tamen debitum: & in hoc ſenſu putat opinionem illā non eſſe contrariam fidei Catholicæ, vt affirmat cap. 3. in principio: vbi §. *Et quoniam* affirmat opinionē illam in hoc ſenſu defendi, & prædicari à ſuis authoribus. Addit etiam debitum illud, quod in propria perſona B. Virginis neceſſario admittendum eſt, eſſe quidem maculæ initium; ita vt macula originalis in propria perſona in carne infecta ſit initiata. Et ideo Beata Virgo in propria perſona non fuit extra propriam culpā originalem, cum in proprio debito, & initio illam habuerit. Hæc inuenies ſæpius repetita in dicto cap. 2. & expreſsius in fine illius vbi ita ait: *Quoniam extra propriam culpam originalem omnino non eſt, qui in proprio debito, & initio illam habet.*

51. 1. Arg. ex Caietan. Præcipuum huius opinionis fundamentum apud Caietanum inuenio poſitum in dicto cap. 2. quoniam niſi in propria Beatæ Virg[illegible] perſona ponatur [illegible]bitum iſtud initiatiuum maculæ; perſona illius nullo modo poterit dici redempta per Chriſti mortē: & ratio eſt, quia nullo modo in propria perſona poſſet dici mortua morte peccati: iam verò qui peccati morte non eſt mortuus, nullo modo dici poteſt redemptus morte Chriſti; cum Chriſtus pro ſolis peccato mortuis, mortuus ſit, ex Paul. 2. Corinth. 5. & oſtendimus ſupra quæſtio. 3. artic. 8. §. tertio, & in hac quæſtio. 4. artic. 3. §. 5. Quod vero Beata Virgo, ſi in propria perſona non habuit debitum ex ſua natura initiatiuum maculæ, non poſsit dici mortua peccato, id tanquam notum ſupponit Caietanus: ex ijs tamen quæ docet, ita probari poteſt: quoniam nullus dici poteſt mortuus morte peccati, & culpæ (quæ eſt mors animæ) niſi qui illam habet in ſe complete, vel ſaltem initiatiue in debito contrahendi illam: quare ſi in perſona B. Virginis, nec complete, nec initiatiue ponatur peccatū, & culpa Adami, perſona B. Virginis nullo modo dici poteſt peccato mortua, & per conſequens nec poterit dici redempta morte Chriſti: quare ſi in illius perſona non admittitur actualis macula, neceſſario admittendum eſt debitum, quod eſt *initium* talis maculæ, ſeu potius ipſa macula initiata.

Secundo arguit idem Caietanus *in dicto cap. 3. §. in ſecundo autem ſenſu poſt medium*, & cum eo Cordubenſis *in dicta q. 44. pagin. 354. colum. ſecunda, §. & notanter in concluſione*: quoniam ſi debitum, & initium peccati originalis non ponitur proprium perſonæ B. Virginis, ſed commune; duo inferūtur abſurda: vnum eſt, quia non ſaluaretur perſonam B. Virginis fuiſſe mortuam, redemptam, & recōciliatam, quod ſine errore dici non poteſt. Alterum eſt, quoniam ſequeretur Beatam Virginem ſolum habuiſſe debitum commune ex Adamo: & ita non eſſet formalis differentia inter debitum Beatæ Virginis, & debitum, quod in filijs Chriſtianorū olim admiſit Iulianus hæreticus cum Pelagianis, & hodie admittunt Lutherani: etenim ſicut in filijs Chriſtianorum illi non admittunt proprium debitum, ſed ſolum illud, quod illorum quiſq; habuit in Adamo: ita nos in B. Virgine non admittimus debitum 52. 2. Arg. ex Caietan. Cordub.

proprium, ſed ſolum commune, quo habuit in Adamo.

53. *3. Ex Bellarm.* Tertio arguit Bellarminus ſupponens perſonam Beatæ Virginis, licet in eodem inſtanti temporis, quo primum fuit concepta, fuerit etiam iuſtificata, tamen prius natura fuiſſe in ſe ipſa extra ſuas cauſas, quam iuſtificatam: quia ſubiectum prius natura eſt, quam ſuum accidens. Hoc ſuppoſito ex eo probat Beatam Virginem in primo illo naturæ inſtãti habuiſſe debitum in propria perſona; quia niſi in poſteriori naturæ fuiſſet præuenta per gratiam, actu contraheret originalem maculam. Ergo in priori inſtanti naturæ habebat debitum contrahendi maculam, & fuit obnoxia peccato in propria perſona.

54. *4. ex Suar.* Quarto loco Suarius inde ſumit argumentum: quoniam in illo priori naturę, in quo perſona B. Virginis conſideratur genita ab Adamo, in ea inueniuntur cauſæ diſpoſitæ ſuo modo influxiuæ originalis peccati, niſi à Deo earum influxus præueniatur. Ergo perſona illa pro illo priori inſtanti habuit in ſe ipſa debitum ad contrahendam maculam. Antecedens ex eo probat: quoniam perſona B. Virginis pro illo naturæ priori eſt filia Adami, vtpote ſeminaliter ab eo genita. Cõſequẽtiam inde oſtendit: quia perſonam aliquã in ſe ipſa eſſe obnoxiam, & debitricem maculæ originalis nihil aliud eſt, quam eam in ſe habere cauſas neceſſario influxiuas maculæ originalis: debitum enim (vt ait) nihil aliud eſt, quam neceſsitas quædam contrahendi maculam, aut ordo ad cauſas, quæ neceſsitate quadam eam influunt: aut denique eſt impotẽtia quædam, vitandi talem maculam: quare cum perſona B. Virginis pro illo priori naturæ in ſe ipſa habuerit neceſsitatem contrahendi maculã, quia habuit cauſas neceſſario influxiuas illius, & ſimul habuerit impotentiam vitandi talem maculam; ideo quia pro illo priori fuerit filia Adami; vtique pro illo habuit debitum contrahendi maculam.

55. *Confirmatio ex Cordubenſ.* Confirmatur ex Cordubenſi vbi ſupra pag. 355. col. 1. in principio: quoniam contrahere debitum ex ſua natura nõ eſt aliud, quam hominem ex vi ſuæ generationis obnoxium eſſe ad contrahendam maculam originalem; ita quod de facto eam contraheret, niſi ſpeciali priuilegio præſeruaretur. Sed perſona B. Virginis ex vi ſuæ naturalis conceptionis obnoxia fuit ad contrahendum maculam; & eam de facto contraheret, niſi præſeruaretur. Ergo perſona B. Virginis contraxit debitum originalis maculæ.

Quinto loco, arguit Bellomontanus 56. *5. ex Bellomont.* 2. tom. ad tertiam partem dipſut. 116. c. 5. num. 50. ſupponens debitum contrahẽdi peccatum originis in poſteris Adami repertum nihil aliud eſſe, quam relationem quandam paſsiue reſpicientem meritum primi parentis, quo ſuo peccato meruit, vt poſteris, ideo quia ab eo originantur, iuſtitia originalis denegaretur: in cuius negatione ponit originale peccatũ. Quare apud illum debitum contrahendi originalem maculam formaliter eſt dignitas quædam paſsiua reperta in poſteris ex eo quia ab illo originem trahũt, vt iuſtitia originali priuentur, ſuo modo in illis cauſata ex merito peccati Adami, quatenus per illud meruit ne iuſtitia originalis in poſteros transfunderetur, ſed peccatum potius, niſi gratia liberarentur. Hoc ſuppoſito ita arguit numer. 51. Eſſe aliquem talis propaginis, & originis, vt virtute illius ex merito Adami concipiatur dignus, vt ei denegetur originalis iuſtitia, & ſic concipiatur in peccato, idem eſt; quod illum habere debitum illud contrahendi. Sed Beata Virgo ex vi ſuæ propaginis pro ipſo inſtanti conceptionis digna erat, vt ei denegaretur originalis iuſtitia, & ita contraheret originale peccatum, niſi per gratiam liberaretur. Ergo in primo inſtanti conceptionis habuit debitum contrahendi originale peccatum.

Sexto ex eodem Bellomontano, ita poteſt obijci: quoniam ex his, quæ diximus, patet, nos in hac quæſtione ſupponere 57. *6. ex Bellomont.* debitum contrahendi maculam fuiſſe in Beata Virgine extinctum aduentu gratiæ. Hoc autem eſſe falſum ex ijs, quæ docet *in dicta diſp. 116. c. 5. n. 50.* ex eo probatur: quoniam B. Viginẽ in ſua perſona habere debitum contrahẽdi maculam nihil aliud eſt, quam illam

ex vi originis obnoxiam eſſe ad illā cōtrahendam, niſi gratia pręſeruetur. Sed B. Virgo conſiderata ſecundum ſe, & ex vi ſuæ generationis non ſolum in primo conceptionis inſtanti ſubiecta fuit contractioni maculæ, ſi à gratia non præſeruaretur, ſed etiā in toto tēpore ſequente, in quo fuit cum gratia, quoniam toto illo conſiderata ex ſe hanc ſubiectionem habebat, ſi gratiam præſeruantem non haberet. Ergo B. Virgo debitū contrahēdi maculam non ſolum habuit in primo cōceptionis inſtanti; ſed etiam in toto tempore conſequente. Hoc argumentum cō-

Confirmatio argumēti. firmat exemplo ſumpto à corpore glorioſo, hoc enim (vt ait) ex ſe dicetur obnoxium corruptioni, quamuis per dotes gloriæ ab eo præſeruetur: & tamen non ſolum obnoxium eſt in primo inſtanti gloriæ, ſed etiam in reliquo tempore: nā illa duo ſigna naturæ; (alterū in quo natura ex ſe conſideratur, & in ſua origine, alterum in quo conſideratur cum gratia) non ſolum diſtingui poſſunt in momento cōceptionis, ſed etiam in reliquo tempore.

58. Addit etiam; quoniam meritum Adæ reſpicit omnes eius poſteros, & digne illis meretur transfuſionē peccati, non tantū pro momento conceptionis, ſed etiam ꝓ toto tempore vitæ ipſorū; ita vt pro toto illo peccatum originale haberent, niſi gratia Dei ab eo liberentur. Deniq; id confirmat; quia non videt qua ratione, ſi quis in primo inſtanti cōceptionis ſanctificaretur per gratiā Dei, per eandem gratiam pro illo primo inſtāti non extingeretur debitum contrahendi peccatū; extingueretur autem pro reliquo tempore, vt quidam theologizant: nā (vt ait) ſi ſanctificatio tantæ virtutis eſt, vt pro ſequente tēpore bebitū peccati extīguat, cur illud non extinguit pro primo inſtanti? aut ſi cum illo in primo inſtāti eſſe poteſt; cur etiā in reliquo tēpore permanere non poterit? His fundamentis Vaſquez perſuadetur, vt dicat debitū peccati in B. Virgine non ſolū fuiſſe pro primo inſtāti conceptionis; ſed etiam pro toto alio tempore conſequente. Vide eum dicto cap. 6. num. 57.

59. 7. Arg. Septimo, & poſtremo obijci poteſt: quoniā præcipuū noſtræ opinioni ſ fundamentū in eo ponimus; quia debitū cōtrahendi maculam pro illo tēporis inſtāti etiā conſiderato in priori naturæ ſigno, habet primū non eſſe; & inferimus illud intrinſecè non fuiſſe in perſona B. Virginis. Quod vero debitum illud pro eo inſtanti habeat primū non eſſe, ex eo confirmamus, quia pro illo inſtanti tēporis cōſiderato in primo ſigno naturæ, datur non imputatio culpæ cōmiſſæ in Adam: iam vero primum eſſe non imputationis talis culpæ, eſt primū non eſſe imputationis eius: vnde ſimul eſſe non poſſunt, etiam pro primo naturæ ſigno. Hoc eſt noſtrum fundamentū. Illud tamen falſū eſſe ex eo probari poteſt; quoniam ſanctificatio perſonę B. Virginis pro primo inſtanti conceptionis facta fuit per gratiam. Gratia autem illa non poteſt conſiderari pro priori naturę inſtanti, ſed ſolū pro poſteriori: ergo nec remiſsio culpæ conſiderari poteſt pro illo priori ſigno naturæ: cuius oppoſitum ſumimus. Maior huius argumenti eſt nota: Minor autem probatur; quia ſicut macula non erat futura, niſi pro poſteriori naturę; ita gratia præſeruatiua non poteſt conſiderari, niſi pro eodem poſteriori naturæ. Porrò conſequentia inde eſt nota; quia remiſsio peccati ſimul eſt cum ipſa gratia: quę gratia ſimul eſt remiſsiua peccati, & ſanctificatiua perſonæ. ¶ Hęc ſunt argumenta, quæ noſtram reſolutionem impugnant.

¶ *Solutio primi argumenti ex Caietano.*

¶ Sed hæc argumēta non cogūt, vt à noſtra opinione recedamus in ſenſu a nobis 60. *Ad 1. arg.*
explicato. Primū argumentū Caietani nō nulla ſupponit, quę indigēt explicatione: cæterū, quia illa diligentius à nobis ſunt expēdēda lib. 3. in q. an B. Virgo ad Chriſti redemptionē vere pertineat, ſi maculam originalem in propria perſona non contraxit? ideo ab hoc ſuperſedemus. Solū igitur diſſoluemus argumenti vim; ſi interim ſupponamus in hac q. ſolū negari Beatā Virginem in propria perſona habuiſſe debitum intrinſecum, in ea formaliter exiſtēs. Simul etiam aduerti-

mus modum loquendi Caietani, vt idem ſit debitum initiatiuum, quod obligatiuũ ad maculam, & ſuo modo cauſatiuũ eius, admittendum eſſe; non tamen admittendus eſt modus loquendi, quo debitum ipſam vocat maculam initiatam: is enim loquendi modus vafer eſt, & fraudulentus; quia ſignificat debitum formaliter eſſe maculam ipſam imperfectam: quod cæteri eiuſdem opinionis Authores negant; & verè negandum eſt, cum debitum verè nõ ſit culpa, etiam initiata: imò non admittunt debitum eſſe aliquam veram immunditiam, & fœditatem: quamuis in hoc poſteriori cum illis non conueniamus.

60. *Ad argu. in forma.* His præmiſsis ad argumentum neganda eſt ſequela: nam quamuis Beata Virgo in propria perſona, nec habuerit maculam originalem, nec debitum intrinſecum ad contrahendam illam; adhuc verè, & propriè dici poteſt Chriſti ſanguine redempta. Cui reſolutioni non obſtant, quæ in confirmationem ſequelæ adducuntur. Et vt id euidentius appareat præmittimus omnino negandũ eſſe Beatam Virginem in propria perſona fuiſſe peccato mortuam. Quod contra Caietanum in terminis probat Suarius *2. tom. ad tertiam partem diſput.* 3. *ſectio.* 5. §. *Tandem hoc idem ſuadent. pag.* 49. *colum.* 2. ita inquiens: *Nec enim Caietano concedimus (quidquid ipſe contendat) abſolutè, & ſimpliciter ita loquendum eſſe, Virgine fuiſſe ſpiritualiter mortuam; cum abſolute nunquã caruerit ſpirituali vita: nec in ſe peccatum, aut ſpiritualem mortẽ contraxerit: cuius contrarium propoſitione illa de indiuidua perſona prolata ſignificatur.* Quam opinionem contra Caietanum olim ſtatuimus, dum immunitatem B. Virginis Conimbricæ publice defendimus: quam etiam ſententiam ſatis declarat *Bellarm. tom. quarto, & libro* 4. *de Omiſsione gratiæ & ſtatu peccati cap.* 16. §. *Denique non negamus p.* 329. *C.* Ita inquiens: *Non negamus B. Virginem natura fuiſſe filiam iræ: ſed addim⁹ gratia ſẽper fuiſſe filiam miſericordiæ: placuit enim ſic eam in beneditionibus dulcedinis præuenire, vt nũquam eſſet peccatrix, (quod poſtulabat natura) ſed ſemper eſſet iuſta; quod gratia conferebat.* Et eundẽ ſenſũ in eodem loco ſæpe repetit. Eandẽ ſententiã contra eundem Caietanũ ſatis declarat *Cordubenſ. lib.* 1. *q.* 44. *concl.* 5. *in fine pag.* 356. *ad* 4. vbi aſſerit non eſſe ſimpliciter concedendum *B. Virginẽ fuiſſe mortuã peccato*: Qui enim fieri poteſt, vt in eodem tẽporis inſtanti perſona aliqua ſimul dicatur ſimpliciter mortua, & ſimpliciter viua: etenim ſicut mors ex ſua intrinſeca ratione eſt priuatio vitæ; ita etiam vita intrinſecè includit expulſionẽ mortis: nam cũ vita ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis incipiat per primũ ſui eſſe; vtiq; primum eſſe vitæ in aliqua perſona erit primũ non eſſe corruptionis & mortis: vnde abſolutè fieri nõ poteſt, vt aliqua perſona in eodẽ inſtanti tẽporis ſimpliciter ſit mortua, & ſimpliciter viua. At quis negabit B. Virginẽ, ſi pro inſtãti conceptionis per gratiã fuit præſeruata à macula, pro eodẽ ſimpliciter fuiſſe viuã? quomodo igitur pro eodẽ inſtanti illa fuit ſimpliciter mortua? hæc enim duo inter ſe implicant; & ideo pro eodẽ inſtanti tẽporis nõ poſſunt eſſe ſimul vera, etiã pro diuerſis naturæ inſtantibus, vt oſtẽdimus ſupra §. 7. n. 26. quare non benè philoſophatus eſt Caietan. dũ *in d. c.* 3. admittens non ſolũ actualem maculã peccati originalis verã eſſe mortem peccati, ſed etiam debitũ, & initiũ habendi illã; ſimul admittit in B. Virgine gratiã excluſiuam actualis maculæ: nam ex dictis demõſtratiue conſtat veram mõrtẽ nullo modo poſſe ſimul dari cum vera vita, ſiue in corporalibus, ſiue in ſpiritualibus: & per conſequens fieri non poſſe, vt perſona B. Virginis in eodẽ temporis inſtanti, etiam pro diuerſis inſtantibus naturæ, fuerit ſimpliciter mortua per initium maculæ, quod eſt debitũ, & ſimpliciter viua per gratiam præſeruantẽ à macula. Ita fit, vt ſi debitũ iſtud eſt vera mors (ſicut Caietanus fatetur) illud non potuerit eſſe in perſona B. Virginis: quare melius theologizauerũt autores, qui cum Caietano admittentes debitum in perſona B. Virginis, negãt illud eſſe veram animæ mortem.

Negandũ eſt B. Virginẽ in propria pſona fuiſſe peccato mortuam.

Bellarm.

Cordub. 61.

62. *B. Virgo aliquo modo fuit mortua pec.* Sed quãuis nullo modo abſolutè cõcedi debeat B. Virginem in propria perſona fuiſſe mortuam morte peccati; non eſt tam [illegible] abſolutè aſſerend[illegible] morte peccati nõ fuiſſe mortuã; ne cõmuni Patrũ

doctrinę

doctrinæ repugnetur: imò etiā principijs fidei, quæ abſolutè docet nullū, qui non fuit mortuus morte peccati, ad redēptionis Crucis Chriſti pertinere, vt oſtendimus.q.1.huius libri ar.4. etenim ex Paulo 1.Cor.5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt: Ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*: vbi oſtendimus verba iſta intelligenda eſſe de morte peccati ex Auguſtino & alijs. Ex quibus verbis idem Auguſtinus hanc concluſionem vt catholicam, deducit: *Omnes nemine excepto in peccatis mortuos eſſe*, vt patet lib. 20. de Ciuit. Dei c.6. Vnde conc.2. in Pſal. 44. ad illa verba *Ego autem cum mihi moleſti eſſent* pag.104. col.2. ita ait: *Maria ex Adam mortua eſt propter peccatū*: & Gilbertus Porretanus *ad Boetium in lib. de duabus naturis*. ita ſcribit: *Maria ſicut, & cæteri omnes ex primorum parentum præuaricatione peccato, & morti ſubiacuit*. Quare admittendū eſt B. Virginē aliquomodo eſſe mortuā morte peccati: quam Theologiā admittit Bellarm. loc. cit. §. *Tertio obijciunt alij*. pag.329. ita ſcribens: *Cōcedimus B. Virginē aliquo modo mortuam eſſe morte peccati*: & in eiſdem terminis idem affirmat Cordubenſ. vbi ſupra, & ſatis explicat Suar. loco cit. quatenus concedit eam fuiſſe mortuam cū aliquo addito quibus verbis ſatis denotat eā mortē peccati aliquo modo ſubijſſe in propria perſona.

1. Cor. 5. — *Auguſt.* — *Gilber. Porretanus.*

63. *explicatur data Theologia.* Quam Theologiā putamus eſſe veriſſimā, & neceſſariam ad explicandā fidei, & Patrū doctrinam. Addimus tamen eā ita eſſe intelligendam, vt particula *aliquo modo* non diſtrahat à vera rtione mortis ſpiritualis, nec denotet mortē peccati ſecundū quid, ſed veram, & propriā: nam quæ à Fide docentur, in ſenſu vero ſunt accipienda, & non in ſenſu improprio; & à vero diſtrahente: quare cū de Fide ſit B. Virginem aliquo modo fuiſſe peccato mortuā, hęc doctrina ita intelligēda venit; vt verè peccato mortua ſit: hoc autē ex eo oſtendimus, quoniā B. Virgo nobiſcū peccauit in Adam, vt cōtra Catharinū, & nōnullos alios q. 1. huius libri latiſsimè oſtendimus. Et quāuis perſonaliter tunc non peccauerit, quia nōn dū perſonaliter erat: illa tamen perſona, quæ ordine ... ne diuina erat ipſa perſona Adami verè peccauit originaliter, quod ſatis fuit, vt tale peccatum vere fuerit ſuum, ſicut ex Auguſtino ſæpe diximus, & ſatis explicat Paulus ad Roman. 5. dum ait, *In quo omnes peccauerunt*, Cum vero tale peccatū fuerit vera mors animæ, (vt docet Tridentinum Seſsio.5. Canon.2. de peccato originali, & ſatis Paulus 1. Corinthio.5.) vtique omnes, etiam ipſa Beata Virgo in Adamo exiſtens, verè in eo fuit peccato mortua, quamuis originaliter ſolùm. Quare, illa particula, *aliquo modo mortua* non diminuit veram rationem mortis; ſed diminuit modum ſubeundi mortem; quia ſcilicet denotat illam non perſonaliter in ſe ipſa tūc fuiſſe mortuā; ſed originaliter tantum in Adamo, in quo tanquam in morali capite obligata fuit. Eſt igitur de Fide credendum omnes Adami poſteros, & cum illis Beatā Virginem, vere mortuos eſſe morte peccati, vel in ſe, vel in alio, ſcilicet in Adamo: ex qua morte tranſacto actuali Adami peccato ortum eſt in omnibus, etiam in Beata Virgine, debitum ad contrahendam mortem actualem in proprijs perſonis, cum primo conciperentur. Vnde non ſolùm mortui fuimus in Adamo cum in eo actualiter peccauimus, ſed etiā in parentibus ratione debiti ex imputatione culpæ, quam in Adamo commiſimus: ratione cuius imputationis (quæ in diuino proſpectu dabatur) in eiſdem parētibus, & in ſemine iam ab illis deciſo verè fuimus peccato mortui, non in nobis, ſed in alio.

Ad Rom. 5.

Ex his, quæ diximus, iam euidenter patet ſolutio fundamenti Caietani: ad quod iam negauimus ſequelam: etenim B. Virgo vere, & propriè dicitur redēpta morte Chriſti, quāuis in ſua propria perſona exiſtens, nec maculam habuerit, nec debitum ad maculam. Ad rationē vero, quæ in confirmationem ſequelæ adducitur, admittimus B. Virginem in propria perſona extra cauſas exiſtentem nullo modo fuiſſe peccato mortuam; & ſimul admittimus quod Chriſti ſanguine verè fuerit redēpta: ad hoc enim ſatis eſt, quod fuerit peccato mortua in Adamo, cum in illo verè peccauerit, & in parentibus, quia in illis culpa commiſſa in 64. *Ad argumentū Caietani.*

Adamo verè ei imputaretur; imò imputata fuit pro toto tempore vſque ad primũ inſtans cõceptionis, in quo aduentu gratiæ primo non fuit illi imputata. Cum vero additur B. Virginem, ſi in propria perſona non habuit debitũ, verè nõ poſſe dici peccato mortuã; omnino eſt negãdũ, & ſimpliciter negatur à Patronis noſtræ opinionis: vnde non erat ſupponendum tanquam certum, ſed probandũ. Ad probationem vero, quam in Caietani doctrina adduximus, neganda eſt maior, quæ ſine probatione ſumitur, cũ in ea ſit ſtatus cõtrouerſiæ: quoniam ſatis eſt, quod in toto tempore antecedente primũ conceptionis inſtans habuerit debitum, tum in omnibus maioribus, tũ in ipſo ſemine, quod, ſuppoſita culpa in Adamo cõmiſſa, & perſonę B. Virginis ſemper imputata, trãsfuſiuum erat originalis maculæ, quã immediatè transfunderet, niſi aduentu gratiæ impediretur: etenim quæ in toto tempore immediatè præcedente ad perſonam in inſtanti temporis continuatiuo concipiendam pertinent, propriè dicuntur ipſius perſonæ conceptę, etiam ſi pro illo inſtanti in ea non ſint: quoniam ad eã pertinẽt, ſi nõ intrinſecè, ſaltem extrinſecè, vt patet in vltimis diſpoſitionibus ad formam, quæ generatur: quamuis enĩ in ipſo generationis inſtanti intrinſecè non ſint cũ forma, quia in eo primò non ſunt, tamen dicũtur propriè illius formę.

¶ *Solutio ſecundi argumenti eiuſdem Caietani.*

65. *Ad 2. arg.* Ad ſecundum argumentum, quod, & Caietano placuit, & Cordubẽſi, diximus in eo hos Theologos decipi, quod putant debitum contrahendi maculam, quod ex vno, & commũni omnibus nobis peccato ortum eſt, non potuiſſe fieri propriũ B. Virginis, niſi in ipſa illius perſona actu fuerit: quod eſſe falſum inde euidenter probatur; quoniam debitum illud perſonæ B. Virginis fuit appropriatum per primam ipſius conceptionem; qua, ſi non in propria perſona; in propria tamen carne fuit concepta, vt plures aduertunt, & inter eos *Bellarmin. in d. lib. 4. c. 16. pag. 330.* B. nam licet tunc non fuerit integra in rerum natura; iam tamen fuit ex parte, ratione. ſ. carnis quæ iam ſoli illi appropriata erat: ratione cuius iam dicebatur verè exiſtere; quia ratione illius partis iã actu erat extra potentiam generatiuam parentum. Imò non deſunt, qui cum *D. Anſelmo* dicant B. Virginem iam tunc aliquo modo dici potuiſſe in iniquitatibus conceptam, & in carne peccatrice, vt lib. 3. ſuo loco aduertemus. Quare debitum illud per propriam B. Virginis cõceptionem transfuſum fuiſſe in propriã illius carnem, & in ea permanſiſſe vſque ad inſtans generationis propriæ perſonæ ſatis fuit, vt debitum illud diceretur non commune omnibus, ſed ſoli B. Virgini; quantumuis nunquam in illius perſona fuerit: nam iuxta principia Philoſophię, diſpoſitiones præceſsiſſe in materia pro toto tempore ante inſtãs generationis formæ ſubſtantialis, ſatis eſt, vt dicantur propriæ ipſius formæ, quæ generatur; quantumuis nunquam fuerint cũ illa, vt quia pro illo inſtanti primò non ſint. Accedit etiam; quoniam debitum illud de facto foret transfundendum in ipſam Beatæ Virginis perſonam, niſi à gratia impediretur. Denique debitum illud quod in lumbis parentum ſolum fuit in potentia, iam ſuo modo redactum eſt ad actum, & poſitum extra potentiam generatiuam parentum, in ipſa propria carne Virginis iam concepta.

Debitũ illud fuit proprium Beatæ Virgin.

D. Anſel.

Fallitur igitur Caietanus, & cum illo Cordubenſis, dum vterque putat debitum illud Beatę Virginis ſolùm poſſe appropriari per ſui exiſtentiam in propria illius perſona: nam ſicut illa Beatę Virginis prima generatio, ſeu conceptio per ſemẽ in vtero receptum fuit propria illius perſonæ, & non alterius; & diſpoſitiones naturales ad generationem diſponentes, ſoli illi perſonę appropriatæ ſunt, vt docet vera Philoſophia; ita etiam eadem prima conceptio ſoli Beatę Virgini debitum ad maculam appropriauit, vt illud in ſolam B. Virginis perſonã poſſet transfundere: & de facto in ſolam illam transfunderet, ſi non impediretur per gratiam. Quare debitum illud potuit eſſe proprium B. Virgi[illegible] quamuis nunquam fuerit in illius perſona. 66. *In quo Caietanus fallitur.*

Ex

67. *Corollar.* Ex qua reſolutione infertur, quam longum ſit diſcrimen inter noſtram poſitionem,& poſitionẽ Iuliani, atque Lutheri : nam hi hæretici docuerunt filios Chriſtianorum in parentibus mundatis ita mundari, vt ex vi ſuæ generationis nō manerent obnoxij cōtrahendæ maculæ: & ita ſingulis Chriſtianorum filijs proprium debitum negabant; & ſolum concedebant debitum cōmune ſibi cum parentibus. Nos autem in B. Virgine admittimus debitum proprium non intrinſece exiſtens in illius perſona, ſed ſolum extrinſece, & per primum ſui non eſſe; ratione cuius B. Virginis perſona indigebat liberatione ab effectu debiti, quod fuit in carne infecta, ex qua, & in qua immediate generanda erat. Sed de hoc plura dicemus lib. 3. tum in quæſt. quomodo B. Virgo fuit liberata ab originali macula? tum in quæſtione, quomodo ad Chriſti redemptionem potuit pertinere?

¶ *Solutio aliorum argumentorum.*

68. *Ad 3. arg. Bellarm.* Ad tertium argumentum ſumptum ex Bellarmino admittimus, perſonam B. Virginis in eodem temporis inſtanti, in quo concepta fuit, fuiſſe etiam ſanctificatam: & ſimul admittimus eam prius natura fuiſſe cōceptam, & poſitam extra ſuas cauſas quam fuerit ſanctificata: quia ſubſtantia prius natura eſt, quam quodcumque ſuum accidens: negamus tamen inde inferri eam in priori inſtanti naturæ habuiſſe debitum in ſe ipſa, vt in inſtanti poſteriori maculam contraheret: nam licet inter ſanctificationem, & perſonam ſanctificatam detur ordo prioris & poſterioris naturæ; non tamen talis ordo datur inter ſanctificationem, & quodcūque aliud accidens in ordine ad exiſtentiam in eodem ſubiecto. Quin potius talis ordo poſitiue dari non poteſt inter ipſam ſanctificationem, & accidentia, quæ illi opponuntur, aut contradictorie, aut priuatiue, aut contrarie, vt ſupra oſtendimus §. 6. & 7: nam cum in his oppoſitis primum eſſe vnius, ſit primum non eſſe alterius; nullus ordo naturæ dari poteſt inter ea in eodem temporis inſtanti in ordine ad exiſtentiam illorum in eodem ſubiecto, vt oſtendimus §. 3. 6. & 7. Quare cum ſanctificatio B. Virginis opponatur tum maculæ originali, tum debito ad illam: vtique primum eſſe ſanctificationis perſonæ B. Virginis, fuit primum nō eſſe tum maculæ, quatenus eſt infectiua perſonæ; tum debiti quatenus eſt cauſatiuum culpæ: & ratio eſt, quia debitum ad maculam includit imputationem culpæ commiſſæ in Adamo, vt diximus §. 4. huius quæſtionis.

69. *Annotatio* ¶ Sed pro huius maiore explicatione, aduerto; quod Deus dum in primo inſtanti conceptionis voluit iuſtificare perſonam B. Virginis, non ſolum voluit infundere gratiam, vt ſanctificatiuam perſonæ; ſed etiam vt remiſsiuã culpæ; quia ex definitione Tridentini ſeſſ. 6. c. 7. de doctrina iuſtificationis, iuſtificatio impij includit tum remiſsionem peccati, tum ſanctificationem hominis, qui iuſtificatur. Cum vero in iuſtificatione prius natura ſit remiſsio, & non imputatio peccati, quàm ſanctificatio perſonæ; Deus noſtro intelligendi modo prius natura voluit non imputare B. Virgini peccatũ, quod in Adamo commiſit, quam perſonam ipſam ſanctificare; cui ſi adiungas, non imputationem peccati directe & formaliter repugnare debito, quia debitum inſeparabiliter ſecum trahit imputationẽ peccati Adami; ſanctificationem verò formaliter repugnare maculæ: neceſſario inferes infuſionem gratiæ, quæ B. Virgini data eſt, prius natura eidem remiſiſſe culpam, quam in Adamo commiſit; & per conſequens prius natura impediuiſſe debitum ad maculam; quàm perſonam ipſam ſanctificauerit, eam à macula præſeruando. Quare ſicut fieri non potuit, vt cum gratia infuſa B. Virgini ſimul fuiſſet macula, ita etiam fieri non potuit, vt cum eadem gratia ſimul fuerit debitum contrahendi maculam. Bellarminus autẽ ideo defecit, quia in illa gratiæ infuſione ſolum conſiderauit vim ſanctificatiuam, qua macula formaliter impedita fuit; non vero vim remiſsiuam offenſæ, qua ab eadem perſona debitum fuit impeditum; ita vt primum eſſe talis gratiæ, vt eſt remiſsiua culpæ, vere ſit primum non eſſe debiti pro toto conceptionis inſtanti, ita

70.

In quo deficit Bellarm.

vt inter gratiam & debitum nullus dari potuerit ordo prioris & poſterioris naturæ.

71. *Ad arg. in forma.* ¶ Ad argumentū igitur in forma negamus perſonam B. Virginis in priori naturæ habuiſſe debitum; tum quia debitum non poterat deſinere per vltimū ſui eſſe, ſed per primum ſui non eſſe: tum etiam quia ſequeretur B. Virginem pro priori naturæ eſſe Deo exoſam, & pro poſteriori eſſe gratam: quæ duo implicare, iam oſtendimus, eo nixi fundamento; quia debitum neceſſario includit imputationem culpæ in Adamo commiſſæ, quæ dari non poteſt, quin perſona ſit Deo exoſa. Ad probationem vero dicēdum eſt in ea ſupponi, maculam originalem impediri poſſe per gratiam in ſolo poſteriori naturæ infuſam; non vero in priori: quod non eſſe admittendum ex eo probari poteſt; quoniā gratia illa quoad eſſe & nō eſſe in ſubiecto nullum poteſt habere ordinem naturæ, cum in eodem temporis inſtanti non poſsit ſimul habere eſſe, & non eſſe. Vnde qui eam in priori naturæ conciperet, vt non exiſtētem; vt exiſtentem vero in poſteriori; falſo eam conciperet: non ob aliam rationem, niſi quia in ordine ad eſſe & nō eſſe pro eodem inſtanti nullum poteſt habere ordinem prioris & poſterioris naturę. Cum vero impedire maculam originalē ſit realis effectus illius gratiæ, quem efficere non poteſt, niſi vt exiſtens: fieri nō poteſt, vt in illo inſtanti quoad impediēdā maculā detur aliquis ordo ſignorū naturæ, in quorū priori non impediat; impediat autem in poſteriori: cuius oppoſitum ſumitur in antecedente illius argumenti, vnde illud negandum eſt; quo negato corruit fundamentum Bellarmini.

72. *Cauſa errādi.* Bellarminus autem in eo defecit, quod in illa gratia ſolum conſiderauit vim ſanctificatiuam, qua formaliter impeditur macula; non autem vim remiſsiuam offenſæ, qua per ſe & directe tollitur debitum. Et cum prius natura ſit offenſam remittere, quam ſanctificare perſonam; gratia illa in priori naturæ fuit remiſsiua offenſæ, quam B. Virgo in Adamo commiſit; in poſteriori verò fuit ſanctificatiua perſonæ. Ita fit vt ad impediendam maculam neceſſaria fuerit gratia tum in priori, tum in poſteriori naturæ. Ob quā rationem antecedens etiam eſt negandū.

73. *Ad 4. Bellomon.* Ad quartum argumentum (quod eſt Suarij, & probatur *Bellomontano in d. diſp. 116. c. 3. n. 33. & 34.*) admittendum eſt perſonam B. Virginis in quodam priori naturæ prius conſiderari, vt filiam Adami, quam conſideretur cum gratia præſeruante: negamus tamen pro illo priori naturæ in ea intrinſece inueniri cauſas diſpoſitas, & influxiuas originalis maculæ: etenim perſonam illam eſſe ſeminaliter ab Adamo, abſolute loquendo, non ēſt per ſe cauſa influxiua maculæ originalis; etenim eam non influeret, ſi Adamus non peccaret; quare talis ſeminalis propagatio, & filiatio ab Adamo hanc vim influxiuam habuit à pręuaricatione Adami imputata illi perſonæ. Quod & authoritate Eccleſiæ, & ratione theologica demonſtratur:

Probatur authoritate. *Arauſicanum.* *Trident.* Authoritate quidem Eccleſiæ; quoniam ex definitione *Concilij Arauſicani 2. can. 2. & Tridentini ſeſſ. 5. de peccato orig. can. 2. Adamus per peccatum inobedientiæ ſua propagatione transfudit in nos culpam originalem*, transfudit, inquam, quia peccatum illud nobis imputatur; & vt imputatum eſt cauſa maculæ, quam generatione contrahimus. Et in hoc ſenſu peccatum originale ab eodē Tridentino can. 3. *dicitur eſſe vnum origine*: cauſalitate. ſ. & radice; quatenus imputatum nobis, eſt cauſa, vt quilibet noſtrum generatione ab Adamo contrahat propriam maculam: vel (ſi mauis) vnum eſt origine, & generatione, quatenus illud ipſum (quamuis iam tranſierit) generatione ad nos trahitur: trahi autem non poteſt, cum iam non ſit, niſi per ſui imputationem; quatenus ſcilicet Deus (in cuius proſpectu manet) illud nobis imputat ad incurrendam maculam illius. Sicut etiam actio peccati actualis, quāuis tranſierit, dicitur in diuino proſpectu nobis imputari, quandiu non remittitur, & condonatur. Quare peccatum Adami (quod etiam fuit noſtrum) vt imputatū nobis cauſa eſt, vt generatio ab Adamo vim habeat transfuſiuam maculæ: hanc autem vim generatio illa non haberet, ſi culpa illa per diuinam [illegible] nobis nō imputaretur.

74. *Probatur ratione.* ¶ Quod etiam probat ratio theologica: nam ſi Deus filijs Petri in futurum generandis de potentia abſoluta iam ab hoc tempore remitteret, & condonaret culpam, quam in Adamo cõmiſerunt (quod factum fuiſſe filijs Chriſtianorum, & Pelagiani olim ſinxerunt, & quidam ex Lutheranis modo hęretici ſingunt) vtiq; generatio, qua ab Adamo generarentur, iam non haberet vim transfuſiuam originalis maculæ in illos: non ob aliam rationem, niſi quia facta illius culpæ condonatione euanuiſſet obligatio, & debitũ ad habendam maculam. Concedendum eſt igitur perſonam eſſe ſeminaliter ab Adamo per ſe, & abſolute non eſſe influxiuum originalis maculæ, niſi quatenus hoc coniunctum eſt cum imputatione culpæ in Adamo commiſſæ: nam ob illã ſolam rationem & generatio illa dicitur immunda, & caro per eam genita, dicitur infecta: etenim hæc immunditia & carnis infectio non eſt aliqua immunditia, & infectio realis (nulla enim realis qualitas infectiua carnis admittenda eſt, vt cõtra Gregorium ſupponimus) ſed eſt immũditia quædam moralis, & theologica.

75. *Solutio argumenti.* ¶ Quo ſuppoſito iam patet vera argumenti ſolutio: etenim pro priori illo cõceptionis ſigno naturæ, in quo B. Virgo conſideratur vt filia Adami, ex infuſione gratiæ condonata eſt illi culpa, quam in Adamo commiſit, vt in hoc art. ſæpè diximus. Ergo B. Virginem pro illo priori naturæ fuiſſe ab Adamo ſeminaliter genitam, iam non habet vim transfuſiuam maculæ, nec cauſæ proximæ, & virtuoſæ ad transfuſionem illius aliquam vim habet. Quę Theologia ex eo etiã confirmatur: quia remiſsio culpæ, quæ in primo temporis inſtanti per infuſionem gratiæ facta eſt, in ipſo inſtanti incæpit per primum ſui eſſe, vt patet. Ergo pro illo imputatio eiuſdem culpæ habuit primum non eſſe; ita vt primum eſſe remiſsionis fuerit primum non eſſe imputationis: aliàs idem temporis inſtans realiter menſuraret eſſe & non eſſe illius: quod eſſe impoſsibile ſæpè demonſtrauimus. Quare admittimus B. Virginem prius natura fuiſſe filiam genitam ab Adamo quam habuerit gratiam remiſsiuam culpæ: negamus tamen eam pro tali naturæ priori eſſe filiam Adami, eſſe cauſam transfuſiuam maculæ, & ſecum habere debitum transfuſiuum illius: cum pro illo inſtanti primo non fuerit imputatio culpæ, quæ eſt formalis ratio illius transfuſionis. Et ita corruit, & euaneſcit hoc fundamentũ viris doctiſsimis approbatum.

Ad cõfirmationem ſumptam ex Cordubenſi ex dictis patet ſolutio: etenim maior propoſitio falſa eſt, ſi intelligatur de generatione ex Adamo phyſice conſiderata: vera autem ſi conſideretur theologicè; prout. ſ. coniuncta eſt cum imputatione culpæ, quam in Adamo omnes commiſimus. Sed in hoc ſenſu minor eſt neganda, ſi ita intelligatur, vt pro illo primo conceptionis inſtanti intrinſece fuerit obnoxia ad contrahendam maculam: quia ſolum talis fuit extrinſece, pro ut ſcilicet in toto tempore præcedente fuit in virtute ſeminis: vnde ſi in inſtanti immediato non infunderetur illi gratia, de facto maculam contraheret; quam tamen non contraxit; quia pro illo inſtanti fuit cum gratia impediente effluxũ maculæ. In hoc autem deficit argumentum, quia ſupponit gratiam B. Virgini infuſam, realiter infuſam non fuiſſe pro quodam priori inſtanti naturę; ſed ſolum pro poſteriori: quod Philoſophiæ repugnat, vt ſæpe diximus: repugnat enim gratiam in eodem temporis inſtanti pro priori naturæ non eſſe; eſſe vero pro poſteriori, vt in ſolutione tertij argumenti demonſtrauimus: poſſunt enim conſiderare illã perſonam non concipiendo gratiam, quã habet; non tamen poſſum eam concipere cum negatione gratiæ. 76. *Ad confirmationem.*

Quintum argumentum, quod eſt Bellomontani, nonnulla continet, quæ aut falſa ſunt, aut dubia: nam dubiũ eſt, imo etiam falſum, peccatum originale formaliter poſitum eſſe in carentia iuſtitiæ originalis: deinde falſum eſt debitum ad cõtrahendam maculam formaliter eſſe relationem, cum vere ſit obligatio quædam reſultans ex culpa, quam omnes Adami poſteri in Adamo commiſimus. Tertio dubia eſt definitio debiti, quam excogitauit; vt debitum formaliter ſit dignitas quædam paſsiua, vt nobis iuſtitia origi- 77. *Ad 5.*

nalis denegetur, cauſata ex merito peccati, ab Adamo commiſsi: falſa eſt enim, ſi intelligatur de merito Adami, vt erat perſona particularis, in cuius generatiua virtute omnes homines continebantur: quoniam dignitas iſta, ſiue potius indignitas, vt in nos non transfundatur originalis iuſtitia, non oritur ex merito Adami, vt erat quædam perſona particularis continens nos in ſua generatiua potentia, ſed ex merito omnium poſterorum, qui in eo, & cum eo peccauimus: ex hac enim culpa communi nobis & Adamo omnes in eo fuimus inuiſi, & obligati, vt contraheremus maculam peccati, quod

Ad arg. in forma. in Adamo commiſimus.¶ Ad argumentum igitur in forma, conceſſa maiore in ſenſu explicato, neganda eſt minor, ſi intelligatur de dignitate, quæ pro illo inſtanti in perſona B. Virginis intrinſece reperiebatur: concedenda autem; ſi intelligatur de dignitate, quæ fuit in toto tẽpore antecedente, quæ extrinſece illi cõueniebat per primum ſui non eſſe: in hoc enim ſenſu B. Virgo maculã pro inſtanti ſequenti incurreret, niſi præueniretur gratia. Ex quo non bene infertur debitũ intrinſecum.

78. *Ad 6. Opinio Bellomontani.* Pro ſolutione ſexti argumenti aduertendum eſt Bellomontanum in ea eſſe opinione, vt in perſona B. Virginis non ſolum admittendum ſit debitũ pro primo conceptionis inſtanti; ſed etiam pro toto tempore ſequente, in quo habuit gratiam: & ideo negat debitum illud per infuſionem gratię in illa fuiſſe extinctũ: & redarguit Theologos, qui oppoſitum docuerunt: ſed profecto in hoc potius

Non recipitur. ille redarguendus eſt, non ſolum quod naturã huius debiti ignorauerit; ſed etiã

79. *1. ratio.* quia ignorauit veram illius theologiam. Ignorauit quidem propriam naturam debiti; quoniam apud omnes conſtat debitum alicuius rei, eiuſdem rei ſolutione extingui, vt aduertimus ſupra §.5. huius articuli: qui enim debebat alteri decem aureos, ſolutione illorum à tali debito liberatur, ita vt illos nullo modo debeat. Et idem dicẽdum eſt, ſi tale debitum illi omnino remittatur: ipſa enim remiſsione debitum ita extinguitur, vt nullo modo maneat. Quare cum ex peccato Adami conſtituti ſimus debitores contrahẽdi maculam peccati in eo commiſsi; vtiq; tale debitum extinguitur, vel actuali cõtractione maculæ, quam debebamus: vel remiſsione talis debiti, quæ fit cum nobis confertur gratia remiſsiua culpæ. 80.

2. ratio. Ignorauit etiam veram illius debiti theologiam; quoniam ſupponit debitum ad contrahendam maculam pręciſe oriri ex ipſa naturali origine, ſiue propagatione ab Adamo; cum tamen ab ea pręciſe ſũpta non oriatur, ſed prout coniuncta eſt cum actuali imputatione culpæ in Adamo commiſſæ. Vnde debitum huius maculæ non eſt aliud, quàm obligatio ad illã contrahendam ex vi naturalis propagationis ex Adamo infectæ ex imputatione prædictæ culpæ.

81. *Solutio argumenti.* His ita præmiſsis haud difficile eſt diſſoluere Bellomontani argumentum: admittimus enim in hac quęſtione ſupponi debitum contrahendi maculam aduentu gratiæ fuiſſe extinctum in B. Virgine. Ad probationem in contrarium in hoc ſenſu agnoſcimus maiorem, vt habere debitum cõtrahendi maculam nihil aliud ſit, quam aliquem ex vi ſuæ generationis ex Adamo, non ſimpliciter, ſed vt infecta eſt per imputationem culpæ, eſſe obnoxium ad cõtrahendam maculam illius culpæ, niſi gratia præſeruetur. Admiſſa autem maiore in hoc ſenſu, negamus minorem, quatenus aſſerit perſonam Beatæ Virginis pro primo conceptionis inſtanti, & pro toto tempore immediate ſequẽte ex vi ſuæ generationis fuiſſe obnoxiã ad contrahẽdam maculam: quia pro illo inſtanti, & pro toto tempore ſequente iam non habuit originem infectam, quia pro illo inſtanti, & tempore ſequente nõ imputabatur illi culpa in Adamo commiſſa. Sublata autem cauſa infectionis naturalis originis, manet origo ſine infectione, & ſubinde ſine vi transfundendi maculam in perſonam B. Virginis, licet

82. ab Adamo ſeminaliter genitam. Fatemur igitur originem illam ex Adamo deductam fuiſſe infectam pro toto tempore præcedente; quia pro toto illo coniuncta fuit cum imputatione culpę, quæ ſola eſt per[illegible] cauſa infectio[illegible] negamus tamen illam originem pro illo generationis in-

ſtanti

ſtanti habere talem imputationem; cum in illo primo fuerit condonatio, & remiſsio talis culpæ, quæ eſt primum non eſſe imputationis. In hoc igitur deceptus fuit Bellomontanus, quod putauit ſatis *Ratio deceptionis.* eſſe originem illam ab Adamo in quodã naturę priori conſiderari, non conſiderata remiſsione culpæ, vt adhuc conſideretur cum imputatione illius: cum tamen vt poſſet ita conſiderari, neceſſe fuerit, vt pro illo inſtanti poſſet conſiderari, cum negatione condonationis; quo modo pro illo inſtanti temporis non poſſet vere ſic conſiderari, quia pro illo inſtanti vere facta fuit condonatio culpę, cuius primum eſſe, eſt primum non eſſe imputationis: hæc autem non diſtinguere fuit cauſa deceptionis. ¶ Exemplũ autem ſumptũ ex corpore glorioſo, ſi bene illius philoſophia expendatur, nihil officit: etenim
83. *Occurritur inſtantijs.* corpus illud conſideratum ſecundum ſe, cõſideratione abſtractiua ſolum includit ipſum conſiderari, non conſiderata in eo aut corruptibilitate naturali, aut ſupernaturali incorruptibilitate: vnde vt ſic eſt ſecundum ſe indifferens ad corruptibilitatem, & incorruptibilitatem: habens tamen in ſe incorruptibilitatem ex dotibus; ſicut non poteſt vere conſiderari cũ negatione incorruptibilitatis, quia vere eam in ſe habet; ita vere cõſiderari poteſt, cum negatione corruptibilitatis, quia vere eius negationem habet. Eodem igitur modo philoſophandum eſt de B. Virgine gratia præſeruationis dotata. Id, quod ſecundo loco additur, etiam arguit eum de hac re non bene theologizaſſe: quoniam ſupponit debitum contrahendi maculam omnes comprehendens, dari in perſona genita, tum pro primo inſtanti generationis; tum pro toto tẽpore; quandiu per gratiam Dei non liberatur: quod eſſe falſum, ſatis oſtendimus §. 5. huius articuli: etenim tale debitum primo non eſt in ipſo inſtanti conceptionis cuiuſq; noſtrum; quia in illo iam ſolutum eſt debitum ipſa maculæ contractione: à fortiori igitur non datur pro tempore ſequente. In hoc tamen deceptus eſt; quoniam idem iudiciũ fecit de macula, atq; de debito: quod falſum eſt; cum macula ſolum tollatur per gratiam remiſsiuam culpæ: cum tamen debitum tollatur, tum per actualem contractionem maculæ; tũ etiam per gratiam culpæ remiſsiuam, vt ſæpe diximus. Vltima confirmatio ſolũ vrget eos, qui putãt B. Virginem in propria perſona habuiſſe debitum in primo inſtanti conceptionis pro priori inſtanti naturæ, & non pro poſteriori. Sed cum eorum opinionem non recipiamus, non eſt, quod ad hoc argumentum pro illis reſpondeamus.

Ad ſeptimum & poſtremum admittimus fundamentum explicatũ, negamus 84. *Ad 7.*
tamen illud eſſe falſum, vt in minore ſumitur. Et vt probatio minoris facilius diſſoluatur, præmittimus, gratiam, qua *Præmiſſũ.*
perſona B. Virginis fuit & ſanctificata, & à macula pręſeruata, conſiderari poſſe; tum, per modum actionis, quatenus ſcilicet actiuè exit à Deo: tum per modum paſsionis; quatenus in perſona B. Virginis recipitur. Sub hoc poſteriori modo habet, quod ſit ſanctificatiua illius perſonæ, & formaliter præſeruatiua illius à macula: at vero priori modo, quatenus. ſ. eſt actio à Deo exiens, habet quod ſit remiſsiua peccati: quoniam remiſsio & cõdonatio offẽſæ ex ſe dicit actionem, qua Deus offenſam condonat: cum tamen ſanctificatio, & præſeruatio à macula ex ſe denotent paſsionem, & formalem cõtrarij excluſionem. Cum vero forma, quæ ſub vna & alia conſideratione habet rationem actionis, & paſsionis, prius natura actionis rationem habeat, quam paſſionis: hinc eſt, vt gratia illa prius natura ſit remiſsiua peccati, poſterius autem ſanctificatiua perſonæ; vel expellendo culpam ab ea; vel eam à culpa præſeruando.

Hinc infertur gratiam illam non poſſe 85.
conſiderari vt ſanctificantem, & præſeruantem, niſi in quodam poſteriori naturę ſigno: nam in illo macula pullulatura erat, niſi impediretur: attamen vt eſt remiſsiua culpæ, cum vt ſic conſideretur vt actio; non poteſt non conſiderari in priori quodam ſigno naturæ: in illo ſcilicet, in quo perſona conſideratur genita ab Adamo. Deus igitur in illo priori actiue infundendo gratiam remittit culpam: in poſteriori vero ſanctificando perſonã, præſeruat à macula; etenim ſi Deus in

priori ſigno naturæ eiuſdem inſtantis tẽporis voluit infundere gratiam, & eam de facto actiue infudit; vtique pro eodẽ priori voluit remittere culpam, & de facto illam remiſit. Quare pro illo priori non poteſt admitti imputatio culpæ; ſed in illo fuit primum non eſſe imputationis; & ex conſequenti in eo fuit primum non eſſe debiti, & infectionis carnis. Quod noſtrum fuit fundamentum.

86. *Solutio in forma.* His igitur ſuppoſitis ad argumentum admittimus ſanctificationem perſonæ B. Virginis factam fuiſſe per gratiam, vt affirmat maior: quando vero dicitur in minore gratiam illam non poſſe conſiderari pro priori naturæ inſtanti, admittenda eſt minor, ſi intelligatur de gratia, vt eſt ſanctificatiua perſonæ, & præſeruatiua à macula: neganda verò ſi intelligatur de gratia, vt eſt remiſſiua culpæ; quia vt ſic conſideratur, pro illo priori naturæ ſigno: vnde ceſſat vis argumenti.

ARTICVLVS VI.

Ponitur totius huius ſecundi libri vera reſolutio.

1. PRo totius huius libri ſecundi complemento duo ſupererant reſoluẽda, vnum eſt, vt modo epilogi totius huius ſecundi libri reſolutionem quibuſdam propoſitis propoſitionibus ponamus: alterum eſt expendere, in quo certitudinis gradu ſingulæ propoſitiones ſint habendæ, de primo agemus in hoc 6. articulo: de ſecundo autẽ in art. ſequente.

2. *1. propoſitio.* Quod attinet ad primum: ſit prima propoſitio: *Peccare in Adamo idẽ eſt, quod in ipſo & cum ipſo actum inobedientiæ, & præuaricationis elicere; ita vt illa actualis præuaricatio fuerit, & Adami, & noſtra.* Hanc propoſitionem iam ſtatuimus q. 1. huius libri art. 6. & vltimo, vbi eam ex Auguſtino, & alijs Patribus confirmauimus; & corroborauimus nonnullis Scripturæ locis: ſimul etiam retulimus varios illius patronos, Pighium, Catharinum, Ruardum, Veigam, Bellarminum, Toletum, Cornelium à Lapide, Suarium, Carthuſianum, & D. Thomam. Contra hanc explicationẽ varios retulimus Theologos ibidem art. 1. §. 1: quidam enim dixerunt, peccare in Adamo nõ eſſe aliud, quàm maculam originalem in ſe ipſo recipere: ita *Sotus, Driedo, Medina, Palatius, Turrianus, Pereira, Lacerda, Yſtella, Martinus de Martines, Bellomontanus, & tandẽ Mayronius*: ſed hanc ſententiam impugnauimus in d. q. 1. art. 3. §. 2. Alij volunt peccare in Adamo non eſſe aliud, quam maſſam, ex qua quiſque generandus erat fuiſſe corruptam, & infectam peccato Adami: quæ fuit explicatio Galatini. Tertio loco nonnulli affirmant, peccare in Adamo idem eſſe, quod naturam humanam propter peccatum Adami ſpoliatam manere iuſtitia originali: quæ explicatio etiam probata fuit *Soto, Driedoni, Medinæ, Pireiræ, vt diximus in d. q. 1. ar. 1. in 3. explicatione*: quam tamen ſententiam ibidem art. 4. explicauimus, vt falſa ſit, ſi natura humana ſumatur philoſophice; vera autem, ſi theologice. Quarta adhuc eſt explicatio, quæ nobiſcum admittit peccare in Adamo idem eſſe, quod actionem præuaricationis in Adamo elicuiſſe; non abſolutè, ſed cum annotatione, quod macula talis actus in propria perſona actu erat contrahenda. Quæ fuit explicatio Valentiæ, *vt diximus in d. q. 1. art. 1. §. 1. in 4. ſententia*: quam tamen reiecimus art. 5. eiuſdem quæſtionis.

Secunda propoſitio: *Simpliciter & abſolute cõcedẽdũ eſt cum Paulo omnes in Adamo peccauiſſe*: iſtã ꝓpoſitionẽ ita generaliter prolatam latè confirmauimus q. 2. huius libri artic. 1. tum ex communi conſenſu Scholaſticorum in d. q. 2. art. 1. tum etiã ex doctrina Patrum ibidem art. 2. tum tertio pluribus ſacræ Scripturæ locis: de quibus in d. q. 2. ar. 3. & 4. vbi ar. 5. 6. 7. & 8. expendimus nonnulla Scripturæ loca, ex quibus efficaciter non deducitur. 3. *2. propoſit.*

Tertia propoſitio: *Concedendum eſt B. Virginem ſimul nobiſcũ in Adamo peccaſſe*: hanc propoſitionem latè cõfirmauimus ſupra q. 3. ar. 2. tum cõmuniori conſenſu Theologorum; tum Patrum teſtimonijs; tum deniquevarijs rationibus, quibus efficaciſsime conuincitur. Oſtendimus tamen in d. q. 3. artic. 1. plures contra eam doc[illegible]: nam quod [illegible] Virgo in Adamo non peccauerit (vt ibidem §. 1. diximus) 4. *3. propoſit.*

expreſſe docuerũt *Galatinus, Catharinus, Viguerius, Mayronius, Martinus de Martines, Yſtella, Turrianus, & alij* : qui omnes ſimpliciter affirmant B. Virginem in Adamo non peccaſſe, & ideo excipiendam

Rom.5. eſſe à regula generali Pauli ad Rom. 5: *Omnes in Adamo peccauerunt.* Valentia (vt ibidẽ aduertimus) anceps fuit: putat enim vtramque ſententiam eſſe probabilẽ; quę autem probabilior ſit? varius eſt: nam in vno loco putat noſtram ſententiam eſſe probabiliorem, in alio vero ſcribit, probabiliorem eſſe oppoſitam. Quod B. Virgo in Adamo non peccauerit, latiſsime

Luzerus. probat *Gondiſaluus Sanches Luzero in trac. huius propriæ quæſtionis, lingua vulgari nuper edito in primo diſcurſu c.2. & 4. cum pluribus ſequentibus, & in 2. diſcurſu per totum.* Pro eadem ſententia nuper ſcribit *Frater*

Lezana. *Ioannes Baptiſta de Lezana ordinis Carmelitarum in ſuo libro apologetico pro immaculata Deiparæ Virginis concept. c.32. fol.145 pag. 2. & cum illo conſentit Aluarus Picaño de Palatios in diſcurſu primo pro immaculata B. Virginis conceptione punct. 3. fol.*

Piſaño. 12. *pag.*1. *&* 2: qui omnes pro eadem ſententia referunt *Bolanum in tract. de Con-*

Bolanus. Mendez. Ioan. Suarius. Salmer. Loaſia. Turrian. Valdiuia. *ceptione, qui extat Romæ in Bibliothec. Sancti Petri montis aurei, Antonium Mendes ordinis Dominicani in ſuo Mariali lib.*3. *ca.* 34. §.2. *&* 4. *Ioannem Suarium Franciſcanum in lib. conc.*23. *in Apocalypſim, Salmeronium in c.*5. *ad Rom. Loaſiam Carmelitã in* 1. *tract. Conceptionis punct.*2. *Turrianum, & Didacum Peres de Valdiuia in libello de Cõc ptione Deiparæ c.*8: imò putãt pro hac opinione referri poſſe *Albertũ Magnum re-*

Albertus. Angles. Barradas. Magalan. *latum à Caniſio* : *Angles in* 2. *diſt.* 31. *q.*1. *appendice, Barradã to.*1. *lib.*6. *c.*3. §. *A lege filium. Citãt etiam Coſmum Magallanum in* 1. *ad Timotheum c.*2. *ſect.*3. *annot.*6. *n.*21. aſſerentem hanc opinionem eſſe probabilem, ad minus non eſſe improbabilem. Et in eodem ſenſu refert *Iuſtinianum in*

Iuſtinian. Henriq. Baſilius. *d.c.*2. *primæ ad Timot. pag.*453. *atque Henriquez lib.*3. *ſuæ Summæ c.*11. *Baſilium noſtrum Legionenſem.* Quod vtraque pars ſit probabilis (vt aſſerit) exiſtimauit Petrus Carthagena homil. [illegible] Catholicis de Deip. homil.10. denique referuntur plures ex Theologis Complutenſibus, qui huic opinioni, ſaltem vt probabili ſubſcripſere.

Quarta propoſitio: *B. Virginem ſimpliciter & abſolute nullũ habuiſſe debitum contrahendi maculam peccati Adami, omnino eſt improbabile, & nullo modo admittendũ.* Hãc propoſitionem latè cõfirmauimus in hac q.4. ar.2. §.3. vbi §.4. aduertimus contra hanc concluſionem nullũ inueniri Theologum, & falſo cõtra eã citari Valentiam, Bellomontanum, Azorium, Henriquez, noſtrum Baſilium, Angles, Turrianum, & Stephanum Mendez, vide quæ ibi diximus: vbi §.6. & vltimo argumenta in contrarium latè diſſoluimus. 5. 4. propoſit.

Quinta propoſitio: *in B. Virgine neceſſario admittendum eſt verum, & propriũ debitum ortum ex peccato Adami.* Hæc propoſitio late confirmata eſt artic. 3. huius quartæ quęſtionis §.2. cum ſequentibus. Statuitur autem contra Catharinũ, Turrianum, & alios citatos in d. art. 3. §.1. 6. 5. propoſit.

Sexta propoſitio: *Admittenda eſt diſtinctio debiti proximi, & remoti; ita tamẽ vt vnum tantum admittatur debitum proximũ, repertum in prima hominis conceptione, & comixtione ſeminum* : *duplex autem remotũ: vnum primum & radicale immediate ortum ex conditione naturæ, & terminatum ad actuale peccatum, quod Adamus commiſit: alterum immediate ortum ex peccato actuali, quod omnes in Adamo fecimus, & immediate reſpicit originalẽ maculam generatione contrahendam.* Hanc propoſitionem ſtatuimus ex ijs, quæ diximus art.4. huius quæſtionis §.2. vbi cæteras omnes debiti ꝓximi & remoti explicationes reiecim⁹. 7. 6. propoſit.

7. propoſitio: *in B. Virgine abſolutè admittenda ſunt omnia tria debita in præcedẽte propoſitione explicata: ſ. tam debitũ proximũ, quam duplex remotũ, radicale. ſ. ortũ ex ſola cõditione naturæ ſuppoſita diuina inſtitutione, qua Deus Adamũ fecit morale caput omniũ poſterorũ, & illud, quod ex peccato Adami ortũ reſpicit ipſius peccati maculam.* Hãc propoſitionem poſuimus, & confirmauimus ar.4. huius quæſtionis §.3. Quod in B. Virgine admittendum ſit debitum remotum & radicale, omnes conceſsimus: de altero autẽ debito remoto, atque etiã de debito proximo eos habet cõtradictores, qui in B. Virgine nõ admittũt debitũ abſolutum ortum ex peccato Adami, cõtra quos 5. propoſitionẽ iam ſtatuimus. 8. 7. propoſitio.

9. 8. *propoſitio.* Octaua & poſtrema propoſitio: *in ipſa perſona B. Virginis extra ſuas cauſas exiſtẽte nullum debitum admittendũ eſt, nec remotum, nec proximum.* Hanc propoſitionem ſumpſimus ex ijs, quæ latè diximus in 5. art. præcedenti à §. 2. cum ſequentibus, vbi eam latiſsimè demonſtrauimus, & diſſoluimus argumenta contraria: authores autem illius retulimus in d. art. 5. §. 1. in ſententia negante.

ARTICVLVS VII. & Vltimus.

In quo certitudinis gradu tenendæ ſint propoſitiones in præcedente art. adductæ?

1. Sed iam inquirendum eſt in quonam gradu certitudinis tenendę ſint propoſitiones, quas pro totius huius ſecundi libri reſolutione ad modum epilogi ſtatuimus. Et vt diſtinctè procedamus, ſingulas per ſe expendamus.

§. 1.

Expenditur certitudo primæ propoſitionis.

2. *Expeditur 1. propoſit.* Primo igitur loco expendenda eſt prima propoſitio, quę aſſerit *peccare in Adamo idem eſſe, quod in Adamo actionẽ præuaricationis elicere.* Hanc propoſitionẽ ita puto eſſe verã, vt oppoſita nullo modo ſit admittenda tanquam nõ ſatis tuta in fide. Quam cenſurã ex eo cõfirmo: *Oppoſita indiget cẽſura.* quia ex verbis ſacræ Scripturæ, & ex cõmuni doctrina Patrum euidenter colligitur omnes nos in Adamo fuiſſe inobediẽtes Deo, & diuinũ præceptũ fuiſſe prȩuaricatos: deniq; pactũ à Deo nobiſcũ initũ fregiſſe. Etenim Paulus ad Rom. 5. expreſſe ait, *in quo omnes peccauerunt:* quę *Ad Rom. 5.* verba ſiue explicentur de Adamo; vt ſit ſenſus, *in quo Adamo omnes peccauerunt:* ſiue explicentur de ipſo peccato Adami, vt ſit ſenſus, *in quo peccato omnes peccauerũt*; ſemper denotant actionẽ peccati: peccare enim proprie loquẽdo idẽ eſt, quod actũ peccaminoſum facere. Accedãt etiã verba Pauli in eodẽ c. 5. *Per vnius inobedientiã peccatores cõſtituti ſunt multi.* i. omnes: *Rom. 5.* inobedientia autem dicit actionem prȩuaricatiuã, qua omnes in Adamo Dei legem præuaricati ſumus: & inde eſt, vt Geneſ. 17. ſcribatur *paruulos pactum Dei irritum feciſſe*: quando. ſ. in Adamo peccauerunt: *Gen. 17.* vnde peccatum originale, quod contrahimus, origine eſt vnum, quia ab vno & eodem peccato, quod in Adamo peccauimus omnes propriã contrahimus maculam, vt patet ex Tridentino ſeſſ. 5. de pec. orig. can. 3. His addimus, quia hęc explicatio ab omnibus Patribus recipitur: omnes enim qui explicant verba illa *in quo omnes peccauerunt*, ea explicant in ſenſu noſtræ concluſionis, vt latè oſtẽdimus q. 1. huius libri art. 1. §. 2. vbi vide. Quare cum hæc explicatio ſit à Patribus vnanimi conſenſu probata (nullus enim dabitur, qui oppoſitũ doceat) & ex ſacris literis ſatis colligatur, & ſatis ſit conformis *Tridentino in d. ſeſſ. 5. can.* 2: non erit ſatis tutum eam non admittere. *Trident.*

3. *Alia confirmatio.* Quibus accedit, quod aliæ explicationes relatæ *q. 1. ar. 1. §. 1.* vel cũ hac noſtra conſentiunt, vel non ſatis ſunt tutæ: etenim explicatio Soti, & aliorũ, qui volunt *peccare in Adamo* idẽ eſſe, quod *peccati originalis maculã in propria perſona contrahere* tanquã parum tuta, nõ eſt admittenda, vt late oſtendimus *q. 1. ar. 1.* §. 3. vbi etiã diximus non eſſe audiendũ Vaſquez Bellomont. 2. to. ad 3. p. diſp. 115. n. 15. dum ſimpliciter affirmat peccatum originale nõ eſſe actionẽ: vbi vide. ¶ Secunda autẽ *Reijcitur Galat.* explicatio *Galatini, & Rabinorũ non ſolũ tanquã anilis reiecta eſt* q. 1. ar. 2. ſed etiam tanquã Philoſophiæ contraria, & ſacris literis: vide quæ ibi diximus. ¶ Tertia *3. nobiſcũ conſentit.* verò explicatio. ſ. quod peccare in Adamo idẽ ſit, quod naturam humanã in Adamo fuiſſe ſpoliatã iuſtitia originali; aut falſa eſt, aut nobiſcum cõſentit, vt oſtendimus *q. 1. ar. 4.* ¶ Idẽ dicimus de explicatione Valentiæ, de qua egimus q. 1. *Non omnino probatur Valentia.* ar. 5: etenim nobiſcũ conuenit, quod *peccare in Adamo* idẽ eſt, quod ſimul cũ Adamo, & in Adamo elicere actionẽ præuaricationis, & inobediẽtiæ; in quo nobiſcũ conſentit: quãuis non probetur à nobis, quatenus addit ad hoc opus eſſe, vt illam actionem eliceat, cum cõnotatione, quod macula illius peccati cõtrahenda ſit ab eadẽ perſona, cum actu fuerit; quod illi non admiſimus in d. art. 5. Quare cum duæ poſteriores explicationes cum noſtra cõ

ueniant opinione; & duæ priores nō ſint ſatis tutæ: bene infertur noſtram primā propoſitionem ita certam eſſe, vt oppoſita aliqua indigeat cenſura.

§. 2.

Expenditur certitudo ſecundæ propoſitionis.

4. *Expēditur 2. propoſitio.*

SEcūda propoſitio aſſerit: *Simpliciter & abſolute concedendum eſſe cū Paulo ad Rom. 5. Omnes in Adamo peccaſſe.* Hæc propoſitio ita certa eſt, vt oppoſita ſine periculo non poſsit abſolute affirmari, vt oſtendimus ſupra q. 2. in reſolutione totius quæſtionis ſecundæ poſita poſt art. 8: etenim hæc noſtra propoſitio abſolute docetur à Patribus, vt oſtendimus *in d. q. 2. ar. 2.* & abſolute cōmuniter admittitur à Theologis, vt ibidē diximus ar. 1. Deniq; efficaciter deducitur ex illis verbis Pauli in d. c. 5. ad Rom. (*Rom. 5.*) *Per vnum hominem peccatū in hunc mundum intrauit: & per peccatū mors; & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Et ex illis, *Si vnius delicto multi mortui ſunt.* Ex illis itē: *nam iudiciū quidem ex vno in condemnationem.* Deniq; ex illis: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi,* vt latê monſtrauimus *in d. q. 2. art. 3. & 4.* Quare cum hæc propoſitio ex doctrina Patrū, & Scholaſticorum, & ex locis Scripturæ ſecundum communem Patrum interpretationem efficaciter deducatur, vtique ita erit certa, vt oppoſita ſine temeritate, & periculo fidei affirmari nequeat.

5. *Illatio contra Turrianum.*

Ex quo infertur ſine periculo dici nō poſſe propoſitionē illam Pauli non eſſe vniuerſalē ſecundum ſentētiam, ſed ſolū ſecundum figuram; ita vt idem ſit *omnes,* quod *multi.* Et ſubinde non eſſe audiendum Turrianum *in epiſt. de pecc. orig. pag.* 45. vbi hæc Pauli verba in illo ſenſu explicat: & quāuis in eodem à pluribus explicentur ſimiles Pauli vniuerſales propoſitiones, quos referemus *lib. 3. q. 5. art. 2. n. 2. & eos impugnabimus ibidē §. 2. n. 7. & argum. diſſoluemus §. 3. n. 3.* Et quāuis (in quā) hæc explicatio in alijs ꝓpoſitionib⁹ vniuerſalibus, quæ agunt de cōtractione maculæ in propria perſona admitteretur (quæ tamē non admittitur) nullo modo admitti poteſt in hac vniuerſali propoſitione Pauli *omnes in Adā peccauerunt.* (*Rom. 5.*) Ratio ex eo ſumitur; quoniā hæc propoſitio eiuſdē Pauli *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt,* nō poteſt nō eſſe vniuerſalis ſecundum ſententiā, vt Fides docet. Hanc autē vniuerſalitatē non haberet, niſi hæc (6.) *omnes in Adam peccauerunt* ſit ſecundum ſententiā vniuerſalis: etenim hęc propoſitio *omnes pro quibus Chriſtus eſt mortuus fuerunt peccato mortui:* eandē vniuerſalitatē habet, vt ſatis probat illa Pauli conſequentia: *ſi Chriſtus pro omnibus eſt mortuus. Ergo omnes mortui ſunt:* quæ ſatis probat cōſequens eandē habere vniuerſalitatem, quā habet antecedēs, ex quo legitimè infertur. Illa tamē cōſequētis vniuerſalitas falſa eſſet, ſi nō omnes in Adamo peccaſſent: quoniā mors peccati in nullū intrauit, niſi per peccatū, quod ille in Adamo cōmiſit, & per debitū ortū ex tali peccato: etenim debitū ortū ex cōditione naturæ, quod omnes habuimus ad peccādū in Adamo nō ſatis fuit, vt habētes faceret peccato mortuos, & exoſos Deo, quod neceſſariū eſt, vt quiſq; ad Chriſti mortē pertineat, vt latè oſtēdimus *ſup. q. 3. ar. 4.* Ex quo infertur propoſitionē iſtā Pauli *Omnes in Adamo peccauerunt* non eſſe intelligendā ſecundum debitū, vt ſit ſenſus (*Rom. 5.*) quod omnes habuerunt debitū peccandi in Adam: quia vt diximus, tale debitum antequam actu in Adam peccaremus, nō faciebat nos Deo inuiſos: ſed eſſe intelligendam ſecundum actum, vt ſit ſenſus, *Omnes in Adamo actu peccaſſe:* vide quæ dicemus *lib. 3. q. 5. art. 3. §. 1. & 2.*

7. *Quo vniuerſalitatis genere ſit intelligenda?*

Si vero inquiras de qua vniuerſalitate hæc propoſitio intelligenda ſit? an de vniuerſalitate logica? an de morali? an de legali, reſpondebo eam non eſſe intelligēdam de vniuerſalitate logica, cuius natura hæc eſt, vt vno excepto falſa ſit; quoniam ſemper foret vera, ſi Deus ex ſpeciali gratia aliquem exciperet. Nec eſſe intelligendam de vniuerſalitate morali, cuius natura eſt, vt ex ſe non omnes, ſed plures comprehendat: etenim propoſitio illa ex ſubiecta materia abſolute omnes cōplectitur: ſed intelligendā eſſe de vniuerſalitate legali, quæ ex ſe, ita omnes cōplectitur, vt non excludat per gratiā ſpe-

cialem poſſe aliquem excludi: vnde talis excluſio non tollit eam vniuerſaliter eſſe veram. In quo ſenſu cæteræ propoſitiones vniuerſales in hac materia de peccato originali repertæ in ſacris literis, & in definitionibus fidei intelliguntur, vt dicemus lib.3.q.5.art.4.

8. His addimus in hac propoſitione, *omnes in Adamo peccauerũt*, hoc vnũ ſpeciale reperiri, quod ab ea ſine periculo erroris nulla datur aut dari poſsit exceptio, cũ ab ea nec B. Virgo excipiatur, vt noſtra habet propoſitio: cũ tamen ab alijs propoſitionib⁹ B. Virgo ſine vllo fidei periculo excipiatur: ratio diſcriminis eſt; quoniã aliæ vniuerſales propoſitiones ſalua generali redẽptione Chriſti, admittunt B. Virginẽ ab illis excipi: etenim adhuc ad Chriſti redemptionẽ vere pertinet, quãuis ex ſpeciali gratia maculam originalẽ non contraxerit, cũ tamen iſta Pauli vniuerſalis propoſitio exceptionẽ nõ patiatur, quin eam etiam patiatur vniuerſalis Chriſti redẽptio. Quare cũ fides doceat à Chriſti redẽptione neminẽ excipi poſſe; ſatis eſt eidẽ fidei conſentaneũ, vt nullus ab hac Pauli propoſitione excipiatur. Quare in hac quæſtione illud omniũ cõſenſu eſt certiſsimum, hæreticum eſſe à Pauli regula, *omnes in Adamo peccauerunt* aliquẽm excipere præter B. Virginem. Deinde puto hoc etiã pro certiſsimo habendum eſſe, ab illa regula B. Virginem ſine maximo errandi periculo excipi nõ poſſe. De quo in ſequenti §.

§. 3.

Expenditur certitudo tertiæ propoſitionis. ſ. quod Virgo in Adamo peccauerit.

9. 3. *propoſit.* TErtia propoſitio in præcedẽti art. propoſita aſſerit *abſolute concedẽdum eſſe B. Virginem in Adamo peccaſſe*, intelligitur autem in hoc ſenſu, vt in Adamo, & cum Adamo eadẽ fuerit inobediens, & diuinum præceptum præuaricans. Ita vt actuale peccatum Adami fuerit etiam peccatum ipſius B. Virginis. Hoc igitur loco inquirimus in quonam certitudinis gradu hæc propoſitio habẽda ſit? de quo & olim fuit inter Theologos controuerſia, & noſtris his temporibus maxime controuerſum eſt. Varias igitur de hac controuerſia opiniones referemus; deinde illam reſoluemus. Et quanuis eam iam diſſoluimus q. 3. huius libri ar. vlt. quia tamen nõnulli ex Complutẽſibus viri doctiſsimi pro Catharino de nouo plures ediderũt tractatus, qui ad manus noſtras deuenerunt poſt illã quæſtionem typis mandatam, operæpretium me facturũ exiſtimaui, ſi in hoc art. rurſus eandem cõtrouerſiam expenderem, vt & ſolutiones, quibus noſtra ſoluunt argumenta, diligentius examinemus, & illorum argumenta de nouo adducta accuratius diſſoluamus.

Referuntur duæ oppoſitæ ſententiæ.

¶ Ex ijs, quæ diximus ſupra q.3. art. vlt. patet de hac quęſtione varia fuiſſe Theologorum placita: ſed hoc loco illa omnia reducimus ad duas oppoſitas ſententias: quarũ prima docet opinionẽ, quæ habet B. Virginẽ in Adamo non peccaſſe, nulla notandã eſſe cẽſura: ſed non omnes eodẽ modo procedũt in illius probatione: nam ſunt, qui hanc ſententiam defẽdunt, quia putãt opinionẽ illam eſſe veriſsimã. Hoc modo ꝓcedunt authores, qui abſolute tãquã veriſsimã ſententiã ꝓbãt B. Virginẽ in Adamo nõ peccaſſe: ideo quia abſolute excepta fuit à lege impoſita poſteris Adami: inde enim habuit, vt in Adamo, & cũ Adamo comedẽs de fructu vetito non peccauerit, quanuis peccauerit Adamus; vt quia nullã comedẽdi habuerit prohibitionẽ: ita *Galatinus, Catharinus, Vigueri⁹, Turrianus, Mayronius, Martinus de Martines, & Yſtella*: qui omnes cum ſimpliciter probent B. Virginẽ in Adamo nõ peccaſſe; ſimpliciter tenẽtur affirmare opinionem illã nulla cenſura notari poſſe: cum quibus noſtris tẽporibus cõmuniter conſentiunt Cõplutenſes, inter quos nouiſſimẽ enumerari debent *Gũdiſaluus Sanch. Luzero in ſuo ſpeciali tractatu que la Virgen ſanctiſsima no pecco in Adam*: vbi in primo *diſcurſu c.2. fol.6. pag.1. §. Lo ſegundo* affirmat hanc doctrinã non eſſe nouã, ſed antiquam, & probatã grauiſsimis Eccleſiæ Patribus. Et eodẽ modo procedit *Fr. Ioãnes Baptiſta de Le[illegible] ordinis Carmilitarum in ſuo Apolegetico pro immaculata Deigenitricis cõcept.* vbi à c.32. fol.145. pag.2. hãc ſententiã tanquã veriſsimam conſtanter defen-

10. 1. *ſentẽtia quod nulla cẽſura dignum ſit B. Virginem non peccaſſe in Adamo.*

11. *Luzerus.*

Lezana.

defendit. Eandem vt veriſsimam appro-
bat *Aluarus Piſanho de Palatio in ſuo primo*
Piſanho. *diſcurſu pro confirmãda immunitate concep-*
tionis B. Virginis. fol.12. pag.1. & 2. vbi
illam opinionem vt veriſsimam probat:
qui duo pro ea plurimos referunt, ſed an
vere? & in quo ſenſu? ex ſequentibus
patebit. Hi igitur Theologi ideo putant
B. Virginem non peccaſſe in Adamo
nulla indigere cenſura; quia putant eam
ſententiam in ſe eſſe certiſsimam.

12. Alij ideo opinionē illam ab omni nota
liberant, quia licet non habeat certitudi-
nem; habet tamē probabilitatem, aut ma-
iorem, quam oppoſita, aut æqualem, aut
denique minorem: etenim quod in ſe eſt
probabile, nulla poteſt notari cenſura: nã
quod cenſura eſt dignum, ita in ſe eſt fal-
ſum, vt non poſsit eſſe verum, ſicut dice-
mus *lib.3.q.6.ar.1.§.10.n.83. cum ſequē-*
tibus: iam vero quod in ſe eſt probabile
poteſt eſſe verũ: in hoc ſenſu plures aut
expreſſe aut tacite docent præcitatã ſen-
tentiam nulla indigere cenſura: etenim
qui vtramque opinionē referunt, & nul-
lum de veritate ferunt iudicium, ſicut ta-
cite ſentiunt vtramque eſſe probabilem;
ita tacite iudicant neutram cenſuræ nota
dignam eſſe. Et in hoc ſenſu pro hac opi-
13. nione referri poſſunt *Henriquez lib. 3. de*
Henriq. *Confirm. & extrema vnct. c.11.§.3. litera I.*
Azorius. *& Azorius lib.4. diſp. moral. c.34. q.3. pag.*
437. paulò ante finem: referentes enim v-
tramque ſententiã de nulla ferũt iudiciũ:
imo Azorius forte non recipit B. Virgi-
nem in Adamo non peccaſſe, dum aſſerit
ſe nihil videre, quod cogat ſentire cum
Catharino illam opinionē probante: qua-
re potius illam opinionem negat; & ta-
men nulla eam notat cenſura in hoc ta-
cite inſinuans eam nulla cenſura dignam
Ouandus. eſſe; quod etiam ſenſit Franc. Ouandus
Valentia. in 3.d.3.q.1.ar.2.propoſ.8.pag.30.&31.
Quod etiã dicendũ eſt de Valentia: licet
enim expreſſe non dicat ſententiã, quæ
negat B. Virginē peccaſſe in Adamo ſine
vlla cenſura defendi poſſe; id tamen ſatis
ſignificat, dum vtrãq; putat probabilem,
Salas. vt iam aduertimus art. [illegible]cedēt. prop.3.
Idē dicendũ e[illegible]ala *1.to. ad 1.2.q.81.*
trac.13. diſp.11. ſect.5. q.11. pag.640. col.1.
vbi licet ſcri[illegible]ſerit probabilius eſſe B. Vir-
ginē peccaſſe in Adamo, dum oppoſitum
nulla notat cenſura, ſatis inſinuat illud cē
ſura nõ eſſe dignũ. In eodē ſenſu referri
poteſt *Barradas to.1. lib.6. c.3. in 5. gemma* Barradas.
pag.473. §. A lege filiũ, vbi fatetur B. Vir
ginē ab illa vniuerſali regula *omnes in A-*
damo peccauerunt, excluſam fuiſſe. Eodē
modo pro eadē ſententia referri poteſt
Martinus Martines lib.6. hypotypoſeon c.3. Martines.
pag.460. ad finē, vbi docet propoſitionem
præcitatã Pauli non eſſe vniuerſalē, quia
ab ea excipitur B. Virgo. In eodē ſenſu
referri poteſt *Angles in 2. diſt.31. q.1. diſ-*
ficult.2. appendice 6. pag.215: quatenus Angles.
docet illam regulã Pauli ita intelligendã
eſſe, vt B. Virgo excipiatur. Simili modo
pro eadē referri poteſt *Albert. Magnus in* Alb. Magnus.
lib. de Laudib. B. Virg. relatus à Caniſio lib.
5. de Maria Deipara c.27. pag.1108. qua-
tenus ab eadē regula excipit B. Virginē.
Referri etiã poteſt Iuſtinianus 1.Timot.
2. pag.453. col.1. atque Ioan. Cartagena in Cartagena
homilijs Catholicis de Deipara homil.16. Hi
igitur & alij, qui docent probabile eſſe,
quod B. Virgo in Adamo nõ peccauerit,
tacite docēt illud nõ eſſe dignũ cenſura.

Præter iſtos expreſſe id affirmat *Sua-* 14.
rius 2.to. ad 3.p. diſp.3. ſect.2. §. Quæret ali- Suarius.
quis, pag.32. col.2. vbi litera B. affirmat
opinionem illam non poſſe vlla cenſura
notari; quia vtcumque ſaluat Scripturæ
locutiones. Idem fuit iudiciũ noſtri *Ba-* Baſil. Legionenſis.
ſilij Legionenſis in 1.p. variarũ reſolutionũ
relect.3. pag.547. col.1. poſt principiũ: nam
licet non putet veram eſſe opinionē, quæ
negat B. Virginē peccaſſe in Adamo: nõ
putat tamen poſſe aliqua cenſura notari.
Pro eadē expreſſe ſtat *Coſmus Magalan⁹* Magalan.
1.Timoth.2. ſect.3. notabili 6. in fine, vbi li-
cet veriorē putet ſententiã, quod B. Vir-
go in Adamo peccauit, putat tamen op-
poſitam nulla cenſura notandam eſſe, cũ
aliquam habeat probabilitatē. Quam etiã
opinionē cum magno Theologorũ Com-
plutenſium applauſu *Frater Antonius de* Fr. Anto. de Valaſc.
Valaſco Ordinis Minorũ publicè defendit
cõſtanter affirmans nullius cenſuræ nota
inurendam eſſe poſitionē, quod B. Virgo
in Adamo non peccauit: imo aſſerit hanc
aſſertionem probabili gaudere veritate:
piam inſuper eſſe, & altiſsimæ redemp-
tioni cõſonam, vt teſtatur *Lezana loco cit.* Lezana.

fol. 147. *pag.* 2. *in fine, vbi pag.* 148. *pag.* 1. *in principio* affirmat hanc ſententiam publice fuiſſe defenſam ab Henriquo de Villegas ſacrorum Bibliorum interprete, & à perdocto Patre Albernoz, & à Luduuico Monteſino Theologiæ profeſſore Primario: & eandem ſententiam idem Lezana conſtanter defendit *in d. apologetico c.* 32. *fol.* 147. *pag.* 2. *in fine.* ¶ Hos Theologos inueni qui aut tacite aut expreſſe aſſerunt ſententiam, quæ negat B. Virginem peccaſſe in Adamo nulla dignam eſſe cenſura,

15. *Quod peccauerit in Adamo.* *Bellarm.* Oppoſitam tamen ſententiam: quod. ſ. illa opinio dignisſima ſit magna cenſura plures approbarunt: quod illa non ſit tuta expreſſe teſtatur *Bellarminus tom.* 4. *& lib.* 4. *de Amisſione gratiæ, & ſtatu peccati c.* 16. §. *Quæ ſententia, pag.* 250. cum Bellarmino expreſſe conſentit *Ioannes Ouãdus ad* 3. *Scoti diſt.* 3. *in titulo, an Virgo fuerit proprie redempta?* vbi poſtquam retulit opinionem Catharini aſſerentem B. Virginem in Adamo non peccaſſe; & tamen ex Chriſti meritis fuiſſe redemptã; *pag.* 128. *col.* 2. §. *Dico ſecundo,* aſſerit opinionem illam Catharini abſolute eſſe falſam, & aliquo modo non tutam: plures volunt illam propoſitionem vt hæreticã notari à *Cordubẽſi lib.* 1. *quæſt.* 44. *concl.* 5: ſed in eo loco non agit in terminis de hac quæſtione: non negarem tamen eũ hanc cenſuram probaturum fore, ſi de noſtra propoſitione in terminis ageret: etenim ea admiſſa neceſſario infertur B. Virginem nec fuiſſe peccato mortuam, nec redemptam: vnde in illo loco aſſerit propoſitionem, quam ibi vt erroneam iudicat, repugnare vniuerſali propoſitioni Pauli: *Omnes in Adamo peccauerunt:* quare Cordubenſis non eſt ab hac cenſura omnino alienus. Sicut nec ab ea alienus eſt Caietanus *in d. tract. de concep. Virginis c.* 3. *&* 1. 2. *q.* 81. *art.* 3. *nec Medina ibidem:* licet enim de hac noſtra propoſitione in terminis non agãt, vt ex illis facile intelliges: tamen quæ docent eſſe erronea & hæretica, talia non forent, ſi B. Virgo in Adamo non peccaret: quare Caietanus, & Medina non ſine fundamẽto pro explicata cenſura ab aliquibus citantur, ſed nec ſine fundamẽto pro eadem citari poteſt *Cumelius* 2. *tom. ad* 1. 2. *q.* 81. *art.* 3. *diſp. vnic. concl.* 3. *pag.* 548: nam licet oppoſitam ſententiam nulla in ſpecie notet cenſura, ſatis tamen videtur ſignificare eam dignam eſſe cenſura ſaltem erroris, dum firmiter tenet B. Virginem nulla ratione excipi poſſe ab illa propoſitione Pauli, *Omnes in Adamo peccauerunt:* eo nixus fundamento, quod ex ea ſequeretur B. Virginem dici non poſſe redemptam ſanguine Chriſti, quod omnium cõſenſu eſt hæreticũ. Quare ſi Cumelius ſequelã probat, vt vere indubitatam; non poteſt non probare oppoſitam ſententiam non modo non eſſe in fide tutam, ſed etiam in ſe eſſe vere erroneã. Vnde non eſt, quod pro ſua ſentẽtia aduerſarij citẽt Cumeliũ, quaſi noluerit eam aliqua cenſura notari. Quod non aduertit Lezana in d. c. 3. fol. 147. pag. 2. Pro eadem cenſura ſatis expreſſe ſtat Franciſcus de Pitigianis ad 3. Scoti diſt. 3. q. 1. artic. 1. in fine: etenim poſtquam affirmauit B. Virginẽ in Adamo peccaſſe, & in eo aliquo modo fuiſſe mortuam; ad finem §. Verum mihi ſatis exprimit id ſine errore negari nõ poſſe.

Ouandus. *Cordub.* *16. Caiet. Medina.* *17. Cumelius.*

¶ *Vera reſolutio ex ſententia Authoris.* 18. *Sententia Authoris.*

Ego non ſolum cum Bellarmino exiſtimo non eſſe tutum in fide B. Virginẽ in Adamo non peccaſſe, ſed addo id ſine errore aſſeri non poſſe, ſi huius rei Theologia non obiter, ſed attentius conſideretur. Fundamentum vnicum ex eo ſumo; quia ſine fidei errore negari non poteſt B. Virginem vere & proprie ſanguine Chriſti fuiſſe redemptam, ſed vere & proprie non poſſet Chriſti ſanguine redempta dici, ſi in Adamo non peccauit. Ergo ſine fidei errore negari non poteſt B. Virginem in Adamo peccaſſe. Conſequentia eſt nota. Maior autem etiam ab aduerſarijs admittitur, qui in eo laborãt, vt oſtendant *B. Virginem in Adamo non peccaſſe: & eam vere fuiſſe Chriſti ſanguine redemptam* inter ſe non pugnare. Minor autem ex eo euidenter demonſtratur: 19. quoniam nullus poteſt dici redemptus per Chriſti ſanguinem, niſi ſit mortuus peccato, vt oſtendimus q. 1. *huius libri ar.* 4. §. 2. *& art.* 6. §. 3. *&* 4. & tanquam indubitatum docet Auguſtinus *lib.* 6. *con-* *Auguſt.*

tra Iulianum cap.4:explicans enim verba Pauli 1.Cor.5.his verbis concludit: *vnus* 1.Cor.5. *pro omnibus mortuus eſt : ergo omnes mortui ſunt : vide; quia conſequens eſſe voluit; vt intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt : quia ergo non in corpore, reſtat vt in peccato eſſe mortuos omnes, ſi pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, nemo neget, nemo dubitet, qui ſe non negat, aut dubitat eſſe Chriſtianum.* Auguſt. Idem Auguſtinus in eodem cap. 4. agens contra Iulianum ita ait: *Tu dicis eum,* (agit de Chriſto) *pro peccatoribus mortuum: ego dico, non niſi pro peccatoribus mortuum*: & ſtatim eandem concluſionem cõfirmans ait: *Nullo modo hoc negari permitteris: non niſi pro ijs , qui mortui ſunt, mortuum fuiſſe IESVM.* Et libr. 20. de Ciuit.Dei cap.6.cõcludit: Auguſt. *Omnes vtiq; mortui ſunt in peccatis, nemine excepto, ſiue originalibus, ſiue voluntate additis: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* 20. Et ſatis colligitur ex Paulo ad Roman.5. Rom.5. *Chriſtus pro impijs mortuus eſt.* Et 1.Corint.5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt. : Ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Hanc autem fidei regulam intelligendã eſſe in ſenſu excluſiuo ſatis probãt verba Chriſti Domini Matthæi 15. *Non ſum* Matt.15. *miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*, eundem etiam ſenſum ſatis ſignificat Paulus ad Rom.5.nam poſtquam di- Rom.5. xit *Chriſtus pro impijs mortuus eſt*, vt declaret pro ſolis impijs mortuum eſſe, addit: *Vix enim pro iuſto quis moritur : nam pro bono forſitan quis audeat mori ?* quare veriſsima eſt propoſitio, imò & Catholica, quam ad probandam minorem noſtri argumenti aſſumpſimus: nullum.ſ.poſſe dici redemptum à Chriſto, niſi qui peccato fuit mortuus. Iam vero ſi B.Virgo in Adamo non peccauit, non poteſt dici mortua peccato : etenim ſolus ille peccato moritur, qui peccauit: idque in ſe, vel in alio: & cũ in ſe, & in ſua propria perſona non peccauerit; vtiq; ſi in Adam nõ peccauit, ſimpliciter non peccauit. Quomodo igitur erit mortua peccato? Porro ſi non eſt mortua peccato, non poteſt dici per Chriſtum redempta, quæ fuit ſequela. Cum vero conſequens ſit hæreticum: & neceſſario ſequatur ex eo, quod illa in Adamo non peccauit; profecto ſine fidei errore affirmari non poteſt in Adamo non peccaſſe.

Expenditur reſponſio aduerſariorum, & impugnatur.

¶ Huic argumento occurrũt aduerſarij, 21. Solutio aduerſariorũ & fatentur Beatam Virginem non fuiſſe aliquo peccato ſpiritualiter mortuã ; aut inimicam Deo: & tamen conſtanter defendunt eam non ſolum verè , & propriè fuiſſe redemptam Chriſti ſanguine ; ſed etiam perfectiſsimo modo redemptam fuiſſe: quia ad hoc vt verè, & propriè redẽpta dicatur, ſatis eſt.(vt volunt) eã habuiſſe debitũ remotũ ex conditione naturæ, vt peccaret, peccante Adamo : & vere peccaret, niſi eximeretur a lege Adamo, & poſteris impoſita. Hanc fuiſſe ſẽtentiam Catharini *diximus quæſt. 1. huius lib. arti.3. §.1. & ar. 6. quem ſecutus eſt Turrianus ibidem citatus.* Turrianus *Eandem nouiſsime & conſtantiſsime defendunt Frater Ioannes Baptiſta Lezana in dicto Apologetico c.29. fol.130.pag.1.& cap.36.fol.165.pagin.1.* Lezana. *& Gundiſaluus Sanches Luzero in nouiſsimo tractat.* Luzero. *Quod B. Virgo non peccauit in Adam in 1.diſcurſu cap.4.fol.10.pag.1.& in 2.diſcurſu cap.12,fol.90.pag.1.& 2. vbi in fine* affirmat hanc ſententiam in toto rigore Theologiæ Scholaſticæ eſſe veriſſimam.

Hanc tamen ſolutionem, nec Theologiæ, nec Fidei eſſe conſentaneam contra 22. Non recipitur ſolutio. Catharinum iam oſtendimus q.1. art. 6. §.3. Et quidem quod ſolutio iſta cum vera Theologia nõ conſentiat, ex eo euidenter probatur, quia authores illius tãquam notum ſupponunt iuſtificationẽ, quæ ad Chriſti redemptionem pertinet, ex ſua natura ſibi nõ vendicare, quod ſit à culpa, & à morte peccati, inimicitiaque cum Deo tanquam à termino à quo: ſed ſatis ad eã eſſe, quod ſit à negatione mortis peccati, & culpæ: ita expreſſe ſcribit Luzero in præcitato tractat. cap. 12. fol. 90. pag.2. & fol.91, pagin.1. vbi ſcribit hanc eſſe veram Theologiam.

¶ Sed quantum in hoc longe ſit à vera 23. Theologia euidenter patet ex ijs, quæ ſcripſimus *ſupra quæſt.1.artic.6.§.3.* vbi diximus veram Theologiam diſtinguere

ſanctificationem abſolute ſumptam à iuſtificatione, quæ ad gratiam redemptionis ſpectat, vt ſanctificatio abſolute ſumpta per ſe incipiat à contradictorio, id eſt à non ſancto: iuſtificatio vero à cõtrario .i. à peccato, odio, & inimicitia: & quanuis iuſtificatio in communi accepta idem ſit quod ſanctificatio; tamen vt ad hominẽ Adami filium contrahitur, ab ea diſtinguitur; quia per ſe, & ex ſua natura incipit à peccato, & culpa. Quod ſatis colliges ex definitione Tridentini ſeſſ. 6. c. 4. in doctrina ſanctificationis: vbi ex verbis *Pauli ad Coloſſ.* 1. hanc iuſtificationis diffinionem colligit: *Iuſtificatio eſt translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius Adæ in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.* Quæ definitio non ſolùm conuenit iuſtificationi, quę fit à peccatis actualibus, ſed etiam illi quæ fit ab originalibus, vt patet ex illis verbis: *Ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius Adæ:* & in iuſtificatione impiorum ſatis id explicatur *in eodem loco cap.* 7. non ſolum quatenus docet *iuſtificationem non eſſe ſolam remiſsionem peccatorum, ſed & ſanctificationem, & renouationem interioris hominis:* ſed etiam quatenus addit *in iuſtificatione hominem ex iniuſto fieri iuſtum, & ex inimico, amicum.*

Coloſ. 1.

Trident.

24. *Eſſentia iuſtificationis ex meritis Chriſti.*

Si igitur hæc eſt natura, & eſſentia iuſtificationis, quæ fit ex Chriſti meritis; bene infertur inaduertenter locutum fuiſſe Luzero, dum fol. 90. pag. 2. ſcribit, *de per accidens eſſe, quod iuſtificatio ex Chriſto fiat à peccato:* quomodo enim de peraccidens eſt iuſtificationem ex Chriſto fieri ex peccato; ſi illa hoc in ſua eſſentiali diffinitione includit? An dicet Concilium diffiniuiſſe iuſtificationem per ea, quę illi peraccidẽs conueniunt? quod ſi hoc non dicet; vtique fateatur inconſideranter dictum eſſe hoc per accidens illi conuenire: etenim iuſtificatio, quæ per Chriſti mortem fit, ex ſua ratione eſt reconciliatiua, pacificatiua, propitiatiua, viuificatiua; quæ omnia ſupponunt inimicitiam, meritum iræ & punitionis, mortem peccati, denique culpam, vt latè oſtendimus *in d. art.* 6. §. 3. & euidenter probatur ex verbis Chriſti Marc. 2. & Lucæ 5. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores,* & ex illis Matthæi 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt, domus Iſrael.* Vide, quæ loco cit. latè ſcripſimus.

Marc. 2.
Luc. 5.

Mat. 15.

25. *Reſponſio aduerſariorum.*

Sed dicent aduerſarij iuſtificationem, quæ eſt ex meritis paſsionis Chriſti ſupponere quidem peccatũ, culpam, & mortem ſpiritualem, vel in ſe, vel in debito: & Beatam Virginem, licet nec in propria perſona cum primum fuit concepta, nec in Adamo peccauerit; habuiſſe tamen debitum peccandi in eo. Et cum hoc ſit vnicum aduerſariorum refugium, oportet illud præcludere, & quanuis illud iam præcluſerimus *in dicto art. 6. §. 3.* oportet nunc ea breuiter repetere, quæ ibi ſcripſimus. Quod faciemus ſi primũ aduertamus debitum illud peccãdi in Adamo, quod & B. Virgo habuit, & nos cum illa habuimus pro toto tempore ſtatus innocentiæ, antequã peccaret Adamus, non ſatis fuiſſe, vt nos redderet inimicos Deo, aut illi exoſos, filios iræ, & peccato mortuos, vt ibidem aduertimus: etenim cum prò toto innocentiæ ſtatu, & Adamus, & nos in illo fuerimus cum iuſtitia originali, & gratia; vtique pro toto illo tempore, & Adamus, & nos fuimus Deo grati, & amici: quod aduerſarij tanquam vere Catholici nõ negabunt, cũ per Trid. ſeſſ. 5. Can. 1. & 2. diffinitum ſit, Adamũ in ſanctitate, & iuſtitia conſtitutũ fuiſſe: & eam ſibi, & nobis per peccatum perdidiſſe, & nos filios iræ, & indignationis Dei cõſtituiſſe. Concedãt igitur oportet tale debitum peccandi, cum non habeat ortũ ex peccato ſiue culpa, ſed ex ſola naturali ĩperfectione naturæ, ideo quia eſt creatura ex nihilo facta, non ſatis eſſe, vt habentem faciat exoſum Deo, & inimicũ, & mortuum peccato. Quod libenter fatetur Luzero *in dicto tract. quod B. Virgo non peccauit in Adamo in primo diſcurſu c. 4. in principio,* vbi affirmat habere hoc debitum nec dicere peccatum in B. Virgine, nec aliquam infectiònem, aut inimicitiam cum Deo. Et in hoc optime dicit, quoniam cum debitum iſtud cuiq; creaturæ ſit connaturale, quia omnis de facto pecc[illegible]; niſi diuin[illegible]etur gratia, nõ poteſt, aut in ſe includere, aút ſecum trahere aliquam moralem culpam deformi-

Luzero.

tatemq;

tatemque: ob quam rationem non repu-
gnat gratiæ, ſed cum ea ſimul fuerit in
Adamo,& in nobis pro toto tempore in-
nocentiæ,&fuit in Angelis bonis pro to-
to ſtatu viæ,& in malis donec peccarent.
Denique per ſe comitaretur creaturam
rationalem, ſi Deus eam de nouo in pu-
ris naturalibus crearet.

23. *Corollar.* Ex hac indubitata Theologia euiden-
ter infertur nõ ſatis eſſe tale debitum, vt
ab eo incipiat gratia redemptionis:& per
conſequẽs nec ſatis fuiſſe, vt B.Virgo ad
Chriſti redemptionem pertineat. Siqui-
dem hæc gratia per ſe incipit ab aliqua
vera culpa, vel perſonaliter in ſe, vel ori-
ginaliter in alio commiſſa, vt patet ex ijs,
quæ de iuſtificatione ex meritis Crucis
Chriſti immediatè diximus. Et vt id fiat
Nota hãc Theologiã euidentius, aduerto nõ ſatis eſſe vt debitũ
faciat habentem eſſe peccato mortuum,
& immundũ, quod terminetur ad culpã;
ſed neceſſariũ eſſe, vt ortũ ex culpa ter-
minetur ad maculam talis culpæ: etenim
nullum debitum huius generis habet, aut
habere poteſt immunditiam moralem,
niſi ex imputatione alicuius culpę mora-
lis, quę ſit illius, in quo reperitur, vt in ſu
perioribus oſtendimus. Opus eſt igitur
præcedat aliqua culpa, ex cuius imputa-
tione debitum ſit infectiuum, & cauſa-
tiuum maculæ. Cum vero debitũ iſtud,
quod B. Virgo, & omnes habuimus in
Adamo, antequam peccaret, non habeat
originẽ ex aliqua culpa antecedente, ſed
ex ſola imbecillitate naturæ, vt aduerſarij
fatentur; nullam poteſt habere immun-
ditiam moralem, quæ moraliter inficiat
habentem:& per conſequens non infert
indigentiam gratiæ mũdatiuæ; ſed ſolius
confortatiuæ,& confortando præſerua-
tiuæ à culpa actuali, quam habens neceſ-
ſario cõmittet, niſi confortetur,& præſer
Coloſſ.1. uetur à Deo: quæ Theologia ex ſacris li-
teris ſatis efficaciter deducitur etenim
Paulus ad Coloſ.1.adhortans nos vt gra-
tias agamus Deo Patri,& rationẽ reddẽs
ita ait: *Qui dignos nos fecit in partem ſortis
Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de po-
teſtate tenebrarum,& tranſtulit nos in regnũ
filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemp-
tionem in remiſſionem peccatorum.* Ex qui-
bus verbis euidenter colligitur gratiam
redemptionis Chriſti ex ſe eſſe liberati-
uam à poteſtate tenebrarum, & remiſſi-
uam alicuius culpæ. Iam vero debitum
ad peccandum in Adamo antequam ille 24.
peccaret, licet ad tenebras peccati duce-
ret; non tamen tenebras peccati, aut po-
nebat in nobis, aut ſupponebat, antequã
Adamus peccaret: vnde ad Chriſti re-
demptionem pertinere non potuit. Acce
dat: quoniam Paulus 1. Corint. 5. ſatis
ſignificat redemptionẽ, quæ eſt per Chri
ſti mortem, per ſe ſupponere redemptũ *1.Cor.5.*
fuiſſe mortuum peccato, idq; per aliquã
culpam, quę vere ſit ſua,& per quam ve-
re perierit, & ſit impius: etenim Marci *Marc.2.*
2.& Lucæ.5.*Chriſtus nõ venit niſi ad oues,* *Luc.5.*
quæ perierunt,& Matthæi 15. *Non veni* *Matt.15.*
vocare iuſtos, ſed peccatores, ex quibus ſatis
conuincitur (vt iã aduertimus) redẽptio-
nem Chriſti ad eos ſolum pertinere, qui
ita peccato mortui fuerunt, vt peccato
vere perierint,& ſimpliciter ſint iniuſti:
quod Auguſtinus multis in locis decla- *Auguſt.*
rat, ſed expreſſius in lib. de natura, &
grat. in principio, dum ait, *Qui non perti-
nent ad eos, qui peccauerunt, nullam habeãt
neceſſitatem quod Chriſtiani fiant:* & capit.
5. docet: *Eos qui per gratiam à peccato li-
berantur, ita à peccato liberari, vt niſi libera-
rẽtur, iuſte poſſent à Deo damnari:* vbi etiam
docet: *Eos, quos gratia Chriſti liberat, vaſa
miſericordiæ nominari.*

Ex quibus patet præcluſum omnino 25. *Effugium illud præcluſum eſt.*
eſſe illud aduerſariorum effugium, vt B.
Virgo dicatur propriè redẽpta per mor-
tem Chtiſti, ſatis fuiſſe, quod illa ex con-
ditione naturæ habuerit debitum peccà-
di in Adamo,& incurrẽdi mortem pec-
cati, ſi à lege non eximeretur: etenim li-
cet tale debitũ ſatis fuerit vt illa indigeret
eximi à lege, ne cũ Adamo peccaret: non
tñ ſatis fuit, vt eam aliqua ligaret culpa,
qua, antequã Adamus peccaret, iã poſſet
dici ſpiritualiter mortua; vt de ea verifica
retur, ꝓpoſitio Paul.1.Cor.5. nec ſatis fuit
vt poſſet inter eos nominari, qui erãt pec
catores, ad quos ſolos Chriſtus miſſus eſt:
nec vt poſſet pertinere ad eas oues, quæ
peccauerunt, & perierunt, pro quarum
liberatione Chriſtus venit. Quare cum
pro illo ſtatu,& debito nõ dum aut dari,
aut fingi poſſit culpa, qua ante peccatum

Adami fuerit mortua; nec inter peccatores enumerari:nec dici filia iræ,& Deo inimica & exoſa (quia tale debitum ex ſe nulla eſt culpa , nulla animæ infectio, vt aduerſarij fatentur) vtique ad Chriſti redemptionẽ nullo modo pertinere potuit ; cum talis exemptio à lege,licet ſuo modo præſeruatiua fuerit à peccato, non tamen ita talis fuit,quod fuerit remiſsiua eius: etenim ſicut nulli poteſt imputari peccatum,quod non dum fecit,quamuis illud facturus ſit,vt patet: ita nulli poteſt remitti peccatum , quod non dum commiſit,quamuis illud de facto ſit cõmiſſurus;&à fortiori ſi prǽſeruãdus ſit,ne illud cõmittat: & ob hanc rationem talis exẽptio non potuit pertinere ad gratiam iuſtificatiuam ex Chriſti redemptione.

26. *Aduertentia neceſſaria.* Agim⁹ autẽ hoc loco de prima gratia qua per merita paſsionis Chriſti primo iuſtificamur: hęc enim, licet poſsit eſſe præſeruatiua à macula alicuius peccati , non tamen poteſt à tali macula præſeruare, quin remiſsiua ſit culpæ cõmiſſæ, à cuius macula præſeruat. Diximus *hoc loco agi de gratia primo iuſtificatiua*:quoniam iuſto dari poteſt gratia præſeruans ab aliquibus peccatis,quæ ille incurret , niſi præſeruetur; idque abſque vlla peccati remiſsione,vt patet ex dono perſeuerantiæ: at tamen per talem gratiam nullius peccati ſit remiſsio , ſed ſolum augmentum eius. Porrò cum agamus de gratia, qua ab originali liberamur (quæ ipſa eſt prima gratia iuſtificatiua , & liberatiua à culpa originali) ideo diximus hanc gratiam ad redemptionem per Chriſtũ pertinere non poſſe,niſi cum ſanctificatione perſonæ,quæ liberatur , aut pręſeruatur à culpa, ſemel coniuncta ſit remiſsio alicuius culpæ: cum vero in debito peccãdi in Adam, quod fuit pro ſtatu innocentię ante peccatum,nulla potuerit dari culpa, quæ remitteretur; ideo exemptio facta à lege non potuit pertinere ad redemptionem factam per Chriſtũ: cuius oppoſitum cernitur in debito contrahendi maculam , quod ineſt in illis, qui in Adamo peccauerunt: hoc enim debitum,cum ſecum inſeparabiliter deferat imputationẽ culpæ in Adamo commiſſę,ex ſua natura exigit gratiã remiſsiuam talis culpæ, ſiue illa ſit liberatiua à macula iam contracta,ſiue præſeruatiua,ne contrahatur: ob quam rationem ſolutio talis debiti veriſsime pertinet ad redemptionem per Crucem Chriſti: quod in hac materia diligenter annotandum eſt , vt euidenter pateat aduerſariorum ſolutionem ſumptam ex debito remoto , quod fuit in nobis ante peccatum non ſatis conſentaneã eſſe principijs Fidei.

Hæc cenſura ſecundo confirmatur.

¶ Eadem cenſura ſecundo loco efficaciter confirmatur argumento poſito ſupra q.1.art.6.§.1. quoniam ſi B. Virgo non peccauit in Adamo ideo quia à lege Adamo impoſita fuit exempta, illa non indiguit gratia præſeruante ab originali macula; & ſubinde de facto eam nõ contraheret,licet gratia non præueniretur.Cõſequens tñ ſine errore in Fide admitti nõ poteſt: ego ſine errore admitti nõ poteſt B.Virginẽ non peccaſſe in Adamo: hoc argumentum latè confirmauimus in d. art.5.& eodem vtitur Bellomontanus 2. tom.ad 3.p. diſp.115. cap.3.nu.25. alio tamen vtens medio. ¶ Huic argumento duobus modis aduerſarij reſpondent: vno modo admittendo ſequelam , & negando minorem : altero modo negando ſequelaṁ. Vtramq; ſolutionem diligentius expendemus. — 27. *2. Confirmatio cenſuræ.* — *Solutio duplex.*

28. *1. Solutio Lezanæ.* Priorem ſolutionem probauit Frater Ioannes Baptiſta de Lezana *in ſuo Apologetico cap.34.fol.194.pagin.2.in fine.* vbi expreſſe admittit B.Virginem nõ fuiſſe contracturam originale peccatum , ſi in pura natura ſine gratia conciperetur:fundamentum inde ſumit ; quia hęc duo repugnãt; nempe aliquem produci in pura natura,& in originali peccato: etenim(vt ait) homini in pura natura ſolùm ſunt debita,quæ ad naturam pertinent : alias, ſi aliquid ſupra naturam , aut ſupernaturale illi eſſet debitum , iam ille eleuatus eſſet,& poſitus extra ſtatum puræ naturæ. Ergo illi homini nec iuſtitia originalis eſſet debita,nec originale peccatum. Ex hoc concludit repugnare B.Virginem concipi in pura natura , & cum peccato originali. ¶ Iſte tamen Theologus , aut termi- — 29.

terminos argumenti non intelligit, aut Fidei repugnat. Non intelligit terminos argumēti, ſi putat idem eſſe puram naturam; & naturam ſumptam quoad ea, quæ illi naturaliter ſunt debita: in hoc autem ſenſu B. Virginem ſumi in pura natura non eſt aliud, quam ſumi ſecundum prędicata illi connaturalia, & quæ eam ex principijs intrinſecis naturaliter conſequuntur: quomodo nec B. Virgini, nec nobis naturaliter conuenit eſſe propagatos ab Adamo; ſiquidem hoc prædicatū, nec B. Virgini, nec nobis naturaliter cōuenit: cum tamen in argumento pura natura non ita ſumatur; ſed prout natura humana ab Adamo naturaliter propagata omni ſupernaturali dono gratię deſtituitur. In hoc autē ſenſu ſolutio repugnat Fidei: quoniā Fides docet omnes Adami poſteros, etiam B. Virginem, indiguiſſe gratia Dei, vt à peccato liberarētur: quod in ſequenti §. 6. latius oſtendemus. Satis modo ſit hanc eſſe doctrinam Auguſtini lib. 2. contra Iulianū cap. 10. vbi poſtquā contra Pelagianos latè oſtendit *Omnes homines peccato originali ex vi ſuæ generationis ab Adamo eſſe obnoxios, ita concludit: propter quam Catholicam veritatem Sancti, & Beati, & in diuinorum eloquiorum pertractatione clariſsimi ſacerdotes aduerſum vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia ſucceſsione ſententiam: vnde nemo eruitur, niſi quē ſine lege peccati Virgo concepit.* In terminis Euſebius homilia 2. de Natiuitate Dñi id affirmat ita ſcribēs: *Peccati veteris nexu per ſe non eſt immunis, nec ipſa Dei genitrix: ſolus ille licet ex debito* (Virginis) *renaſcatur: lege tñ veteris debiti non tenetur.* Porrò ſi B. Virgo iuxta Catholicam doctrinam ex vi ſuæ generationis ex Adam peccato originali ſubiecta eſt, & ſub hac obligatione cōcipitur; vtiq; ſi in puris naturalibus ſine gratia vlla conciperetur, maculam cōtraheret originalem: quare ſine errore affirmari nō poteſt Beatā Virginem originalem maculam nō fuiſſe contracturā, ſi in pura natura, nulla adueniente gratia, ab Adamo propagata conciperetur.

Auguſt.

Euſebius.

31. 2. *Ad arg. ſolutio.* Quare authores ſententiæ, quam impugnamus ad allatum argumentum ſecundo modo reſpondent negando ſequelam: eo ducti fundamento; quia vt B. Virgo vere eſſet obnoxia ad contrahendam originalem maculam; ſatis fuit debitum, quod habuit ad peccandum in Adamo, niſi à lege illi impoſita fuiſſet exempta. ¶ Hanc tamen ſolutionē non eſſe admittendam ſatis probauimus *in d. art. 6. §. 5.* vbi latè oſtendimus ſuppoſita illa exemptione, ob quam Beata Virgo in Adamo non peccauit, repugnare diuinę iuſtitiæ, obligare illā ad cōtrahendā maculā peccati, quod nō cōmiſit; & repugnare illius carnē vere eſſe carnē peccati: etenim vera iuſtitia nō patitur, vt alicui imputetur peccatum, quod non eſt ſuū, ſed alienum, vt in d. §. 5. ex Auguſtino diximus *lib. 1. retra. cap. 10. & lib. 3. de peccat. meritis cap. 8.* Quare ſi Deus B. Virginē exemit, ne peccaret in Adamo; vtique eam etiam exemit à debito contrahendi maculam illius peccati, & per conſequēs nullo modo erat obnoxia tali cōtractioni, ſed omnino libera; etiam ſi nulla pręueniretur gratia: quæ fuit ſequela; cuius conſequens ſine errore admitti non poteſt, vt iam oſtendimus.

Non recipitur.

Auguſt.

§. 4.

Soluuntur argumenta, quæ Nouiores in contrarium adducunt.

32. *Solutio argumentor.* SVpereſt, vt diſſoluamus argumenta quibus aduerſarij non ſolū confirmant B. Virginem in Adamo non peccaſſe; ſed etiam hanc opinionem nulla indigere cenſura. Varia argumēta adducunt Luzero, & Lezana locis ſupra citatis quorum alia ſumunt ex Sacra Scriptura; alia ex Patribus; alia denique ex ratione: ſingula breuiter diſſoluemus.

Argumenta ex Scriptura.

33. *1. Arg. ex c. 3. Geneſ.* ¶ Frater Ioannes Baptiſta Lezana in ſuo Apologetico cap. 33. ſuam opinionē pluribus Scripturæ locis cōfirmat. Et primo ex cap. 3. Geneſ. *Ipſa conteret caput tuum.* Quibus verbis, vt ait, ſignificatur B. Virginem omnimodā victoriam de Serpente. i. de Diabolo eſſe reportaturam: non reportaret autem ſi in Adamo peccaret.

Solutio. ¶ Sed multis modis ſoluitur, vt dicemus

lib.3.q.5.ar.6.§.4.etenim per mulierem plures intelligunt appetitum ſenſitiuum. In quo ſenſu locus nihil probat contra nos: ſed nec efficax eſt, ſi intelligatur de B.Virgine, quæ eſt verior explicatio: quoniam per caput *Diaboli* plures intelligunt *illecebram carnis, & mentis ſuperbiam.* Alij poteſtatem Dæmonis. Sed nec conuincunt, ſi iuxta veriorem ſententiam per caput Diaboli intelligatur peccatũ originale; quoniam intelligitur de originali macula ex peccato, quod in Adamo cõmiſimus, in nos trãsfuſa; quæ in ſingulis nobis eſt primum, & radicale principium totius dominii, quo Diabolus nobis dominatur: etenim Diabolus nullum dominium in nos exercet, quãdiu ſumus in lumbis parentum; ſed cum primum concepti maculam originalem contrahimus: ſiquidem ex tali macula oritur fomes, & pronitas ad malũ. Vnde verba illa denotant plenam victoriam, quam B. Virgo in perſona propria concepta de Diabolo reportauit: etenim ſola iſta victoria ad Chriſti redemptionem pertinet, nam victoria, quam in Adamo reportaret; ſi in eo non peccaret, eã eximeret à redemptione ſanguinis Chriſti, vt iam diximus: & inde eſt vt B. Virginem fuiſſe in Adamo victã cedat in gloriam Chriſti.

34. *2. Arg. ex Iob. 3.*

Secundo ſumitur argumentũ ex verbis Iob 3. *Expectet lucem, & non videat: nec ortum ſurgentis auroræ*: vbi agitur de nocte originalis peccati; & per lucem intelligitur Chriſtus; per auroram vero B. Virgo, vt cum D.Thoma, & alijs oſtendemus lib.3.q.5.art.6.§.4.n.35. Precatur igitur Iob, vt nox peccati originalis, nec tangat Chriſtum, nec B.Virginem: eam tamen tangeret, ſi in Adamo peccaret.

Solutio.

¶ Dicimus locum illum in ſenſu literali explicari de nocte, in qua Iob cõceptus eſt, vt ex antecedentibus, & conſequentibus patet: vnde ſuæ conceptioni noctu factæ imprecatur, ne perueniat ad natiuitatem ex vtero, quam ad literam intelligit per lucem diei, & ortum auroræ. Sed nec vim habet, ſi in ſenſu myſtico intelligatur de nocte peccati originalis, & per auroram B. Virgo: quoniam ſolùm agit de ortu illius, ſiue in vtero, ſiue ex vtero: vnde ſolùm vrget conceptionem illius fuiſſe omnino immaculatã, vt dicemus in d.§.4.n.37.

35. *3. ex Pſal. 84.*

Tertio arguitur ex verbis Pſalmi 84. *Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob*, vbi per terram intelligitur B.Virgo, & ex verbis Pſal.86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis*: quæ etiã intelliguntur de B.Virgine, vt dicemus lib.3.q.5.art.6.§.5.n.44.&46.

Solutio.

¶ Sed cum primus locus intelligatur de actuali benedictione, & liberatione à captiuitate originalis peccati, non poteſt intelligi de B.Virgine, vt fuit in Adamo, ſed vt exiſtit in propria perſona, quę in ſe ipſa fuit benedicta, & libera ab actuali captiuitate peccati, cui ex ſe erat ſubiecta; quod ſatis eſt vt Deus ab ea auertiſſe dicatur captiuitatẽ peccati originalis, quã tunc auertit, cũ ab eius perſona actu auertit illius maculam, cuius ex peccato commiſſo in Adamo erat debitrix, cum primũ in ſe conciperetur. ¶ Locus ſecundus intelligitur de fundamentis gratiæ perſonæ B.Virginis collatæ, quæ à ſuprema aliorum ſanctorum gratia incepit: in eodem enim ſenſu Iſaiæ 2. dicitur mons Domini, qui incepit præparari in montibus ſanctis in prima ſui conceptione; quia tunc primũ incepit ædificari, & omni lapide pretioſo ornari, vt dicitur Apocalyp.21. quare decipitur Lezana, dum ait fundamentũ B.Mariæ fuiſſe protoparentem.

36. *4. Arguit. ex Pſalm. 88.*

Quarto arguitur ex Pſalmo 88. *Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo; & ſicut Luna perfecta in æternum; & teſtis in Cælo fidelis*: hunc Thronum fuiſſe B.Virginem ſupponit Lezana, & ex eo arguit eã in Adamo non peccaſſe: etenim ſi in eo peccaſſet, cum vt ſic peccatrix eſſet, & peccato actuali infecta, nõ poſſet dic. Sol, aut Luna perfecta; quia vt talis dicatur, nullum obſcuritatis, aut vmbræ veſtigiũ (hoc eſt peccatum etiam in fieri) illi cõcedi debet. Et eadem ratione non poſſet vocari *teſtis in Cælo fidelis*: nam cum hoc peccatum, ſaltem in alio, commiſiſſet, nõ poſſet omnino fidelis appellari: quia de illa [illegible] verificaretur illud Oſeæ 6. *Omnes ſicut Adam trãſgreſſi ſunt pactum meum.* Hæc ex Lezana.

37. *Solutio.*

¶ Sed quam futiliter ex illis verbis infe-

ratur

ratur B. Virginē in Adamo nō peccaſſe
ſolus nō videbit qui verba nō attenderit:
nā cū B. Virgo actu nunquā fuerit thro-
nus Dei, nec teſtis fidelis, niſi cū in pro-
pria fuit perſona (qui enim nondū eſt,
talis eſſe non poteſt) quomodo B. Virgo
antequam fuerit, potuit eſſe thronus, in
quo Deus per gratiā ſederit? aut quomo
do poteſt diuinę bonitatis ferre teſtimo-
niū? quare verba illa abſq; dubio intelli-
guntur de B. Virgine iā in ſe ipſa exiſtē-
te: nam hoc modo fuit ſicut Sol, & ſicut
Luna, & fuit teſtis in cœlo fideliſſima:
quod non impedit, quominus in Adamo
fuerit peccatrix, & infecta actuali pecca-
to Adami infectione originali, & in eo te-
ſtis minus fidelis: qui enī in Adamo pec-
cauit, licet originaliter infectus ſit, poteſt
tā perſonaliter eſſe Sol, & Luna perfecta
per gratiā: imò talē infectionem præceſ-
ſiſſe neceſſariū fuit, vt B. Virgo per Chri
ſti ſanguinē fieret Dei thronus, & quāuis
illud priuilegiū abſolutè fuerit poſſibile;
non tamen poſſibile fuit in ordine ad re-
dēptionem Chriſti, vt iam oſtendimus.

Quinto arguitur ex verbis Ezechielis
38. *5. arg. Ezechiel.* 43. *Iſta eſt lex domus* (quæ eſt Maria)
omnis finis eius in circuitu Sanctū Sanctorū
eſt, quæ verba verificari nequeunt de B.
Virgine, ſi in Adam peccauit; quia ex ea
parte nō eſſet ſancta, ſed peccatrix, & ita
nō omnis illius finis in circuitu Sanctū Sā
ctorū eſſet. Ita Lezana. ¶ Verū locus iſte
eſt figura B. Virginis, prout in ſe ipſa à
Deo eſt ædificata, vt patet ex verbis ſta-
tim poſitis: *hi ſunt ritus altaris, in quacūq;*
die fuerit fabricatū, vt offerantur ſuper illud
Holocauſta. Vnde priora verba intelligū-
tur de fine totius vitæ in circuitu à prin-
cipio cōceptionis vſq; ad exitū ab hac vi-
ta: totū enim quod ab ingreſſu in vitam
vſq; ad egreſſum à vita, in hac beatiſſima
perſona geſtū eſt, totum Sanctū Sancto-
rū fuit; quia totū fuit puritas ſanctitatis,
vt Patres docent. Quare non agit de cir-
cuitu ſtatuum in eſſendo, tum in ſe, tū in
alio: nam ad dignitatē redēptionis Chri-
ſti pertinebat, vt in Adamo fuerit immū-
da; in ſe autem ſe[illegible] ſancta. [illegible]oc nō
39. *6. Arg. ex Canticis.* diſtinguere, fuit cauſa deceptionis.

Sexto arguitur ex pluribus Canticorū
locis: nam c. 4. & 6. dicitur: *Tota pulchra:*
amica: beatiſſima: hortus concluſus: & quod
macula in ea non ſit, ex c. 8. afferuntur hęc
verba: *quæ eſt iſta, quæ aſcendit delitijs af-*
fluens, innixa ſuper dilectū ſuum, ſub arbore
malo ſuſcitaui te, ibi violata eſt genitrix tua:
pone me vt ſignaculū ſuper cor tuum. ¶ Sed 40. *Solutio ad 1. verba.*
priora verba ſatis explicāt in illis ſermo-
nē eſſe de macula peccati, quæ nō datur
in filio Adami, quandiû in Adamo eſt, &
in parētibus, ſed ſolū, quādo eſt in ſe ipſo:
quare ſermo eſt de B. Virgine, vt in pro-
pria perſona exiſtit: in hac autē nulla da-
ta fuit macula, aut originalis peccati, aut
actualis: & ideo dicitur tota pulchra; &
hortus cōcluſus, quia eam nullius peccati
macula deformauit. Quod vero ibi ſermo
ſit de perſona B. Virginis, ſatis explicāt
illa verba c. 6. *quæ eſt iſta, quæ progreditur*
quaſi aurora conſurgēs? cōſurrexit autem,
cū primū in vtero concepta fuit. ¶ Ver- 41. *Solutio ad poſteriora.*
ba autē poſteriora eſſe intellectu difficil-
lima fatentur omnes expoſitores, & ſpe-
cialiter doctiſſimus Frater Ludouicus
Sotto Maior in Cōmentarijs ad illa ver-
ba: *Sub arbore malo ſuſcitaui te pag. 1472:*
Cū vero varijs modis explicētur a Patri-
bus, & ab interpretibus: mirū eſt, quod
Lezana dicat hæc verba pijs Theologis
digito indicare B. Virginē in Adamo nō
peccaſſe: cū tamen nullus, quē legerim, ea
in hoc ſenſu interpretetur, vt videre eſt
apud eundē Ludouicū Sotto Maior, qui
omnes huius loci interpretationes refert,
& apud alios tū antiquiores, tū recentio-
res. Quin poti⁹ ſi benè loc⁹ ille expēdatur
p̄citata verba ad illū ſenſū explicari ñ poſ
ſūt, cōſtat enī ex ipſo literæ cōtextu, ſpō
ſū Xp̄m in illis verbis *ſub arbore malo. &c.*
reſpōdere illi, qui in verbis antecedētibus
interrogauit, *quæ eſt iſta, quæ aſcēdit, &c.*
Cū vero aduerſarii teneātur cōcedere hāc
interrogationē nō fieri à B. Virgine; ſiqui
dē ex illorū ſentētia de illa aſcendēte fiat
interrogatio, neceſſario infertur verba il-
la, *ſub arbore malo ſuſcitaui te*, ad B. Virginē
nō dirigi, ſed ad illū, qui de ea aſcenden-
te admirabatur. Et ſubinde intelligi non
poſſe de ſuſcitatione, id eſt, exemptione
eius à peccato Adami, quo mater Eua
corrupta eſt. Vnde ſi quis fortaſſe illa
verba de tali ſuſcitatione, & exemp-
tione intellexit, audiendus non eſt,

maxime quia ex illis ita intellectis neceſſario infertur B. Virginem ad Chriſti redemptionem pertinere non poſſe.

42. 6. *Arg. ex Eſther.* Sexto ſumitur argumentū ex hiſtoria Eſther: *Nō enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Sed quā infirmū ſit hoc argumentum, colliges ex dictis ſupra *q. 4 art. 3. §. 7. ad 2. argumentum.*

43. *Poſtremū ex verbis Angeli.* Poſtremo arguitur ex verbis Angeli Luc. 1. *Aue gratia plena, benedicta tu inter mulieres,* ex illis enim Patres colligunt omnia priuilegia, & dona gratiæ in B. Virgine fuiſſe. ¶ Sed ex his verbis efficaciter colligitur B. Virginē non cōtraxiſſe maculā originalem, vt oſtendemus *lib. 3. q. 5. art. 6. §. 6. à n. 50.* negamus tū ex illis colligi eā in Adamo non peccaſſe: etenim fundamentū allatū in hoc ſenſu admittitur, vt omnis plenitudo gratię B. Virgini cōcedenda ſit, quę Chriſti redēptioni non repugnat: quare probandū erat hoc, de quo agimus, redemptioni Chriſti nō repugnare: quod probare nō poterunt.

¶ *Ad argumenta ſumpta ex Concilijs:*

44. 1. *Arg. ex Concilijs.* Secūdo loco ad probandū B. Virginē in Adamo nō peccaſſe ſumitur argum. ex Eccleſiæ determinationibus, vt patet ex eodē Lezana *in d. c. 33. fol. 152. pag. 1.* Et primum argum. ex eo ſumitur, quod B. Virgo in 3. Synodo Epheſina dicitur *immaculata:* in Synodo 6. dicitur *ab omni cōtagione ſeu labe libera.* In 7. vocatur *omnino irreprehenſibilis, & immaculata.* Et in Francofordienſi cenſetur *immaculata, & prorſus pura,* & addunt neminē nō videre epitheta iſta de B. Vigine non poſſe cōmode intelligi, ſi illa in Adamo peccauit: ita enim fieret, vt in Adamo maculata fuerit, impura, & peccatrix. ¶ Sed quis non videt præcitata epitheta ita explicanda eſſe, vt Beatā Virginem extra Chriſti redemptionem non ponāt? Quare intelligēda ſunt de immaculatione, puritate, irreprehēſibilitate, quæ ex Chriſti meritis illi cōceſſa fuit. Nec abſurdū eſt, B. Virginē in Adamo maculatā fuiſſe, & peccatricem, cum talis fuerit, non perſonaliter, ſed originaliter. Et eam in Adamo talem fuiſſe pertinet ad excellentiā redemptionis per Chriſti ſanguinem.

45. Sed obijciunt decretum Trid. ſeſſ. 5. de peccato originali in fine, quatenus declarat, *non eſſe ſuæ intentionis in decreto originalis peccati B. Virginē cōprehendere.* Concil. autē plura decernit, quę ad peccatū Adami pertinent; primū eſt, *Adæ prævaricationem non ſibi ſoli, ſed eius propagini nocuiſſe.* Secundū eſt *acceptā à Deo ſanctitatē, & iuſtitiā non ſibi ſoli, ſed nobis omnibus perdidiſſe.* 3. eſt: *Hoc peccatum in omne genus humanū transfudiſſe.* 4. eſt: *Oppoſitum affirmantes contradicere Paulo: per vnum hominem peccatū intrauit in mundū, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Quare cum poſt hæc omnia declaret, ſe nolle in illis B. Virginem cōprehendere; & cum inter alia cōtineatur illa Pauli propoſitio *in quo omnes peccauerunt;* aſſerendum eſt Cōcilij intentionē eſſe, nolle in illa propoſitione B. Virginē cōprehendere: vnde nulla cenſura notari poteſt opinio, quæ affirmat eam in Adamo non peccaſſe. *Obiectio Trid.*

46. *Solutio.* Hoc argm. prima facie videtur habere vim; ſed nullam habebit, ſi quę ſcribit Conciliū, benè intelligantur: etenim cōſideratius intellecta ſolū agunt de peccato originali, quoad actualē illius cōtractionē, & in ordine ad illā. Verba enī 1. loco adducta ita explicanda ſunt; vt *Adæ prævaricatio non ſibi ſoli nocuiſſet, ſed etiā eius propagini,* quatenus, & ipſe actualē maculā ſtatim accepit, qua peccator actualiter cōſtitutus eſt; & fuit cauſa, vt ōnes poſteri eā actu contrahāt, & ita actū fiant peccatores. Quod intelligendū eſt, niſi aliquis ſpeciali gratia ab eius actuali cōtractione liberetur. Cū verò B. Virgo de facto eam cōtraheret, niſi per gratiā ſpecialem ab ea pręſeruaretur; vtiq; illa Adami præuaricatio etiā nocuit B. Virgini; quia fecit eā indigentē gratia, aut remotiua culpę, ſi eā contraheret, aut præſeruatiua, ne cōtraheret illā. Cum vero hoc nocumentū non haberet, ſi in Adamo nō peccaret; vtique præuaricatio Adami illi nocuit: non nocuiſſet autem, ſi in Adamo ipſa præuaricata non fuiſſet, vt iam oſtendimus.

47. *Ad verba 2. loco allata.* Eodem modo ſunt intelligenda verba 2. loco adducta: quoniam Adamus ſua præuaricatione ſibi, & nobis ſanctitatē, & iuſtitiā perdidit in hoc ſenſu, quia in ſanctitate, & iuſtitia actu cōciperemur, niſi Adamꝰ ſuo peccato eā nobis in ſ. cōceptione conſe-

conferendā perdidiſſet: quare illa verba intelligenda ſunt de actuali peccato Adami, non abſolutè, ſed in ordine ad actualē carentiā gratiæ, & iuſtitiæ, cum qua actu cōcipimur, cū tamē in ſanctitate, & iuſtitia actu naſceremur, ſi Adamus præuaricatus nō fuiſſet: quare Adamus ſua præuaricatione etiā B. Virgini ſanctitatē perdidit, & iuſtitiā: quia vere ſine ſanctitate, & iuſtitia conciperetur, niſi Deus mere gratis illi gratiā cōcederet, quę gratia antea foret pure ſanctificatiua ipſius B. Virginis; quia ex pura negatione eā ſanctificaret: nunc autē eſt vere iuſtificatiua, quia cum ſit gratis data ex meritis ſanguinis Chriſti, nō potuit non eſſe liberatiua ab imputatione culpæ Adami, quæ pro toto tēpore antecedente illi imputabatur, & præſeruatiua à macula, cui erat ſubiecta.

48. *Ad allata 3. loco.* Verba 3. loco adducta abſq; dubio intelliguntur de actuali transfuſione peccati Adami: quod tunc actu trāsfunditur, cū eius macula actu cōtrahitur. Et in hoc ſēſu nō intendit Conciliū B. Virginē in illis verbis cōprehēdere. Ex quo nō benè infertur Conciliū noluiſſe eā cōprehendere in regula Pauli, *Omnes in Adamo peccauerūt*; quia potuit Deus eā liberare à contrahenda macula peccati cōmiſsi in Adamo; & illam non eximere ab obligatione peccandi in Adamo. Imò ex obligatione contrahendi illam peccati maculam, neceſſario infertur, eam in Adamo peccaſſe, vt ſæpe oſtēdim⁹.

49. *Aduert. vltmo loco adducta.* ¶ Deniq; verba vlt. loco adducta abſq; dubio pro nobis ſūt: etenim Conciliū arguit contra Pelagianos, qui negabāt peccatū Adami in poſteros trāsfundi, quos in verbis præcedentibus dānauit affirmans Paulū docuiſſe oppoſitū, dū inquit, *Per vnū hominē peccatum intraſſe in mundū*: quia. ſ. Adamus ſuo peccato fuit prima, & radicalis cauſa, quod ōnes homines, dum in mundū primo ingrediuntur, contrahāt maculā originalē: & reddens rationē, ait *in quo omnes peccauerunt*: quare principale intentū Cōcilij non eſt facere decretum, quod *omnes in Adamo peccauerunt*, ſed [illegible] *peccatū Adami in ōnes homine*[illegible]*it*, quate[illegible] ōnes illius maculā cōtrahunt. Et in hoc decreto nō intendit B. Virginē cōprehendere. Inde autē nōn bene infertur Concilium noluiſſe eā cōprehendere in illa propoſitione Pauli, *in quo omnes peccauerunt*: qua Paulus confirmat peccatū Adami in omnes homines actu intraſſe: quia propoſitione illa, ſine vlla exceptione, vniuerſali manente, poteſt exceptionē admittere illa alia propoſitio, quod *peccatū Adami in omnes homines intrauit*.

Quare nō valet hęc cōſequentia: Cōciliū non intendit cōprehendere B. Virginē in illa regula Pauli. *Per vnū hominem peccatū in omnes homines intrauit: ergo intendit eam cōprehendere in illa alia, in quo omnes peccauerunt*: quia potuit Deus eā à priori regula eximere; nō vero ab hac poſteriori. Imo ſeruatis regulis fidei eā à poſteriori de facto nō exemit; quia illā à ſua redēptione eximeret, vt ſæpe oſtendimus; cum tamen eam in redemptione cōprehenſam potuerit, & decuerit excipere à priori regula. 50.

Hęc tam latè diximus; quia audio imò lego doctiſsimis Theologis placuiſſe Tridentini declarationē, non ſolum extendi, vt B. Virgo maculā non contraxerit; ſed etiā vt in Adamo non peccauerit. Quod nullo modo admitti poteſt, ſuppoſito quod non poſſet dici redēpta. Vnde pręcitatā ſententiā merito improbauit Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 2. pag. 32. col. 2. A. Et hanc fuiſſe mentem Concilij ſatis colligitur ex eo, quod remittit ſe ad Cōſtitutiones Sixti 4. quas innouat, in quibus ſolū eſt ſermo de exceptione maculę. 51.

¶ *Ad argumenta ex Patribus.*

Tertio loco afferūtur varia Patrū teſtimonia, quibus (vt aiunt) euidenter probatur B. Virginē in Adamo nō peccaſſe: ſed eos in hoc falli ex dicendis conſtabit. 52. *Ad argu. Patribus.* Primo igitur loco adducunt ex B. Andrea, Iacobo, Cecilio, Ignatio, & alijs: *Quod B. Virgo immaculata ſit: nunquā maledicta: omnibus modis irreprehenſa: omniū gratiarum abundans; naturæ ſanctitatis Angelicæ ſociata*. Et ex Sancto Athanaſio: *Et ſemper, & vndequaque Beatiſsima*. Ex Ephrē: *eſt cælicolis ſublimior, purior Solis radijs, honoratior Cherubim, ſāctior Seraphim.* Sed hæc ſatis accommodate explicantur de Virgine in propria perſona.

53. *2. Ex Origene.* Secundo adducunt verba Origenis homil. 1. *de Deipara ex varijs collecta*, dū ait:

Mariā nec perſuaſione Serpētis deceptā, nec eius venenoſis afflatibus infectā. Sed Origenes hęc verba adducit, vt probet B. Virginē nō concepiſſe Verbū ex carnis deſiderio, ita inquiēs: *Audite, quod Virgo in vtero accipiet nō ex deſiderio partū cōcipiēs, quæ nec perſuaſione Serpētis decepta eſt; nec eius afflatibus venenoſis infecta: ſed Virgo in vtero accipiet, prædicationem Angeli ſuſcipiēs, prophetarū teſtimonia aſſumēs.* Quę verba euidenter probāt Origenē non loqui de B. Virgine, vt fuit in Adamo, ſed vt fuit in ſe ipſa, cū diuinū Verbū concepit: illud enim cōcepit, nō per aliquā Diaboli deceptionē, nec per aliquā venenoſā carnis ſuggeſtionē, ſed per prædicationem Angeli, &c. Quæ fuit plurimorū explicatio, quā *ſup. q. 4. art. 3. §. 7.* probabilē diximus; nunc autē aſſerimus Origenē aliter explicari nō poſſe: ſed nec obſtaret ſi per illa verba intelligeretur pecatum originale; quia in hoc ſenſu aſſereret B. Virginem in Adamo nō fuiſſe deceptam, vt in propria perſona fuerit infecta.

54. Tertio loco adducūt Hypolitū, qui apud Trithemiū de ſcriptorib⁹ eccleſiaſticis ita ſcribit: Deus omnē gratiā, & honorē matri impendit; quia dixit, *honora patrē tuum & matrē.* Sed hoc ſolū cōcludit Dei matrē omnibus gratijs fuiſſe honoratā, quæ intra redēptionis terminos continentur.

4. Ex Cyprian. Quarto ſumitur arg. ex verbis *Cypriani de operibus cardinalibus Chriſti in ſerm. de Natiuita. Maria natura cōmunicabat, nō culpa; Mariæ omnis plenitudo gratiæ debebatur.* Sed cū illa verba ſcribat, vt ꝓbet B. Virginē in dolore filiū nō peperiſſe, intelligēdus eſt, nō de culpa in Adamo commiſſa, ſed de macula illius in propria perſona: ex qua talis pœna debetur: in hac igitur culpa B. Virgo cum cæteris mulieribus non cōmunicauit. ¶ Quinto loco multa adducuntur ex Sophronio in ſerm. de

55. 5. Ex Sophronio. Aſſumpt. apud Hieronymū. Et primū; *quia in Mariā totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quanquā aliter.* Chriſtus autē nō peccauit in Adamo: 2. *Quidquid maledictionis infuſum eſt per Euā, totū abſtulit benedictio Mariæ.* Ergo maledictio illa Euæ, quod in Adamo peccaremus ōnes, ad Mariā non peruenit; ſubdit, 3. *B. Virgo vltra Angelorū, & Archangelorū dignitatē tranſcendit: quidquid in ea geſtū eſt totū puritas, & ſimplicitas, totum veritas, & gratia fuit: & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Quæ omnia nō rectè explicarētur, ſi in Adamo peccauit. ¶ Sed argumētū ex primis verbis ſatis eſt debile: quia intelliguntur de gratia Chriſto homini collata: cui collatū nō fuit ꝑ gratiā, quod in Adamo nō peccaret: vnde minor ſub ſenſu maioris nō bene ſubſumitur: accedit, quia verba illa intelligūtur de gratijs collatis perſonę B. Virginis, vt fuit in ſe, nō vero vt fuit in Adamo. Argumentū ſumptū ex verbis 2. loco adductis, arguit ignorantiā propoſitionū: etenim nos in Adamo peccaſſe nō fuit maledictio Euę: quia ſicut ipſa peccauit, antequā malediceretur; ita etiā nos in illa ante talē maledictionē peccauimus. Quare ex illis verbis futiliter arguitur B. Virginē in Adamo nō pecaſſe. Vt omittamus ibi ſermonē eſſe de maledictione pariēdi cū dolore, quā verè abſtulit benedictio Mariæ, non quoad alias mulieres, ſed quoad ſe. Ad argumentū ſumptū ex verbis 3. loco adductis iā reſpondimus ar. 3. §. 7. ad. 5. intelligūtur enim de puritate perſonali: etenim B. Virginis perſona ideo ſimpliciter dicitur immaculata; quia in ſe nec actuali nec originali culpa fuit corrupta.

Sexto loco objiciūt Hierony. c. 10. Eccleſiaſt. vbi *B. Virgo dicitur nullū habēs fruticē, nullū germen ex latere: quod nunquā fuerit in tenebris, ſed ſemper in luce,* & inquiūt ex his verbis luce clarius cōſtare B. Virginē non peccaſſe in Adamo. Ego dico luce clarius eſſe, verba illa intelligi de Virgine exiſtente in propria perſona, vt oſtendimus art. 5. huius quæſtionis. §. 8. 56. 6. Ex Hieronym.

Septimo loco adducūt Auguſtinū, & affirmant eū expreſſe affirmaſſe B. Virginē in Adamo nō peccaſſe. Primo quia de natura, & gratia c. 36. ait de qua propter honorē Dñi nullā prorſus, cum de peccatis agimus, habere volo quæſtionem. Et addūt, quod ſicut honor Chriſti lęderetur, ſi ei⁹ mater cōtraxiſſet originale peccatū, ſic eti[illegible] Adamo peccaſſet: & inqui[illegible] illa verba, [illegible] *potui coinquinari, cum eam facerem, potui & ego coinquinari, cum ex ea naſcerer,* adapta[illegible] liberationi à macula, & à peccato in Adamo. 57. 7. Ex Auguſtin.

Denique

Deniq; id colligunt ex alijs verbis: *Magnifica illũ Virgo beatiſsima, qui te ab omni peccato ſuper omnes præſeruauit*, ex illis itẽ: præſeruata, & incorrupta ab omni labe peccati.¶Sed cũ Auguſt.doceat B.Virginẽ ex vi ſuæ generationis obnoxiã fuiſſe peccato contrahẽdo,& dicat hanc eſſe Catholicã doctrinam,& eam appellet carnẽ peccati, vt q.3.ar.2.dixim⁹, & ſçpe alibi, dicendũ eſt verba illa ſolũ eſſe intelligẽda in ordine ad perſonam B. Virginis in ſe ipſa; de hac enim nullam vult haberi quçſtionem, cum de peccatis agitur.

58. 8.*Ex Sancto Max.* Octauo loco adducitur S.Maximus in ſerm.de Aſsũptione Viginis, dũ ait, *Operante diuina prouidẽtia ex radice vitiata ſine vitio prodijſſe B.Virginẽ*, quæ verba (vt putãt) euidẽter probant eã non peccaſſe in Adamo: aſſerũt enim peccante in Adamo toto genere humano, ſolã B.Virginẽ non peccaſſe. Et in eodẽ ſenſu explicant verba Sedulij: *Et velut in ſpinis mollis roſa ſurgit acutis: nil, quod lædat habens, &c.* Et in eodem ſenſu explicant verba Vidç,& Mantuani. ¶ Sed profecto cũ B. Maximus agat de B. Virgine ex vitiata radice prodeunte, & Sedulius de eadẽ ex ſpinis ſurgente,& Vida de eadẽ exorta loquantur; nõ poſſunt hi authores explicari, niſi de perſona B.Virginis iam in vtero concepta; nõ vero, vt erat in Adamo obligata ad peccandũ cũ eo: etenim cõſiderata hoc poſteriori modo non prodibat ex radice vitiata; quia natura humana, antequã Adamus peccaret, licet infirma eſſet, & ſubiecta ad peccandũ peccante Adamo, nullo tñ modo pro illo ſtatu erat vitiata; ſed talis fuit poſt peccatũ Adami, poſt quod erat ſpina lædẽs, quia erat trãsfuſiua maculæ culpæ in Adamo cõmiſſæ. Quare decipiũtur, qui putant hos authores palã docuiſſe B.Virginẽ in Adamo nõ peccaſſe, cũ ſolũ doceãt eam nõ cõtraxiſſe maculã originalẽ. De quo lib.3.q.4.a.1.vbi vide.

59. 9.*Ex Cyrill.* Nono adducũtur S.Cyrillus in lib cõtra Neſtoriũ: *Propter filiũ temerariũ eſt in Maria Virgine ponere culpã aliquã peccati.* Ergo nõ admittit in ea culpã in Adamo: aliàs filius nõ honora[illegible]atre. Theodoretus lib.3.Cant. vbi B.Virginẽ appellat *immaculatiſsimã*, quod verbum denegat culpã etiam in Adamo. Arator ita ait, *à nato formata ſuo mala criminis Euæ. Virgo ſecunda fugat, nulla eſt iniuria ſexus.* Germanus aſſerit, *eam nulli culpæ fuiſſe affinẽ.* Damaſcenus affirmat *Serpentẽ adhunc Paradiſũ aditũ non habuiſſe*: Idiota de contẽptu mũdi c.2.docet, *eam fuiſſe pulchrã non in parte, ſed in toto.* S.Brunus, eã *appellat terrã incorruptã, ab omni contagione peccati liberã.* Damian. ait, *illã omnẽ ignorare nodoſitatẽ de tortuoſa generis humani radice: eſſe reclinatoriũ aureum, in quo De⁹ poſt tumultus Angelorũ, & hominũ ſe inclinauit, & requiẽ inuenit* Anſelmus de concep. virgin. c.18. ait: *Illius puritatẽ talem fuiſſe, vt maior ſub Deo intelligi nequeat*: in lib. de excellẽtia Virg.c.12.aſſerit *Deum illi omnia ſecum poſsibilia donaſſe.* D. Bernard. in ſerm de Concept.ita ſcribit, *inquantũ ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſsibili videatur immerſa.* Petrus Comeſtor in libello de concept.Virg. affirmat, *in Maria plus viguiſſe gratiã, quam naturã.* Laur.Iuſtinianus in lib.de caſto cõnubio ait: *Mariã iugum dãnationis Diaboli euaſiſſe: & eſſe alienã à chirographro dãnationis: & ab omni peccati labe extraneam.*

¶ Sed hæc omnia Patrum teſtimonia ad 60. *Solutio.*
inſtitutũ parum faciunt: quod attinet ad Cyrillũ in eius operibus nõ reperitur lib. cõtra Neſtoriũ: nec præcitata verba in aliquo Cyrilli lib. inuenire potui: & quãuis in eo inuenerẽtur, intelligẽda forẽt de B. Virgine, nõ vt fuit in Adamo, ſed vt in ꝓpria pſona exiſtit, in qua nulla culpa vnquã extitit. Quomodo verba ex Theodoreto inferãt B.Virginẽ in Adamo nõ peccaſſe? plane nõ video. Verba Aratoris ſolum probant eã à filio ſuo formatã fuiſſe ſine vllo malo peccati Euæ; malũ autem illius eſt originalis macula. German⁹ agit de perſona B.Virginis in ſe, quæ ideo nulli culpç fuit affinis; quia cũ in propria perſona nõ habuerit debitũ contrahendi maculã: nec vllã malam ſuggeſtionẽ, & actũ fomitis: vtiq; nec culpæ originali affinis fuit, nec actuali: hæc enim affinitas ſolũ datur per debitũ ad originale, & per actũ fomitis ad actuale. Et ob eandẽ rationẽ Serpens ex Damaſceno, nõ habuit aditũ ad Paradiſũ in concept. B. Virginis à Deo formatũ; quia nec debitũ habuit in ſe, nec fomitẽ ſolutũ. Verba Idiotç intel-

ligēda ſūt de pſonaB.Virginis,quę& corpore,& mente fuit ſine culpa. Vnde ridiculum eſt ea exponere de exēptione à lege Adami. Verba Bruni ſæpe explicauimus; quia intelliguntur de B.Virgine vt in propria exiſtit perſona; nō vero vt fuit in Adamo. Verba ex Damaſceno priori loco adducta intelliguntur de nodoſitate maculæ originalis, quæ eſt ex radice infecta: quæ vero poſteriori loco adducuntur, intelliguntur de perſona B. Virginis, in qua Deus poſt caſum Angelorū, & hominum per gratiam illi infuſam requieuit: quod nō tollit eam in Adamo cecidiſſe: quin potius ad excellentiā redemptionis per Chriſtū per ſe ſpectat. D. Anſelmus agit de gratia purificante, quæ accōmodari non poteſt exēptioni, quam aduerſarij fingunt. Et eodē modo intelligitur D.Bernardus, agit enim de gratia perſonali; nō vero de originali. Similiter explicādus eſt Petrus Comeſtor, quia loquitur de gratia ſanctificante perſonam B.Virginis. In quo etiā ſenſu explicandus eſt Laurentius Iuſtinianus: agit enim de iugo maculæ, quæ ex peccato in Adamo cōmiſſo ex vi generationis tranſfunditur.

61. *10. Ex regulis iuris.* Decimo loco ſumunt argumentū ex iuris regulis, quia .ſ. *Mater gaudet priuilegijs filij: & Auguſta priuilegio principis.* Sed hæc omnia intelliguntur de Auguſta per matrimoniū principi iā coniuncta: vnde hæc iuris principia nō poſſunt B.Virgini accōmodari, niſi poſtquā in propria perſona in ſui conceptione matrimoniū ſpirituale cum Deo infuſa gratia contraxit.

62. *Poſtremo ex teſtimonijs Apoſtolor.* Poſtremo pro hac opinione ego addo nonnulla Apoſtolorū teſtimonia. S. Andreæ, Thomæ, Matthæi, & Matthiæ, quę ex reuelatione S. Gabrielis ſcribuntur à Fratre S.Amadeo in lib. qui intitulatur Apocalypſis noua, & habetur in Bibliotheca regia S.Laurentij. *Andreas.* Vbi S. Andreas de B.Virgine ita ſcribit: *Tu ſola ab vniuerſali omnium dānatione præſeruata fuiſti: non tu mortua in Adam fuiſti: vnica es; vnica immaculata: receſſiſti à quocūq; peccato: recedere tam longe à peccato, nemo poteſt.* S.autem *Thomas.* Thomas Apoſtolus ita habet: *O quam felix es, quā fortunata, & in initio viarum Dei ab ipſo electa fuiſti; & Adæ peccato præuiſo, non fuiſti cū alijs omnibus condēnata, ſed voluit vt merita filij tui tibi ſuper omnes prodeſſent. Itaque pro minimo momento noluit inimicā, ſed ſemper amicam puriſſimam.* S. vero Matth. ita habet: *Niuei candoris es, O Maria immaculata: ſcirpus ſine nodo: Spiritus Sanctus, qui eſt æternum donum, te ſanctificauit, præſeruauit, purgauit, illuminauit, & ſingularibus priuilegijs decorauit.* *S.Matth.* Deniq; S.Matthias ita ſcribit: *In peccato non fuit concepta, omni gratia, & omni ſcientia fuit impleta.* *S.Matthias.* ¶ Quòd liber iſte Sācti Amadei in regia habeatur Bibliotheca à viris fide digniſsimis accepi, qui affirmarunt ſe hæc Apoſtolorū teſtimonia in eo legiſſe: nec etiā aut de ſanctitate B.Amadei dubito, nec quod illi hæc facta fuerit reuelatio, vt contra Caietan. oſtendemus *lib.3.q.6.ar.4.* & tamen affirmo hæc teſtimonia non ſatis conuincere, vt dicamus B.Virginē in Adamo non peccaſſe: ſunt enī intelligēda de perſona B.Virginis, quę ſola præſeruata fuit ab vniuerſali omniū damnatione, qua omnes ad contrahendā maculā originalē ſunt damnati: ab hac igitur damnatione ſola B.Virgo, licet cum cæteris peccauerit in Adamo, præſeruata fuit. Vnde ad hunc ſenſum ſcribitur eam in Adamo non fuiſſe mortuā; quia licet in Adamo peccauerit; nō tū in eo ita fuit mortua, vt fuerit dānata vt actu in ꝓpria perſona in ſui conceptione moreretur, & ideo in propria perſona fuit imaculata, & receſsit à quocūq; peccato. *In quo ſenſu Virgo nō ſit mortua in Adam.* 63. Ad hunc modū intelligendū eſt teſtimonium S. Andreæ Apoſtoli, quod contra nos maxime vrgebat. Hūc ſenſum cōfirmo ex primis verbis teſtimonij, quæ affirmant ſolā Virginem ab vniuerſali omniū dānatione præſeruatam fuiſſe. Iam vero poſteri Adami ante illius peccatum nōn erant damnati ad peccandum eo peccāte: ſed poſt peccatum originaliter iam mortui, omnes fuerunt damnati, vt perſonaliter morerentur contrahendo maculam peccati, quod in Adamo fecerunt. 64. Ab hac autem perſonali morte ſola B.Virgo fuit prçſeruata: hac autē præſeruatione non indiger[illegible] ſi in [illegible]damo originaliter non peccaſſet: quare ſi illa hac indiguit præſeruatione, vtique in Adamo peccauit, & actuali in propria perſona morte morere-

tur

tur, niſi gratia pręſeruaretur. Cũ vero illa priora verba non poſsint non intelligi in ſenſu explicato, in eo intelligẽda ſũt illa, quæ ĩmediatè ſequũtur: *Nõ tu mortua in Adamo fuiſti*: quia omnibus in Adamo cõdemnatis, non vt originaliter morerẽtur, quia vere omnes ante illam damnationẽ iam originaliter erãt mortui; ſed vt morerentur perſonaliter, cum primum conciperentur: ſola autem Virgo in hac condemnatione ad perſonalem mortem, nõ fuit mortua, ſed ſtatim à Deo excepta, vt præſeruanda per gratiam. Quæ omnia ſunt diligenter aduertenda. Cætera autẽ verba *vnica es, &c.* expreſſe intelliguntur de perſona B. Virginis.

65. *At verba Thomæ Apoſtoli.* Verba autem adducta ex Thoma Apoſtolo in ſenſu à nobis explicato de diuina electione explicanda ſunt: Beata enim Virgo ab initio, & ante ſæcula, & in initio viarum Dei, quando ſingula de hominibus diſponebat, poſt præuiſum Adę peccatum, atque condemnationem, vt mortem, quam in Adamo originaliter incurrerunt, perſonaliter incurrerent, nõ fuit cum cæteris condemnata, ſed electa potius, vt in propria perſona, ne minimo quidem momẽto fuerit inimica. ¶ Verba S. Matthæi expreſſe intelliguntur de actuali nodo originalis maculæ, quem B. Virgo actu non habuit: haberet tamẽ, niſi præſeruaretur. ¶ Quæ ex S Matthia afferuntur nihil iuuant aduerſarios, vt patet.

Argumenta ex rationibus.

66. *Argum. ex ratione.* ¶ Vltimo loco ſuam opinionem rationibus confirmant, quas latiſsimè congerũt Luzerus, & Lezana. Prima eſt: quoniam vt quis dicatur in Adamo peccaſſe, non ſatis eſt eum fuiſſe in illo tanquam in capite naturali, ſed neceſſe eſt, vt fuerit in illo tanquam in capite morali; ita vt compręhenſus fuerit in pacto inito cum Adamo. Sed B. Virgo excepta fuit ab iſto *1. ratio.* pacto, & ideo non fuit in Adamo, vt in capite morali. Ergo non peccauit in illo. Conſequentia patet ſimul cum maiori: minor ex eo probat[illegible]it Deus illam eximere ab illo pacto: tum, quia eſt legiſlator: tum, quia id non implicat, imò decens fuit, vt putat ſe probaſſe: tum tertio, quia id ſatis inſinuat Eccleſia, dum in Officio Conceptionis adducit illud Aſſueri ad Eſther. *Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt*: tum deniq., quia antequam Adamus, & poſteri in eo peccarent, & pactum cum eis iniret, electa fuit ad maternitatem Chriſti, vt ſupponunt per ſe luce clarius eſſe probatũ. Decens igitur fuit, vt illam à tali pacto Deus eximeret: nam ſi pro illo ſigno priori ad illam dignitatẽ electa fuit; vtiq; tanquam dilectiſsima iam erat prædeſtinata ad maxima dona gratiæ: & ideo decebat, vt eam à tali lege eximeret, vt ne periculo peccandi exponeretur.

Hanc rationem exemplo confirmant: ſi Rex aliquis filiam alicuius Principis ſibi ſubditi in ſponſam eligiſſet; & patri illius dignitatem ſub hac conditione cõceſsiſſet, vt ſi manſiſſet fidelis, dignitas ad eius poſteros tranſiret; ſin autem omnes criminis paterni rei manſiſſent; vtique credendum eſt regem à tali lege excepturum fore filiam, quam ſibi depenſauerat. Pariter igitur credendum eſt Deum, qui B. Virginem ante pactum cum Adamo initum ſibi in matrem elegit, eam eximiſſe à lege poſteris Adami impoſita. 67. *Confirm.*

Secunda ratio: quoniam ſi B. Virgo peccauit in Adamo: vtique proxime fuit obnoxia peccato originali. At quis credet Reginam cœlorum huic peccato fuiſſe proxime obnoxiam? 68. *2. ratio.*

Tertia ratio: B. Virgo vere eſt mater Chriſti. Ergo decens erat, vt peccati Adamici omnino fuerit expers, & ſubinde, vt in eo non peccaret, ideo quia à lege fuit exempta. Hanc conſequentiam inde probãt: quia cum ſit mater Chriſti, caro eius, eſt caro Chriſti, ex Auguſtino: & Deus eſt idem cum ea ex Damaſceno. Vtrũq; eſſet falſum, ſi peccauit in Adamo. Deinde quia ex eo, quod eſt mater Chriſti, omnes Patres inferunt eam originale peccatum non cõtraxiſſe. Eadem igitur ratione infertur eam in Adamo non peccaſſe. Tertiò; quia ex eo, quia eſt mater Chriſti, eſt Angelis melior: Angeli autẽ nec in ſe, nec in alio peccatum habuerũt. Denique eſſe matrem Chriſti eſt fons, vnde omnes fauores poſsibiles oriri poſſunt. 69. *3. ratio.*

80. *4. ratio.* Quarta ratio: quoniam B. Virgo ad redemptionem cooperata eſt, ſaltem indirecte & remote, vt Patres docent. Ergo non peccauit in Adamo. Conſequētia probatur ex 1. ad Hebræos 7. vbi Paulus ex capite Redemptoris infert decens fuiſſe, vt Chriſtus eſſet ſanctus, innocēs, & impollutus. Deinde, quia ſic cooperata eſt ad redemptionem ex captiuitate. Ergo captiua non fuit, & ſubinde in Adamo non peccauit.

81. *5. ratio.* Quinta ratio: quia B. Virginem peccaſſe in Adam cedit in oprobrium Chriſti, quia poterat matrem liberare à tali oprobrio.

82. *6. ratio.* Sexta ratio: quia vel Deus non potuit liberare matrem, ne in Adamo peccaret; vel potuit & noluit. Non primum; vt patet. Non ſecundum; quoniam ex Auguſtino in ſerm. de Aſſumptione, id debemus credere Deum feciſſe, quod melius eſt. Iam vero melius eſt eam eximiſſe ne in Adamo peccaret. Quare ſi potuit; vtiq; voluit.

83. *7. ratio.* Septima ratio: Deus, ideo quia B. Virgo futura erat mater Dei, eam exemit ab alijs cōmunibus regulis minoris æſtimationis. Ergo eam exemit à regula peccādi in Adam: nec enim poteſt reddi ſufficiens ratio diſcriminis.

84. *8. ratio.* Octaua ratio: quia nihil emolumenti aut vtilitatis Virgini, aut Eccleſiæ aduenıret ex eo, quod in Adamo peccauit.

9. ratio. Nona, & poſtrema ratio: quoniam B. Virgo ſuper omnes choros cœleſtium ſpirituum eſt exaltata. Ergo in Adamo non peccauit. Conſequentia patet, quonia n cœleſtes ſpiritus nec in ſe, nec in alio alicuius peccati participes fuerunt: quomodo igitur Maria eſt illis ſanctior? Hæ ſunt omnes, aut principales rationes huius ſententiæ.

¶ *Solutio horum argumentorum.*

85. *Solutio rationum.* Hæc argumenta in eo deficiunt, quia ſupponunt hæc duo ſimul ſtare: B. Virginem non peccaſſe in Adam, & eſſe redemptam: hoc enim ſuppoſito, & decentiam huius priuilegij probant, & ſuam ſententiam ab omni liberant cenſura, à qua eam non liberarent, ſi faterentur illa duo ſimul ſtare non poſſe: & cum ſine hęreſi negari non poſsit B. Virginem fuiſſe redemptam; vtique ſine errore affirmari non poteſt eam in Adamo non peccaſſe. Quod vero ſi in Adamo non peccauit, non poſsit ad Chriſti redemptionem pertinere ſæpè oſtendimus. ¶ Hac igitur veritate ſuppoſita facile eſt videre, quam futilia ſint argumenta adducta.

86. *Ad primā rationem.* Ad primum conceſſa maiore, neganda eſt minor: cuius probatio futilis eſt, quia licet Deus abſolute potuerit B. Virginē ab illo pacto liberare, non tamen potuit ſuppoſito decreto, quod illa vere erat redimenda; idq; vt Chriſti redemptio hanc ſupremam haberet dignitatem, vt nullus ex Adami propagine à neceſsitate redēptionis eximeretur: hoc enim decreto ſuppoſito neceſſarium fuit, vt B. Virgo peccauerit in Adamo, & in eo fuerit originaliter mortua peccato, & inimica, & ideo ex ſe ſubiecta ad contrahendam maculam; quæ ſubiectio non aliunde oriri poteſt, quam ex eo, quod peccatū Adami etiam fuerit ſuum.

87. *Ad confir.* Ex quo patet exemplum in confirmationem adductum ad rem non facere, propter diſparem rationem in vtroque caſu.

88. *Ad 2.* Ad ſecundam rationem mirandum eſt, quod illi Theologi dicant, abſurdum eſſe quod ex ſententia Auguſtini Catholica docet Fides de omnium hominum obnoxia ſucceſsione ad contrahendam maculam originalem, à qua nec B. Virgo eximitur ex ſententia omnium Patrum, teſte Auguſtino lib. 2. contra Iulianum c. 10. vide quæ diximus in §. præcedente.

89. *Ad 3.* Tertium argumentum futilem habet conſequentiam: etenim decens non eſt B. Virginem non eſſe redemptam per filium: redimi autem non potuit, niſi in Adamo peccauerit, & mortua fuerit, & damnata, vt maculam ſui peccati perſonaliter contraheret. Et quāuis caro Virginis in hoc ſenſu dicatur caro Dei, quia ex ea ſumenda erat Dei caro: tamen Verbum ſumpſiſſe carnem ex carne peccati (id eſt d[illegible] contrahendam maculam) & Auguſtinus docet, & Patres. Nec eſt eadem ratio, de pręſeruatione, ne in Adamo peccaret; & de preſeruatione,

ne

ne maculam ſui peccati contraheret: quia hæc poſterior præſeruatio ſtat cum hoc, quod vere ſit redempta, non tamē prior: dicitur autem melior effecta Angelis, nō conditione naturæ, ſed ſolius perſonæ: etenim natura humana in B. Virgine ex vi ſuæ generationis eſt peccato infecta, niſi per gratiam præſeruetur: talis autem non erat natura Angeli. Maternitas autē eſt fons omnium donorum, & gratiarum intra limites redemptionis.

90. *Ad 4.* Quarta ratio indigna eſt ſolutione: quia cum B. Virgo in eo ſenſu redemptioni cooperata ſit; quia genuit & peperit Redemptorem; vtique in eodem cooperata etiam eſt ad ſui redemptionem à captiuitate peccati: & ideo ex vi ſuæ generationis non potuit eſſe innocens, ſed culpæ debitrix.

91. *Ad 5.* Ad quintam rationem negamus id, quod ſumitur; cum potius id cedat in magnam Chriſti dignitatem, quod redēptor ſit matris ſuæ, redēptione intra limites redēptionis omniū perfectiſsima.

92. *Ad 6.* Ad ſextā ex dictis patet ſolutio: quoniam abſolute potuit, noluit tamen: quia voluit ſuo ſanguine eam redimere, quod in gloriam & Chriſti & matris cedit.

93. *Ad 7.* Septima ratio ex dictis ſoluta manet: quia exemptio ab alijs regulis non inferebat Virginem non eſſe redemptam; quod tamen per ſe infert exemptio, ne in Adamo peccet.

94. *Ad 8.* Octaua ratio indigna eſt Theologo: quoniam & diuinam miſericordiam maxime exaltat, quod pro ſalute hominum ex carne peccati naſci voluit, vt ex Auguſtino, & alijs Patribus ſæpè diximus: & magis obligat B. Virginem, dum cognoſcit ſe in matrem Dei electam fuiſſe, cum eſſet peccati debitrix.

95. *Ad poſtremum.* Poſtrema ratio eandem habet indignitatem: quoniam longum eſt diſcrimen in hoc inter Angelos & homines: etenim Angeli ex ſua natura à ſolo Deo ſunt producibiles, nec poterant in vno capite virtualiter includi, ratione cuius poſſent in alio obligari: cuius op[illegible] reperitur in natura hum[illegible]otuit ig[illegible], imo decuit Deum in vno capite, quod ſimul & naturale eſſet & morale, omnes homines obligare, vt non ſolum naturæ imbecillitas manifeſtaretur; ſed etiam pronitas ad malum; vt Dei miſericordia magis exaltaretur; qua motus voluit, vt Dei filius fieret homo, & in Cruce moreretur; idque pro ſola hominum redemptione.

96. *Aduertentia.* ¶ Supereſt vt hoc loco aduertamus Supremum Sanctiſsimæ Inquiſitionis Tribunal Madriti hanc propoſitionem tanquam probabilem qualificaſſe: *B. Virgo Maria non contraxit debitum peccati originalis*, vt patet ex publico teſtimonio Ferdinandi de Villegas eiuſdem Sanctiſsimi Tribunalis Secretarij, dato Madriti 22. Ianuarij 1616. Ex quo quidam ſcribunt Sanctiſsimum Tribunal qualificaſſe vt probabilem hāc alteram propoſitionem, *B. Virgo non peccauit in Adam*, ſed in hoc hallucinantur; quoniā propoſitio qualificata agit de debito à perſona B. Virginis contracto: etenim cum ſola perſona debitū contrahat, & tunc illud contrahat, cū primo concipitur; propoſitio à Sanctiſsimo Tribunali qualificata vt probabilis hunc habet ſenſum, perſona B. Virginis non contraxit debitum peccati originalis; quod nos libentiſsime admittimus, vt patet ex ijs, quæ diximus artic. 5. huius quæſtionis. Et in eodem ſenſu illam propoſitionem intellexerunt Theologi Cōplutēſes, vt ex plurimorū ſcriptis, & annotationibus accepi: vnde in hoc ſenſu defendunt hanc propoſitionem: *B. Virgo in propria perſona nullum habuit debitū.* Et in hoc ſenſu propoſitio probabilis eſt, & nulla indiget cenſura, vt ſtatim dicemus ad vltimam propoſitionē. Ex quo non bene infertur eam non peccaſſe in Adamo, nec habuiſſe debitum contrahendi maculam: quia cum hoc, quod peccauerit in Adamo, & in lumbis parentum habuerit debitum ortum ex peccato, quod commiſit, bene conſtat quod in propria perſona intrinſece nullum debitum habuerit: vt in dicto artic. 5. latè oſtendimus. Quare noſtra iſta doctrina non repugnat qualificationi propoſitionis à Sāctiſsimo Officio propoſitæ: ſed illi libentiſsime ſubſcribimus, ſicut ſubſcribemus in omnibus. ¶ Et hæc dicta ſint pro explicanda & confirmanda certitudine tertiæ propoſitionis poſita ſuprà art. 6.

§. 5.

§. 5.

Expenditur certitudo aliarum propoſitionum.

97. *De quarta propoſit.* DE quarta propoſitione latè egimus art.2.huius quartæ quęſtionis, vbi §.1.diximus, nullum inueniri authorem, qui oppoſitam affirmaret, ſed omnes in ea conuenire: argumenta tamen pro oppoſita ſententia ibidem retulimus §.3. vbi diximus noſtrã quartam propoſitionem ita eſſe certam, vt oppoſita ſit erronea: & §. 6. diſſoluimus omnia argumenta in contrarium.

98. *5.propoſit.* De propoſitione quinta latiſsimè diximus art.3. huius quæſtionis. Controuerſia tamen eſt; an ita certa ſit, vt nota alicuius cenſuræ indigeat? Plures negantem ſententiam affirmant; nimirum qui probant B. Virginem in Adamo non peccaſſe, & id tanquam probabile ſupponũt. Oppoſitum tamen tenentur aſſerere, qui ſcribunt ſine errore in Fide affirmari nõ poſſe, quod B. Virgo in Adamo non peccauit: etenim cum ex principijs Fidei ex peccato in Adamo commiſſo omnes obnoxij ſint ad contrahendam originalem maculam; vtique ſine errore in Fide dici non poteſt aliquem eorum, qui in Adamo peccauerunt, ex ipſo Adami peccato non habere debitum contrahendi maculam originalem. Quare ſi ſine errore non poteſt negari Beatã Virginem in Adamo peccaſſe, vt diximus ſuprà §.3. vtique ſine eodem errore non poteſt illi denegari debitum ortum ex Adami peccato; ſiue illud remotum ſit, ſiue proximum. Vide quæ latè diximus art.3.huius quęſtionis à §.2. cum ſequentibus.

De ſexta propoſitione diximus illam cæteris omnibus eſſe longe probabiliorem; vnde oppoſitum nulla indiget cenſura. Vide quæ diximus artic.4. huius quæſtionis §. 2. 99. *6.propoſit.*

Septima propoſitio ita eſt certa, vt oppoſita ſine periculo defendi non poſſit: etenim ſine Fidei periculo negari non debet B. Virginem habuiſſe debitũ peccandi in Adamo ortum ex conditione naturæ, vt omnes admittunt. Error etiam erit in ea non ponere debitum ortum ex peccato Adami, ſiue illa conſideretur in Adamo, & parentibus, ſiue in ſemine iam concepto in matris vtero: etenim vtroque modo illi imputabatur peccatum, quod in Adamo commiſit. Vide quæ diximus art.4. §.3. 100. *7.propoſit.*

Octaua tandem & poſtrema propoſitio mihi eſt indubitata: quia ſuppoſitis Theologiæ principijs, ex principijs Philoſophiæ efficaciter demonſtratur. Oppoſita tamen propoſitio nulla digna erit cenſura. Vide quæ diximus art.5. huius quartæ quæſtionis. 101. *8.& vlt. propoſitio.*

Finis huius ſecundi libri.

LIBER TERTIVS
DE PRÆSERVATIONE VIRGINIS
A MACVLA ORIGINALI.

❡ Præfatio ad totum Librum.

1. *Continuatio ad præcedent.* OSTENDIMVS in ſecundo libro B. Virginem peccaſſe in Adamo, & inde habuiſſe debitum contrahẽdi maculã peccati, quod in Adamo fecit: conſequenter inquirendũ eſt, an de facto talem maculam contraxerit, dum in vtero matris primum concepta eſt? Quæſtio apud veteres Theologos olim non modo celebris, ſed etiam controuerſa, & digna, quæ pro parte Deiparæ Virginis in illius honorem quã accuratiſsimè explicetur, gratia ſolius indagandæ veritatis. Quare initio diſputationis ex toto corde diuinum imploro auxilium, & Deiparę Virginis fauorem, in cuius honorem, & in gratiam Chriſtianæ pietatis totius fere Eccleſiæ diſputationem inſtituimus.

2. In explicatione huius difficultatis hũc ordinem ſeruabimus: vt primo loco expendamus; an B. Virgo à contrahenda peccati originalis macula diuina gratia fuerit præſeruata? Deinde expendemus quomodo ab illa præſeruata fuerit? Tertio tandem & vltimo lòco diligenter explicabimus, quomodo B. Virgo ad Chriſti redemptionem pertineat, ſi maculam originalis peccati de facto non̄ cõtraxit.

3. *Quæſtiones excitãdæ.* Quod attinet ad primum, pro illius explicatione ſequentes excitabimus quæſtiones. In prima referemus duas de hac difficultate celebres opiniones: vnam, quæ affirmat B. Virginem in ſua conceptione maculam originalem de facto contraxiſſe: alteram; quæ id negat, & conſtanter aſſerit eam à contractione maculæ originalis diuinitus fuiſſe præſeruatam: quam poſteriorem ſententiam vt veriſſimam in Virginis honorem pro viribus defendemus. Secunda quęſtio diligenter explicabit neutram illarum eſſe de Fide, & ſubinde vtramque ſine vlla cenſuræ nota tum in ſcholis, tum in ſcriptis defendi poſſe. Tertia quæſtio diligenter examinabit, an ſententia, quæ B. Virginẽ liberat â contractione originalis maculæ, aliquando fuerit de Fide? Quarta quęſtio inquiret, quænam illarum opinionum Patrũ teſtimonijs ſit probabilior? Quinta inueſtigabit, quidnam circa vtriuſque probabilitatem ex ſacris literis colligatur? Sexta expendet; quid de vtraque ſentiendum ſit ex ijs, quæ ſunt tradita ab Eccleſia? Septima etiam expendet rationes, tum ex Theologia, tum ex naturali ratione petitas. Octaua quæſtio concludet, non ſolum veriſsimam & certiſsimã eſſe partem, quæ negat B: Virginem incurriſſe originalem maculam, ſed eam diffiniendam fore, ſi huius controuerſiæ veritas aliquando ab Eccleſia definiatur. Nona tandem & vltima aduertet hanc ſolam ſententiam eſſe ſimpliciter proponendam, & prædicandam populo.

QVÆSTIO PRIMA.

De præſeruatione Virginis à macula peccati originalis.

ARTICVLVS VNICVS.

An B.Virgo de facto fuerit præſeruata ab originali macula?

§. 1.

Referuntur authores, qui affirmāt B.Virginē maculam originalem contraxiſſe, cum omnibus illorum fundamentis.

1. *Authores opinionis quæ aſſerit Virginem cōtraxiſſe pec. orig.* *D.Thom.*

DE propoſita controuerſia duæ fuerunt celebres doctorum hominum oppoſitę ſententię. Prima affirmat B. Virginem maculam originalem de facto contraxiſſe. Ex Scholaſticis ita probant *D.Thomas 3.p.q.27.ar.1.& 2.in corp.& ad 2.& in 2.diſt.31.q.1.art.2.& in 3.diſt.3.q.1.art.1.quæſtiunc.1.& 2.& in 4.diſt.43.art.4.quæſtiunc.1.ad 3.& quodlib.6.art.7.opuſc.item 2.c.224.referri ſolet in Pſalmo 45.cum eo conueniūt omnes fere Thomiſticæ doctrinæ profeſſores:* *Capreol.* *Hiſpalen.* *Caiet.* *Ferrar.* *Canus.* *Medina.* *Antonin.* *Bandellus.* *ita Capreolus in 3.diſt.3.q.1.ar.1.concl.1.& ibidem Hiſpalenſis q.1. Caietanus 3.p.q.27.art.1 & in opuſculo de Conceptione Virginis cap.4. Ferrarienſ. 4.contra gentes cap.50. Canus de locis Theologicis lib.7. cap.1. Medina ad 3.p.q.27.art.1. D.Antoninus 1.p.tit.8.c.2. latiſsime vſque ad nauſeam quidam Vincentius Bandellus de Caſtro nouo in libro, quem ex profeſſo ſcripſit contra Virginis conceptionem.* Hāc opinionem noſtris his temporibus in Hiſpania pertinaciter defendunt Moderniores quidam Thomiſticæ doctrinæ defenſores.

2. *Albertus.* *D.Bonau.* *Richard.* *Durand.* *Paludan.* *Aegidius.* *Gregor.* *Ocham.* *Guido.* *Tarātaſia* *Neapolis.* *Adam.* *Torneo.* *Poliaco.*

Præter Thomiſtas eandem ſententiā probauere *Albertus Magnus in 3.diſt.3.art.4.& 5. D.Bonauent.ibidem art.1.q.1. Richardus art.1.q.2, Durand.q.1. Paludan.q.1.artic.1. Heruæus q.1. quidam Adamus Anglicus in eadem 3.diſt. Ægidius in 2.diſt.29.q.1.in 4.dubio literali, & diſt.30.q.1.art.3.& diſt.31.q.1.art.2.& diſt.32.q.1.art.2.& quodlib.6.q.20. Gregorius in 2.diſt.30.q.2.vbi etiam Ochamus q.1.ad 6.argumentum, Guido Carmelita quodlib.3.q.13:* referuntur pro hac opinione *Petrus Tarantaſia, Ioannes de Neapolis, Adam Gudam, Rupertus de Torneo, Ioannes Poliaco, Ioannes de Guanaco;* quos tamen non vidi. Pro eadem opinione refertur *Alexander de Ales 3.p.q.9.memb.2.art.1.4.& 5:* qui tamen nunquam expreſſe docuit B.Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali; ſed ſolum ſcribit eam nec ante conceptionem in vtero, nec poſt eā ante animationem potuiſſe ſanctificari; fuiſſe tamen ſanctificatam poſt animæ infuſionem: quæ reſolutio bene poteſt conſtare cum ſanctificatione in primo inſtanti animationis præſeruante ab originali: quare Alenſis pro hac opinione referri non poteſt: ſicut etiam non poteſt pro ea referri *Magiſter in 3.diſt.3.* ſi verba illius diligentius expendantur: ſed nec pro ea referri poteſt *Henricus quodlib.6.q.13.* cum eam nō aſſerat. An vero citari poſsit *quodlib.15.q.13*? affirmatiue reſpondendū eſt. Ex Iureperitis eam probarunt *Gloſſa ad verbum miratur in c.2.& in cap.per Baptiſmum de conſecr.diſt.4.additio Hugutij in cap. Firmiter, eadem diſt. & in cap.1.ad verbum natiuitas, & in c.pronuntiandum de conſecr.diſt.3. Hoſtienſis in Sūma tit.de pœnitentijs, & remiſsionib. §.Quis debet confiteri. Speculator 2.p.tit.de ferijs, Archidiacon, & Turrecremata in d.c.Firmiter, idem Turrecremata in cap.in his, de conſecr.diſt.3. Ioannes Andreas in nouella in cap.conqueſtus, de ferijs, & ibidem Calderinus,* vt omittamus alios Doctores in ſcholis ignotos, quos tam ex Theologis, quàm Iureperitis refert Bandellus loco citato, an fideliter? ignoro.

Male refertur Alēſis. *Male etiā Magiſter.* *Nōbene refertur Hēricus.* 3. *Gloſſa.* *Hoſtienſis* *Speculator* *Archidia.* *Turrecremata.* *Ioa. And.* *Calderin.*

Et vt nullos huius opinionis patronos omittamus, illa maxime placuit quibuſdam noſtri temporis hæreticis: *Matthiæ Illyrico, Thilemano. Hes Huſio, & Martyno Kemnitio,* vt ex dicendis patebit: adde Caluinum, & communem noſtræ tempeſtatis hæreticorum ſententiam. 4. *Probat cōmunis hæreticorum.*

¶ Hæc ſententia à ſuis authoribus multis confirmatur; & primo ex generalibus ſacræ Scripturæ locutionibus, ex quibus conſtat omnes peccato Adami fuiſſe cōſtitutos peccatores; à quibus in eadem Scriptura ſolus Chriſtus excipitur. 5. *1.argum.*

Secundò id confirmant ex generalibus Conciliorū definitionibus, quæ vniuerſa[illegible] ſtatu[illegible]ſe de fide omnes cōcipi cum originali peccato. 6. *2.arg.*

Tertiò: volunt eam eſſe confirmatam communi SanctorumPatrum conſenſu: 7. *3.arg.*

ete-

etenim (vt volunt) omnes docent B. Virginem peccatum originale contraxiſſe.

8. 4. arg. Quartò eam confirmant ex abſurdo: nam ſi Virgo in ſua cōceptione fuit immunis à peccato originali, conceptio Chriſti Domini non fuiſſet ſingularis, quoad immunitatem à peccato.

9. Quintum. Quintò: Beata Virgo non fuiſſet redempta ſanguine Chriſti.

10. Sextum. Sextò: B. Virgo habuit debitum contrahendi maculam originalem. Ergo de facto eam contraxit. Antecedens tanquã vere Catholicum latè cōfirmauimus lib. 2. præcedente. Conſequentia verò inde probatur; quoniam ſi in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuiſſet immunis per infuſionem gratiæ; vtique nunquam illa fuiſſet in debito contrahendi.

11. Septimū. Septimò; in B. Virgine fuit prima cauſa, & radix originalis peccati: etenim peccauit in Adamo, vt lib. 2. q. 3. latè oſtendimus, fuit etiam concepta per rationem ſeminalem ex Adamo tanquam vera illius filia, & ſubinde fuit concepta ex vera propagine peccati. Ergo de facto contraxit originale peccatum.

12. Octauum. Octauò; B. Virgo vere contraxit effectus peccati originalis; quia vere fuit mortua, & vere habuit fomitem peccati, cur igitur non contraxit ipſum originale peccatum? etenim ex Paulo ad Rom. 5. *Per peccatum introiuit mors, & in omnes homines pertranſijt.*

13. Nonum. Nono; ſequeretur cœlum nunquam fuiſſe Virgini clauſum: etenim per peccatum Adami clauſum fuit: vnde ſi moreretur ante mortem Chriſti, ſtatim intraret in cœlum, conſequens tamen eſt falſum: quoniam Chriſtus Dominus ſicut ſanguine ſuo, Virginem redemit, ita ſua morte illi cœlum aperuit.

14. 10. arg. Decimo & vltimo: Virgo non potuit à macula peccati per gratiam ſanctificari, niſi in ſe ipſa peccatum originale cōtraxerit. Ergo de facto illud contraxit. Conſequentia patet: antecedens probatur; quoniam non potuit ſanctificari ante inſtans infuſionis animæ; nec potuit ſanctificari in ipſo [illegible]rationis inſtanti: ergo in eo neceſſario habuit originalem culpam: nam cum pro illo inſtanti actu gratiam non habuerit, actu habuit originalem maculam, quæ perſonam ab Adamo ſeminaliter genitam inſeparabiliter comitatur, quandiu per gratiam ſanctificantem non liberatur.

¶ Hæc ſunt huius opinionis vel omnia, vel ſaltem potiora argumenta.

§. 2.

Refertur opinio, quæ negat B. Virginem maculam originalem contraxiſſe.

Oppoſitam tamen ſententiã (quod ſcilicet B. Virgo de facto non cõtraxerit maculam peccati originalis) defendunt præſtantiſsimi Theologi. Ex Scholaſticis illam verbis expreſsis 15. Opin. quod non contraxit. ſcribit *D. Thomas in 1. diſt. 44. q. 1. ar. 3. ad 3.* vbi ita ſcribit, *Puritas intenditur per receſſum à cõtrario: & ideo poteſt aliquod creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.* Quæ verba adeo ſunt formalia, vt nullam omnino patiantur accõmodatam explicationem. Eadem verba D. Thomã ſcripſiſſe *in expoſitione Salutationis Angelicæ, quæ habetur Opuſc. 4.* plerique aduertunt: ita enim in multis codicibus antiquis legebatur, vt affirmat *Catharinus in 1. tract. de Conceptione Virginis cap. 6. pag. 61. §. Quinto non mouemur*: vbi teſtatur, Turremcrematam auſum non eſſe id inficiari. Ante D. Thomam pro ea refertur *Albertus Magnus in libr. de Laudibus, & Priuilegijs Virginis cap. 166.* quem refert *Canniſius lib. 5. de Virgine Deipara cap. 27. pagina 1108.* vbi docet Virginem ſolam excipi à communi regula, quod omnes in Adamo peccauerint. Vnde mutauit ſententiam, quam probauit *in 3. diſtinct. 3. articulo 4. & 5.* vbi ſi non expreſſe affirmat Virginem contraxiſſe peccatum originale; tamen in id inclinat. Eandem ſententiam ex ſcholaſticis conſtanter defendit *Scotus in tertio diſtinct. 3. quæſtione prima*, quem ſequuntur omnes alumni Sanctiſsimæ familiæ Franciſcanæ, qui poſt Scotum ſcripſerunt. Ita docent *Liquetus ibidem, Mayronius q. 2. Baſſolius q. 1. ar. 3. Orbelis q. 1. Melchior Flauus q. 1. Franciſcus Ouãdus ibid. prop. 6. 7. & 8.*

D. Thom. 16. Albertus. Mutauit opinionē. 17. Scotus. Liquetus. Mayron. Baſſol. Flauius.

Vterque Ouandus. Nÿſſe. Cordub. Ioan. Medina. Caſtro. Pitigian.

latius Ioannes Ouandus in comm. ad 3. Scoti diſt. 3. q. 2. dub. 6. ad primam quæſtionem Scoti, Nicolaus de Nÿſſe in ſua reſolutione Theologica tract. 4. p. 1. portione quinta q. 1. latiſsime Antonius Cordubenſis lib. 1. quæſtionar. q. 44. concl. 6. Veiga lib. 2. in Tridẽtinum c. 6. Ioannes Medina in lib. de oratione q. 7. fol. 181. & 191. & de pœnitentia q. 6. pag. 20. & ſatis Caſtro lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione c. 8. Franciſcus de Pitigianis in Summa ad 3. Scoti diſt. 3. q. 1. ar. 5.

Aureolus. Maior. Gabr. Almain. Carthuſ. Argent. Aquila. Rubion. Fr. Franc. à Chriſto. Palatius. Marſilius. Almain. Suarius. Bellom. Salas. Valentia. Henriq. Azorius. Alu. Piſ.

18. Præter Scotiſtas ex ſcholaſticis eandem opinionem probauerunt *Aureolus apud Capreolum in 3. diſt. 3. q. 1. ar. 2. contra primam, Maior in 2. diſt. 30. q. 4. & in 3. d. 3. q. 2. art. 3. Gabriel ibidem q. 1. art. 2. concl. vnica, Almainus q. 1. Dionyſius Carthuſianus q. 1. in fine, noſter Thomas de Argentina q. 1. art. 1. Petrus de Aquila q. 1. Guillermus de Rubione q. 1. art. 2. concl. 5. doctiſsimus præceptor meus Frater Franciſcus à Chriſto q. 1. & lib. 6. de Incarnat. q. 1. Michael de Palatio in 3. diſt. 3. diſp. 1. & in declaratione de conceptione Virginis. & in prœmio 2. in Iſaiam, Marſilius in 2. q. 20. & in 3. diſt. 3. q. 4. art. 1. concl. 1. & Almainus in lib. de poteſtate Eccleſiæ c. 16. Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5. Vaſquez Bellomont. 2. tom. ad 3. p. diſp. 117. per totam, Salas 2. to. ad 1. 2. q. 81. tract. 3. diſp. 11. ſect. 5. n. 68. Gregorius de Valentia in lib. de controuerſijs fidei in tract. de peccato originali c. 3. pag. 785. & in 2. tom. ad D. Thomam diſp. 6. q. 11. pūct. 2. pag. 627. & 628. & latius 4. tom. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag. 402. Henriquez lib. 2. de Miſſa c. 7. in Gloſſa litera S. & in tract. de fine hominis cap. 10. litera B. & in text. & in Gloſſ. Azorius lib. 4. inſtit. moral. cap. 34. q. 3. pag. 436. Aluarus Piſanus Canonicus in proprio hac de re tractatu*: ante omnes eandem ſententiam probauit Petrus de Gandia (qui poſtea fuit Papa Alex. 5.) in 3. diſt. 3. recentiores noſtri temporis, exceptis Thomiſticæ ſcholæ ſectatoribus, quanuis ex illis non pauci noſtram iſtam ſententiam defendāt, vt ſtatim dicemus.

Gerſon. Cliton.

19. Accedunt etiam ad hanc ſententiam plerique ſcholaſticorum, qui varios de Theologia tractatus ediderunt. Hanc opinionem probarunt *Ioannes Gerſon 2. & 4. p. in ſerm. de Conceptione, Iacobus Clitouæus in tract. de Virginis conceptione, & in additionibus ad Cyrillum lib. 6. in Ioannem c. 15. & in Damaſcenum lib. 3. c. 2. ante medium, Galatinus contra Iudæos, c. 7.* vbi refert hanc fuiſſe Rabinorum conſtantem ſententiā: *Nicolaus de Cuſa lib. 5. & lib. 8. exercitationum: Rodolphus, ſiue Rodulphus Carthuſianus de vita Chriſti 1. p. c. 2. in medio, latiſsime Catharinus in 1. & 2. tract. de conceptione Virginis*, vbi nōnullos refert: nimirum Linconiēſem, Roffenſem, Iodocum, Clitouæum, Albertū pium Carthenſem contra Eraſmum, Rodolphum agriculam, Fridericum Nauſa, & nōnullos alios. Citari etiā ſolent pro hac ſentētia *Antonius Cuſanus in ſuo Elucidario de conceptione Virginis, Vincētius Valuacenſis in ſuo ſpeculo hiſtoriali lib. 7. c. 121. Magiſter Frater Laurentius dela porta in lib. de Laudibus, & feſtis B. Virginis, Frater Leonardus de Vtino in ſuo ſanctorali, Bloſius in tract. de dictis Patrum, Surius in appendice Naucleri, Ioannes Echius homil. 2. in feſto Conceptionis, Lippomanus in cathena c. 15.*
lib. Geneſ. Ioannes Driedo lib. 1. de gratia, & 20.
libero arbitrio c. 1. 1. p. fol. 94. pag. 1. & in 2. p. fol. 95. pag. 2. & 3. p. c. 6. fol. 105. pag. 2. & in lib. 2. eiuſdē operis 2. p. c. 2. fol. 563. pag. 2. & lib. 3. de regulis ſacræ Scripturæ tract. 2. c. 4. p. 1. ſent. 6 fol. 127. pag. 2. Petr. de Morales in lib. de Chriſto Dño, & Virg. Deipara lib. 3. tract. 1. concl. 6. pag. 278. col. 2. Martinus delrio in Florido Mariano in feſto conceptionis Virginis, & lib. 4. diſquiſitionum magicarū c. 1. q. 3. ſect. 4. Ioſephus à Coſta de Chriſto reuelato c. 1. n. 17. Ioannes Pineda in aduertentijs ad 11. priuilegium Ioannis primi regis Aragoniæ, & in trac. de conceptione Virg. latiſsime Bellarminus lib. 4. de Amiſsione grat. & ſtatu pec. c. 15. 16. & 17. Theodorus Peltran⁹ in deceptatione de peccato orig. Petr. Canniſius lib. 1. de Maria Deip. c. 6. 7. 8. 9. & 10. & in ſuo catechiſmo in appendice c. 2. de peccato Adæ in omnes trāſmiſſo lit. B. Franc. Turrianus in epiſt. de peccat. originis, & de concep. Virg. Martinus Martines in ſuo hypothepoſ. lib. 6. c. 3. pag. 460. inſignis Didac[illegible] de Paiua Luſitatorū, & Conimbricenſiū Theologorum decus lib. 5. defenſ[illegible]inæ fides, & in 2. p. ſerm. ſerm. 1. de concept. Virg. Iacobus Gennenſis ſer. 3. de Aſſumptione Virginis, Ioānes de S. Geminiano in Summa lib. 1. cap. 48. Ioannes

Galatinus. Cuſſa. Rodulph. Catharin. Cuſanus. Valnaſen. Laur. dela porta. Vtinus. Bloſius. Echius. Lippom. Driedo. Morales. Delrio. Ioſep. à Coſta. Pineda. Bellarm. Peltran. Canniſius. Turrianus. Martines. Paiua. Gennenſis. de S. Geminiano.

Taule-

Taulerus. Senenſis. Mantuan. Budæus. Vida. Ludouicus de Azeu. Alphonſ. Remon. Luzero.

Taulerus in feſto Purificationis, Bernardinus Senenſis tom.1.ſerm.53.& tom.4.ſerm. 48. exercitationum ad illud dictum Chriſti, Cœlum & terra tranſibunt, & lib. 8. ad illa verba, Sicut lilium inter ſpinas, Baptiſta Mantuanus lib.2. Parthenesis, Guillermus Budæus libro 3. de Tranſitu Helleniſmi ad Chriſtianitatem cap. 15. Hieronymus Vida in hymno ad matrem Virginem. Nouiſsime hanc veritatem vt notiſsimam docuit noſter Frater Ludouicus de Azeuedo in ſuo Mariali in diſcurſu conceptionis eius in fine, pag. 453. & in diſcurſu ſolitudinis Virginis, pag. 460. col. 2. ad finem, Fr. Alonſus Remon ordinis da Merced in proprio tractatu, Gundiſaluus Sanches Luzero in eodem tractatu.

Abulenſis. Iacobus de Valentia. Lippom. Yſtella. Lacerda. Cornelius. Maldona. Toletus. Titelman. Barradas. Salmeron. Ioan. Ferdinand. Pereira. Lorinus. Iuſtinian. Magall. Pet. Mor. Holcoth.

21\. Ex interpretibus ſacræ Scripturæ eãdem opinionem vno fere ore omnes amplexati ſunt: late eam defendit *Abulenſis paradox. 1. cap. 21. & cap. 102. & ad Prologum S. Hieronymi in Biblia cap. 6. fol. 12. litera H. latius Exod. 34. quæſt. 8. & Numeror. q. 59. & Ioſue. 7. q. 39. noſter Iacobus de Valentia in Cantic. Virginis, & in Pſalm. 45. Lippomanus in Geneſ. cap. 15. Didacus de Yſtella in Lucam cap. 11. ad illa verba Beatus venter. pag. 148. & cap. 2. pag. 124. Gundiſaluus de la Cerda ad Rom. 5. comment. 39. fol. 104. Cornelius à Lapide ad Romanos 5: ad illa verba, In quo omnes peccauerunt, num. 293. pag. 86. columna 1. Maldonatus Matthæi 9. Toletus Ioannis cap. 3. annotatione 3. & Lucæ cap. 1. annot. 119. Titelmanus in cap. 2. Ioannis, Barradas lib. 6. Concordiæ cap. 6. pag. 475. col. 1. & 2. Salmeron. tomo 3. tractatu 12. in Cantic. Mariæ pagina 110. & 111. latiſsimè tomo 3. lib. 2. diſput. in Paulum tractatu 49. pag. 457. & tractatu 50. pag. 462. & tract. 51. pag. 457. & tandem tractatu 52. pag. 475. vbi hanc ſententiam late confirmat Ioannes Ferdinandus in Theſauro ſacræ Scripturæ, verbo Calcaneus num. 1. Benedictus Pereira in Danielem cap. 4. ad illa verba Germen radicum, Lorinus in Pſalmo 95. ad verba honor regis iudicium diligit, Benedictus Iuſtinianus 1. ad Timotheum capite 2. ad illa verba, qui dedit redemptionem, & ad Hebræos 2. ad illud, quid [illegible]allanus 1. ad Timotheum 2. ſect. 8. annotat. 6. Petrus Morales in cap. 1. Matthæi lib. 3. tract. 1. de præſeruatione Mariæ, Rupertus Holcoth in lib. Sapientiæ cap. 14. lect. 160. vbi litera C.* in antiqua, & incorruptibili impreſsione expreſſe hanc probat ſententiam; nam licet de conceptione Virginis improprie ſumpta pro effuſione ſeminis in matricem dixerit, quod Virgo fuit mundata à peccato originali: tamen conceptione proprie ſumpta pro infuſione animæ in corpus (quæ eſt vera conceptio) verbis expreſsis docet Virginem non fuiſſe cõceptam cum peccato originali. Addimus *noſtrum Paulum Venetum in tract. de Conceptione Virginis, atque Raymundum in tractatu de eodem myſterio refertur à Pineda in ſuis aduertentijs ad priuilegium regis Aragoniæ rælud. tertio.*

Butrius. Panorm. Cardin. Siculus. Albertin. Paramus. Nauar.

Ex Iureperitis hanc opinionem probarunt *Antonius de Butrio in cap. vlt. n. 11. de ferijs, vbi etiam Panormitanus not. 4: Cardinalis, & Andreas Siculus, idem Siculus in Clem. 1. de Summa Trinitate: Additio marginalis ad Gloſſ. in cap. 1. de conſecratione diſt. 3. Albertinus de agnoſcendis aſſertio. Cathol. quæſt. 17. Ludouicus Paramus lib. 3. de origin. inquiſit. & lib. 3. de edicto fidei quæſt. 5. à n. 163. eidem ſemper adhæſit Nauarrus, vt ipſe de ſe teſtatur, in tractatu de Orat. Dominic. n. 131. & in cap. Si quis autem, de pœnit. diſt. 7. num. 74. vbi fatetur ſe idem docuiſſe contra Gloſſ. in cap. 1. de conſecr. diſt. 3.* 22.

Viguerius. Hugo Cardin. Vtinus. Taulerus. Pipinus. Vincent. Iuſtinian.

Ex ſchola Thomiſtarum eandem opinionem plerique probarunt: ſimpliciter eam probat *Ioannes Viguerius in ſuis inſtit. Theologic. c. 18. §. 5. verſ. 2. in hæc verba: Dicendum eſt, quod ipſa ſola ſpeciali gratia præuenta fuit, & præſeruata à peccato originali. Hugo Cardinalis ex anno. 1240. ad Pſal. 45:* eandem opinionem tenuit *Leonardus de Vtino eiuſdem ordinis & ſcholæ in ſuo Sanctorali, & Ioannes Taulerus ſupra citatus, Guillermus Pipinus eiuſdem familiæ & ſcholæ in ſerm. de Conceptione Virginis: late eam defendit Frater Vincentius Iuſtinianus in additionibus ad hiſtoriam Sancti Ludouici Beltrani, impreſsis Valentiæ anno 1593. & in tract. de immaculata conceptione Virginis excuſſo anno præterito 1615.* vbi teſtatur ſe audiuiſſe quãplurimos ex eadẽ familia, & ſchola populo publice prædicantes cõceptionem B. Virginis immaculatã fuiſſe ſine vlla macula originali, quin 23.

potius in fine illius tractatus affirmat hoc Conceptionis feſtum ſub titulo, quod Virgo fuerit ab originali macula prorſus immunis in ſua Bætica prouincia, & ſuo ordine publice fuiſſe celebratum: quam *Stephanus Mendes.* opinionem non minus conſtanter, quam latè defendit *Frater Stephanus Mendes Dominicani ordinis, & ſcholæ in 1. tomo de excellentijs B.Virginis lib.3. per quamplurima capita, omnino videndus à cap. 33. cum ſequentib.* Pro ea ſtat *D.Bonauentura to. 3.* *D.Bonau.* *ſermonum in ſerm.2. de B.Maria pag.389. col.2.f.* Et quanuis Angelus de Rocha ad marginem neget ſermonem eſſe D. Bonau. tamen inter illius ſermones abſque nota refertur.

24. *Pro hac eſt Lutherus.* Et vt nihil omittamus; ex hæreticis vnus eſt Lutherus, qui contra ſuorum communem ſententiam, hanc opinionẽ, vt veriſsimam, & vere piam probat, & defendit in ſerm. de conceptione Virginis, quem refert Canniſius in d. lib. 1. de Maria Deipara c.8. pag.85: cuius etiam verba fideliter refert *Iodocus Coccius 1.to. Theſauri Catholici lib.3. art.1. in fine, pag. 272. & rurſus eandem ſcripſit in ſermone de Annuntiatione Virginis, quem idem Iodocus refert.* Eandem etiam opinionem pro*Pro ea eſt impius Eraſmus.* bat impius *Eraſmus in Apologia ad lib. Alberti Pighij, quem etiã refert Canniſius loco citato, pag.87.* verba adducit idem Iodocus loco citato pag. 271. col.2. Denique idem Iodocus adducit *Mahometum Azoara.75.* in hęc verba: *Nullus naſcitur de filijs Adam, quem non tangat Sathan, præter Mariam, & eius Filium.* ¶ Hos authores ex Theologis, & ſacræ Scripturæ interpretibus inuenire potui, qui affirmant, & cõfirmant Virginem in ſua conceptione fuiſſe immaculatam, & nullam originalis peccati maculam contraxiſſe.

§. 3.

Approbatur ſententia, quæ docet Virginem ſine peccato originali fuiſſe conceptam.

25. *Vera eſt opinio, quod non contraxit orig.* HÆc poſterior ſententia eſt à nobis amplectenda, & in hoc libro quam diligentiſsime confirmanda, & defendenda. Primò, quia eſt longe antiquior, & à multo tempore ſine contradictione aſſerta, & approbata. Deinde, quia apud Patres eſt longe receptior, & communi illorum doctrinæ longe conſonantior. Tertio, quia ex ſacris literis non ſine probabilitate deducitur. Quartò, quia ab Eccleſia, & Summis Pontificibus eſt piè tradita. Quinto, quia generali fidelium conſenſu, & pietate ita approbatur, vt contraria ſine ſcandalo non audiatur. Sexto, quia rationibus Theologicis efficacius cõfirmatur. Poſtremo; quia ab omnib' Vniuerſitatb' Catholicis vnanimiter recipitur, vt patet ex Vniuerſitate Pariſienſi, quæ doctoratus gradum non concedit, niſi præmiſſo iuramento de defendenda hac opinione: de cæteris autem audio in publicis diſputationibus nunquã defendi cõtrariã, cum noſtra iſta ſæpe ſæpius ad defendendũ proponatur: quod de hac Conimbricenſi ego tanquã oculatus teſtis ab annis vltra 50. affirmo; quæ omnia ex articulis, & diſputationibus ſequentibus fient apertiora.

§. 4.

Soluuntur argumenta poſita §.1.

ARgumenta porrò poſita §.1. parũ habent efficaciç. Ad primum patebit ſolutio ex 5. art. vbi ſoluemus authoritates, quæ ex ſacra Scriptura in contrarium objiciuntur. 26. *Ad 1.*

Ad ſecundum reſpondebimus in 6. art. vbi expendemus omnes Eccleſiæ definitiones. 27. *Ad 2.*

Ad tertium etiam patebit ſolutio ex dicendis in 4. art. vbi late agemus de Patribus, qui vnam, aut alteram partem videntur confirmare. 28. *Ad 3.*

Ad quartum negãda eſt ſequela: quoniam conceptio Chriſti, cum non fuerit ex propagatione Adami, vt quia ſine ſemine virili facta ſit, ex vi ipſius conceptionis nullo modo legi peccati ſubiecta erat: cui tamen legi ſubiecta fuit conceptio Virginis, quæ vere maculam peccati originalis in Virginem transfunderet, niſi diuina præueniretur gratia. 29. *Ad 4.*

Ad quintum ſequela etiam eſt neganda: quo[illegible] Virgo ad redemptionem Chriſti vere & proprie pertineret, ſatis fuit illam peccaſſe in Adamo, & ob tale peccatum ſubiectam fuiſſe legi peccati; 30. *Ad 5.*

cati;

cati; de quo latè dicendum erit in vltima huius libri quæſtione.

31. *Ad 6.* Ad ſextum ſimili modo ſequela eſt inutilis. Ad probationem variè varij reſpondent: quidam enim in perſona Virginis admittunt debitum ſimul cum gratia præſeruatiua ab originali macula, in priori tamen naturæ. Alij volunt ſatis fuiſſe eam habuiſſe debitum contrahendi maculam, tum in lumbis parentum, tum in immunditia ſeminis ante animationem, nec opus eſſe, vt debitum illud actu habuerit in propria perſona: nam licet illa perſona, antequam actu eſſet, debitum habuerit; non tamen actu habuit debitum in propria perſona. Nos dicimus Virginem in propria perſona intrinſece non habuiſſe debitum contrahendi pro primo generationis inſtanti: illud tamen habuiſſe extrinſece pro toto tempore immediate præcedente inſtans generationis, in quo per gratiam præuenta eſt, ne maculam contraheret. Vnde debitum ſolum fuit in ea per primum non eſſe, & nullo modo per vltimum eſſe, de quo latius dicemus in 3. q. huius libri, dũ explicauerimus ordinem, & modũ, quo à contrahenda macula præſeruata fuit.

32. *Ad 7.* Ad ſeptimum ſequela etiam eſt inutilis: quia licet vere peccauerit in Adamo, & ideo in eo & in parentibus vere fuerit mortua, & obligata ad cõtrahendam maculam, cum primum foret genita: tamen potuit à tali macula diuinitus præſeruari, vt etiam aduerſarij admittunt, de quo latè in 3. quæſt.

33. *Ad 8.* Ad octauum, admiſſo antecedẽte, ſequela vim non habet, quia non implicat aliquem contrahere effectus peccati originalis, & vere ob peccatum Adami corporaliter mori, peccati macula actu non contracta; quod etiam omnes admittunt. Ad probationem ſumptam ex Paulo dicimus, Paulum non docuiſſe mortem intraſſe in mundum per maculam peccati Adami, quæ ſolum contrahitur, dum quiſque concipitur: ſed intraſſe per actuale Adami peccatum; qua intrauit per actualem inobedientiam [illegible] præuaricationem præcepti [illegible], quia [illegible] omnes in Adamo præuaricati ſumus, per hoc igitur pecc[illegible]um intrauit mors in omnes etiam in Virginem, quamuis nonnulli (non ſatis tute) id negent: quod non tollit quominus mors corporis potuerit in B. Virginem intrare, nulla de facto macula præcedente, de quo plura dicemus libro quarto.

Ad nonum neganda eſt conſequentia: quoniam cœlum fuit clauſum per peccatum actuale Adami, & ſubinde clauſum fuit omnibus, qui in Adamo peccauerunt: quare cum Virgo in Adamo peccauerit, vt libro ſecundo oſtendimus: vtique etiam illi fuit clauſum cœlum, quantumuis maculam peccati in Adamo commiſsi non contraxerit: etenim cœlum per ſe clauſum fuit propter actualem diuini præcepti tranſgreſsionem; nõ vero propter actualem contractionem maculæ talis peccati: vnde licet maculam diuino priuilegio Virgo non contraxerit; tamen ſatis fuit eam in Adamo peccaſſe, vt cœlum ſibi clauſum haberet, ſi ante paſsionem Chriſti mortem obiret. 34. *Ad 9.*

Ad 10. & vltimum negandum eſt antecedens: ad probationem varij varie reſpondent: vera reſpõſio in hoc eſt poſita, vt Virgo ſanctificata fuerit in primo inſtanti ſuæ generationis; de quo plura dicemus in ſequenti diſputatione de ordine, & modo, quo B. Virgo à macula fuit præſeruata. 35. *Ad 10.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm aliqua pars præcedentis controuerſiæ ſit de Fide?

ARTICVLVS VNICVS.

In quo idem inquiritur.

§. I.

Referuntur variæ opiniones.

PRO vera huius controuerſiæ reſolutione primo loco inquirendum eſt, an aliqua harum opinionum ſit de fide? nam varia fuerunt hac de re Doctorum iudicia. Quod hæreticum ſit aſſerere Virginem peccatum originale non cõtraxiſſe, quamplurimi temporis Sixti Quarti, & priuatim & publice docuerũt, 1. *Variæ opiniones.* 1. *opinio.*

Spina. Dominic^9 de Valēt. Vuandell. Guido Carmelita. Falſo tribuitur Alberto. Canniſius. Paiua. Bellomon.

vt refert idem Sixtus in ſua conſtitutione mox citanda. Ita ſcripſerunt *Bartholomæus de Spina in proprio tract. de Conceptione Virginis: Ioannes Dominicus de Florentia in eodem tract. cap.22.23. & 26. & Vincentius Vuandellus in lib. contra Virginis cõceptionem à cap.33. vſque ad 41. Guido Carmelita quodlib.3.q.13: & ita indicaſſe omnes ſui temporis magiſtros plerique referunt ex Alberto Magno in 3.diſt.3.art.4. & affirmant eundem Albertum* ita ſenſiſſe, ſed in loco citato ſolum aſſerit *hæreſim eſſe dicere Virginem fuiſſe ſanctificatam ante animationem, damnatam à D. Bernardo.* Quare hallucinantur, qui pro hac cenſura referunt Magnum Albertum. In eadem opinione perſiſtunt noſtræ tempeſtatis hæretici *Kimniſius, Caluinus, Sarcenis, Illyricus, Centuriones, & omnium impudentiſsimus Iacobus Schenchius,* quos præter alios refert *Canniſius lib. 1. de Maria Deipara cap.1. & 6. Bellarminus, & inſignis Paiua in locis citatis art.1.§.2. cum Bellomontano 2.tom. ad 3.p. diſp.117. cap.14. n.141. & 142.* Fundamentum inde ſumunt; quia putant ſententiam illam & ſacris literis, & definitionibus Eccleſiæ, & vnanimi Patrum conſenſui expreſſe repugnare.

2. *2. opinio. Almain. Clitouæus. Titelman.*

E contrario alij affirmant non poſſe ſine hæreſi negari B. Virginem à macula originali fuiſſe immunem. Ita ſenſiſſe plures teſtatur idem Sixtus: pro qua ſententia Suarius refert *Almainum in tract. de poteſtate Eccleſiæ cap.16:* ſed eo in loco, nihil dicit: videtur tamen eſſe huius opinionis *in 3.diſt.3. q.1.* dum ait, *B. Virginem originale non contraxiſſe,* iam eſſe per Eccleſiam definitum in Concilio Baſilienſi, & inde mouetur, vt dicat oppoſitã ſententiam eſſe hæreticam. Pro eadem cenſura refertur *Iodocus Clitouæus in annotat. ad Damaſcenum lib.3. de Fide cap.2. ante medium, & Titelmanus in c.2. Ioannis.* Plures etiam affirmant Pariſienſes in eadem fuiſſe ſententia. Fundamentum ſumunt, vel ex Concilio Baſilienſi, in quo Virginis immunitas fuit definita, vel ex eo, quod Eccleſia publice celebrat feſtũ Conceptionis, quaſi hæc publica ſolennitas ſit definitio fidei.

3. Ad eandem opinionem poſt Sixti cõſtitutionem nonnulli videntur accedere, dum ſcribunt negare hanc B. Virginis immunitatem eſſe erroneum. Ita ſcribebat *Albertinus in tract. de agnoſcend. aſſertion. Catholic. q.17:* cuius ſententia de mãdato Superiorum correcta fuit, & moderata, vt oppoſita ſententia ſit ſcandaloſa, piarum aurium offenſiua, & male ſonãs, quæ cenſura modo habetur in præcitato libro. In eadem ſententia ex Iureperitis fuit *Andreas Siculus in Clem. 1. de Summa Trinit.* Denique non deſunt, qui credant oppoſitam ſententiã ſimpliciter eſſe ſcãdaloſam, etiam poſt Sixti conſtitutionẽ. *Albertin. And. Siculus.*

§. 2.

Prima propoſitio: neutra eſt de Fide.

4. *1. propoſit. quod neutra ſit de Fide. Sixtus in Extrauag. Graue nimis. Imponitur excommunicatio reſeruata Sũmo Pont. Renouatur ab Alex. à Trident. à Pio V.*

His tamen non obſtantibus quæſtionem dirimemus nonnullis adhibitis propoſitionibus. Prima propoſitio: *Neutra ſententia eſt de Fide: & ſubinde neutra dici poteſt hæretica.* Hæc propoſitio in his terminis eſt indubitata poſt conſtitutionem Sixti IIII. in Extrauag. *Graue nimis,* de reliquijs, & veneratione Sanctorum inter communes editam anno Domini 1483. pridie Nonas Septembris: vbi hanc controuerſiam dirimens ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & Sedi Apoſtolicę reſeruatæ prohibet, nequis vnam vel alteram tanquam hæreticam condemnet. Quæ conſtitutio primum confirmata fuit, & renouata per *Alexandrũ III anno 1502. 10. Kalendas Martij, vt patet ex Maremagno, fol. 158. in fine.* Deinde innouata à *Tridentino ſeſſ.5. de peccato originali in fine, & poſtea à Pio V. anno 1570. ſeptima die Decembris in Extrau. ſuper Speculum,* quæ habetur inter motus proprios eiuſdem Põtificis, pag.250. & apud *Petrum Matthæũ in Summa Conſtitutionum Summorum Pontificum conſtit. eiuſdem Pij 45. pagina 639.* vbi p.640. ita ſcribit: *Nos igitur, quæ prædeceſſorum noſtrorum ſaluberrima decreta pro viribus ſalua eſſe cupimus, potiſsimũ illa, quæ à Sacroſancta Synodo Tridentina denuo ſint confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controuerſiæ quamlibet partem, prout, vel magis piam, vel magis probabilem eſſe, indicauerit.*

Quare

5. *Præmiſſũ.*

Quare in hac diſputatione hoc tanquam præambulum præmittimus, neutram opinionem poſſe de hæreſi damnari poſt Sixti Conſtitutionem, *vt patet ex Caietano, Medina Cano, Valentia, Cordubenſi, Bellarmino. Suario, Ouando, Sala, cæteriſque omnibus*, qui poſt præfatam conſtitutionem Sixti de hac controuerſia diſputarunt; quin potius ita cenſuerunt, qui ante Sixti Conſtitutionem, hãc controuerſiam, veritatis indagandæ zelo explicarunt: vt patet ex Abulenſi Paradox. 1. & cap. 21. & ex pluribus alijs, qui ante Sixtum ſcripſerunt.

6. *Qui excommunicationem incurrant.*

Quare non video, quomodo ab hac excommunicatione à Sixto impoſita, ab Alexandro, Tridentino, & à Pio Quinto renouata liberari poſſint, qui in pluribus Hiſpaniæ locis, in Prouincia Bętica anno prȩterito 1615, auſi ſunt, non ſolum prȩdicare, ſed coram innumerabili virorum, & mulierum multitudine publicè affirmare opinionem, quæ B. Virginem ab originali liberat, non ſolum eſſe nouam, & ſolis ignorantibus probatam, ſed etiam hæreticam, à Satana inuentam, & igne dignam; ita in Bætica non ſine fidelis populi ingenti ſcandalo, quam plurimos Theologos, & diuini Verbi prȩdicatores publice docuiſſe, non ſolum notoria refert fama, ſed etiam publica inſtrumenta confirmant: nam cum ex notorio omniũ teſtimonio conſtet iſtos nõ ſyncero animo, ſed ſcãdaloſa audacia, & auſu temerario hæc dixiſſe, dubitari non poteſt eos in prȩdictam excõmunicationem incurriſſe.

7. Quod non ſine lachrymis (Deum teſtor) ſcribo, vt ſuperiores admoneam, vt ſubdictorum conſcientijs ſuccurrant, & his temerarij auſibus, finem imponãt, quod ni fecerint, Deus iſtorum ſanguinem ab illorum manibus exquiret: nam ſi ante Apoſtolicæ Sedis prohibitionem, Sedes ipſa Apoſtolica ſimiles auſus, & temerarios appellat, & præuerſos, & vt tales excommunicatione Summo Pontifici reſeruata prohibebat, vt patet ex dictata Sixti Conſtitutione: quis negabit ſimiles auſus poſt præcitatam prohibitionem eſſe pluſquã temerarios, & pluſquã præuerſos? dignoſque, vt Summus Põtifex de veritate plenius inſtructus, punitione quadam exemplari authores puniat, & coerceat? etenim ſi præuerſum eſt aſſerere hæreticam eſſe opinionem in cuius fauorem Romana Eccleſia ſolenne inſtituit feſtum, non illam diffiniens, ſed vt piam approbans: vtique non poteſt non eſſe præuerſa aſſertio, quæ aſſerit Fidem Catholicam comprehendere Virginem ſub regula generali de contrahendo originali peccato, quã Tridentinum ſub illa non voluit comprehẽdere. Quare prædicatores iſtos excommunicationem Sedis Apoſtolicæ reſeruatam incurriſſe, nullus dubitare poterit. Vtrum vero hæc aſſertio alia cenſura digna ſit? in ſequenti §. expendemus.

§. 3.

Vtrùm aſſertio, quæ vnam vel alteram opinionem hæreſis damnat, aliqua digna ſit cenſura?

8. *Vtrum talis aſſertio ſit digna aliqua cenſura?*

ANtequam vlterius progrediamur inquirendũ eſt, qua cenſura dignus ſit, qui poſt editam, & toties renouatam Sixti conſtitutionem, alterã ex his opinionibus hæreſis damnauerit? nec enim in hoc omnes conueniunt.

1. opinio Caſtri.

Caſtro lib. 1. de iuſta hæreticorum punctione c. 8. putat hunc eſſe hȩreticum, ſi id aſſerat cum pertinacia: etenim iſte errat in Fide, dum aſſerit eſſe infallibiliter certũ, quod Eccleſia declarat eſſe incertum, quam ſententiam vt veriſimilem latè defendit *Vaſquez Bellomontanus 2. tom. ad 3. p. diſp. 117. c. 14 ad finem, n. 150.* & ſatis videtur conſentire *Bellarminus inferius citandus.* *Bellom. Bellarm.*

2. opinio.

Alij volunt huius hominis aſſertionem eſſe falſam, erroneam, & à veritate alienam, & ita Sixtum iudicaſſe, vt patet ex *Valentia 4. tom. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pagina 403. in fine*, cum quo conſentit *Corduba lib. 1. quæſtionar. q. 17. §. 13. in fine, pagina 162. col. 1.* *Valentia. Corduba.*

3. opinio Suarij.

At tamen *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 6. in fine*, putat hominem iſtũ eſſe quidem temerarium, & inobedientem; non tamen hæreticum: nam cum Eccleſia non definierit tanquam de fide vtramque poblematis partem eſſe incertam, ſed ſolum ſimpliciter doceat vtramque ideo non eſſe infallibiliter certam, quia Eccleſia neutram hucuſque de Fide defini-

definierit; dici nequaquam poteſt hominem iſtum errare in Fide.

9. *Propria authoris opinio.* Ego litem iſtam adhibita diſtinctione dirimendam puto; vt vere ſit hæreticus, qui affirmauerit eos, qui credunt, & tenēt B. Virginem culpam originalem non cō traxiſſe, eſſe hæreticos, aut mortaliter peccare: ſecus dicendum erit de eo, qui docuerit hæreticos eſſe, aut mortaliter peccare, qui affirmant eam peccatum originale contraxiſſe. Quare pro vera reſolutionē ſequentes ſtatuo aſſertiones.

2. aſſertio in eodem. Sit igitur ſecunda aſſertio in ordine: *qui affirmant, eſſe hæreticos, aut mortaliter peccare eos, qui credunt, aut tenent B. Virginem abſque vlla originali macula fuiſſe conceptam, tanquam veri hæretici ſunt iudicandi, & habendi.* Hanc aſſertionem ſtatuimus contra Cordubenſem, Valentiam, & Suarium, reprobantes opinionem Caſtri & Bellomontani vbi ſuprà: cui ſatis adhæret *Bellarminus lib. 4. de Amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati cap. 15 pag. 320. §. Ab hac aduerſariorum temeritate,* dum ait: *hominem, qui præcitatam aſſertionem aſſeruerit, inter Catholicos non eſſe enumerandum.* Quibus verbis ſatis exprimit hominem illum eſſe hæreticum. *Bellarm.*

10. *Fundamētum.* Huius opinionis fundamentum ex eo ſumitur: quoniam ille vere cenſendus eſt hæreticus, qui aliquid aſſerit contra id, quod Eccleſia definit, vt dogma fidei. Iam vero qui illam aſſerit propoſitionē, vere aſſerit contra id, quod ab Eccleſia definitum eſt de fide. Ergo vere cenſendus eſt hæreticus. *Probatio minoris ex Caſtro.* Huius argumenti minorem Caſtro ex eo probat, quia iſte habet pro certo in fide, quod adhuc eſt incertum: affirmat enim eſſe de fide Virginem peccatum originale contraxiſſe: quod adhuc eſt incertum cùm ab Eccleſia id adhuc non ſit diffinitum. Quæ tamen probatio vim non habet: *Nō admittitur.* quoniam ad veram rationem hæreſis non ſatis eſt affirmare tanquam de fide, quod adhuc ab Eccleſia vt de fide definitum non eſt: etenim plerique & in diſputando aſſerūt, & in ſcribendo affirmant aliquid eſſe de fide, quod alij negant de fide eſſe, & interdum vere id negant: & tamen nullus damnauit hæreſis eos, qui ita aut diſputando, aut ſcribendo aſſerunt. Quare vt iſte, de quo agimus ſit iudicandus tanquā hæreticus, non ſatis eſt, quod aſſerat eſſe de fide Virginem contraxiſſe originale peccatum: ſed opus eſt, vt illud aſſerat contra aliquam definitionem Eccleſiæ.

11. *Probatio eiuſdē minoris ex Bellom. Non recipitur.* Quare Vaſquez Bellomontanus illam minorem ex eo probat; quia Eccleſia (vt ait) tanquam de fide definiuit neutram quæſtionis partem eſſe definitam. Sed cum doctiſsimus Suarius expreſſe ſcribat Eccleſiam non definiuiſſe tanquam de fide neutram partem eſſe de fide definitam, debuiſſet Bellomontanus oppoſitum probare, ne ſine probatione ſumeret, quod probandum erat: neque enim Sixtus IIII. aliquid dixit, ex quo colligi poſsit, ipſum vt de fide definire neutram quæſtionis partem eſſe ab Eccleſia definitam: ſed nec aut ab Alexandro VI. aut à Pio V. aut à Tridentino talis definitio vel apparenter colligitur. *Optimum notabile.* Pro quo aduertimus aliud eſſe Eccleſiam aſſerere non dum eſſe aut definitum, aùt declaratum alteram partem huius quæſtionis habendam eſſe tanquam de fide, & aliud Eccleſiam aſſerere eſſe de fide neutram partem eſſe definitam. Quare ſi Eccleſia definiuiſſet, vt de fide, neutram partem hactenus eſſe de fide definitam; abſque dubio hæreticus eſſet, qui aſſereret, vnā partem eſſe de fide, & alteram eſſe hæreticam; quia vere contradiceret propoſitioni, quæ vt de fide eſſet ad credendum propoſita. Verum cum Eccleſia non definiendo vt de fide, ſed ſimpliciter aſſerendo, teſtetur neutram partem adhuc eſſe, vt de fide propoſitam; profecto, qui præcitatam aſſertionem ſumeret, nihil diceret, quod ex eo capite propoſitioni de fide contradiceret. Quare Vaſquez ſine fundamento ſumit id, quod ſumit.

12. *Vera minoris probatio.* Probatio igitur minoris argumenti propoſiti ex alio capite lōge diuerſo ſumenda eſt, ex eo nimirum, quod Sixtus IIII. in d. Extrauag. *Graue nimis*, ſimpliciter & abſolute damnat, & reprobat tāquam falſas, & erroneas præuerſas, & à veritate alienas aſſertiones, quæ affirmare præſumunt eos, qui dicunt B. Virginē à peccato originali immunem fuiſſe, aut hæreſim dicere, aut mortaliter peccare: ita enim ſcribit: *Nos igitur huiuſmodi te-*

merarijs

Verba Sixti IIII: *merarijs auſibus, ac peruerſis aſſertionibus, & ſcandaloſis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſunt, obuiare volentes, motu proprio, & de mera diliberatione, & certa ſcientia aſſertiones, quæ affirmare præſumunt eos, qui credunt, aut tenent Dei genitricem ab originalis peccati macula in ſua conceptione præſeruatam fuiſſe, propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare; aut huiuſmodi officium Conceptionis celebrantes, ſeu huiuſmodi ſermones audientes alicuius peccati reatum incurrere, vtpote falſas, & erroneas, & à veritate penitus alienas: editosq́; deſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc, authoritate Apoſtolica tenore præſentium reprobamus, & damnamus.* Hęc formaliter Sixtus IIII. Ex quibus verbis euidenter cõſtat aſſertiones, quę affirmant hæreſim eſſe aut peccatum mortale tenere, quod Virgo peccatum originale non contraxit, authoritate Apoſtolica damnatas eſſe, & reprobatas; quæ verba fidei definitionem continent, vt ſatis colligitur ex cap. *Damnamus de Sũma Trinit.* vbi doctrina cuiuſdam Ioachimi ab Innocentio III. per hæc verba *damnamus, & reprobamus* in principio C. ſimpliciter & abſque alia additione damnata, & reprobata, appellatur hæretica inferius in verſ. *Si quis igitur.* Quare cum propoſitiones præcitatæ Apoſtolica authoritate damnentur, & reprobentur à Sixto IIII. vtique diffiniuntur hæreticæ: & ſubinde Catholicæ erunt propoſitiones, quæ affirmant, aſſerere Virginẽ peccatum originale non incurriſſe, nec hæreſim eſſe, nec peccatum mortale incurrere. Cum quo ſtat nondum eſſe de fide, Virginẽ ſine peccato originali fuiſſe conceptam: nam longe aliud eſt nondum eſſe de fide Virginem fuiſſe conceptam ſine originali; & eſſe de fide non eſſe hęreſim, nec peccatum mortale aſſerere eam à peccato originali fuiſſe præſeruatam. Quod in hac materia eſt diligenter aduertendum.

13. Ca. *Damnamus, de Sum. Trinitate:*

Nota.

14. *Aliud fundamentũ.* Quod adhuc confirmare poſſumus, ſi aduertamus non ſolum eſſe de fide infallibiliter vera eſſe, quæ E[illegible] tanquam de fide diffinit, & fidelibus vt credenda proponit; ſed etiam ea, quæ abſque fidei definitione a[illegible] Eccleſia iudicantur, & cẽſentur aut in fide certa, aut fidei pietati conſona, aut cum fidei principijs valde conſentientia: hæc enim eſt fidei Catholicæ excellentia, vt non ſolum nihil falſi poſsit diffinire tanquam de fide, ſed nec poſsit alicui falſo adhærere ſub ratione, & ordine ad fidem. Et inde eſt, vt omnis propoſitionum cenſura neceſſario ſupponat veritatem in propoſitione, cuius veritatis gradum exquirit. Inde etiam eſt, vt veritas, quæ aliquo modo ad fidem pertinet, non ſolum excludat errorem certum, & manifeſtam falſitatem, ſed etiã poſsibilitatem, vt ſit falſa, & veritati contraria: ob quam rationem, nulla propoſitio probabilis, ſub ratione probabilis poteſt aliquo modo pertinere ad fidem: aut contineri ſub aliquo gradu catholicæ veritatis; cum veritas catholica, ſub quocũque conſideretur gradu, neceſſario ſupponat veritatẽ, qua ſuppoſita inquiritur, an ad veritatem fidei Catholicæ aliquo modo pertineat? & ad quem illius gradũ? ſtatuendum eſt igitur fidem Catholicam docere nihil, quod ad fidem quoquo modo pertinet, à parte rei poſſe eſſe falſum, quod ex materia de Fide ſupponimus. *Nota.*

15. *Conclusio.* Quare cum hæc propoſitio: *B. Virgo de facto non contraxit peccatum originale,* quamuis non dum ſit definita de fide, ad fidem tamen pertineat, idque iudicio, & authoritate Eccleſię; non quidem diffinientis eam, ſed vt veram & piam in fide approbantis; de fide erit præfatam propoſitionem in ſe ipſa ita eſſe veram, vt falſa eſſe non poſsit: & per conſequens non poſsit continere aut hæreſim, aut malitiam mortalem. Huius diſcurſus conſequentia eſt nota & legitima: maior autem ex dictis patet: porro minoris veritas manifeſte patebit ex ijs, quæ inferius dicemus, maxime in 6. art.

Corollariũ. Inde iam poteſt inferri, quanto cum fundamento Sixtus IIII. aſſertiones, quæ damnant tanquam hæreticam ſententiam, quæ Virginem ab immunditia originali immunem facit, ideo appellet peruerſas, & ſcãdaloſas; imo etiam damnet, & reprobet tanquam erroneas, & à veritate fidei penitus alienas; quia de hæreſi, & peccato mortali damnare præſumunt, quod Romana Eccleſia publico

feſto,

feſto, & celebret, & celebrare præcipiat, & ſolenne ad illius celebrationem officiũ inſtituat. Quod Sixti fundamentum â Tridentino, & alijs Pontificibus approbatum ſatis efficaciter confirmat contra fidem eſſe affirmare hæreticum eſſe, & per ſe malum, quod Eccleſia tanquam pium, ſi non diffiniendo, tamen fauendo admittit, approbat, & præcipit: qualis eſt celebratio feſti Conceptionis Virginis ſub titulo immaculatæ, & ab omni originali macula immunis: etenim contra fidem eſt errare Eccleſiam, dum aliquid tanquam pium & ſanctum admittit, & fieri præcipit, licet illud non definiat. Quod eſt noſtrum fundamentum in hac materia diligentius annotandum.

16. *3. aſſertio.* Tertia in ordine aſſertio: *qui dixerit hæreticam eſſe opinionem, quæ aſſerit Virginẽ conceptam eſſe in peccato originali, proferet aſſertionem falſam, & in fide temerariam: ideo quia priuata authoritate aſſerit eſſe de fide, quod Sedes Apoſtolica aſſerit nondum eſſe de fide deciſum: non tamen proferet aſſertionem peruerſam, aut erroneam, ne dum hæreticam.* Hæc aſſertio ſtatuitur contra nonnullos ex Modernis, qui aſſerũt Sixtum IIII. in d. Extrau. *Graue nimis*, hanc etiam aſſertionem damnaſſe, & reprobaſſe, vt peruerſam, & erroneam. Quorum ſententiam inaduertenter ſcripſit *Valentia 4. tom. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pagina* 403. ita de Sixto IIII. inquiens: *vbi aſſertionem eius, qui alterutram harum opinionũ cenſet eſſe hæreticam, vel continere peccatũ mortale; pronuntiat falſam, & erroneam, & à veritate penitus alienam.* Quod etiam affirmat Caſtro *lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione c.* 8. ſed quantum hæc ſententia aliena ſit à mente Sixti, facile patet ex verbis illius: agens enim de illis, qui hæreſis aut peccati mortalis damnant eos, qui dicunt Virginem peccatum originale contraxiſſe, hæc ſolum verba ſcribit: *item motu, ſcientia, & authoritate ſimilibus, ſimili pœnæ, & cenſuræ ſubijcientes* (agit de pœna & cenſura excommunicationis) *eos, qui auſi fuerint aſſerere contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam, cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale; cum nondum ſit â Romana Eccleſia, & Apoſtolica ſede deciſum.*

Non recipitur Valentia.

Nec Caſt.

Lõge sũt à mente Sixti.

Et vt mens Sanctiſsimi Pontificis euidentius pateat, illud eſt magnopere annotandum Sixtum in illa Extrauag. principaliter inſurgere contra eos, qui videntes Romanam Eccleſiam feſtum Conceptionis ſolenniter celebrare, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium ordinaſſe; non erubuerunt dicere tenẽtes illam opinionem, & celebrantes præfatum feſtum hæreſim incurrere, & peccare mortalit. vt patet ex principio illius Extrau. verſ. *Sane cum Sancta Romana Eccleſia.* Vbi hãc aſſertionẽ primum appellat peruerſam, vt patet in §. *Nos igitur.* Deinde inferius eam reprobat, & damnat, vt falſam, erroneã, & â veritate penitus alienam, & pœnam excommunicationis imponit illis, qui eam aſſererent, aut ſcriberent. Porrò aſſertionem, de qua agimus, neque peruerſam appellat, nec vt erroneam damnat, aut reprobat: ſed ſolum illius aſſertores excommunicat: non ob aliam rationem, & cauſam, niſi quia temere diffiniunt de fide, quod Eccleſia nondum de fide definiuit, vt euidenter ſignificant verba, quæ adduximus. 17.

Et merito ſane; quia licet audaciæ ſit plenum & temeritatis in materia fidei abſque Eccleſiæ authoritate opinionem aliquam, aut hęreſeos, aut culpæ mortalis damnare, quod Eccleſia nondum damnauit, tamen talis aſſertio nihil continet, ob quod in ſe ipſa damnetur erroris, aut peruerſitatis: cũ talis aſſertio nec fidei repugnet nec veritatibus, vt de fide receptis. Iam vero in aſſertione ſecundo loco poſita, & reperitur præfata temeritas, & audacia; cum diffiniat, tanquam de fide quod Eccleſia de fide non definiuit: & reperitur repugnantia cum veritate fidei, dum hæreſeos, & peccati damnat id, quod Romana Eccleſia, & ſedes Apoſtolica, vt pium & fidei conſonans probat, & præcipit, dum diem conceptionis publice mandat celebrari: quod eſſe contra fidem expreſſe conuincitur apud eos, qui volunt eſſe de fide Eccleſiam in celebratione [illegible] errare non poſſe: imò etiam id conuincitur, ſi cum alijs dicas Eccleſiam, dum feſtorum celebrationem inſtituit, non proinde definire, vt de fide 18. *Confirmatur.*

talem

talem celebrationem, ſed ſolum vt piam veritatem, & fidei conſonam, quæ fuit plurimorum opinio: etenim ſatis eſt hæc pia definitio, vt credendum ſit de fide talem veritatem eſſe infallibilem; ita vt hęreticum ſit affirmare aut de facto in hoc dari, aut dari poſſe aliquam falſitatem, vt in 2. aſſertione iam oſtendimus. Ob hãc

19. *Fundamẽtum Sixti.* rationem Sixtus aſſertionem, quam in ſecunda impugnauimus, non ſolum reprobauit, vt in ſe peruerſam, ſed etiam damnauit vt erroneam, atque hęreticam: non ob aliud fundamentum, niſi quia hæreſis damnat, quod Eccleſia Romana publica feſtiuitate celebrat, vt ſuperius aduertimus: cum tamen in reijcienda aſſertione, de qua in tertia cõcluſione agimus, eam non damnet vt peruerſam, & erroneam, atque à veritate alienam; ſed ſolùm, vt audacem, & temerariam; ob eã præciſe rationem, quia affirmat eſſe de fide, quod Eccleſia Romana nondum de fide diffiniuit: etenim temerarium eſt ſupponere eſſe diffinitum de fide, quod Eccleſia declarat nondum de fide eſſe diffinitum. Quomodo enim Sixtus damnaret propoſitionem, vt erroneam, & à veritate alienam, quam vt veriſsimam, & fidei conſonam feſti celebratione approbat? ſed de hoc plura in 8. art.

20. *Nõ admittitur Valẽtia.* Ex quo euidenter conſtat Valentiam inaduertenter dixiſſe Sixtum damnare erroris aſſertionem, quæ vnam vel alteram partem eſſe hæreticam aſſereret: cũ hac cenſura non notauerit propoſitionẽ, quæ aſſereret hæreſim eſſe Virginẽ peccatum originale contraxiſſe, ſed ſolum eam, quæ diceret hæreticum eſſe Virginem ab originali fuiſſe liberam, vt ex illius Extrauag. tenore ſatis intelliges. Et à fortiori maioris inaduertentiæ accuſabis

Non recipitur Caſt. Caſtrum aſſerentem vnius, & alterius opinionis aſſertorem eſſe hæreticũ. Quare in hac noſtra tertia aſſertione probanda eſt opinio Suarij, quam initio huius §. adduximus.

§. 5.

Quid; ſi quis poſt Sixti conſtitutionem ſolum damnet vnam, vel alt[illegible]ionem, aut erroris, aut temeritatis, aut peccati venialis?

INquirendum eſt ſecundo loco; an qui poſt præfatam Sixti conſtitutionem alteram opinionem non hęreſis, ſed alterius notæ damnauerit, affirmans eam vel erroneam, vel temerariam, aut ſcandoloſam, vel ſine peccato veniali defendi non poſſe, ſit aliqua cenſura dignus, & incurrat excommunicationem aliquam à Sixto impoſitam? 21. *2. quæſtio.* Rationem dubitandi facit: quoniam *Albertinus de agnoſcendis aſſertionibus q. 17.* iudicio Inquiſitorum admiſſus eſt damnare, vt ſcandaloſam, male ſonantem, & temerariam aſſertionem, quæ affirmaret Virginem contraxiſſe peccatum originale: quod ſacri iudices, & omni ex parte circunſpectiſsimi minime tolerarent, ſi crederent hoc conſtitutioni Sixti repugnare. *Ratio dub. Albertin.* Accedit eò, quia poſt illam Sixti conſtitutionẽ Vniuerſitas Pariſienſis immunitatem Virginis ab originali defendit, non vt opinionem, ſed vt ſententiam ita veram, vt oppoſitam damnet, tanquam falſam, impiã, piarum aurium offenſiuam, & retractatiuam à deuotione fidelium, vt patet ex *Cordubenſi lib. 1. quæſtionar. q. 44. in octaua confirm. concluſionis 6. pag. 369:* quod Patres illi non facerent, ſi in hoc conſtitutioni Sixti contrairent, nec ſimiliter alij dicerent eſſe peccatum veniale tenere B. Virginẽm fuiſſe conceptam in originali: quod quibuſdam placuiſſe refert Cordubenſis, eamque tribuit Maiori in 2. diſt. 30. q. 4. *Cordub.* ¶ Pro contraria parte facit Bulla Pij Quinti, dum cuique liberam facit facultatem defendendi, ac tenendi, quam voluerit opinionem, dum oppoſitam nõ iudicet erroneam: vnde innouans pœnas à Sixto impoſitas, videtur eas imponere illis, qui alteram partem non ſolum vt hæreticam, ſed etiam vt erroneam reiecerint. *Pro parte altera.*

Hanc dubitationem ſequentibus aſſertionibus dirimemus. Sit igitur in ordine quarta propoſitio: *qui dixerit ſententiam, quæ Virginem liberat à macula originali eſſe erroneam, aut ſcandaloſam, aut temerariam, aut denique ſine peccato veniali teneri non poſſe; proferet aſſertionem vere erroneã, & vt credo hæreticam.* 22. *4. propoſit.* Hæc aſſertio ex eo probatur; quoniam iſte ſciens & prudens aſſerit erroneum eſſe, aut ſcandaloſum,

ſum,ſiue temerarium in fide,id quod Romana Eccleſia,vt vere pium,præcipit ſolenniter celebrari: etenim apud omnes conſtat, ſaltem eſſe erroneum affirmare Eccleſiam in celebratione feſtorum errare poſſe,vt ſupponimus, & iam oſtendimus ſuprà *lib.1.q.2.art.3.* Quare cum Eccleſia Romana præcipiat immunitatẽ illam Virginis publice celebrari,& celebrantibus indulgentias concedat,vt vere piam:non poterit vel ab hæreſi, vel ſaltẽ ab errore liberari, qui dixerit talem celebrationem eſſe erroneam, aut ſcandaloſam, aut peccaminoſam vel venialiter. Et quanuis Sixtus in ſua conſtitutione contra iſtos expreſſe non definierit(quia ſolum egit contra eos, qui illam immunitatem damnant vt hæreticam) tamen identitas rationis cogit, vt dicamus hanc etiam ſententiam ibi damnari: quis enim non damnabit, ſaltem vt erroneum aſſerere Eccleſiam celebrare immunitatem, quæ ſine errore, aut ſcandalo, culpaque veniali celebrari non poteſt? quod Pius V. in ſua Extrauag. ſatis exprimit, dum prohibet,ne altera opinionum veluti erronea damnetur:liberam faciens facultatem defendendi vtram,quis voluerit,ſententiam: quam liberam facultatem non concederet, ſi altera pars ſine errore, aut veniali peccato teneri,probarive non poſſet.

23. 5.aſſertio. Quinta aſſertio:*qui vero illud ipſum dixerit de ſententia,quæ probat Virginem contraxiſſe originale; falſam quidem aſſertionẽ proferet, nulla tamen dignam cenſura, niſi inobedientiæ,& temerariæ audaciæ;quod ſatis eſt, ne talis aſſertio permittatur.* Prior pars ex eo probatur; quia Pius V. liberã cuique fecit facultatem opinandi quamlibet partem, prout vel magis piam, vel magis probabilem iudicauerit: quæ ſunt formalia verba Pontificis: ex quibus patet neutram partem ab aliquo particulari poſſe notari, aliqua contra fidem cenſura ſeruatis Pij V. circunſtantijs: quomodo enim priuatus aliquis poterit affirmare opinionem eſſe erroneam, aut ſcandaloſam, ſiue temerariam in fide, cuius opinandæ Summus Pontifex liberam facit facultatem, quandiu ab Eccleſia neutra definita fuerit? Poſterior vero pars ex eo mihi probatur,quia ſi aſſertio illa, vel erroris,vel alterius notę in fide digna foret, non admitteret ſupremum Inquiſitionis Tribunal moderationem opinionis Albertini, quæ illam formaliter affirmat: imò Sedes Apoſtolica non permitteret Pariſienſium opinionem. Quanuis autẽ poſt Pij conſtitutionem aſſertio ſit audaciæ notanda:tamen in illa nihil video,vnde aut de errore, aut de ſcandalo notari debeat: etenim illa Pij V. diſpoſitio non fuit iudicialis definitio,ſed ſimplex quędam ordinatio, quandiu Eccleſia huius controuerſiæ veritatẽ non diffinit: quod ſatis eſt,vt talis aſſertio nec ſcribi,nec defendi permittenda ſit.

Sexta in ordine aſſertio: *qui alteram ſententiam non hæreſis,ſed aut erroris, aut ſcandali,aut temeritatis damnauerit, aut dixerit neutram teneri poſſe ſine peccato veniali:dubium mihi eſt,an ſententiam excommunicationis à Sixto impoſitam, & à Tridentino, Alexandro, & Pio renouatam incurrat?* 24. 6.aſſertio. Etenim pro vtraque parte datur ratio dubitandi, nam quod non incurratur excommunicatio, inde non improbabiliter defendi poteſt,quia conſtitutio Sixti in eum duntaxat ſententiam excommunicationis profert; qui alteram opinionem hæreſis damnauerit; aut aſſeruerit, ſine peccato mortali defendi non poſſe,vt patet ex illius tenore. *Pro parte negante.* Iam verò lex pœnalis extendi non debet extra proprium caſum, ex regula *Odia,& ex regula In pœnis de regulis iur. in ſexto, & in cap. Pœnæ de pœniten. diſt. 1.* etiam ſi in vtroque caſu eadem inueniatur ratio, vt ex Theologis latè probat *Caſtro lib. 1. de poteſtate legis pœnalis c.7. in 3.documento, quem ſequitur Sayrus in claui regia lib. 3. c. 8. num.9.& 10. ex Iureperitis idem probant Imola in l. Si vero,§.de Viro, col.8. ff. ſolut. matrim. Euerardus in locis legal. loc.79. pag. 405. verſ. ſecũdo caſu, dicit eſſe communem, Dominicus in cap. 1. de temporibus ordinationum in 6. citatur Gloſſa ibidem ad verbũ Italiæ,& latè probat Nauarrus in d.cap.pœnæ.* Quare cum Sixti conſtitutio ſolum excom[illegible], qui alteram partem hæreſeos damnauerint, non videtur talis excommunicatio extendenda ad caſum propoſitum,etiam ſi in illo eadem militet ratio.

Reg. Odia. reg. in pœn. de reg. iur. Ca. Pœna de pœni. d. 1. Caſtro. Sayrus. Imola. Dominic. Gloſſa. Nauar.

Pro affirmante. ratio. ¶ Pro altera parte, & quod iſti in excommunicationem incidant, illud vrget, quod longe verior, & iuri conformior videtur eſſe ſententia, quæ legem pœnalem extendit ad caſum, in quo eadem viget ratio: quę fuit opinio *Gloſſ. in d. c. 1. ad verbum Italiæ*, quæ pro contraria parte perparam citatur. Ita reſoluunt *Abbas in d. c. 1. n. 15. & ibidem Dominicus & Franc. & plures citati per Tiraquellum in l. Si vnquam ad verbum libertis, n. 15. & in tract. de cauſa ceſſante 1. p. nu. 115. & poſt alios Nauarrus concil. 3. n. 10. ſub tit. de conſanguinit. & affinit.* Quam opinionem multis confirmat *Ludou. Correa olim iuris Canonici noſter Primarius in d. regula Odia*: etenim nō aliunde melius colligimus, qđ legiſlator idē diſpoſuiſſet in caſu nō expreſſo, niſi ex ratione finali, qua in caſu expreſſo nititur. Quare cum ratio finalis ad imponendā excōmunicationē fuerit occurrere exceſsibus, qui in prædicādo, & diſputando de hac controuerſia cōmittebantur, maximè cōtra celebrationē cōceptionis Virginis, cum ijdem tumultus excitarētur, ſi vtraq; opinio mutuo erroris, vel temeritatis damnaretur: vtique lōge probabilius exiſtimo excommunicationem latam à Sixto etiam comprehendere iſtos ſic aſſerentes; non quidem per viam extenſionis, ſed comprehenſionis.

Gloſſa. Abbas. Dominic. Franc. Tiraquel. Nauar. Correa.

23. 7. propoſit. Septima, & poſtrema aſſertio: *omnino dicendum eſt liberū eſſe cuique, quā voluerit, ſententiā tenere, verbo & ſcripto impugnare, dummodo id publice non fiat, vbi promiſcua virorū, & mulierū multitudo cōuenire ſolet; ſed ſolū adſint, qui rem poſsint intellectu percipere, nec vlla ſubſit occaſio ſcandali, dūmodo neutra pars aliqua damnetur cēſura.* Hęc aſſertio eſt indubitata cum verbis formalibus ſcribatur à Pio V. in d. Extrau. *Super ſpeculā*: vbi ad hunc ſenſum interpretatur mentem Sixti, Alexandri, & Tridentini. Quare omnino reijcienda eſt, & improbanda opinio Albertini. & Andreę Siculi, quam ſupra retulimus.

Quomodo autē in concionibus, alijſq; locis publicis, vbi virorum, & mulierum conuenit multitudo, de [illegible] controuerſia ſit loquendum? & an vtraque opinio abſque diſputatione poſsit populo ſimpliciter proponi? explicabimus quæſt. 9.

QVÆSTIO III.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm ſententia, quæ Virginem ab originali liberat, aliquando fuerit de fide?

SECTIO I.

Referuntur tria argumenta pro parte affirmatiua.

IN præcedenti quæſtione reſoluimus neutram ſententiam eſſe de fide, & ſubinde neutram dici poſſe hæreticā; ideo quia neutra adhuc ab Eccleſia diffinita eſt: cōtra hanc reſolutionem tria obijci poſſunt. Prima obiectio ſumitur ex Concilio Baſilienſi ſeſſ. 36. vbi Virginis immunitas à macula originali definita eſt. 1. 1. obiectio.

Secunda ſumitur ex eo, quoniam feſtum conceptionis Virginis authoritate Romanæ Eccleſiæ in tota Chriſti Eccleſia publice celebratur: quæ celebratio videtur includere Eccleſię diffinitionē: vnde ſaltē videtur inferri ſine erroris nota oppoſitum defendi non poſſe, quia certiſsimum eſt Eccleſiam in feſtorum celebratione errare non poſſe. 2. 2. obiectio.

Tertia obiectio ſumitur ex reliquijs S. Cecilij Epiſcopi Elibritani martyris, & ſociorū eius, quæ ante paucos annos inuētæ ſunt in monte quodā prope ciuitatem Granatenſē, qui appellatur mōs ſanctus: inter quas inuētus eſt quidā liber eidem Cecilio attributus lingua Arabica ſcriptus ſub titulo *de dono gloriæ, & domo tormenti, ſiue inferni*, in quo vltra alia Virginis encomia inuenitur definitio puriſsimæ, & immaculatæ conceptionis illius, quæ ex Arabico ad verbū reddita, ſic habet: *Illa Virgo Maria, illa ſancta: illa electa à primo, originarioq; peccato præſeruata fuit, & ab omni culpa libera: atque hæc veritas Apoſtolorū Concilium eſt, quā qui negauerit, maledictus, & excōmunicatus erit, & ſalutē non conſequetur, ſed in æternū damnabitur.* De hoc autē libro dubitari non poteſt, cū nec dubitetur de ſanctarum reliquiarum veritate: etenim recepta eſt grauiſsima Concilij Prouincialis authoritate, & plurimorum virorum prudentia, & totius illius vrbis communi conſenſu: pro qua pugnauit *Gregorius Lopez Madera in hi-* 3. 3. obiectio.

Liber S. Cecilij. Greg. Lop. Madera.

ſtoria harum ſanctarum reliquiarum, quam lingua Hiſpanica compoſuit. Cum igitur nec dubitetur, nec dubitari poſsit de miraculoſa inuentione harũ reliquiarum, & librorũ, qui incluſi in laminis inuẽti ſunt, nec ſimiliter dubitari poſsit de veritate ſcribentis, cũ ſit diſcipulus Apoſtolorũ, & martyr glorioſus: dubitari etiam non debet Apoſtolos in Conciliũ cõgregatos hanc veritatẽ diffiniuiſſe, cum id in præcitato libro expreſſe ſcribatur: conſtat autem veritatem, quæ ſemel definita eſt de fide, non poſſe, non eſſe de fide.

¶ Hæ tres difficultates objici poſſunt cõtra reſolutionem in pręcedenti art. factã.

SECTIO II.

Explicatur argumentum ſumptum ex Concilio Baſilienſi.

6. *Ad 1. obiectionem.* HÆc facilè habent ſolutionem. Ad primum argumentum ſumptum ex Cõcilio Baſilienſi dicimus nec Concilium cõtrouerſiam de immaculata Virginis conceptione diffiniuiſſe, vt de fide: nec, ſi diffiniuiſſet, diffinitionẽ eſſe legitimam, vt ſit credenda de fide.

7. *Concilium Baſilienſe non id diffiniuit, vt de fide.* Prior pars ſolutionis euidenter patet ex verbis eiuſdẽ Concilij poſitis ſeſſ. 36. quæ ita habent: *Nos vero diligenter omnibus matura conſideratione penſatis doctrinam illam diſſerentem glorioſam Virginem Dei genitricem Mariam præueniente, & cooperante, diuini luminis gratia ſingulari, nunquã actualiter ſubiacuiſſe originali peccato; ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali, & actuali culpa, ſanctam, & immaculatam, tãquam piam, & cõſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandã fore, tenendam, & amplectendam diffinimus, & declaramus; nulliq́; de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare, & docere.* Ex quibus verbis patet Concilium Virginis immaculatam conceptionem non diffiniuiſſe, vt de fide tenendam, ſed ſolum vt piam, & fidei Catholicæ conſonam, vt optime *Cordub. Bellarm.* annotauit *Cordubenſis lib. 1. quæſtionar. q. 44. poſt 6. concl. pag. 370. §. Pro reſponſione nota duo, & Bellarminus lib. 4. de Amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati c. 15. §. Deinde Concilium Baſilienſe, pag. 248. cum pluribus alijs:* vnde Pariſienſes ad hunc ſenſum illam definitionem acceptarunt, vt ſcribit Cordubenſis loco citato.

Poſterior pars ſolutionis inde patet; 8. *Prohibitio Conc. Baſ. nõ obligat.* quoniam licet illud Conciliũ à principio fuerit legitime congregatũ, & pro aliquo tẽpore legitimè continuatũ; tamẽ pro tẽpore illius decreti iam non erat legitimũ, vtpote cõtinuatũ ſub Amadeo Antipapa, renuente Eugenio 4. vero Papa: vnde Cõcilium illud pro illo tempore fuiſſe acephalum, imò potius conciliabulum declarauit *Leo 10. in Concilio Lateranenſi 3. ſeſſ. 11. in Bulla, quæ incipit Pater æternus*, vbi *Conc. Lat. ſub Leone 10.* etiã declaratur omnia illius acta, pro illo tempore eſſe nullius roboris, & momẽti. Et quamuis Eugenius 4. & Nicolaus 5. pro communi concordia nonnulla illius Cõcilij acta poſtea approbauerint, & authoritate Apoſtolica confirmauerint; definitionem tamen immaculatæ conceptionis B. Virginis poſitiue non approbauerunt: quare prohibitio, qua prohibuit ne aliquis de cætero oppoſitũ prædicet, aut doceat, nullã habet vim obligandi, vt patet ex Leonis 10. declaratione. Vnde nõ eſt audiendus Almainus in 3. diſt. 3. q. 1.) dum docet definitionem illam fuiſſe legitimam, vtpote factam à Concilio legitime congregato: in quo Pariſienſes Theologi male audiunt, quatenus Cõcilium Baſilienſe, vt legitimum recipiunt.

SECTIO III.

Explicatur ſecundum argumentum, ſumptum ex feſto Conceptionis Virginis.

SEcundum argum. ſumptum ex celebratione Cõceptionis B. Virginis 9. *Ad 2. obiectionem.* anſam præbuit quibuſdã noſtri temporis hæreticis, vt aſſererent Virginem fuiſſe conceptam ſine originali peccato apud Catholicos haberi pro articulo fidei: ita docuiſſe quendã Pomeriũ in c. 1. & in c. 44. Hieremię, ſcribũt Bellarmin⁹, & plures alij. Sed quam impudẽs ſit hoc mendaciũ ſatis declarat conſtitutio Sixti 4. renouata ab Alex. 6. Tridẽtino, & Pio 5. vt ſupra diximus art. 2: expreſſe enim docet illa conſtitutiõ Eccleſiam Romanam, ſedemque Apoſtolicam de hac controuerſiã nihil adhuc diffiniuiſſe: quin potius excommunicat eos, qui dixerint alteram partem eſſe de fide.

Sed

10. *Feſtum Cõceptionis B. Virgin. celebratur vt pia.* Sed omiſſa hæreticorum impudentia: ad argumentum dicendũ eſt ex celebratione feſtorum, etiam ſi inſtituta ſint authoritatẽ Romanæ Eccleſiæ, nõ bene inferri id, quod celebratur, habere fidei Catholicæ veritatem: nec enim vt hęreticus damnabitur, qui dixerit Eccleſiam errare poſſe in celebratione feſtorum, quæ eſt communior Theologorum ſententia.

11. *Solutio obiectionis.* Si vero inſtes ex hac celebratione inferri oppoſitã ſententiam eſſe erroneã in fide, & proximã hæreſi, cũ omniũ Theologorũ conſenſu erroneũ ſit aſſerere Eccleſiam errare poſſe in celebrandis feſtis: reſpondendũ eſt, id veriſsimũ eſſe, quãdo Eccleſia ſimpliciter & abſolute præcipit aliquod feſtũ celebrari, tunc enim ſuo modo definit veritatẽ, quã celebrari iubet, ad fidẽ pertinere, & eſſe ita veriſsimam, vt oppoſitũ ſit erroneũ: attamẽ ex celebratione non ſimpliciter propoſita Eccleſiæ, ſed vt pia tantũ, ſolũ inferri veritatẽ illam eſſe veritatẽ fidei, nõ ſimpliciter credendã tanquam de fide, ſed ſolũ pie: nam talis debet eſſe veritas, qualẽ eam proponit Eccleſiæ celebratio. Iam vero Eccléſia Romana feſtũ Conceptionis inſtituit, vt piẽ credendũ, dignũq; vt à populo fideli Chriſtiana quadam pietate celebretur, vt patet ex præfata Sixti conſtitutione: quod omnes aduertunt, qui de hoc feſto ſcribunt: de quo tamen latiùs agemus art. 6. vbi expendemus, quam vim habeat huius feſti inſtitutio ad impugnandam aduerſariam opinionem.

SECTIO IIII.

Explicatur argumentum ſumptum ex libro Sancti Cecilij.

§. 1.

Afferuntur difficultates contra illum librũ.

12. *Ad 3. arg.* Tertium argum. ſumptum ex libro S. Cecilij negotiũ pleriſq; faceſsit: etenim contra illum & contra ea, quæ in laminis inuenta ſunt, plures occurrunt difficultates adeo difficiles, vt propter illas, & liber, & laminę, vt ſuſpecta, apocrypha, & ſuppoſititia à pleriſq; repudientur, vt teſtatur Madera in præcitato libro, in primo diſcurſu cap. 3.

13. Prima difficultas ex eo ſumitur, quia tempus martyrij S. Cecilij, & ſociorum in laminis annotatũ, pugnat cũ veritate hiſtoriarũ antiquarũ: nam in laminis ſcribitur S. Ceciliũ martyriũ ſubijſſe anno 2. Neronis, kalendis Februarij, qui erat annus Chriſti Dñi 58. cũ tamẽ ex hiſtorijs authenticis conſtet S. Ceciliũ aliquibus annis vixiſſe poſt tertiũ annũ Neronis. Quod ex eo oſtenditur, quoniã ex antiquis hiſtorijs cõſtat S. Ceciliũ, & ſocios fuiſſe à Petro & Paulo Epiſcopos ordinatos Romæ, & inde miſſos in Hiſpaniã ad prædicandũ Euangeliũ, vt habetur in *Martyrologijs Romano, Bedæ, Vſuardi, & Adonis, die 15. Maij*: Baronius etiã in annotationibus refert teſtimoniũ Gregorij 7. in epiſt. ad Regẽ Alphonſum 14. Kal. Aprilis his verbis: *Septẽ Epiſcopos ab vrbe Romæ, ad inſtruendũ Hiſpaniæ populos, à Petro, & Paulo directos fuiſſe, qui deſtructa idololatria Chriſtianitatem fundauerunt, & religionem plantauere, & officiũ in diuinis cultibus oſtendere, & ſanguine ſuo Eccleſias dedicauerunt, &c.* Concordat idẽ Baronius 1. tom. Annalium anno Chriſti 46. n. 2. cõſentiunt Hiſpaniarũ hiſtoriæ, antiquũ Breuiariũ, & Miſſale Iſidori, & videndus eſt Ambr. Morales lib. 9. hiſt. c. 13. Secũdo idẽ oſtẽditur, quoniã Paulus peruenit Romã anno Neronis 3. qui fuit Chriſti Dñi. 59. die 6. Iulij, vt ſcribũt Beda, & Vſuardus; vel menſe Maio, vt verius putat Baron, 1. to. Annal. ad annũ Chriſti 59. n. 4. & 5. vbi id cõfirmat authoritate Euſebij, & S. Hieron. qui volunt Paulum ex Iudæa Romã fuiſſe miſſũ anno Dñi 58. Neronis autẽ 2. perueniſſe autẽ Romam anno ſequẽti Xpi 59. Neronis 3. Ex quibus euidẽter cõſtat S. Ceciliũ nõ ſubijſſe martyriũ anno 2. Neronis, qui fuit Chriſti 58: etenĩ, ſi vera ſunt, quæ adduximus anno Neronis 3. & Chriſti 59. Cecilius, & ſocij adhuc cũ viuis erant, cũ ab vrbe Romæ à Paulo in Hiſpaniam miſſi ſint: Paulus autem Romam non ſit ingreſſus, niſi 3. Neronis anno. Quare ratio temporis expreſsi in laminis non videtur cõſentire cum rei veritate: quod ſatis eſt, vt ſcripturæ in laminis inuentæ debeant haberi vt ſuſpectæ.

1. difficultas contra librum S. Cecilij. *Baronius.* 14. *Iſidorus.*

15. *2. difficultas.* ¶ Secunda difficultas contra veritatem tum laminarum, tum librorum ſumitur ex eo; quoniam ſi S. Cecilius 2. Neronis

anno, Chriſti autem 58. martyrium ſubijt, vt in laminis ſcribitur nullius apoſtolici Concilij potuit habere notitiam. Teſtimonium igitur Concilij Apoſtolici in libro S. Cecilij contentum pugnat cũ teſtimonio laminæ. Antecedens probatur: quoniam conſtat S. Cecilium non potuiſſe ferre teſtimonium Conciliorũ, quæ poſt illius martyrium Apoſtoli celebrarunt. Nullum autem ab Apoſtolis Cõcilium ante 2. Neronis annum fuiſſe celebratum, probatur; quia nullum celebratum fuit ante mortem B. Virginis, nec ſi aliquod celebraretur, nõdum aderat opportunum tempus tractandi de priuilegijs, prærogatiuisq; illius: Virgo autem ſecundo Neronis anno kalendis Februarij adhuc viuebat: fuit enim mortua eodem anno, 15. die Auguſti, ante quod tempus S. Cecilius iam erat mortuus. Nullius igitur Concilij Apoſtolici teſtimonium ferre potuit S. Cecilius, ſi verũ eſt teſtimonium laminarum de morte illius.

16. *Quo anno B. Virgo ſit mortua.* Quod vero B. Virgo mortua ſit anno ſecundo Neronis, menſe Auguſti, inde probatur: quia Virgo obijt anno ætatis 72. vt teſtatur *quidam Epiphanius Præsbyter Conſtantinopolitanus in quodam ſermone græce ſcripto de Virgine Deipara: & Cedrenus in compendio hiſtoriarum, & inſinuat Andreas Cretenſis in ſermone de dormitione Deiparæ, & verius cenſet Baronius 1. tom. anno Chriſti 48. n. 7. & eſt veriſimilius Suario 2. to. ad 3. p. diſp. 21. ſect. 1. in vltima ſententia ante finem.* Quod autẽ annus ille 72. ætatis B. Virginis fuerit annus 2 Neronis, inde deducit Baronius, quia B. Virgo obijt eo anno, quo Paulus nouiſsime venit Ieroſolymam. Quod inde probat, quia teſtimonio Dionyſij c. 3. de diuin. nomin. Paulus cum cæteris Apoſtolis morti Virginis interfuit: iam verò Paulus Ieroſolymam venire non poterat ante annum Domini 57. qui fuit Neronis primus. His annis ſi addas annos 15. quos Virgo confecerat, cum peperit Saluatorem, vtique annum agebat 72. in 2. anno Neronis, quod erat probãdum. Cum vero obierit die 15. Auguſti, vt omnes fatentur; vtique ſi verum eſt laminarum teſtimonium S. Cecilius prius obijt, quam Virgo, menſes fere ſeptem.

Quidam Epiphanius. Cedrenus. Cretenſis. Baronius. Suarius.

Quare ſi ante mortem B. Virginis Apoſtoli nullum Conciliũ celebrarunt; vtiq; S. Cecilius nulli Apoſtolorum Concilio interfuit. Quomodo igitur liber ille profert definitionem Apoſtolici Cõcilij pro immaculata Virginis conceptione?

¶ Tertia difficultas eſt; quoniam non eſt veriſimile, fuiſſe aliquando ab Apoſtolis agitatum, ne dum definitum B. Virginẽ ſine originali macula fuiſſe conceptam: nulla enim potuit occaſio offerri tractãdi hac de re; cum illa nec ad ſalutem fidelium eſſet neceſſaria, nec aliqua tũc orta fuerit controuerſia: & multa alia erant grauiora magisq; neceſſaria myſteria, in quibus Apoſtoli occuparentur. Quibus additur; quoniam ſi hanc veritatem Apoſtoli definijſſent; vtique eam Eccleſię credendam tradidiſſent, ac promulgaſſent, ſicut promulgarunt perpetuã Marię virginitatẽ, & alia, quæ ad eam pertinebãt. 17. *3. difficultas.*

Confirmari adhuc poteſt; quoniam verbum illud *originarium peccatum*, quod in citata definitione reperitur, non redolet antiquitatem: quia hæc loquutio, & phraſis nimium noua eſt, & ſcholaſtica. Illæ etiam comminationes in eadem definitione adductæ, non ſolum non indicant Apoſtolorum grauitatem, & authoritatem, ſed nec in Concilijs poſterioribus ſunt v ſitatę: & ſi aliquando in aliquibus Concilijs afferuntur, id ſolũ eſt, quãdo hęreticorum pertinacia ad id cogit, vt illi terreantur, & adhuc afferuntur in rebus grauiſsimis, & maxime neceſſarijs. Quæ omnia pro illa Apoſtolorum ætate locum non habebant. 18. *Confirm.*

¶ Quarta difficultas cõtra teſtimonium allatũ in præcitato libro ſumitur ex eo, quod Sixtus 4. in ſua conſtitutione à Tridentino, Alex. & Pio renouata affirmat nondum à Romana Eccleſia, ſedeq; Apoſtolica deciſum fuiſſe, an B. Virgo ſine originali fuerit concepta: quod etiam teſtatur Pius 5. in ſua conſtitutione, quæ incipit ſuper ſpecula: vbi affirmat Romanam Eccleſiam (quæ eſt omnium Eccleſiarum magiſtra, & doctrix) nihil hac de re hucuſque definiuiſſe. 19. *4. difficultas.*

¶ Quinta denique & poſtrema difficultas, ex eo oritur; quoniam ſi Apoſtoli B. Virginis conceptionem immaculatam, 20. *5. difficultas.*

vt de fide diſſiniuiſſent, hanc definitionem Eccleſiæ publicaſſent, & illa perpetua ſucceſsione in Eccleſia conſeruaretur: quod enim ſemel definitum eſt de fide, ſemper permanet de fide: cum tamē noſtris temporibus de fide non ſit, vt patet ex præcitata Sixti conſtitutione.

21. Hæ difficultates adeo difficiles quam plurimis viſæ ſunt, vt propter illas non dubitauerint librum illum, non ſolum non probare, ſed etiam omnino repudiare tanquam ſuppoſititium, & S. Cecilio falſò impoſitum, apochryphum, & omnino ſuſpectum.

§. 2.

Liber ille S. Cecilij recipiendus eſt, & probandus, vt legitimus.

22. *Statuitur pro libro S. Cecilij.*

HIs tamen non obſtantibus, hæc libri, & laminarū, atque reliquiarum repudiatio ab alijs non admittitur; imò reijcitur tanquam plena audaciæ, & nullo ſolido fundamento nixa: cui opinioni ego libētiſsime ſubſcribo: etenim exiſtimo dubitari non poſſe de authoritate inuentionis tum reliquiarum, tum ſcripturarum, & librorum, qui in laminis continentur: quod diligentiſſime confirmauit Gregorius Lopez Madera in libro, quem pro defenſione reliquiarum, & librorum edidit, in primo diſcurſu cap. 3: nam quæ ſcribit publica ſunt, & grauiſsima Concilij Prouincialis authoritate approbata, iudicioque doctiſſimorum virorum recepta, vt veriſsima, & authentica: imò etiam aliquibus veris, & approbatis miraculis confirmata: quæ omnia latè videre poteris apud dictum Gregor. Lopez Madera, & apud Gundiſaluum Sanchez Luzero in ſuis theologicis diſcurſibus pro immaculata conceptione Virginis diſcurſu 2. c. 5. fol. 98. & grauiſsima eſt authoritas Reuerendiſſimi Epiſcopi Fr. Franciſci de Soſa in doctiſsima approbatione eiuſdem libri. Sed vt horum omnium veritas fiat euidētior propoſitas difficultates diligētiſsime diſſoluemus, & tandem reſpondebimus ad principale argumentum deſumptum ex libr. S. Cecilij. Quare ſingulæ difficultates eodem, quo propoſitæ fuerunt, ordine quamdiligentiſsimè reſoluentur.

§. 3.

Explicatur prima difficultas.

23. *Ad primā difficult.*

QVod igitur attinet ad explicationem primę difficultatis, vt omnia diſtinctè explicentur, à ſecunda argumenti confirmatione incipiemus, & concedimus tanquam veriſsimum Paulum Romam veniſſe anno Neronis 3: nam prætərquā quòd in hoc conueniunt authores in 2. confirm. citati, euidenter probatur ex ijs, quæ de Paulo refert Lucas in Actis Apoſtolorum: etenim certiſsima eſt opinio, quod conuerſio Pauli (de qua Actor. 9.) contigit anno à natiuitate Chriſti 36. vt affirmat *Martyrologium Romanum, & Vſuardus in ſuo, die 25. Ianuarij*, quo die Eccleſia celebrat Pauli conuerſionem: idem etiam annotauit *Baronius ibidem litera B. & Iſidorus in lib. de vita, & morte Sanctorum cap. 71. Benedictus Pereira in Præfatione epiſt. ad Rom. diſp. 1. n. 24. & 25. Lorinus Actor. 9. verſ. 19. poſt principium*: apud quos ab Aſcenſione Domini vſque ad conuerſionem Pauli defluxit annus integer cum octo menſibus, & diebus viginti, vt affirmat Baronius: etenim niſi ita dicamus, non poterunt commode explicari, quæ de Paulo à Luca commemorantur à morte Stephani vſque ad Pauli conuerſionem. Itaque Paulus conuerſus eſt ad fidem anno Chriſti 36. Tiberij autem anno 20. Tranſactis autem annis 14. à conuerſione Pauli (anno. ſ. 15.) Paulus ab Antiochia aſcendit Ieroſolymam, vt idem Paulus teſtatur ad Galat. 2. Illos porrò 14. annos, de quibus ibi agit Paulus, initium habuiſſe à Pauli conuerſione communis eſt ſententia contra *D. Hieronymum eo in loco* (quanuis illum probent *Salmeronius ad Galat. 2. diſp. 21. dub. 1. & Turrianus lib. 2. pro epiſt. Pontificijs cap. 16. fol. 170. pag. 1. in fine*) nam contra D. Hieronymū exiſtimant *Beda Actor. 15. Gloſſa ordinaria ibidem, & Lorinus in eodem loco, Diuus Thomas, & alij interpretes in cap. 2. ad Galat. vbi etiam noſter Ludouicus Legionenſis, & Pereira in Præfatione epiſt. ad Romanos diſput. 1. num. 34. Baronius ad annum Chriſti 51.* quare iſte Pauli aſcenſus contigit anno Chriſti 51. vel paulo ante, Claudij vero anno nono. Quo fit vt aſcenſus,

Martyrol. Romanū. Vſuardus. Baronius. Iſidorus. Pereira. Lorinus.

Galat. 2.

Hieron. Salmer. Turrian.

Beda. Gloſſa. Lorinus. D. Thom. Lud. Leg. Pereira. Baronius.

24. *Chryſoſt. Ambr. Hieron. Theodor. Anſelm. D. Thom. Caiet. Epiphan. Beda. Baronius. Pereira. Lorinus. Suarius.*

de quo Paulus ad Galat. 2. ſit ille ipſe, de quo agit Lucas Actor. 15. quanuis Chryſoſtomus cum noſtro Legionenſi aliter doceat: hæc enim ſententia communior eſt, quam ſatis inſinuat D. Ambroſius in eodem loco, nec eam improbat D. Hieronymus: expreſſe eam probant *Theodoretus, D. Anſelmus, D. Thomas, & Caietanus ibidē, Epiphanius hæreſi 28. Beda Act. 15*: eandem approbaſſe omnes Eccleſiaſticos authores affirmat *Baronius ad annū Chriſti 51. n. 6: conſentiunt Pereira in dicta diſp. 1. n. 34. Lorinus in d. c. 15. Actor. pag. 630. col. 1. ad illa verba, Statuerunt, vt aſcenderent Paulus, & Barnabas, latè Suarius in 3. de Conceptione Virginis.* Quare concilium illud Apoſtolorū, de quo Actor. 15. coactum eſt, & celebratum anno 9. Claudij, Chriſti autem 51. cui Paulus interfuit. Porrò ſoluto hoc concilio non potuit Paulus confeciſſe ante 2. Neronis annum (Chriſti autem 58.) omnes Eccleſiarum perigrinationes, & viſitationes, quas Lucas enarrat, à c. 15. Actor. ad 21. vſque ad vltimum Ieroſolimæ aduentū, quando fuit comprehenſus, vt bene aduertit Baronius ad annum Chriſti 58. n. 159. pag. 419: quod facile eſt intelligere, ſi diligentius expendantur, quæ ſcribit Lucas à cap. 15. Actor. vſque ad 21. Ad horum confirmationem ſatis nunc ſit cōmunem ſententiam exiſtimare Paulum Ieroſolymis fuiſſe comprehenſum, & ligatum anno 2. Neronis, Chriſti autē 58. quæ fuit opinio Hieronymi in libr. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Cum vero eodem anno iuxta veriſsimam ſententiam ſit miſſus Romam à feſto, non potuit Romam venire, niſi anno ſequenti, vt affirmant authores citati in 2. confirmatione primæ difficultatis.

25. *Reſolutio.*

Hoc autem ſuppoſito ſemper iudicauimus incertum eſſe id, quod in prima difficultatis confirmatione pro certo ſumitur: nunc autem poſt ſacrarum reliquiarum inuentionem putamus eſſe falſum. Quod incertum ſit, quod tanquam certum ſumitur, ex eo primum patet, quia grauiſsimi authores negant S. Cecilium, & ſocios fuiſſe miſſos à Paulo in Hiſpaniam: deinde negant, fuiſſe miſſos tēpore Neronis. Quod à Paulo non fuerint miſsi in Hiſpaniam, ſed à Petro ſcribit *Petrus Gualeſinus in ſuo Martyrologio*: quod autem miſsi ſint non ſub Nerone, ſed ſub Claudio anno Chriſti. 45. affirmat *Guillermus Eiſſem Eſpirenſis centuria 1. de Hiſpanis Pontificibus diſt. 4. p. 1. conſentit Vaſæus in chronicis Hiſpaniæ*: cum omnes in Hiſpaniam ſimul ſint miſsi: horum autem authoritate Madeira vbi ſupra c. 32. non admittit id, quod in prima confirmatione ſupponitur; nec illud admittit liber inſcriptus *de los deſcurſos, em que ſe defende la vinida de Santiago a Heſpanha* diſcurſ. 2. pag. 96.

Petrus Galeſinus. Guillerm. Eiſſem. Vaſæus.

26. nec ad id nō admittendum deſunt coniecturæ argentiſsimæ, de quibus Madeira vbi ſupra: illa inter omnes plurimū habet efficaciæ, quod Petrus & Paulus, non ſimul Romę conuenerint, niſi 12. Neronis anno, qui fuit Chriſti Domini 68: cum enim Neronis ſæuitia in Chriſtianos inceperit anno præcedente, Petrus, & Paulus diuina prouidentia, ex diuerſis partibus Romæ conuenere, vt Romanæ Eccleſiæ gladio Neronis afflictatæ ſuccurrerēt, vt teſtatur *Baronius anno Chriſti 68. qui fuit Neronis 12.* vbi id confirmat *ex Metaphraſte, & pluribus alijs*. Nec par eſt credere D. Petrum, qui vt potentior iuſſus eſt, obſcuriorem mundi partem illuminare (vt ſcribit Clemens Romanus in 1. epiſt. ad Iacobum fratem Domini) de Hiſpaniæ illuminatione non curauerit, niſi ad finem vitæ vno vel altero anno ante mortem: nam (vt diximus) Apoſtoli Romæ conuenerunt anno 12. Neronis, martyrium autem ſubierunt anno ſequenti, vt certa habet opinio: vel biennio poſt, ſi credimus *Euſebio, & Hieronymo, de quo Baronius ad annum Chriſti 69. n. 2. & 4.* Quod etiam ex eo, vel maxime eſt creditu difficile; quoniam certiſsimum eſt D. Petrū poſt aduentum in vrbem Romæ anno Domini 44. & Claudij 2. (vt certior habet opinio) ſtabilita anno ſequente Sede Romana, de illuminandis occidentalibus orbis partibus ſtatim curaſſe, varioſque diſcipulos in diuerſas prouincias Euangelij prædicandi cauſa amandaſſe, vt patet ex 1. epiſt. Innocentij I. ad Decentiū relata *in cap. vlt. 11. diſt.* & tanquam certiſsimum concludit *Baronius ad annum*

Baronius. Metaphr.

Euſebius. Hieron. Baronius.

Innoc. 1. C. vlt. 11. diſt.

Chriſti

Chriſti.46. n.1. & 2. & ante eum Naucle rus col.2. Chronographiæ, gener.2. & Gene- Genebrad. *brardus libr. 2. Chronologiæ anno Mundi* 4121. Quomodo autem credi poteſt, vt ſola Hiſpania per annos 24. & amplius Lucæ Euangelij Petri ordinatione orbata manſerit? repugnat enim id, quod ex Iuſtino, Clemente, Chryſoſtomo, & alijs diligenter oſtendit *Genebrardus libro* 3. *Chronologiæ anno Mundi* 4121. S. Euangelium Chriſti 20. anno à Chriſti morte per vniuerſum terrarum orbem ab hominibus tunc habitatum, prædicatum fuiſſe.

27. Quare illa opinio mihi fit veriſimillima, quæ affirmat Iacobo Ieroſolymis ab Herode Agripa occiſo (Actor.12.) anno Domini.44. Claudij autem 2. (*vt ex Eu-* *Euſebius. Baronius.* *ſebio lib.2.c.8. aſſerit Baronius in eodem anno*) vel Petrum S.Cecilium, cæteroſque Iacobi diſcipulos Epiſcopos creatos, cũ corpore ſui magiſtri Iacobi in Hiſpaniã miſiſſe, vt cæptam à Iacobo prædicationem perficerent: vel Iacobi diſcipulos eodem anno magiſtri corpus in Hiſpaniam tranſtuliſſe, & inde petijſſe Romã, vt à Petro (quem ſciebant profecturum Romam) creati Epiſcopi rurſus mitterẽtur in Hiſpaniam, quę videtur fuiſſe ſententia Petri Gualeſini in ſuo Chronico, & ſatis videtur conſentire traditio Hiſpaniæ, de aduentu Iacobi in illam.

28. *Reſolutio.* Quare non eſt dubitandum ſemper fuiſſe incertum id, quod in prima confirmatione, vt certum ſupponitur: quanuis fere omnia Martyrologia illud probent, cum ab vno martyrologio Bedæ ſint deſumpta. Quæ vero coniecturæ impulerint Bedam in illam ſententiam, non conſtat: cum tamen conſtet veriſimiliores coniecturas ſemper fuiſſe contra Bedam. Sed poſt ſanctatum reliquiarum inuentionem iam nullus coniecturis locus relinquitur, propter teſtimonium, tum laminarum, tum librorum, quod non poteſt non eſſe grauiſsimum, & omni exceptione maius, vt veriſsimum iudicetur. Primò, quia antiquitas, & archiuij (turris ſcilicet turpianæ, & montis ſancti) & fidelitas, & obſcuritas omnem aut ſuppoſitionis, aut mendacij ſuſpicionem ſuperat. Deinde, quia diligenti præmiſſo examine, maturaq; ſapientiſsimorum virorum conſideratione, non abſque confirmatione miraculorum à Concilio Prouinciali, ex Summi Pontificis commiſſione omnia, quæ fuerunt inuenta, ſunt approbata. Quare cum in laminis ſcribatur S.Cecilium, & ſocios 2. Neronis anno, anno Chriſti 58. Kalendis Februarij martyrium ſubijſſe; iam cum veritate dici non poteſt, aut affirmari S. Cecilium, & ſocios à Petro, & Paulo ab vrbe Roma miſſos in Hiſpaniam; cum certiſsimũ ſit, nec Paulum ante 3. Neronis annum Romam adiuiſſe, nec Petrum toto Neronis tempore veniſſe Romam, ante annum 12. illius, & Chriſti 68: nec denique niſi illo anno cum Paulo conueniſſe. Vnde S. Cecilium, & ſocios illo anno miſſos eſſe, nec vllus dixit, nec veriſimiliter dicere potuit. Quare ſi ab vrbe Roma miſsi fuerunt, non niſi à ſolo Petro, mitti potuerũt, qui Romę ſedit à 2. anno Claudij vſque ad 9. quando Iudæi edicto Claudij ab vrbe fuerunt expulſi, & Petrus venit Ieroſolymam, vbi ſimul cum Paulo interfuit concilio Apoſtolorum, de quo Actor. 15.

§. 4.

Explicatur ſecunda difficultas.

Secunda difficultas in eo fundatur; quoniam ſi S. Cecilius 2. Neronis 29. *Ad 2. difficultatẽ.* anno & Chriſti Domini 58. martyrium ſubijt, nullius Apoſtolorum Cõcilij habere potuit notitiam, quia ante annum 2. Neronis, & Chriſti 58. nullum ab Apoſtolis concilium fuit celebratum: quod inde probatur; quoniam ante mortem Virginis nullum celebratũ fuit Cõcilium: Virgo autem mortua fuit anno 2. Neronis mente Auguſti: cum tamen S.Cecilius (vt laminæ teſtantur) martyrium ſubijt eodem 2. Neronis anno Kalendis Februarij. Virginem porrò obijſſe in anno ſecundo Neronis ex eo probatur; quoniam Virgo mortua fuit ætatis ſuæ anno 72. qui ipſe fuit ſecundus Neronis annus: quare S. Cecilius nullius Apoſtolorum concilij teſtimonium afferre poterat. Hæc eſt tota vis difficultatis ſecundæ.

§. 5.

Ante mortem Virginis aliqua Apoſtolorum Concilia habita ſunt.

25. *Ante mortem B. Virginis aliqua habita ſunt concilia Apoſt. Actor. 1. Act. 6.*

SEd in hoc difficultatis ſecundæ fundamento multa ſumuntur euidẽter falſa. Imprimis illud euidenter eſt falſum ante mortem Virginis nullum fuiſſe ab Apoſtolis celebratum Conciliũ: nam, vt omittamus, quod de eligendo S. Matthia, viuente adhuc Virgine, conuenerunt *Actor.* 1. & de eligendis Diaconis, qui miniſtrarẽt menſis *Actor.* 6 (quos cõuentus Beda, & Petrus Comeſtor, appellarunt Synodos, quanuis impropriè) vt inquam iſtas Apoſtolorum congregationes omittamus, illud obijci primum poteſt, quoniam Apoſtoli antequam ad prædicandum Euangeliũ in diuerſas orbis prouincias diuiderentur in vnum cõuenerunt, & Spiritu Sancto repleti Symbolum (quod Apoſtolorum dicitur) cõpoſuerunt ſingulis ſingulas fidei ſententias aſſerentibus, quod apud omnes eſt indubitatum tanquam traditio Eccleſiaſtica, de quo *Auguſtinus ſerm.* 115. *de Tẽpore, Leo Papa epiſtol. 96. ad Pulcheriam Auguſtam, Venantius Fortunatus in præfatione ad expoſitionem Symboli, Albinus Flacus de officijs Eccleſiaſt. c. 22. Rabanus lib. 2. de inſtit. Clericorum c. 56. quos omnes refert Baronius ad annum Chriſti 44. n. 17.* vbi n. 15. bene aduertit Apoſtolos ad id conueniſſe ante necem Iacobi, conſtat enim ex Patribus citatis Iacobũ in Symbolo Apoſtolorum tertiam poſuiſſe ſententiam. Quo autem tempore conuenerint, nec Baronius explicat, nec alius: forte conuenerunt non multo tempore ante Iacobi necem, cum de Euangelio per vniuerſum orbem prædicando iam inter ſe pro illo tempore conſtituerint: cum vero Iacobus ab Herode Agrippa occiſus ſit anno Chriſti 44. & Claudij 2. vt tanquam indubitatũ refert Baronius ad eundem annum n. 1. vtique occiſus eſt, Virgine adhuc ſuperſtite: quod tenentur admittere, qui putant Virginem anno 72. ſuæ ætatis obijſſe, & omnes alij ſcriptores, exceptis illis, qui ſine vlla probabilitatis apparentia affirmant B. Virginem intra biẽnium à Chriſti morte deceſsiſſe.

Auguſt. Leo Papa. Venant. Albinus. Rabanus. Baronius.

Porrò illum Apoſtolorum conuentum fuiſſe veram Synodum nullus dubitabit; cum conuenerint, vt normam fidei, & præcipuos fidei articulos omnibus prædicandos conſtituerent.

Deinde falſitas illius opinionis ex eo confirmatur; quoniam Cõcilium, de quo *Actor.* 15. in quo de legalibus actum eſt, fuiſſe coactum Virgine adhuc viuente; primo probatur authoritate *Ruperti Abbatis lib. 1. in Cantic.* vbi teſtatur Apoſtolos de illa (quæ agitabatur) quęſt. legaliũ, Virginem conſuluiſſe, quod eſſe probabile putat *Lorinus Actor. 15. verſ. 19. paulò ante finem*: euidenter etiam oſtenditur ex teſtimonio *Dionyſij cap. 3. de diuinis nomin.* vbi teſtatur ſe cum Apoſtolis B. Virginis exequijs interfuiſſe, quod teſtimonium intelligendum eſſe de morte Virginis, ſtatim demonſtrabimus: Dionyſium autem poſt illud Cõcilium fuiſſe ad fidem conuerſum patet; quia Paulus celebrato Concilio poſt alias peregrinationes, venit Athenas, & ibi ſua prædicatione Dionyſium conuertit, vt habetur Actor. 17. 26.

2. arg. Act. 15. Rup. Abb. Lorinus. Dionyſ.

Tertiò id euidenter demonſtratur, ſi ſupponamus veriſsimam eſſe ſententiã, quam ſuperius probauimus, aſcenſũ Pauli in Ieroſolymam ex Antiochia (de quo *ad Galat.* 2.) illũ ipſum eſſe, de quo Act. 15. quando Paulus ad Concilium Apoſtolorum aſcendit, quam ſententiam ſuperius probauimus ex communi authorum opinione: nunc autem eam euidenter oſtendimus; quoniam dici nullo modo poteſt cum noſtro Legionenſi aſcenſum Pauli, de quo *ad Galat.* 2. coincidere cum aſcenſu eius, quando eleemoſynas detulit, de quo Actor. 11: nam ille aſcenſus contigit tempore famis, quæ fuit vel anno Chriſti 46. & Claudij 4. vt putant *Euſebius in Chronicis, Oroſius lib. 7. c. 6. & alij*: vel (quod verius eſt) fuit anno Chriſti 44. Claudij autem 2. vt aduertit *Baronius ad annum Chriſti 44. n. 62.* id ſumens ex *Dione Caſsio lib. 6. ſuæ hiſtoriæ, & ex Suetonio in Claudio cap.* [illegible] Paulus igitur ab Antiochia eleemoſynas fratribus allaturus aſcendit Ieroſolymam vel anno 6. à ſua conuerſione; vel 8: fuit enim conuerſus ad fidem anno Chriſti 36. vt iam diximus,

27. 3. argum. Ad Galat. 2. Euſebius. Oroſius. Baron. Dio. C[aſs.] Suetonius.

ximus, cum tamen aſcenſus, de quo ad Galat. 2. acciderit poſt annos à ſua conuerſione ad minus quatuordecim. Suppoſito autem quod idem fuerit aſcenſus, de quo ad Galat. 2. cum eo, de quo Actor. 15. neceſſario concedendum eſt Concilium, de quo Actor. 15. celebratum fuiſſe anno Claudij 12. & Chriſti 54. ſi quatuordecim anni, de quibus ad Galat. 2. enumerandi ſunt ab aduentu Pauli Ieroſolymam, triennio poſt ſuam conuerſionem, de quo ad Galat. 1. (quæ fuit opinio *D. Hieronymi ad Galat. 2. Turrian. lib. 2. de Epiſtolis Pontificijs c. 16. fol. 170. pag. 1. Salmeronij diſp. 22. in epiſt. ad Galat, dub. 1. vbi pro eadem ſententia citat Aymonem, & Catharinum*) vel celebratum fuit anno 9. Claudij, & Chriſti 51. ſi præcitati 14. anni ſumere debent initium à Pauli conuerſione, quæ eſt verior, & communior opinio. Virginem autē hoc tempore adhuc fuiſſe ſuperſtitem fateri tenentur aduerſarij, qui Virgini tribuunt annos 72. vſque ad annum 2. Neronis, & Chriſti 58: quod etiam euidenter probatur: quia, vt ex dictis iam cōſtat, Virgo adhuc erat in vita, cum Dionyſius fuit conuerſus: cum vero conuerſus fuerit vno, vt minimum, anno poſt præfatum Concilium; negari non poteſt eam tempore illius Concilij adhuc viuam fuiſſe. Quare difficultas ſecundo loco allata falſo nititur fundamento, dum affirmat nullum Cōcilium, viuente Virgine, fuiſſe ab Apoſtolis celebratum.

D. Hier. Turrian. Salmer. Aymon. Catharin.

§. 6.

De ætate B. Virginis.

29. *De ætate B. Virginis variæ opiniones.*

DEinde in eadem difficultate falſum eſt, quod tanquam indubitatum ſupponitur; Virginem. ſ. anno ætatis ſuæ 72. ad cœlum migraſſe: cum tamen tempus migrationis eius ſit à ſcriptoribus prætermiſſus, & res adeo ſit incerta, vt variæ fuerint de ea opiniones.

1. opinio.

Quidam voluerunt eam poſt annum à paſsione elapſum, & totidem menſes, quot intercurrerunt à paſsione vſque ad 15. diem Auguſti è vita migraſſe; nō alio nixi fundamento, niſi reuelatione facta cuidam perſonæ probatę ſanctitatis: iuxta quam opinionem mortua fuit anno ætatis 49. ſi Chriſtum peperit annorum 14. vel ſi expleto 15. (vt verior habet opinio) moritur anno ætatis 50. Alij volunt *2. opinio.* eam poſt Chriſti mortem vixiſſe annos 9. migraſſeque anno Chriſti 43. Claudij autem anno 1. ætatis verò anno vel 57. vel 58. iuxta diuerſas ſententias de anno partus. Hanc fuiſſe opinionem cuiuſdam *Hippoliti Thebani refert Epiphanius Præſbyter Conſtantinopolitanus in ſerm. de Virgine Deipara, teſtibus Turriano vbi ſuprà, & Baronio ad annum Chriſti 48. n. 7. Nicephorus tamen lib. 2. hiſtoriæ c. 3. & 21. ex Euodio*, quem refert, putat Virginem obijſſe anno 11. poſt Chriſti mortē, qui fuit Chriſti 45. Claudij vero 2. & Virginis 59. completus, vel 60. inceptus. Vnū annum ſuperaddit *Driedo lib. 3. de dogmatibus ſacræ Scripturæ tract. 3. cap. 4. vbi ex Euſebio* (falsò tamen) putat B. Virginem obdormiſſe anno 12. poſt Chriſti mortē, qui fuit Chriſti 46. Virginis autem 60. completus. Quinta eſt opinio Euſebij in ſuo Chronico, qui putat Virginem fuiſſe aſſumptam in cœlum anno Chriſti 48. & Claudij 6: moritur ergo anno 14. poſt paſsionem, ætatis autem 62. *Turrianus lib. 2. pro epiſtolis Pontificijs c. 16. fol. 170. pag.* 1. refert vulgo exiſtimari B. Virginem obijſſe anno ætatis 63: ſed coincidit cum opinione Euſebij: Euſebius enim agit de anno completo; hæc vero opinio de incepto. Poſtrema opinio affirmat B. Virginem, cum obijt, egiſſe annum 72. quæ fuit opinio *Epiphanij Presbyteri, & Cedreni, vt ſupra diximus*. Quam vt veriſimilem probarunt *Baronius & Suarius, & ſatis videtur probare Turrianus loco citato, ſi bene expendatur*. Et ita Beata Virgo vixit poſt Chriſtum anno 24. & moritur anno Chriſti. 58.

Epiphan. Præsbyt. Baronius. 3. opinio. Nicephor. 4. opinio Driedonis 5. opinio. 6. opinio. Turrian. Poſtrema opinio. Epiphan. Præsbyt. Cedrenus. Baron. Suar. Turrian.

30. *Reijcitur fundamentum.*

Ex hac tanta opinionū varietate iam patet non eſſe vſque quaque certum B. Virginem vixiſſe anno 72: quod tamen in hac difficultate pro certo ſupponitur: vnde locus datur aduertentiæ, quam facit Author ſermonis 35. de Sanctis apud Auguſtinum (qui cōmuniter tribuitur Fulberto Carnotenſi) *Nequis hominum mendaciter fingat certum, & apertum, quod omnibus voluit manere occultum*: etenim ſi

Deus

Deus hoc manifeſtare noluiſſet; vtique ordinaſſet, vt Ioannes diem obitus Virginis enarraſſet, vt idem author affirmat, imò aſſerit non ſolum nullam de hoc Catholicam inueniri hiſtoriam; ſed nec inueniri apud Latinos, qui de Virginis morte aliquid apertè ſcripſerit.

31. *Quid ſit certum?* Illud tamen pro certo cõſtituendum eſt B. Virginẽ vixiſſe, poſt Iacobi Apoſtoli necem, & poſt Apoſtolorum profectionẽ in diuerſas mundi plagas, Euãgelij prædicandi cauſa: nam B. Virginem vna cum Ioanne (cui illa à Christo cõmẽdata eſt) profectam fuiſſe, & cum eo Epheſi habitaſſe, affirmat Cõcilium Epheſinum in epiſt. Synodica ad Clerum Cõſtantinopolitanũ to. 2. c. 26. cuius verba refert Baronius ad annum Chriſti 44. n. 29. quanuis Epiphanius hæreſ. 78. non ſatis conſentiat fragili ductus fundamẽto. Apoſtolos autem diſperſos fuiſſe à perſecutione Ieroſolymis ab Herode excitata, poſt occiſum Iacobum, & Petrum à vinculis abſolutum, certiſsimum eſt. Id autem contigiſſe 2. Claudij anno, Chriſti autem 44. euidenter probat Baronius vbi ſupra nu. 14. Vnde Apoſtoli diuiſi ſunt anno 10. poſt Chriſti paſsionem, quando Virgo agebat annum ætatis 58: etenim quando Chriſtus paſſus eſt, erat annorũ 48. vt omnes conueniunt.

32. *Reijciuntur quædã opiniones.* Quare reijcienda eſt prima opinio, quæ aſſerit Virginem poſt Chriſti paſsionem non abſoluiſſe biennium. Reijcienda eſt etiam opinio Hippoliti Thebani, qui voluit B. Virginem poſt Chriſtum paſſum vixiſſe annos 9. & mortuam eſſe anno ætatis 43: nam cum 10. anno poſt Chriſti paſsionem, à natiuitate vero illius anno 44. cum Ioanne à Ieroſolyma ſit profecta, & per aliquod tempus Epheſi manſerit, nec probabile ſit ſtatim Ieroſolymam rediſſe, ſed ſedata iam poſt aliquot annos Iudæorum ſæuitia, & ibidem diem clauſerit, cum ibi eius ſepulchrum inuiſatur; concedendum eſt, eam vixiſſe aliquot annos poſt diſperſionem Apoſtolorum.

33. *Vixit vſq; ad Conciliũ de quo Act. 15. Rupert.* Quod verò vixerit vſque ad Conciliũ Apoſtolorum, de quo Actor. 15. teſtatur *Rupertus Abbas lib. 1. in Cantic.* vt diximus: hoc autem Concilium, vt oſtendimus, celebratum fuit anno Chriſti 51. Claudij autem 9. quo tẽpore Virgo agebat annum 65. Quod vero aliquod annos poſt adhuc vixerit, inde probatur; quoniam teſte Vbertino in lib. de vita Saluatoris (quem refert *Carthuſianus in commentar. ad Dionyſium de diuinis nom. c. 3.*) *Carthuſ.* Dionyſius ad fidem conuerſus venit Ieroſolymam Virginem videndi cauſa: cũ vero ille ad fidem conuerſus fuerit vno, vt minimum, anno poſt præfatum Conciliũ (anno. ſ. Domini 52. & Claudij 10.) vt bene probat Baronius ad eundem annum n. 1. (quanuis alij aſſerant duos vel tres annos fuiſſe conſumptos) nec ſit veriſimile Dionyſium ſtatim Ieroſolymam fuiſſe profectum ad videndam Virginẽ, ſed poſt aliquod non breue tempus, concedẽdum eſt B. Virginem annos 66. ætatis, vt minimum, confeciſſe. Quod euidentiori teſtimonio confirmatur ſumpto *ex d. cap. 3. de diuin. nomin.* ex quo loco 34. iuxta probabiliorem & veriorem explicationem, magnus Dionyſius affirmat ſe *Dionyſius* ſimul cum Apoſtolis, & quamplurimis alijs fratribus funeri Virginis interfuiſſe; ita enim ſcribit: *Nam apud ipſos diuino ſpiritu plenos Pontifices noſtros* (Apoſtolos intelligit) *cum & nos, vt noſti, & plerique ex ſanctis fratribus noſtris ad contuendum corpus illud, quod authorem vitæ, Deumq; ceperat, conuiniſſemus.* Quæ verba ſi literã græcam conſulimus, nec ſepulchro Chriſti (vt vult Hildoinus) nec ædibus Ioannis (vt vult Matthæus Galenus) accommodari poſſunt: etenim (vt bene aduertit *Baronius ad annum Chriſti* 48. *n.* 8.) quorſum Apoſtoli per totum orbem diſperſi, *Baron.* qui multos annos poſt aſcenſionem Domini Ieroſolymis manentes, & ſepulchrũ Chriſti, & ædes Ioannis viderunt, tunc potiſsimum ad hæc videnda, & totis viribus laudanda excitarentur? optime autem accommodantur corpori Virginis, iam defunctæ: quæ eſt communis expoſitio *Damaſceni*, *Andreæ Cretenſis*, *in orationibus de Aſſumptione Virginis*, *Epiphanij*, *&* *Simonis Metaphraſtes de vita eiuſdẽ*, *Damaſc. Cretenſis.* *Nicephori ex Iuuenali Ieroſolimitano libr.* *Nicephor.* 2. c. 21. *cum ſequentibus*: ex Nouioribus latè *Baronius, vbi ſupra n. 6. 7. & 8.* quem *Baronius.* refert, & ſequitur *Suarius 2. tom. ad 3. p.* *Suarius.*

diſp. 2 1. *ſect.* 1. *ad finem*: nec deeſt perſuaſibilis ratio, nam ſi teſte Iuuenali cum Nicephoro, Damaſceno, & Cretẽſi, Chriſtus eidem dormitioni cum maxima cœleſtium ciuium multitudine interfuit: quid mirum, ſi diſponente Deo Eccleſia militans cum triumphante interfuerit?

35. *Anni Virginis.*
Hoc igitur ſuppoſito teſtimonio, concedendum eſt B. Virginem 66. annum, & forte 67. exceſsiſſe: de alio autem tempore vſque ad 72. nullum adeſt aut probabile fundamentum, aut ſuadens coniectura, vt illud admittamus: etenim nulla coniectura ſuadet tranſitum Virginis nõ fuiſſe ante vltimum Pauli Ieroſolymam aduentum, quidquid Baronius ſine vlla probabili coniectura id ſupponat. Quin potius, ſi ea, quæ à Paulo in vltimo illo aduentu geſta ſunt, vſque ad illius vincula, diligentius expendãtur, potius ſuadent oppoſitum, ſi Paulus eidem funeri interfuit, vt colligitur ex *d. cap.* 3. *de diuinis nomin.* nam ex cap. 21. Actor. conſtat
Actor. 21.
Paulum Ieroſolymam veniſſe inſtante ſolennitate Pentecoſtes, vt ex cap. 20. Actor. colligit *Chryſoſtomus homil.* 45. *in Acta Apoſtolorum, & Baronius ad annum Chriſti* 58. *n.* 117. quæ ſolennitas celebrabatur vel menſe Maij, vel Iunij, vt patet:
Chryſoſt. Baronius.
1. ratio.
iam vero poſt diem 7. ab illius aduentu fuit vinctus, vt conſtat Actor. 21. & in vinculis manſit, donec Romam mittitur: non potuit igitur funeri Virginis intereſſe, cum Virgo 15. die Auguſti eiuſdẽ anni obierit. Deinde ex d. cap. 21. Act.
36. *2. ratio. Act.* 21.
ſatis colligitur in illo ſeniorum conuentu ſolum interfuiſſe Iacobum fratrẽ Domini, qui Ieroſolymorum erat Epiſcopus: cum tamen ad Virginis tranſitum, (vt communis eſt traditio) omnes Apoſtoli cõuenerint. Tertio accedit, quoniã
3. ratio.
ab aduentu Pauli vſque ad vincula ſeptẽ ſolum fluxerunt dies: in quorum primo ſuſceptus eſt Paulus, in ſecũdo interfuit ſeniorum conuentui: in tertio vſque ad ſeptimum obtemperans ſenioribus, aſſumptis viris ex circumciſione fidelibus, qui legalia zelabant, purificatus eſt cum illis, & in templum intrauit, donec pro ſingulis ſacrificium offerretur: die autem ſeptimo populo à Iudæis concitato, qui erant in Aſia, fuit vinctus, & poſitus in carcere, donec miſſus eſt Romam. Quæ omnia ſatis ſuadent tranſitum B. Virginis eo tempore non cõtigiſſe, nec poſtea, ſi admittatur Paulũ illi interfuiſſe. Quare tranſitus ille ante præfatum tempus, nimirum ante annum Chriſti 58. & Neronis 2. atque etiã poſt annũ Chriſti 52. & Claudij 10. contigit. Quãdo verò intra hoc tempus contigerit? omnino eſt incertum. Et hæc de tranſitu B. Virginis.

§. 7.

Concluditur ſecunda difficultas.

EX his, quæ tam latè diximus, non ſolum patet ſolutio ſecundæ difficultatis contra S. Cecilij teſtimonium: ſed etiam potuiſſe S. Cecilium ferre teſtimonium de pluribus Apoſtolorũ Cõcilijs: quia potuit omnibus interfuiſſe, excepto hoc nouiſsimo coacto in vltimo aſcenſu Pauli Ieroſolymam anno Chriſti 58. & Neronis 2. ſi tamen Concilium appellari debet, de quo bene dubitat Baronius ad eundem annum n. 118: nam cum hoc Concilium actum ſit in feſto Pentecoſtes, vt ex dictis patet, non potuit S. Cecilius illi intereſſe, cum martyrium ſubierit eodem anno Kalendis Februarij. 37. *Reſolutio 2. difficultatis.*

Si verò inquiras, in quonam Concilio de Virginis immunitate à macula originali actum ſit? reſpondebo id omnino eſſe incertum. Quidam putant hac de re actum eſſe, quando Apoſtoli ad B. Virginis tranſitum conuenerunt, vbi teſte Dionyſio de diuin. nomin. c. 3. quiſque de laudibus Virginis habuit ſermonem, & ſinguli occaſionem nacti ſunt laudandi diuinas vires, in B. Virgine ſanctificãda: quæ occaſio ſatis fuit commoda, vt hæc veritas vel ab omnibus, vel ab aliquo eorum cæteris annuẽtibus explicaretur. Potuit etiã hæc veritas explicari in Cõcilio, de quo Actor 15. vbi latè diſcuſſũ eſt de neceſsitate gratiæ Chriſti: de infirmitate legis veteris, ceſſationeque legalium: etenim cum his dogmatibus cõiuncta eſt hæc veritas. Denique potuerunt Apoſtoli hac de re tractare, quando ante diſperſionem ad Euangelium prædicandum ſimul in vnum conuenerunt, 38. *In quo Cõcilio de hoc actum ſit.*

vt

vt inter ſe prius cõferrent ea,quę ab omnibus, & à ſingulis erant prædicanda: etenim tunc fidei Symbolum (quod Apoſtolorum vocatur)compoſuerunt. Satis autem eſt probabile, quod tunc ſingulos articulos Symboli per modũ Catechiſmi explicauerint, & inter alia hanc veritatem potuerunt & explicare, & diffinire.

39. *Concluſio.* Concludimus igitur ſecundam iſtam difficultatem non conuincere S. Ceciliũ non potuiſſe alicuius Apoſtolici Concilij ferre teſtimonium: etenim vt oſtendimus, potuit interfuiſſe omnibus; ſiquidẽ omnia ante eius martyriũ celebrata fuerunt.

§. 8.

Explicatur tertia difficultas contra teſtimonium Sancti Cecilij.

40. *Ad 3. difficultatem.* QVod verò ad tertiam difficultatẽ attinet, in ea ſine fundamento ſumitur, non eſſe veriſimile ab Apoſtolis fuiſſe aliquando agitatum, ne dũ diffinitum B. Virginem ſine originali fuiſſe conceptam: etenim nihil adduci poteſt, quod aut incredibile faciat, aut minus veriſimile quæſtionem iſtam ab Apoſtolis agitari potuiſſe, aut diffiniri: quin potius pleraque ſunt, quæ ſatis videntur ſuadere eam ab Apoſtolis diſſolutam, & diffinitam fuiſſe: *Actor, 15.* etenim *Actor.* 15. cum agitatum ibi ſit circumciſionem ad ſalutem non eſſe neceſſariã (quæ fuit principalis illius Concilij quęſtio)ſimul tractatum eſt dogma de neceſſitate gratiæ Chriſti, & de illius efficacia ad delenda omnia peccata actualia,& originalia,& ad corda fidelium purificanda. Quis igitur cum probabilitate negabit datam fuiſſe Apoſtolis occaſionem,vt de ſumma Virginis puritate, & ab omni peccato immunitate aliquid tractarent? Nec improbabilis fuit occaſio, ſed probabiliſsima ſatis,vt de illius ab omni peccato tam originali, quàm actuali præſeruatione ageretur,

41. *Agere de hoc poterat in tranſitu Virginis.* quando omnes ad trãſitum B. Virginis Ieroſolymam conuenerunt,cum ſinguli de laudibus Virginis ſermonem habuerunt. Non parua etiam fuit occaſio, vt de hac veritate tractarent

42. cum ante diſperſionem ad prædicandum Euangelium conuenerunt, & Symbolũ compoſuerunt,illiuſque ſingulos articulos explicarunt. *Præterea quando cõuenerunt, antequam diſpergerentur.* Denique cum Eccleſia Romana hanc B. Virginis immunitatem & præſeruationem ſolenniter celebret, cum generali totius Eccleſię applauſu,& pietate, negari non poteſt hanc B. Virginis ab originali macula immunitatem ad fidei veritatem ſub pia credulitate iam pertinére: *Aliquomodo pertinet ad fidem.* cum vero Apoſtoli plenam,& diſtinctam notitiam omnis veritatis ad fidem aliquo modo pertinẽtis habuerint, non poteſt probabiliter negari eos de hac Virginis puritate inter ſe egiſſe, imò & eam diffiniſſe, quanuis de ea pro illo tẽpore nulla fuerit exorta cõtrouerſia, nec ad ſalutem fidelium abſolute fuerit neceſſaria: nec enim omnia,quę ab Apoſtolis de fide ſunt definita, ſunt ad ſalutem neceſſaria,vt inferius dicemus. Vnde parum vrget id, quod adducitur in contrarium, 43. ſcilicet hanc veritatem toti Eccleſiæ ad credẽdum promulgandam fuiſſe, ſi ab Apoſtolis fuiſſet definita: quia, vt dicemus,non omnia de fide diffinita omnibus proponuntur tanquam ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria. Quod verò Apoſtoli fuerint alijs myſterijs declarandis, 44. *Occurritur obiectioni.* & explicandis intenti,nihil impedit,quo minus oblata commoda occaſione, hanc etiam veritatem explicare potuerint. Quare hæc tertia difficultas contra teſtimonium S. Cecilij parum vrget.

45. *Ad confirmat.* Ad confirmationem, quod pertinet ad coniecturam ſumptam ex dictione *originarium peccatum*, quæ non ſatis eſt antiqua,docte reſpondet Suarius in quodam iudicio, quod in defenſionem ſanctarum reliquiarum ſcribit: vocem quidem latinam, qua vtitur verſio, non ſatis eſſe antiquam, non bene arguere vocem Arabicam eſſe nouam: poteſt enim eſſe antiquiſsima, quanuis interpretes eam verterint, per vocem latinam, quæ licet non inueniatur vſurpata à principio Eccleſiæ, ab antiquiſsimis tamen Patribus, etiam ante Auguſtinum vſurpata inuenitur. Quare licet interpres verterit vocem Arabicam, iuxta vſum à tot ſæculis vſurpatum (per vocem. ſ. originarium peccatum) hoc non obſtat, quominus vox Arabica in libro contenta ſit antiquiſsi-

quiſsi-

quiſsima, & accommodata priſcis illis temporibus: nam cum res ſignificata ſit antiquiſsima, in ſingulis linguis ſemper habuit aliquam propriam vocem, qua ſignificaretur, quanuis varijs vocibus ſignificata reperiatur: etenim ſemper reperitur ſignificata per vocem peccatum per originem tranſmiſſum ſignificantem: nam Pſalmo 50. dicitur: *Et in peccatis concepit me mater mea.* Et ad Romanos 5: *Peccatum per Adamum introiuit in mundum*: per Adamum, inquam, id eſt, per generationem ſeminalem deductam ab Adamo. Interdum etiam appellatur peccatum naturæ, quia ſcilicet per naturam, id eſt naturalem generationem trahitur: ob quam rationem à Paulo dicitur: *peccatum filij iræ*; quia ſcilicet per originem in filios Adami Deo inimicos deſcendit.

Pſal. 50.

Rom. 5.

47. *Iob.* 14. Denique Iob. 14. dicitur: *Nemo mundus à ſorde, nec infans vnius diei*: vt ſignificet peccatum illud originaliter contrahi, non verò perſonaliter in ipſa conceptione committi. Quare cum res ipſa ſemper & vbique ſignificetur cum ordine ad originem, & generationem ex Adamo non ſine fundamento potuit interpres vocem Arabicam (quæ cum ordine ad originem ex Adamo peccatum ſignificabat) accommodatiſsime vertere per vocem originarij peccati.

48. *Ad aliam obiect.* Quod vero attinet ad comminationem, quæ in dicto libro adiungitur, cum eodem Suario dicendum eſt verba Sancti Cecilij allata ſectione prima in tertia difficultate, non eſſe verba diffinitionis factæ à Concilio, ſed ipſius Sancti Cecilij, quibus docet Beatam Virginem ab originali peccato præſeruatam eſſe: & teſtatur hanc veritatem eſſe Concilij Apoſtolorum: vnde fundamentum obiectionis omnino ceſſat. Cum verò verba illa à Sancto Cecilio ſcripta, & comminationes inſertæ nihil habeant indecentiæ, nec in eis aliquid minus graue contineatur; non eſt, quod negemus illa à Sancto Martyre Cecilio fuiſſe ſcripta: maxime cum Sanctus Martyr arderet amore Beatæ Virginis: vnde cum ſciret veritatem illam ab Apoſtolis fuiſſe diffinitam, voluit verbis illis (nec ſine maxima prudentia) exagerando ſignificare, qua reuerentia, quo vè ſpiritu, veritas illa in Eccleſia ſuſcipi deberet.

§. 9.

Explicatur quarta difficultas ſumpta ex Conſtitutione Sixti Quarti.

AD quartam difficultatem, quæ ſumitur ex conſtitutione Sixti Quarti, quatenus teſtatur, *nondum à Romana Eccleſia Sedeq́ Apoſtolica fuiſſe deciſum, Virginem ſine originali pecato eſſe conceptam*: atque etiam ex Extrauagante Pij Quinti, dum ait; Sanctam Romanam Eccleſiam nihil hac de re hucuſque diffiniuiſſe, ad hanc inquam difficultatem duobus modis reſponderi poteſt. Vno modo; vt mens Pontificum fuerit nullam ab Eccleſia datam fuiſſe diffinitionem, qua veritas immaculatæ conceptionis Beatæ Virginis proponeretur Eccleſiæ tanquam dogma neceſſarium ad ſalutem: ita vt illud credere neceſſarium ſit ad iuſtitiam, & illud ore confiteri neceſſarium ſit ad ſalutem. In quo ſenſu fatendum eſt veritatem illam non dum fuiſſe ab Eccleſia diffinitam, atque propoſitam: quod admittimus; nec enim Apoſtoli præcitatam veritatem in hoc ſenſu vnquam diffiniuerunt: ſi enim in illo ſenſu eam diffiniuiſſent nunquam talis veritas, & diffinitio obliuioni daretur: quia Deus non deficit in neceſſarijs ad ſalutem: & hunc fuiſſe ſenſum illorum Pontificum probatur ex verbis Pij Quinti, dum reprehendit eos, qui pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac ſi hæc veritas de illis eſſet dogmatibus, quæ corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem neceſſaria ſunt. Vnde quando addit Sanctam Romanam Eccleſiam nihil hac de re hucuſque diffiniuiſſe, ita eſt intelligendus, vt nihil hucuſque diffinierit, docendo eam ad iuſtitiam, & ſalutem fidelium eſſe neceſſariam: cum quo optime conſtat SS. Apoſtolos hoc docuiſſe, & diffiniuiſſe tanquam fidei veritatem; ad ſalutem tamen minimè neceſſariam: etenim non

49. *Ad 4. difficultatem.*

1. *ſolutio.*

50. *Confirmatur ſolutio.*

quidquid de fide diffinitum eſt, diffinitum eſt tanquam neceſſarium ad iuſtitiam, ſalutemque fidelium, vt dicemus ad quintam difficultatem. Hæc ſolutio placuit *Franc. Suario loco citato*, & vere ſatis eſt, vt vis allatæ difficultatis tollatur.

Suarius.

51. *2. ſolutio.* Secundo modo ad difficultatem facilius reſponderi poteſt (quanuis cum priori ſolutione coincidat) vt mens illorum Pontificum fuerit docere nullam ab Eccleſia datam fuiſſe diffinitionem, quæ nunc obliget ad veritatem tanquam de fide tenendam. Quare non negant eam potuiſſe ab Apoſtolis eſſe traditam, vt de fide: & tamen temporis iniuria rationem certitudinis fidei amiſiſſe ob diffinitionis Apoſtolicæ inuincibilem ignorantiam: etenim quod Summi illi Pontifices de immaculata B. Virginis Conceptione dixerunt, veriſsime dici poterat de omnibus propoſitionibus, quę ab Eccleſia ſucceſſu temporis de nouo fuerunt diffinitæ: nam cum ante illarum diffinitiones abſque erroris periculo pro vtraque parte fuerint probabiles, tum iudicio Doctorum, tum iudicio Eccleſiæ, vt patet ex cap. *Maiores, de Baptiſmo*; veriſsime dici poterat earum veritatem ab Eccleſia non dum fuiſſe deciſſam: cum tamen ex definitione ſuperueniente euidenter conſtet propoſitiones illas iam fuiſſe ab Apoſtolis traditas, & definitas de fide; cum Eccleſia nihil poſſit de nouo diffinire de fide, ſed diffiniat id, quod ab Apoſtolis de fide iam diffinitum eſt, vt ſtatim dicemus.

Cap. *Maiores de Baptiſmo.*

§. 10.

Explicatur quinta, & poſtrema difficultas ſumpta ex eo, quod ſemel diffinitum eſt de fide, ſemper eſt de fide.

52. *Ad quintã difficult.* SVPEREST diſſoluere quintam & poſtremam difficultatem, quomodo id, quod ab Apoſtolis ſemel diffinitum eſt de fide, potuit noſtris his temporibus non eſſe de fide? Cui difficultati quidam ita occurrunt, vt dicant Apoſtolos inter ſe hanc veritatem contuliſſe, ac declaraſſe; non tamen illam populo propoſuiſſe, & promulgaſſe: quia non ſemper in omnibus fidei veritatibus hoc neceſſarium eſt, aut expedit, nam Paulus ad Galatas cap. 2. *Contuli (inquit) cum illis (ſcilicet Apoſtolis) Euangelium, quod prædico in gentibus; ſeorſim autem iis, qui videbantur aliquid eſſe*: ex quibus verbis omnibus notant particulam *ſeorſim*, & aduertunt Paulum non coram toto populo, ſed cum præcipuis viris Euangelium communicaſſe: & quanuis communiter aſſeratur Paulum id feciſſe ad euitandum ſcandalum, & æmulationem Iudæorum: tamen potuit id facere ob generalem rationem; quia non omnia fidei myſteria ſunt toti populo prædicanda, & manifeſtanda, ideo quia iudicium totius populi ad hoc non ſit neceſſarium: ita Franciſcus Suarius in propria quæſtione, quam hac de re fecit poſt inuentum Sancti Cecilij librum.

1. ſolutio.

Ad Galat 2.

53. *Non placet ſolutio.* Solutio tamen non tollit difficultatem argumenti, quoniam vel Apoſtoli hanc veritatem inter ſe cognouerunt, nec tamen eam promulgarunt Eccleſiæ credendam: vel eam propoſuerunt quidem credendam; eamq; prædicauerunt, non quidem omni populo, ſed ſolis maioribus Eccleſiæ. Primum dici non poteſt: quoniam Apoſtoli omnem fidei veritatem vno vel altero modo prædicauerunt, iuxta illud Matthæi cap. 28: *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos, & docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* & Marc. vltimo: *Euntes in vniuerſum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ*: vbi nomine *Euangelij* omnis fidei veritas intelligitur, iuxta illud, *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem*: alioquin ſi Eccleſia hanc veritatem non accepit ab Apoſtolis, eam de fide non poterit diffinire: Eccleſia enim non poteſt efficere nouum fidei articulum, ſed eam ſolam fidem, quæ ab Apoſtolis tradita eſt Eccleſiæ, & promulgata, vt communiter docent Theologi cum *Diuo Thoma ſecunda ſecundæ quæſtione prima articulo ſeptimo*: iam vero inferius articulo octauo oſtendemus Eccleſiam hanc veritatem de immacu-

Matt. 28.

Marc. vlt.

D. Thom.

maculata Virginis conceptione poſſe de fide definire. Porrò ſi illud poſterius dicatur, adhuc vrget difficultas argumenti: inde enim infertur de fide eſſe, Beatam Virginem ſine peccato originali fuiſſe conceptam; contra quod ſuperius docuimus.

54. *Vera ſolutio.* Quare dicendum eſt Apoſtolos quidem hanc Virginis prærogatiuam, & diffinijſſe, & aliquando prædicaſſe, Eccleſiæque tradidiſſe: eam tamen temporum iniuria à certitudine traditionis, & Apoſtolicæ doctrinæ cecidiſſe: etenim communis eſt Theologorum doctrina multa ab Apoſtolis fuiſſe tradita, vt de fide credenda, quæ poſtea in Eccleſia fuerunt dubia, & ſine infallibili certitudine habita.

55. *Not.1.* ¶ Pro cuius maiore explicatione aduertendum eſt primo, Eccleſiam non poſſe aliqua de fide, aut edere, aut diffinire, præter ea, quæ per Chriſtum Dominum, & Apoſtolos illis ſunt tradita, & prædicata, quæ eſt communis Theologorum ſententia, ex mente *Diui Thomæ ſecunda ſecundæ quæſtione prima, articulo ſeptimo, vbi omnes illius interpretes Bañes, Aragonius, & alij, & latè probat Cordubenſis libro quarto quæſtionar. quæſtione prima, propoſit.5. notabili primo, fol. 220. columna prima, & inferius ad ſecundum argumentum, pagina 223. columna ſecunda, Bellarminus tertio tomo controuerſiarum, libro primo de Verbo Dei capite 10. §. Itaque non dicimus, Valentia quarto tomo, diſputatione prima, quæſtione prima, puncto 6.* (*D. Thom. Bañes. Aragon. Corduben. Bellarm. Valentia.*) Quæ veritas ex eo euidenter probatur; quoniam omnia credibilia fidei ſunt per Chriſtum Apoſtolis tradita, iuxta illud Ioannis 14: *Omnia, quæcunque audiui à Patre, nota feci vobis*; & per Apoſtolos illa omnia ſunt Eccleſiæ prædicata, & annunciata, vt docet *Cyprianus in ſermone de ablutione pedum*, (*Cyprianus*) & ſatis patet ex verbis Ioannis cap. 20. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos*; vt ſcilicet ea omnia, quæ vos docui, doceatis, & prædicetis, iuxta illud Matthæi 28. & Marc. cap. vltimo, vt ſuprà. 56. Et inde eſt, vt ſoli Apoſtoli ſint à Deo electi, & deſtinati pro fundanda Eccleſia, vt in præcitatis locis patet, & explicat Paulus 2. Corinth. 3. *Qui idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti*: (*2.Cor.3.*) fundamentum autem Eccleſiæ eſt fides, & ea, quæ ad fidem ſpectant: ob quam rationem Chriſti Eccleſia *fundata eſt ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide CHRISTO IESV*, ad Epheſios capite 2. (*Epheſ.2.*) Iam verò ſi Eccleſia nouum fidei articulum, nouumque credibile poſſet ſtatuere, iam illud non ædificaret ſupra fundamentum Apoſtolorum, contra Pauli doctrinam. Præterea daretur in Eccleſia aliqua fidei veritas, quæ Apoſtolis fuerit incognita, contra illud, quod dicitur Ioannis 16: *Cum autem venerit ſpiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (*Ioan.16.*)

57. *Not.2.* Deinde aduertendum eſt Apoſtolos, quamuis omnia pertinentia ad fidem Eccleſiæ tradiderint; non tamen omnia ſcripto tradiderunt; ſed vel ſcripto, vel verbo: vnde præter ſacram Scripturam habet Eccleſia traditiones diuinas ab Apoſtolis acceptas, quæ eandem cum ſacra Scriptura habent authoritatem, & infallibilitatem, vt de Fide ſupponimus contra hæreticos noſtri temporis ex Tridentino ſeſsione quarta. (*Trident.*)

58. *Not.3.* Aduertendum tertiò, Apoſtolos non omnia tam clare, & diſtincte, aut ſcripſiſſe, aut tradidiſſe, vt plene ab omnibus intelligi poſſent, aut intellecta fuerint; ſicut etiam non omnia vbique prædicauerunt, vnde non omnia vbique innotuerunt, vt bene aduertit *Cordubenſis loco citato, notabili tertio, folio 222. columna prima*: (*Cordub.*) nam licet omnia, quæ ad ſalutem erant neceſſaria, tam quoad fidem, quàm quoad mores omnibus, & vbique clare & diſtincte tradiderint, ita vt ab omnibus intelligerentur: cætera tamen, quæ non ita erant ad ſalutem neceſſaria, vt ſine eorum explicita notitia, & fide homo ſaluari poſſet; ſicut non omnibus prædicarunt (vt bene aduertit *Bellarminus vbi ſupra libro quarto de Verbo Dei capite vndecimo poſt principium*) (*Bellarm.*) ita ea non admodum diſtinctè propoſuerunt, aut ſcripſerunt, ita vt ab omnibus clare intelligerentur; imò etiam nec vbique

ea omnibus prædicarunt, vt ex Corduba iam aduertimus: etenim in ſcripturis ſanctis eſſe quædam difficilia intellectu, quæ varie intelligi poſſunt; & aliqua ab hæreticis eſſe deprauata, ſcribit *Diuus Petrus ſecunda epiſtola, cap.* 3. idem igitur contigit in ijs, quæ ſolo verbo ſunt tradita, vt non ita clare ſint propoſita, vt ab omnibus diſtincte intelligi poſſent.

Corduba. *2. Petr.* 3.

59. *Pleraque olim de fide propter obliuionē non tenentur de fide.* Quo fit, vt plura iſtorum temporis decurſu, vel ob hominum negligentiam, vel etiam proteruiam, & ingenij prauitatem potuerint vel in dubitationem venire, vel ſub obliuionis tenebris demerſa latere, vt bene aduertit *Corduba vbi ſupra pagina* 222. *columna prima, & Valentia quarto tomo, diſputatione prima, quæſtione prima, puncto* 6. *& prius id aduertit Vualdenſis lib.* 2. *doctrinalis fidei cap.* 22. *&* 23. vt alios omittamus. Cui etiam illud argumento eſt, quod multa ab Apoſtolis fuerunt tradita, quæ poſtea in Eccleſia dubia fuerunt, & per illius diffinitionem fidei certitudinem iterum acceperunt, vt patet in pluribus ſacræ Scripturæ libris, qui traditi ſunt ab Apoſtolis, vt canonici, de quibus poſtea dubitatum eſt, an canonici eſſent? & poſtea ab Eccleſia, tanquam vere canonici ſunt diffiniti. Sic etiam dubitatum fuit de celebratione diei Dominicæ, & de celebrando paſchate Dominica die; de recipiendo baptiſmo hæreticorum: & de pluribus alijs fidei veritatibus, quas eſſe ex Apoſtolorum traditione poſt longam multorum dubitationem Eccleſia diffiniuit: ob quam rationem in hoc ſenſu Eccleſiam in dies magis ac magis proficere docent Theologi cum *Diuo Thoma ſecunda ſecundæ quæſt.* 1. *artic.* 7. nec dubitari poteſt Apoſtolos docuiſſe natiuitatem Virginis fuiſſe ſanctam, ita vt ſine originali peccato nata ſit: eam nunquam actualiter peccaſſe, & plura alia Beatæ Virginis priuilegia: quæ tamen poſtea non tantam habuerunt certitudinem, quantam nunc habent poſt Eccleſiæ diffinitionem, & declarationem, & quãtam habuiſſent, ſi ea ab Apoſtolis fuiſſe de fide tradita omnibus modis conſtitiſſet.

Cordub. *Valentia.* *Vualdenſ.* *D. Thom.*

Quare ſicut in ijs, quæ pertinent ad fidem, quædam diſtinguimus, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, & ideo explicite ſunt credenda; quædam vero, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſed ſatis eſt, ſi implicite credantur, ita etiam in B. Virgine diſtinguenda ſunt quædam priuilegia, quæ cum myſterijs ad CHRISTVM, & ad ſalutem pertinentibus; imò etiam ad Beatiſsimæ Virginis maternitatem ſunt coniuncta; vt eſt perpetua virginitas, & alia huiuſmodi: alia vero, quæ quodammodo indirecte, & per quandam congruentiam cum illius maternitate coniuncta ſunt, & cum cæteris Chriſti myſterijs. Et quanuis certiſsimum ſit nulla fuiſſe ab Apoſtolis prætermiſſa: ea tamen, quæ prioris ſunt generis, tanquam per ſe, & directe pertinentia ad prædicationem fidei Chriſti, & ad veram maternitatem matris Dei, cum explicita fidei cognitione fuerunt in Eccleſia ſemper retenta: quæ vero generis ſunt poſterioris, tanquam coniuncta cum B. Virginis maternitate, non directe, ſed indirecte, & per quandam congruentiam, potuerunt temporis iniuria per obliuionem obſcurari, & in dubium reuocari. 60. *Notanda doctrina.*

Et ſicut in traditionibus, quæ ad ſalutem explicite non ſunt neceſſariæ, diuina prouidentia nunquam permiſit Eccleſiam omni prorſus eorum luce priuari, ſed in Eccleſia, & apud aliquos Patres, ſemper remanſerunt aliqua Apoſtolicæ doctrinæ veſtigia, donec duce Spiritu Sancto ſint per Eccleſiam in priſtinam certitudinem reſtitutæ: ita huius veritatis, de qua agimus, ſemper apud Patres etiam antiquiſsimos, fuerunt Apoſtolicæ traditionis non obſcura veſtigia, vt in ſequenti articulo, Deo fauente, oſtendemus. Cum vero videamus dubitationem de ea excitatam in dies adeo diminui, vt hæc veritas iam ſit fere totius Eccleſiæ communi conſenſu recepta, vt ex dicendis patebit; ſperamus fore, vt hoc Sancti [illegible]cilij teſtimonio in hæc tempora diuina prouidentia reſeruato, veritas iſta ab Eccleſia diffiniatur, vt in priſtinam redeat certitudinem.

Huius veritatis ſemper manſerunt veſtigia.

61. *Concluſio dictorum.* Et hæc ſatis diximus pro defenſione teſtimonij Sancti Cecilij, & pro ſolutione tertij argumenti ex eo deſumpti contra veritatem art. 2. reſolutam; neutram ſcilicet huius quæſtionis partem noſtris his temporibus eſſe de fide. Supereſt vt probemus ſententiam, quæ docet Virginem peccatum originale non contraxiſſe, eſſe, & ſemper fuiſſe non ſolum longe probabiliorem, ſed etiam adeo certam, vt illa diffinienda ſit, ſi Eccleſia à Spiritu Sancto ad hanc controuerſiam definiendam applicetur.

QVÆSTIO IIII.

Quænam harum opinionum apud Patres, ſit probabilior?

¶ *Præfatio ad hanc Quæſtionem.*

1. *Expendũtur teſtimonia Patrũ.* PRæmiſſis varijs aduerſariorũ placitis explicatur ordo ſeruandus in explicatione hui⁹ articuli: quoniam in omni Theologica controuerſia, maxime ſi aliquo modo, ad fidem pertinet, Sanctorum Patrum placita, & teſtimonia diligenter exquiruntur; cum Deus eos, tanquam lumina ad res dubias illuſtrandas in Eccleſia poſuerit; operæpretium erit circa propoſitam theſim Sanctorum placita quamdiligentiſſime expendere, vt facile pateat, quænã ſententia doctrinæ Sanctorum ſit conſonantior: eſt enim circa hunc articulum inter vtriuſque opinionis fautores non parua diſſentio.

2. *Dicta aduerſariorũ.* Nam qui volunt Virginem originale peccatum contraxiſſe, pleno ore, & abſq; vlla tripidatione affirmant antiquos Patres vno conſenſu ſuam probaſſe ſentẽtiam, imò nobis improperant, quod ex Sanctis Patribus habeamus neminem, nullumque ex antiquis illuſtrem doctorem, ſed modernos ſolòs, & nouos, idque tanquam certiſſimum ſupponunt *Caietanus, Canus, Medina, cæteriq; Thomiſtarũ:* quin potius non defuerunt ex illis, qui firmarent opinionem, quæ Virginem liberat ab originali, olim fuiſſe erroneã, non alio ducti fundamento, niſi quod apud Patres vehemens fuerit ſuſpicio, quod præcitata ſententia fidei repugnaret. Denique *Caietanus in tract. de Conceptione Virginis ad finem*, tanquam indubitatam veritatem concludit ſuam ſententiam in ſinu Sanctorum Patrum, priſcorumque Doctorum ſecuram, & ſine timore requieſcere; quæ ſententia apud modernos huius tempeſtatis Thomiſtas adeo eſt indubitata, vt nobis improperẽt, quod nouas amplectamur opiniones, cõtra antiquorum Patrum celebrem, & indubitatam doctrinam. *Caiet.*

Pro hac ſententia quidam referunt *D. Bonauenturã in tertio diſtinctione 3. articul. 1. q. 1. & 2.* affirmantem ſe nullum ex ſanctis vel legiſſe, vel inueniſſe, qui Virginem ab originali liberaret: & affirmant id aſſerere *Adam Guodam in eodem loco q. 2. art. 4.* Sed Adamus nec quartum articulum habet, nec in tota illa quæſtione de hac difficultate aliquod verbum facit. Diuus autem Bonauentura in d. art. 1. q. 1. ſolum dicit Sanctos Patres, licet B. Virginis nimium zelatores fuerint, nõ docuiſſe celebrandam eſſe Virginis conceptionem; & quæſt. 2. ſolum affirmat ſe ex ijs, quos ſuis auribus audiuit, nullum audiuiſſe, qui dixerit Mariam à peccato originali fuiſſe immunem. Quare qui ſcribunt Diuum Bonauẽturam præcitata ſcripſiſſe verba non ſolum falſò, ſed etiam temerarie illud aſſerunt: ſicut etiam nonnulli falſo affirmant Mayronium cum aduerſarijs conſentire in tertio diſtinct. 3. quæſt. 2. articulo quarto: etenim ſolum indiffinite ait Sanctos aſſerere Virginem contraxiſſe originalem culpam. 3. *D. Bonau. falſo refertur.* *Falſo etiã refertur Adamus.* 4.

Cum igitur aduerſarij pleno ore affirment omnes Sanctos Patres vno conſenſu pro ſua ſtare opinione, oportet hunc articulum diligentiſſimè examinare, vt huius rei veritas pro noſtra reſolutione magis eluceat, & aduerſariorum audacia videatur. Vtrum autem in citandis Patribus falſarij ſimus? an verò falſarius ſit Caietanus? ex ſequentibus patebit. 5. *Fundamẽtum dicendorum.*

In hoc igitur explicando in 1. articulo expendemus, quinam Patres noſtram

Ordo ſeruandus. aut aſſerant, aut foueant ſententiam. In ſecundo art. id ipſum expendemus pro ſententia aduerſariorum. In tertio inde colligemus, quænam ſententia ſit antiquior, & inter Patres communior. In quarto idem expendemus de Theologis ſcholaſticis antiquioribus, & recentioribus. In quinto, & vltimo diſcutiemus quænam illarum potius diffinienda ſit, ſi iudicium tam antiquiorum, quam iuniorum Doctorum expendatur: quibus explicatis facile patebit, an vera ſint, quæ aduerſarij tanta cum certitudine, & ſecuritate ſcribunt; vt facile quis videat, an laude ſint digni, an obiurgatione?

ARTICVLVS I.

Quinam Patres pro immunitate Virginis faciant?

6. *Qui Patres pro nobis faciant.* IN prima huius articuli ſectione referentur, & diligenter expēdentur Sācti Patres, qui pro immaculata Virginis conceptione faciunt, vt inde manifeſtior fiat aduerſariorum tum temeritas, tum audacia, dum affirmant nullum ex antiquis Sanctum, aut illuſtrem Doctorem, Virginis à peccato originali immunitatem aſſeruiſſe. Quare vt omnia diſtinctè tradantur, primo loco adducemus, qui Patres & antiqui, & nouiores expreſſe & in proprijs terminis noſtram probauerūt ſententiam. Deinde expendemus eos, qui, ſi non in terminis eam exprimunt, ſatis tamen efficaciter illam concludunt. Tertio loco adducemus plures, qui huic opinioni maximè fauent. Vltimo tandem loco plures non admittemus, qui à viris doctiſsimis pro ea referuntur: vt inde pateat diſputationem iſtā, ſolum elucidandæ veritatis gratia, eſſe à nobis inſtitutam.

§. I.

Referuntur Patres tam antiqui, quàm moderni, qui Virginem à labe originalis peccati, expreſſe liberant.

7. QVod attinet ad Patres, & viros ſanctos & doctos, qui verbis expreſsis B. Virginem liberant à macula originalis peccati, hoc ordine procedemus, vt priori loco referamus teſtimonia eorum, qui in Sinagoga fuerunt, deinde eorum, qui in Chriſti Eccleſia floruerunt. Quod in Sinagoga inter Rabinos receptiſsima fuerit ſententia, quod Mater Meſsiæ futura eſſet à culpa originali pura, & immunda, teſtatur Galatinus lib. 7. contra Iudæos, cuius teſtimonium quoad hoc non eſt parui faciendum. *Qui Patres formaliter liberēt Virginē ab originali.*

Sed pluris faciendum eſt teſtimoniū Ioannis Patriarchę Ieroſolymitani (anno 400. apud Tritemium, apud alios anno 770.) in lib. de inſtitut. monach. cap. 32. tom. 9. apud Bibliothecam Patrum pag. 1282. vbi refert Eliam inter Chriſti myſteria, quæ ſuis diſcipulis reuelauit, primū reuelaſſe, *quod quædā infantula futura erat, quæ ex vtero matris ſuæ ab omni peccato munda naſceretur.* Hoc autem Deus Eliæ reuelauit, & ſignificauit, ex quadam viſione, qua puer, cum quo Elias loquebatur, vidit de mari nubeculā paruā oriri; quæ nubes ſignificabat Beatā Mariam naſcituram fore ex natura humana peccatrice. Ex quibus verbis conſtat verba priora, *Ex vtero matris ſuæ*, intelligenda eſſe non de vtero B. Annæ, ſed de vtero naturæ humanæ, quæ eſt omnium noſtrum mater, ex cuius vtero egredimur, cum primum concipimur; & hunc eſſe ſenſum illorum verborum facile intelliges ex nubecula, quæ de mari primo egreditur: ſignificat enim B. Mariam ex natura humana tanquam ex matre egredientem in prima ſua conceptione. 8.

Hanc traditionem, & reuelationem à tempore Eliæ vſque ad Chriſti permāſiſſe, apertè teſtantur authores grauiſsimi citati à Petro de Ojeda ex Societate in ſua informatione pro immaculata B. Virginis conceptione cap. 1. fol. 3. p. 1. ſcilicet Paleodorus libr. 1. antiquitatum Eremitarum montis Carmeli cap. 5. & 6. Ioſeph' Antorcheus in lib. de perfecta militi. primitiuæ Eccleſiæ c. 12. Gilbertus Gerablatenſis in Chronico Ieroſolymitano; & tandem præcitatus Ioannes Patriarcha vbi ſup. cap. 32. & 33. vbi affirmat illos vltimos ſucceſſores Eliæ in mōte Carmelo fidem Chriſti ſuſcepiſſe,

&

& anno Chriſti 83. in eodem monte & loco vbi Elias vidit nubeculam ædificaſſe Capellam B. Virgini. Quo grauiſsimi Patriarchæ teſtimonio non ſolũ probatur à tempore Eliæ hanc traditionẽ viguiſſe quod B. Virgo ſine peccato mũdo apparuit: ſed etiam quod à tempore Apoſtolorum anno poſt Chriſtum 83. in honorem Conceptionis immaculatæ inſtitutam fuiſſe Capellam.

9. Quod verò attinet ad eos, qui in Chriſti Eccleſia floruerunt, primo loco adducemus teſtimonia Apoſtolorũ Andreæ, Thomæ, Matthæi, & Matthiæ, quorum verba ex libr. S. Amadæi adduximus lib. 2. q. 4. art. 7. §. 3. in fine, & iterum adducemus inferius in art. de reuelationibus, & afferemus S. Ceciliũ martyrem Apoſtolorum diſcipulum, qui in terminis hãc veritatem ſcripſit anno Domini 50. ita inquiens: *Illa Virgo Maria, illa ſancta, illa electa à primo originarioq́, peccato præſeruata fuit, & ab omni culpa libera,* & maledictionem imprecatur illis, qui oppoſitum docuerint. Quantum autem authoritatis hoc teſtimonium habeat, in præcedenti articulo tertio oſtendimus: etenim liber ille, ſimul cum ſanctis reliquijs, & laminis, cum cæteris, quæ in monte ſancto Granatæ inuenta ſunt, Concilij Prouincialis authoritate, & doctiſsimorum virorũm iudicio, communique illius vrbis conſenſu ſunt approbata. Vnde de laminarum veritate nullus, niſi aut cæcus, aut nimium proteruus, poteſt dubitare. Vnde dubitari nõ poteſt de teſtimonio Theſiphontis eiuſdem anni in libro de domo gloriæ Granatæ inuento: in quo teſtatur Angelum ad B. Virginem non fuiſſe dicturum Aue gratia plena, ſi originale peccatum contraxiſſet.

1. loco. S. Cecilius

2. loco Sedulius.

Secundo loco afferendus eſt Sedulius (qui floruit anno 430.) is enim lib. 2. operis paſchalis (habetur tom. 8. Bibliothec. Patrum) ita canit de Virgine.

Velut in ſpinis molis roſa ſurgit acutis,
Nil, quod lædat, habens, matremq́, obſcurat honore:
Sic Euæ de ſtirpe ſacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus noua Virgo piaret.

Notanda ſunt verba illa, *Nil, quod lædat, habens*: ſatis enim explicant Virginem ex ſpinis Euæ oriens nulla ſpina fuiſſe læſam; & ſubinde nullam originalem maculam contraxiſſe. Illa etiam verba ſunt annotanda: *Virginis antiquæ facinus noua Virgo piaret*: piauit enim facinus Euæ: quia illius facinoris labem non habuit.

Tertio loco afferemus Sanctiſsimum Ildephonſum Archiepiſcopum Toletanum (floruit anno 660.) in libro contra eos, qui diſputant de virginitate, & parturitione S. Mariæ: qui liber habetur to. 9. Bibliot. Patrum pag. 678. à Franciſco Feuardenſio de nouo inuentus, & nunc primum in lucem editus: vnde non eſt mirum, quod non reperiatur in indiculo operum illius allato à Iuliano apud Surium in 1. tomo, & à Baronio in annotationibus ad Martyrologium Romanũm die 15. Ianuarij litera I. & à Tritemio: nec enim horum authorum tempore extabat, ſed adhuc deſiderabatur, ſicut plures alij adhuc deſiderantur. Cui accedit, quod Vincentius in ſuo hiſtoriali lib. 7. c. 121. non ſolum huius libri mentionẽ fecit, ſed verba refert ſtatim adducenda. In illo igitur libro pag. 681. litera C. vt oſtendat B. Virginem in pariendo Chriſtum, non fuiſſe ſubiectam legi primæ originis, cui aliæ mulieres, in pariendo ſubiectæ ſunt, ita ſcribit: *Aliâs autem, quomodo Spiritu Sancto eam replente non ſine peccato originali fuit, cuius etiam natiuitas glorioſa Catholica in omni Eccleſia Chriſti ab omnibus felix & beata prædicatur? enim verò ſi non beata eſſet, & glorioſa, nequaquã tam feſtiue celebraretur vbique ab vniuerſis. Sed quia tam ſolenniter colitur, conſtat ex authoritate Eccleſiæ, quod nullis, quando nata eſt, ſubiacuit delictis; nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum.* Et paulò inferiùs: *nunc autem quia ex authoritate totius Eccleſiæ veneratur,* ſcilicet Virginis natiuitas, *conſtat eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe, per quam non ſolùm maledictio Euæ ſoluta eſt, verum etiam & benedictio omnibus condonata.* At Vaſquez Bellomontanus 2. tom. ad 3. p. diſp. 117. c. 3. ad finem exiſtimat B. Ildephõſum hęc verba non ſcripſiſſe de conceptione Virginis, ſed de ſola natiuitate illius, quæ vere ſine peccato originali fuit; cum in vte-

10. 3. loco S. Ildephonſ.

Vaſq. Bellomont. opinio.

Non recipitur.

ro fuerit ſanctificata: quod etiam ſenſit Bandelus in libro ſæpe citato c. 17. huic tamen explicationi expreſſe reſiſtunt illa verba: *Nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum*; quæ natiuitati Virginis nullo modo cõuenire poſſunt: Etenim in natiuitate ex vtero peccatum originale nec contrahitur, nec contrahi poteſt, ſed in ſola natiuitate in vtero, cũ primum quis concipitur homo. Nec audiendus eſt Bellomontanus, dum ait cõtrahere eo in loco, non eſſe idem, quod primum incurrere peccatum; ſed idem eſſe, quod deferre ſecum, & quaſi quoddã onus, trahere peccatum: non eſt, inquam, audiendus, imò reprehendendus: nam cũ eo in loco fateatur contrahere peccatum originale in ſcholis idem eſſe, quod primum incurrere tale peccatum (nullus enim dabitur, qui in alia ſignificatione modum illum loquendi acceperit) cur in eadem ſignificatione à Sanctiſsimo Ildephonſo non accipietur? quid abſurdi inde infertur? niſi abſurdum ſit, puritati Virginis fauere. Nec audiendus eſt Bandelus dum ait contrahere idem eſſe, quod naſcẽdo trahere.

11. *Occurritur inſtantiæ Bellom.*

At dicet Bellomõtanus Sanctiſsimum Patrem de ſola Virginis natiuitate agere, non autem de conceptione; & in eo totum eſſe, vt natiuitatem Virginis ab originali peccato immunem oſtendat. Sed quæſo, quid abſurdi eſt ſimul cum puritate natiuitatis puritatem conceptionis vno verbo veluti per tranſitum declarare? Nam ex puritate conceptionis in vtero magis confirmatur puritas natiuitatis ex vtero.

12. Fateor Sanctiſſimum Patrem ex profeſſo ex puritate natiuitatis oſtendere Virginem in partu Chriſti Domini à pœna originalis de pariẽdo cum dolore fuiſſe liberam: nam ſi ſpeciali priuilegio in ſua natiuitate à culpa originali fuit libera; cur à fortiori ſpecialiori priuilegio in partu Verbi incarnati à pœna doloris mulieribus ex peccato originali impoſita non erit exempta? quod argumentum maiorẽ habebit vim, ſi in ſua conceptione ab eadem culpa exempta ponatur.

13. *Explicatur S. Ildephonſus.*

Senſus ergo verborum Ildephonſi eſt, vt B. Virgo ex authoritate quidem Eccleſiæ nullis, quando nata eſt, ſubiacuit delictis: & ex ſuperabundãti addit illa verba: *imò nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum*: quæ explicatio ideo eſt abſque dubio recipiẽda, quia verbum *contrahere* propriam & vſitatam ſignificationem ſeruat, & iuuat cõmunem Eccleſiæ, & fere omnium fidelium pietatem, quæ omnino fouenda eſt, quando nihil impedit. Vnde laudandus eſt Catharinus, quod hoc Sanctiſsimi Ildephonſi teſtimonium pro immunitate Virginis confirmanda adduxerit: & eo magis eſt laudãdus: quoniam in antiquo Cõceptionis officio à pijſsimo Bernardo de Negarolis edito, & à Sixto 4. non ſolum approbato, ſed etiam iuſſu illius publice in Eccleſia celebrando hoc Sanctiſſimi Ildephonſi teſtimoniũ in huius veritatis confirmationem refertur. Quare merito Ildephonſum pro hac opinione citant *Gundiſaluus Sancius in ſuis diſcurſibus pro immaculata Virginis conceptione in 1. diſcurſu cap. 5. pag. 5. & Reuerendiſsimus Epiſcopus Frater Franciſcus de Soſa in approbatione eiuſdem libri.*

Catharin.

Gundiſaluus Sanc. Epiſcop. F. Franc. à Soſa.

14. *4. loco S. Idiota.*

Quarto loco communiter adducitur Sãctiſsimus, & vetuſtiſsimus Idiota (hoc enim nomine humilitatis gratia proprio ſuppreſſo appellari voluit; cum tamẽ eius eruditio ſimul cum ſanctitate tanta fuerit, vt & hæreticis formidini, & Catholicis admirationi habeatur, & inter Sãctos Patres merito referatur: floruit autem anno 800.) is igitur peruetuſtus author in libro de Contemplatione Virginis c. 2. ita ait: *Tota pulchra es Virgo glorioſiſsima, non in parte, ſed in toto: & macula peccati, ſiue mortalis, ſiue venialis, ſiue originalis, non eſt in te, nec vnquam fuit.* Et in eodẽ cap. affirmat *Virginem in conceptione totã fuiſſe pulchram*, & cap. 6. inquit: *Inueniſti Virgo Maria gratiam cæleſtem: quia fuiſti ab originali labe præſeruata*, habetur liber iſte tom. 5. Biblioth. Patrum, & pro noſtra ſententia communiter refertur à Canniſio, Suario, Valentia, Bellomontano, & ab alijs.

5. loco Fulbertus.

Quinto loco affertur Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis (anno 1000.) qui in Salutationem Angelicam ita ſcribit: *Electa: inſignis inter filias; quæ immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius ſanctitatis*, re-

Canniſius. Bellom. fertur à *Canniſio lib.1. de Virgine Deipara cap.7.pag.74. & à Bellomontano vbi ſuprà c.3.num.36*: fuit autem vir ſuo tempore omnium doctiſsimus, vt teſtatur Tritemius, cuius verba explicatione non indigent: etenim ſi à principio ſuæ creationis. i. generationis, & conceptionis fuit immaculata; vtique culpam originalem nunquam habuit.

16. *6.loco Damianus.* Sexto loco refertur Petrus Damianus (anno 1060.) in ſermone de Aſſumptione Virginis, vbi ita ſcribit: *Caro Virginis Mariæ ex Adam aſſumpta maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuerſa eſt.* Si verò non admiſit maculas Adæ, vtiq; maculam originalem non cõtraxit: nam ſi illam contraxiſſet, vtiq; maculas Adami admiſiſſet. Quo teſtimonio vtuntur Canniſius, Valentia, Bellomontanus, & plures alij pro noſtra aſſertione confirmanda: verba autem adducta, afferuntùr
Canniſius. Valentia. Bellom. Coccius. à *Canniſio lib.1.de Maria Deipara c.7.pag. 73.litera C. & à Valentia 4.tom.diſp.2.q. 1.punct.2.pag.416. litera E. & à Bellomõtano in d.diſp.117.c.3.in 7.teſtimonio, pag. 39.col.1. & à Iodoco Coccio in ſuo theſauro lib.3. art.1.pag.267.col.1.* & formaliter habentur in præcitato ſermone de Aſſumptione poſito in 2.tom. ſerm. illius in menſe Auguſto: vbi etiam aſſerit *in Virgine nullam eſſe maculam: eam nullum ſediſſe thronum in delicto tenebrarum, quas Adamus ſuo peccato in poſteritatem tranſmiſit, & in vniuerſam terram ſolum fuiſſe vſque ad Virginem: & eſſe auroram, quam nox tenebrarum originalis peccati non vidit, de quo Iob.3.*

17. *7.loco D. Anſelm.* Septimo loco adducitur D.Anſelmus (1080.) 2.ad Corint.5.ad illa verba: *Ergo omnes mortui ſunt*: vbi ita ſcribit: *omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, dempta matre Dei, ſiue originalibus, ſiue voluntate additis.* Hos commentarios tanquam legitimos D. Anſelmo tribuit Sixtus Senenſis: vnde à pleriſq; viris doctiſsimis ex hoc loco docetur Anſelmum pro nobis ſtare. Et quamuis aliqui dubitent, an illi commentarij ſint D. Anſelmi; nullus tamen dubitat authorẽ illorum eſſe virum Catholicum, & vere doctum, & Anſelmo contemporaneum: etenim commentarij illi tribuuntur cuidam Anſelmo Laudunenſi, qui floruit anno 1110.30. poſt D.Anſelmum annis.

¶ Sed quidquid de hoc ſit; D. Anſelmus abſque dubio huius fuit ſententiæ, nam vt omittamus, quæ ſcribit in libro de cõceptu virginali, de quibus inferius §. 3. n.62. efficaciſsima ſunt verba illa in lib. de excellentia Virginis cap. 3: *Nulli dubium, caſtiſsimum corpus, & ſanctiſsimam animam eius funditus ab omni fuiſſe macula peccati iugi Angelorum cuſtodia protectam.* Notanda ſunt illa verba *funditus ab omni macula peccati,* quæ non poſſunt non cõprehendere maculam peccati originalis, à qua per Angelorum cuſtodiam, & miniſteriũ anima illius protecta eſt. Apertiſsima ſunt verba, quæ referũtur in Breuiario Romano de Camera impreſſo Venetijs anno 1550. cuius verba refert Ioãnes Pineda in ſuis aduertentijs fol. 37.p. 1. *Angelos, alijs peccantibus, à peccato ſeruauit; & fœminam matrem ſuam futuram ab aliorum peccatorum exortem ſeruare non potuit? in æternitate conſilij ſui fixum ſtatuit eam dominatricem & Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem gratiam Angelis datam in conſortium conceptam eſſe crederemus hominum peccatorum? exiſtimet hoc, qui vult; argumentis ſuis probet, qui vult: his, quæ dicimus, aduerſetur, qui vult; ego donec oſtendat Deus mihi aliud dignius, excellentiæ Dominæ meæ, quæ dixi, dico.* Hæc verba collata eſſe cũ proprio originali in titulo illius Breuiarij affirmatur.

¶ Affertur à P. Petro Ojeda homilia 18. *Petrus Ojeda.*
quædam eiuſdem Sanctiſsimi Anſelmi in die Conceptionis B.Virginis ſuper Euangeliũ Matthæi *Liber generationis Ieſu Chriſti*, & totã homiliam refert in ſua informatione pro Cõceptione B.Virginis cap.12.fol.45.p.1. in qua latiſsime confirmat puritatem huius conceptionis: teſtaturque hanc homiliam ex D. Anſelmo referre Gerſonẽ in quodam ſermone de Conceptione: & Bachonium in 4.diſt. 2.q.4.art.1. quorum teſtimonio adducitur Ojeda vt putet ſermonem iſtum D. Anſelmo tribui poſſe, & ex eo etiam quia ille ſermo ex Anſelmo refertur in Breuiario Segouienſi. Alium etiam ſermonem refert idem Ojeda fol.46.p.2.de

Conceptione B. Virginis poſitum in Breuiario Eborenſi reformato authoritate infantis Henrici Eborẽſis Eccleſiæ olim Archiepiſcopi, & poſteà regis Portugaliæ, & citatur ab eodem Bachonio loco citato. Denique idem Ojeda refert epiſtolam eiuſdem S. Anſelmi ad coepiſcopos Anglorum, vt patet fol.41: vbi refert hanc epiſtolam vt D. Anſelmi recognouiſſe Bachonium, vbi ſupra, & quodlib. 13: Gerſonem in d.ſerm. de Conceptione: Boſium lib.9 de ſignis Eccleſiæ c.8. Claudium de Rota in additionibus ad Iacobum Genuenſem de legendis Sanctorum: Petrum Epiſcopum Equilinum in ſuo Catalogo lib.1.c.52.& lib.6.cap.56. Denique inuenitur hæc epiſtola (vt Ojeda ait) in antiquiſsimis Breuiarijs Hiſpali, Segoui, & Cordubę. Cum verò antiquorum teſtimonijs plurimum tribuendum ſit, & D. Anſelmo à pleriſque tribuatur inſtitutio celebritatis immaculatæ Conceptionis, vt dicemus q.6.art.1. §.13. nõ dubito epiſtolam illã, & præcitatos duos ſermones maxima cum probabilate D. Anſelmo tribuendos eſſe.

19. *8.loco Brunus.*

Octauo loco accedat Bruno ordinis Carthuſiani fundator, eiuſdem temporis cum Anſelmo; qui Pſalm. 101. agens de Virgine, & explicans verba illa eiuſdem Pſalmi: *Dominus de cœlo in terram aſpexit,* ita ſcribit: *Hæc eſt incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni præterea contagione peccati libera: per quam vitæ vitam agnouimus; quæ, quia digna fuit, Dominus de cœlo in terram aſpexit:* quæ verba adducuntur à Iodoco Coccio, & à Bellomontano. Quod verò illa verba *ab omni contagione peccati libera*, etiam intelligenda ſint de contagione originalis maculæ, ex eo euidenter probatur; quia ſi fuiſſet originaliter maculata, dici non poſſet *terra incorrupta, cui benedixit Dominus, & quæ digna erat, vt Dominus de cœlo eam aſpiceret:* quomodo enim eſſet terra incorrupta, & digna, vt à Deo de cœlo aſpiceretur: ſi originali macula, & fœdata eſſet, & Dei inimica? etenim quod peccato originali corruptum eſt, dici non poteſt incorruptum, nec dignum, vt oculis Dei placeat. Quare hoc teſtimonium dignũ eſt, vt à nobis enumeretur inter ea, quæ in terminis noſtram veritatẽ confirmãt.

20. *9.loco Iuo Carnotenſ.*

Nono loco afferri debet Iuo Carnotenſis eiuſdem tempeſtatis, qui floruit anno 1090: fuit autem ſui temporis & ſanctiſsimus, & doctiſsimus decretorum compilator, vt habes in principio decreti Gratiani: is igitur in ſermone de natiuitate Domini referente Iodoco vbi ſuprà ita ſcribit: *Quomodo matrem carni ſuæ ſanctificauerit, audiamus; vt inde lætetur Catholicus, immundus confundatur hæreticus: omnem quippe næuum, tam originalis, quàm actualis culpæ in ea deleuit: ſic quæ carnem de carne eius ſumens eandem in diuinam mũditiam transformauit.* Referuntur hæc verba à *Iodoco vbi ſupra pag.267. col. 2: deleuit autem omnem næuũ originalis, & actualis culpæ*, non illam tollendo, ſed ab illa præſeruando: *Iodocus Coccius.* nam eodem modo deleuit culpam originalem quo actualem: actualem autem deleuit præſeruando. Nec potui non maxime lætari dum legi illa verba: *vt inde lætetur Catholicus, immundus confundatur hæreticus*, quæ mihi ſatis ſignificant pro illo tempore (abhinc quingentis pluſquam annis) hanc controuerſiam excitatam eſſe, non quidem inter Catholicos, ſed à Catholicis contra illius temporis hæreticos: non quod pro illo tempore noſtra ſententia à Catholicis tãquam de fide haberetur; ſed quod tanquã vere pia à Catholicis, repugnantibus tantum hæreticis, probaretur: quod pro reprehendenda *Nota.* plurimorum noſtri temporis Theologorum cõtumacia eſt ſummopere aduertendum: ſicut etiam maxime aduertendum eſt, quod ait diuinum Verbum ſumens carnem de carne munda Virginis, eam in diuinam munditiam transformaſſe: diuina autem munditia non eſt alia, quam munditia, quæ ab omni prorſus debito contrahendæ immunditiæ originalis erat libera: in quam Verbum diuinum munditiam Virginis immediate transformauit, quia. ſ. erat munditia ab omni quidem immunditiæ labe libera; non tamen à debito cõtrahendi illam: in quo Virginis munditia diſtinguitur à noſtra, quæ eſt munditia ex actuali immunditia præcedente. Quod hoc loco eſt diligenter annotandum.

21. Decimo loco indubitanter adduci po-

teſt

10. loco S. Bernard.

teſt S. Bernardus (anno 1130.) *ſerm. 13. de Cœna Domini poſt principium* 1 .*tom.pag.* 1767.vbi ita ſcribit: *Non eſt in filijs hominum magnus vel paruus, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter matrem immaculati, peccatum non facientis, ſed peccata mundi tollentis: de qua cum de peccatis agitur, nullam prorſus volo habere quæſtionem.* Quæ verba clariora ſunt, quã vt indigeant expoſitione. Cum vero ſermones illi omnium conſenſu D. Bernardi ſint legitimi, non eſt dubitandum Sanctiſsimum Bernardum abſolute docuiſſe Virginẽm abſque peccato originali fuiſſe conceptã. Quam etiam opinionem euidenter expreſsit ſerm.4. ſuper Salue Regina 2. to. pag.470. vbi in hæc verba: *Innocens fuiſti ab originalibus, & ab actualibus peccatis, nemo ita, præter te: vnde authoritas Auguſtini, Cum de peccatis agitur nullam de B. Maria volumus fieri mentionem: ex eo enim maiorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatũ: ex omni, inquit, parte hoc eſt ex parte originalis, & ex parte actualis peccati.* Quod ſi dicas ſermones iſtos falsò tribui D.Bernardo, vt plures volunt: nõ negabis eos à viro aliquo illius temporis doctiſsimo fuiſſe compoſitos. Qui & cũ Auguſtino, & cum Bernardo in eo conſentiat, Virginem.ſ.ab originali peccato in ſua conceptione omnino fuiſſe immunem. Vnde præter S. Bernardum habemus eiuſdem temporis virum doctiſsimum, qui noſtram confirmet ſententiã. Vtrùm vero D. Bernardus oppoſitam ſententiam docuerit? & quomodo? expendemus inferius att.2. huius quæſtionis, §.2.

22. *11.loco Adam de S. Victore.*

Vndecimo loco referendus eſt Adam de S. Victore (anno 1180.) in proſa de Aſſumptione Virginis, vbi ita ſcribit:

Salue Verbi ſacra parens,
Flos de ſpinis, ſpina carens
Flos ſpineti gloria.
Nos ſpinetum, nos peccati
Spina ſumus cruentati:
Sed tu ſpinæ neſcia.

23. *12.loco Petrus de Riga.*

Duodecimo loco ponitur Petrus de Riga eiuſdem temporis, in Euãgelio, vbi poſt alias Virginis laudes, ita ſcribit:

Vnam nec maculam natura reliquit in iſta
Ad caput à planta tranſuolat iſte decor.

24. *13.lo.Vincẽtius Valuacenſis.*

Decimotertio loco poteſt accedere Vincentius Valuacenſis anno 1230. D.Thoma antiquior in ſuo ſpeculo hiſtoriali c. 121. quatenus refert S.Ildephonſum immunitatem Virginis in terminis aſſerentẽ, vt ſupra oſtendimus, quẽ ipſe probat.

25. *14.loc.Rupert.Linc.*

14. accedat Rupertus Linconienſis anno 1240. D.Thomæ contemporaneus relatus à Catharino.

✻ 26. *15.loco Iacobus Genuenſis.*

15. loco accedat Iacobus Genuenſis anno 1280. ſerm. 3. de Aſſumptione in hæc verba: *Maria fuit ſine macula per immunitatem omnis peccati*, & inferius: *non habuit admixtionem originalis; quia fuit in vtero à Spiritu Sancto ſanctificata: nec etiam habuit admixtionem mortalis: quia fuit à patris potentia confirmata: nec etiam habuit admixtionem venialis; quia fuit à puritate filij imprægnata.* Hæc poſteriora verba explicatione non indigent: priora vero ſatis ſunt efficacia; cum affirment Virginem habuiſſe immunitatem, & carentiam omnis peccati: quam tamen non haberet; ſi pro aliquo tempore immunditiã originalem habuiſſet. Optima etiam ſunt verba, quæ ſcribit in ſerm. 2. de eodem feſto. *Maria* (inquit) *lunam ſub pedibus habuit; quia nulla culpa in ea præualere potuit;* præualuiſſet autẽ, ſi originali aliquando ſubiecta fuiſſet: ſicut etiam non ſemper habuiſſet lunam ſub pedibus, ſi originalẽ immunditiam aliquandò habuiſſet: vnde citat Auguſtinum, dum vult, cum de peccatis agitur, de Virgine nullam fieri mẽtionem: vnde Auguſtini verba intelligit non ſolum de peccato actuali, ſed etiam de originali.

27. *16.loc. Leonardus de Vtino.*

Decimo ſexto adducatur Frater Leonardus de Vtino ordinis Prædicatorum anno 1345. in ſerm. de Cõceptione Virginis, vbi latè confirmat Virginem ab originali peccato fuiſſe immunem.

28. *17.loco Ioannes Taulerus.*

Decimo ſeptimo accedat Ioannes Taulerus, qui non immerito inter Patres iuniores noſtrorum temporum enumerari poteſt: floruit autem anno 1350: in feſto Purificationis Virginis, vbi non ſolũ docet *B. Virginem ab omni fuiſſe præſeruatam peccato; ſed hunc etiam habuiſſe decorẽ, quod culpæ originalis perpetuo expers fuit,*

ita vt, nec momento quidem tẽporis, vel iræ filia, vel vas immundum, vel diabolico (ſicut nos omnes) ſubiecta dominio fuerit: præuenit enim hoc ſapientia æterna nolẽs electiſſimum templum ſuum aliqua labe aſpergi.

29. 18. *Loco Laurent. Iuſtinian.* Decimo octauo, Laurent. Iuſtinianus anno 1430. qui & ſanctitate, & doctrina inter Patres non infimum meretur locum: is igitur in lib. de caſto connubio Dei, & animæ cap. 7. ita ait: *Hæc eſt originalis pœna delicti, à qua nemo, quamuis eximia polleat ſanctitate, liber exiſtit: quotquot enim ex ipſa nati ſunt propagine, exceptis duntaxat mediatore Chriſto Ieſu, & eius Matre, ſub hac peccati lege ſunt conditi.* In libro etiã, qui inſcribitur faſciculus amoris cap. 7. circa finem ita habet: *Nemo ab ipſo mundi initio vſque ad tem poris plenitudinem, duntaxat mediatore, eiuſque genetrice exceptis, iugum damnationis euaſit,* & lib. de gradibus perfectionis cap. 1. poſt medium hæc habet verba: *Ab originali delicto nullus excipitur, præter illã, quæ genuit Saluatorem.* In ſermone de Annunciatione B. Mariæ ita habet: *Ab ipſa ſui conceptione in benedictionibus eſt præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo:* Et ſtatim, *erat plane, ſicut à carnis collunione immunis; ita ab omni peccati labe extranea.* Denique in feſto natiuitatis Mariæ expreſſe aſſerit. *B. Virginem ſanctificatam fuiſſe in vtero, & ab omni culpæ originalis fuiſſe liberatam contagio.* Si ab omni originali culpa fuit liberata: ergo nulli vnquam actui ſubiecta fuit, & per conſequens fuit liberata per præſeruationem, ne culpam actu contraheret.

30. 19. *Loco Bernardinus Senenſis.* Decimo nono, Bernardinus Senenſis Ordinis Minorum (anno 1430.) multis in locis hãc ſententiam expreſſe ſcribit: nam tom. 5. ſermonum, ſerm. 52. qui eſt de Salutatione Angelica art. 1. c. 1. in medio pag. 386. colum. 1. ita ſcribit. *Fuit B. Virgo ſine primo væ, ideſt ſine tyranno concupiſcentiæ peccati originalis, quia ſine eo cõcepta eſt. ſicut teſte Salomone Cant. 4. didicimus, qui ait, tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, ſcilicet originalis culpæ:* *Cant. 4.* vbi etiam de Virgine explicat illud Pſalmi 36. *Cum ceciderit non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam:* *Pſalm. 36* vt intelligatur de caſu peccati in Adamo commiſſi, cui Dominus manum ſuam ſuppoſuit ne collideretur, maculam illius contrahẽdo. Illud etiam Pſalmi 30. *Saluaſti de neceſsitatibus animam meam; nec cõcluſiſti me in manibus inimici:* Saluaſti inquam animam meam, dum carni peccati obnoxię vnita fuit, idque eam præſeruando à contractione maculæ, ne in manibus inimici concluſa teneretur.

Deinde tom. 4. ſerm. 49. poſt Paſcha p. 1. in medio pag. 272. col. 2. ita ſcribit: 31.
Certum eſt, quod Deus creauit Adam ſine peccato originali ex limo terræ; deinde ex coſta eius creauit Euam etiam ſine peccato: & certum eſt, quod Chriſtus incarnatus fuerit Deus & homo: & fuit maior quam Adam, & Eua: modo non eſt credendum quod ipſe Filius Dei voluerit naſci ex Virgine, & ſumere eius carnem, quæ eſſet maculata aliquo peccato originali: imò credẽdũ eſt, quod voluit ſumere carnem ex carne puriſsima, & quod eius Mater fuerit pluſquam Eua, & Adam, qui creati fuerunt ſine peccato originali.

Idem Bernardinus in eodem ſermone 49. ita ait: *Et nota illud quod inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta: vult enim dicere, quod Ioannis Baptiſtæ anima eſt maior omnibus animabus, natis ex muliere: & Chriſtus caute ſe extrahit & Virginẽ glorioſam occulte; ſi bene aduertis ſuum eloquium; quia dicit, non ſurrexit, quia nullus dicitur leuari, ſeu ſurgere, qui nõ cecidit; ſed quia Chriſtus non cecidit in aliquo peccato conceptionis, nec actuali, & ſimiliter B. Virgo; ideo non ſunt in illa regula: quia non ceciderunt modo iam dicto: ideo non dicuntur ſurgere. ſicut omnes cæteri homines, qui ceciderunt, & cadunt per peccatum originale. Tamen vtrum B. Virgo fuerit concepta in peccato originali? Eccleſia non damnat; ſed magis pium eſt credere, quod non fuerit in peccato concepta. quam credere quod ſic.* Et ibidem refert ſe communicaſſe cum fratre Bartholomeo de Cecilia Monaſterij Carceris, qui eiuſdem erat opinionis. 32.

Quam pulchra confirmauit ratione deſumpta ex eo, quod Adamus, & Eua ſine peccato creati fuerint. Non eſt igitu credendum, quod Chriſtus voluerit eligere matrem, quæ aliquo peccato originali fuerit maculata. De qua ratione inferius plura dicemus.

Vigeſimo

23. 20. loc. Nicolaus Cuſanus.

Vigeſimo. Nicolaus Cuſanus (1450.) nam lib. 5. exercitationum ad illa verba, *Cœlum & terra tranſibunt*, *non ſolum docet B. Virginem ita conceptam fuiſſe, vt dignũ fieret habitaculum filij Dei: & ab initio dignam fuiſſe, vt filius Dei ſe eius humanitate indueret*: ſed etiam affirmat *ipſam ab Adamo genitam ita fuiſſe creatam ſanctam, vt nulla duratione verum fuerit dicere illam fuiſſe ſub peccato.* Quæ verba clariſsima ſunt. Sed clariora, quæ ibidem ſcribũtur: *B. Virginem nunquam gratia caruiſſe: ita quod non fuerant vllæ tenebræ per aliquod inſtans, aut tempus imperceptibile originalis indiſpoſitionis.* Idem expreſſe ſcribit lib. 8. ex ſermone *Sicut lilium* pag. 193.

24. 21. Petrus Apollin.

21. locum obtineat Petrus Apollinaris (anno 1480.) in feſtis de Natiuitate Virginis, ita ſcribens.

Salue Virgo parẽs, labes, quam nulla vetuſti
Per tot duct a gradus criminis implicuit.

Nec ſolum affirmat Virginẽ ab originali macula fuiſſe immunẽ; ſed etiã aſſerit cũ brutis ſapere, qui hanc negat veritatem; & veneno vipereo eſſe infectum, & tetro agitatum ſpiritu, ita inquiens:

Te, dum conciperis, culpæ quicunque negarit
Immunem, brutis nil ſapit ille magis.
Huic aut vipereo mens eſt infecta veneno
Aut illum teter ſpiritus exagitat.

25. Cum vero ſcripſerit ante conſtitutionẽ Sixti editam anno Dñi 1485. in pœnas per Sixtũ impoſitas non incidit. Volui tamen hæc illius carmina referre, vt omnes ſciant apud viros illius tẽpeſtatis doctiſsimos hanc veritatem eſſe notiſsimã.

26. 22. Guill. Pipinus.

22. loco Guillermus Pipinus in principio centuriæ mileſsimæ quingẽteſsimę referatur: qui in lib. de imitatione Sanctorũ in ſermone de cõceptione Virginis latiſsimè explicans diſcrimen inter conceptionem Chriſti & Virginis, expreſſe docet conceptionẽ Chriſti ex ſua natura fuiſſe ab omni peccato immunẽ; cõceptionem vero Virginis ex Anna ex ſola gratia fuiſſe liberam à macula originali.

27. 23. Fr. Sãcius de la Puerta.

23. loco Frater Sancius de la Puerta ordinis Prædicatorum in principio eiuſdem centuriæ in lib. de Laudibus Virginis ſerm. vltimo habito in ſacro Palatio coram Summo Pontifice multis confirmat Virginem exceptam fuiſſe à regula generali contrahendi originalem maculam; & ſubinde diuina gratia præuentam, eam non contraxiſſe, & id Auguſtini authoritate confirmat.

24. loco accedere poteſt Baptiſta Mantuanus, qui in principio eiuſdẽ milleſimæ qui ngenteſsimæ centurię hanc ſententiã præclaris ornauit verſibus; qui digni ſunt, vt hoc loco adducantur: is igitur libro 1. Parthen. ita ait: 28. 24. Baptiſta Mant.

Ante tener ſacra fœtus, quam viueret aluo
Conceptus ne prima nouos exordia pullis
Induerent maculis, mens ne cynſera, nitensq́,
Communem imbibere labem, ne pigra licore
Pectora lethæo fierent, quæ lactea magno
Pabula & amplexus fuerant latura Tonãti,
Semine confuſas ſordes, & virus inuſtum
Diſſecuit, felici anima mox imbuit artus.
Sunt tamen audentes contra ſentire, nec illos
Incuſamus: habent quo ſe tueantur, & olim
Iſta hominum communis erat ſententia; verũ
Iam ſenio exangui frigens, ſua robora ſenſim
Perdit, & amiſſa iam maieſtate recedit
Sponte ſua, ceditq́; nouo Latonia Phebo.

Et in ſequentibus multis hanc ſententiam confirmat.

25. loco audiendus eſt Guillermus Budæus (anno 1520.) qui lib. 3. de tranſitu Helleniſmi ad Chriſtianiſmũ, ita ait: *Immunitas eſt hæc à vitijs, maliſq́; animi motibus ſingularis omnino, & eximia, rariſsimiq́, exempli, quod olim prouidentia Diua Chriſti parente Dei, atque hominis, non modo à partu ſalutis integra, atque intacta; ſed etiã à næui natalitij conditione immuni, vt credimus, aliquando vſurpauit.* 25. Guill. Budæus.

26. loco eiuſdem centuriæ anno 1560. Hieronymus Vida hunc hymnum magnæ matri Virgini edidit, ita ſcribens: 29. 26. Hier. Vida.

Atque ideo poſtquam diuino fœdere rupto
Primus in orbe parẽs hominũ ſe perdidit ipſe,
Seque ſuumq́ genus, veniens corrupit in æuũ.
Sola malo exorta es, veteriq́ imperuia noxæ,
Seu tua te genetrix intactã, & prorſus auite
Secretam maculæ, grauida concepit in aluo,
Seu ſimul atq; vtero concreta es, Cælicolum Rex
Communem exemit labem, puramq́ reliquit.
Ne tuus exoriens pura dilapſus ab æthra.
Parte olim fœtus foret inſyncerus ab vlla,
Nec priſcam traheret materno à sãguine labem.

30. 27. *Ludo. Beltranus.* 27. loco pro hac opinione ſcripſerunt fere omnes huius noſtræ ſexcenteſsimæ centuriæ viri & literis, & ſanctitate eminentes: etenim hanc ſententiam conſtanter probauit Sanctiſsimus Frater Ludouicus Beltranus familiæ Dominicanæ digniſsimus filius inter Sanctos relatus à Sanctiſsimo Paulo V. die 29. Iulij anno 1608. hic vir ſanctiſsimus, & doctiſsimus non ſolum conſtanter adhæſit puritati immaculatæ conceptionis Virginis: ſed etiam indubitanter affirmauit omnes antiquos, qui contrariam ſcripſerunt opinionem, abſque dubio mutata ſententia huic, quam probamus adhæſuros, ſi modo viuerent: huius rei apertiſsimum teſtimonium tulit *Frater Vincentius Iuſtinianus ordinis Prædicatorum in additionibus ad hiſtoriam eiuſdem ſanctiſsimi Beltrani, & in tract. de immaculata Virginis conceptione* §. 1. *vbi* §. 13. *in fine* teſtatur hanc etiam fuiſſe conſtantem, & indubitatam ſententiam ſanctiſsimi Fratris Nicolai Factoris, qui noſtra iſta ætate decus fuit, & honor ordinis Minorũ. Denique hanc opinionem communi cõſenſu omnium Vniuerſitatũ, & Religionum, omniumque doctiſsimorum virorum applauſu approbari, idem Vincentius teſtatur in §. 7. eiuſdem tractatus.

31. *S. Nicol. Factor.*

28. *S. Maximus.* 28. loco nonnulli adducunt S. Maximum ex anno 420. in ſermone de Virgine in hæc verba: *Hæc porta clauſa, quæ fuit admirabilis Dei thalamus; cæleſte templum; tabernaculum gloriæ; de quo ſpecioſus prodijt ſponſus, lux gentium, ſpes fidelium, condecenter, & congrue nulla macula originali contaminata eſt.* Ego hæc verba non vidi in Sãcto Maximo, quia librum eius non habeo: referúntur tamen à Petro de Morales de Chriſto, & Virgine libr. 3. tract. 1. pag. 280. in fine.

Poſtremo loco adduci poſſunt omnes illi Patres, qui de feſto Conceptionis loquuntur; quos ſuo loco afferemus. ¶ Hos habemus Patres tam ex antiquioribus, quàm ex recentioribus, qui verbis expreſsis B. Virginem ab originali macula liberant. Quare ſecundo loco expendemus eos, qui ſi non in proprijs terminis; tamen abſque dubio eandem opinionem docuerunt.

§. 2.

Adducuntur Patres, qui abſque dubio ſtant pro immunitate B. Virginis.

Pro noſtra ſententia abſque dubio referri debent illi Patres, qui prædicant Virginem nunquam fuiſſe maledictam, nec vnquam in tenebris extitiſſe. Ex B. Andrea Apoſtolo præsbyteri Achaiæ in vita illius hæc verba retenunt: *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra, antequam eſſet maledicta: ita ſecundus Adam formatus fuit ex terra virginea nunquam maledicta.* Ecce ex Andrea Apoſtolo Chriſtus Dominus ſecundus Adamus formatus fuit ex Virgine nunquã maledicta: ſi nunquam maledicta; vtique nunquam fuit originali maculę ſubiecta, aliàs aliquando maledicta foret. Hunc pręsbyterorũ Achaię librum habes apud Surium in vita Andreæ Apoſtoli; de cuius veritate dubitari non poſſe teſtatur *Bellarminus in lib. de ſcriptor. Eccleſiaſt. ad finem primi ſæculi, pag.* 36. *vbi refert Damianum, Ioannem de Louanio, & Aloyſium Lippomanum, & alios,* qui illius libri hiſtoriam approbant. 32. *Alij Patres qui indubitanter eandẽ ſententiam tenuerunt.* 1. *loco S. Andreas Apoſt.* *Surius.* *Bellarm. Damin. Ioannes de Louanio. Lippom.*

¶ Eadem veritas confirmatur, ſi verba Andreæ ad Ægeam proconſulem expẽdamus relata à Canniſio in d. lib. 1. de Maria Deipara c. 7. pag. 93. D. & ab Bellom. in d. diſp. 117. c. 4. n. 49. quæ ita habent: *Et quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis, mundo mortem intulerat; neceſſario de immaculata Virgine natus eſt perfectus homo, in quo Dei filius hominem reparauit:* ſatis eſt enim quod B. Apoſtolus doceat Virginem, ex qua formatus eſt Chriſtus, eſſe terram immaculatam ad eum modũ, quo immaculata erat terra, ex qua formatus eſt primus homo Adam. Quare cum ille formatus ſit de terra in eo ſenſu immaculata, quia nunquã fuit maledicta; ita etiam Virgo à B. Apoſtolo dicta eſt immaculata, quia nunquã fuit aliquo maledicta peccato. ¶ Accedere poteſt Iacobus Apoſtolus in ſua Liturgia, dum ait dignum eſſe, vt B. Virgo dicatur ſemper beata; & omnibus modis irreprehenſibilis. Si ſemper beata; ergo nunquam fuit cum originali macula. 33. *Alia verba Apoſtoli.*

Secun-

34. 2. lo. Athanaſius. Secundo loco D. Athanaſius (anno 340.) in ſermone ad Euangelium de ſanctiſsima Deipara in fine pag. 663. litera C. ita ſcribit agens de laudibus Virginis: *Dicimus eam iterum atque iterum, & ſemper & vndequaque Beatiſsimam:* ſi ſemper & vndequaque beatiſsima fuit; vtique fuit etiam beatiſsima in ſua conceptione: & per conſequens conceptio illius fuit abſque vlla originali labe: nam ſi cum labe originali concepta eſt; vtique nec ſemper fuit beatiſsima, nec vndequaq;. Hæc enim verba neceſſario conuincunt eam non ſolum in vita; nec ſolum in ſua natiuitate, ſed etiam in cōceptione ſua, fuiſſe beatam & ſanctam. ¶ Accedat etiam epi-

Alius loc. ex eodem. ſtola eiuſdem Athanaſij ad Epitectum poſita apud eundem in Euāgelio de Sanctiſsima Deipara pag. 659. E. vbi ita ſcribit: *Maria ſi gratia plena dicitur, quod in illa Virgine totius gratiæ theſaurus reconderetur: quæ idcirco gratia plena denominata eſt, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret, & virtute Altiſsimi obumbraretur: quam virtutem per omnia tempora etiam conceptus ſui habuiſſe confido: nec enim id temporarium in Virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe:* nam ſi ideo dicitur gratia plena, quia virtutem Spiritus ſancti per omnia conceptus ſui tempora habuit; ita vt talis virtus non ſit illi data per aliquod tempus ipſius conceptus, ſed per omnia illius tempora; vtique ſtatim à primo cōceptionis inſtanti illi data eſt: & ſubinde à culpa originali ita fuit præſeruata, vt nunquam eam habuerit.

35. 3. loco Hieronymus. 3. loco afferendus eſt Author cōmentariorū in Pſalm. apud D. Hieronymum to. 7. ſiue illorū Hieronymus author ſit, vt plures verius putant; ſiue alius Hieronymo contemporaneus anno 380. vt alij autumāt: is igitur ad illa verba Pſal. 77. *Eduxit eos in nube diei* (pag. 95. lit. F.) per nubē diei intelligit, vel Chriſtū Dominū, vel Virginē Deiparam, de qua ita ſcribit: *Aut certe nubem leuem debemus. ſ. Mariam accipere, nullo ſemine humano prægrauatā:* exponens autem quare dicatur nubes, ita ait: *Nubes enim illa non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* ſi ſemper in luce; profecto nunquā fuit in tenebris, & per cōſequēs nunquam in ſe habuit originale peccatū.

36. 4. loc. Ambroſius. Quarto loco adduci poteſt Ambroſius eiuſdem temporis cum D. Hieronymo. Et quidem eum hanc noſtram veritatem docuiſſe, dubitari non poſſet, ſi apud illū inuenirentur verba, quæ ex eo ſcribūtur in officio antiquo Cōceptionis, ita habētia: *Hæc eſt virga in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Hęc tamē verba apud eū nō inueniuntur. Idem etiā dicendū foret, ſi apud eū darentur verba, quæ ex illo refert Catharinus: *quia de immaculata terra factus eſt præuaricator Adamus, congruū fuit, vt de immaculata Virgine naſceretur redemptor:* etenim Adamus formatus fuit de terra in hoc ſenſu immaculata; quià nunquā maledicta: in eodē igitur intelligi debet congruū fuiſſe, vt redēptor naſceretur de Virgine, ideo immaculata, quia nunquam Deo inuiſa, & inimica; & ex cōſequenti originali macula nunquam infecta. Sed nec iſta verba in Ambroſio inuenire potui: ſatis tamē ſunt

37. Locus efficax. efficacia, quæ ſcribit ſer. 22. in Pſal. 118. ad illa verba: *Erraui ſicut ouis, quæ perijt,* ita inquiens: *Veni ergo, & quære ouem tuā; iam non per ſeruulos, non per mercenarios, ſed per te metipſum ſuſcipe me in carne, quæ in Adam lapſa eſt: ſuſcipe me non ex Sara, ſed ex Maria, vt incorrupta ſit Virgo: ſed Virgo per gratiā ab omni integra labe peccati,* quibus verbis Deum precatur, vt non iam ipſum quęrat, per homines puros, ſed per ſe metipſum, ſuſcepta carne; nō quacūq;, ſed ea, quę lapſa eſt in Adamo: non quidē quæ in ipſa ſit corrupta, vt fuit caro Saræ, quæ corrupta filiū concepit; ſed quæ ſit caro Mariæ Virginis incorruptæ, vt quæ ſine viro concepit Dei filium, & adhuc ita fuit Virgo corpore incorrupta; & ſimul etiam Virgo mente per gratiā integra & immaculata ab omni labe peccati. Quam explicationē ſatis mihi explicat idem Ambroſius lib. 2. de Virginibus, dū ait: *Virginem Mariam non ſolum eſſe Virginem corpore, ſed etiam mente:* quare in præcitatis verbis duplicem precatur virginitatem in ea, à qua filius Dei carnem debebat ſumere; vnam corporis, alteram mentis per gratiam. Iam vero Virgo mater non poterat eſſe Virgo mente, & integra ab omni labe peccati, ſi

macula originali aliquando fœdata fuiſſet: nam ſicut virginitas corporis ſtare non poteſt cum aliqua carnis corruptione; ita etiam nec virginitas, & integritas mentis per gratiam ſtare vlla ratione poteſt cum aliqua peccati labe, & corruptione. Et hæc eſt vera & propria verborum Sanctiſsimi Ambroſij explicatio.

38. *Bellomon. reijcitur.* Et mirum eſt quod Bellomontanus in d. diſp.117. c.3. n.58.59. & 60. verba illa: *ſed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati* referat ad ſolam carnis virginitatem; cum virginitas carnis non fiat per gratiam gratum facientem, ſed per gratiam gratis datam, & per ſpeciale miraculum, quo caro parturientis à corruptione, ſolutioneque ſigilli virginitatis præſeruetur.

39. *5. loco Sophronius.* Quinto loco afferemus Sophronium Ieroſolymitanum anno 400. in epiſt. ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum lecta, & probata in 6. Synodo in 3. tomo Conciliorum pag.307. col.2. vbi aſſerit *Virginem ideo dici immaculatam, quia in nullo corrupta eſt.* Quæ verba ſatis explicant in quonam ſenſu B. Virgo à Patribus vno conſenſu, immaculata dicatur: quia ſ. in nullo fuit corrupta, & ſubinde nec corrupta fuit originali macula. Quem ſenſum ex eo infert; quia (vt ait) *totum, quod in ea geſtum eſt, totum fuit puritas, totum ſimplicitas, totum gratia, & veritas, totum miſericordia, & iuſtitia, quæ de cœlo proſpexit.* Quæ omnia falſa eſſent, ſi maculam originalem, vel per breuiſsimũ tẽpus contraxiſſet: iam enim in ea aliquid geſtum eſſet, quod puritas, & miſericordia non fuiſſet; ſed immunditia potius & ira: & inde eſt, vt eam ibi appellet *hortum delitiarum concluſum: quia ſcilicet neſciat violari, aut corrumpi vllis inſidiarum fraudibus*, inter quas primum locum habet fraus ſerpentis in paradiſo, qua totum humanum genus corrupit. Denique idem Sophronius in eadem epiſtola affirmat *B. Virginem liberam eſſe ab omni labe corporis, & animæ*, vt habet codex Vaticanus, ſicut refert Bellomontanus. Et eundem ſenſum verba facerent, licet diceretur liberata; quia conſtat B. Virginem à nulla præcedente labe actuali fuiſſe liberatam, ſed ab omni præſeruatam.

40. *6. loco German. Conſtantinop.* Sexto loco adducemus Germanum Conſtantinopolitanum circa annũ 710. in tract. de adoratione venerandæ zonæ B. Virginis c.1. dum aſſerit *Mariam, nulli penitus culpæ affinem fuiſſe.* Quæ verba abſque dubio comprehẽdunt non ſolum culpam actualem, ſed etiam originalem: nam de eo, qui originali culpæ actualiter fuit affinis, vere affirmari non poteſt, quod nulli penitus culpæ affinis fuit. Quare B. Virgo, ſi nulli penitus culpæ fuit affinis, vtiq; originalem non habuit.

41. *7. loco Damaſcenus.* Septimum locum habeat Ioannes Damaſcenus circa annum 730. quem pro noſtra iſta ſententia referunt Canniſius, Suarius, Bellomontanus, & plures alij: & vere pro ea illum ſtare facile intelliges, ſi quæ de hac re ſcripſit, attente expendas: nam in oratione prima de natiuitate Virginis paulò poſt principium, ita habet: *O Beatos Ioachimi lumbos, è quibus immaculatum ſemen effluxit. O præclaram Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis formatus fuit ſanctiſsimus fœtus.* Quæ verba ſatis aperte explicant & Virginis ab originali macula immunitatem, & modum eius: quomodo enim fœtus in vtero B. Annæ formaretur ſanctiſsimus; ſi in macula originali fœtus conciperetur? fœtus enim in ipſa prima conceptione formatur; præcedentibus tamen tacitis incrementis, & formationibus, ante animæ infuſionem: etenim poſt primam formationem non iam formatur, ſed ſolum incrementa ſuſcipit: ſenſus igitur verborum eſt iſte: *O præclaram Annæ vuluam, in qua præcedentibus tacitis generationum incrementis*: quia prius formatur embrio vegetatiuus; & perfecto embrionis incremento, generatur animal ſenſitiuum; & accedente perfecta organizatione, formatur homo capax ſanctitatis: qui ſanctiſsimus non eſſet, ſi ante ſanctitatem originali maculæ ſubiaceret. Quare verba illa vltima *formatus fuit fœtus ſanctiſsimus* euidenter euincunt B. Virginem non contraxiſſe originalem maculam; quod etiam ſatis cõuincũt verba prçcedẽtia: *O beatos Ioachimi lumbos, è quibus immaculatũ ſemen effluxit*: nam ſi ſemen, ex quo fœtus ipſe virgine formatus fuit, ante eiuſdẽ fœtus formationẽ iã ſuo modo erat immaculatũ; vtiq;

42.

B. Vir-

B. Virgo cum peccato originali concipi non poterat: etenim immaculatum dici non poterat illud ſemen, ſi primus & intrinſecus virtutis generatiuę terminus fuit maculatus, & immundus: quia vis illa generatiua ſeminis dicitur munda, vel immunda à ſuo primo & per ſe termino.
43. Quod euidentius fiet, ſi dicamus Damaſcenum in ea fuiſſe opinione, quod fœtus à macula originali ideo præſeruari poteſt, quia ſemen, ex quo formandus eſt, mundatur à Deo, non mundatione gratiæ ſanctificantis (quia illius capax non eſt) ſed mundatione alterius generis, quæ fuit aliquorum ſententia, de qua inferius plura dicemus. Si verò illam opinionem Damaſceno non tribuas, ſed velis ſemen à Ioachimo deciſum dici immaculatum denominatione extrinſeca; quia ſcilicet terminari debebat ad fœtum immaculatum, iam nobiſcum concedes fœtum ex illo per ſe primo formandum, eſſe futurum ſine originali macula: nec enim ſemen illud dici poteſt immaculatum ab immundatione, quam poſt contractionē maculæ conſequeretur; cum ſeruatis veræ Philoſophiæ principijs illa immaculatio, & mundities ſumenda ſit à primo, & intrinſeco termino.

44. *Alia verba Damaſceni.* ¶ Optima etiam ſunt illa verba: *Quoniam futurum erat, vt Dei genitrix & Virgo ex Anna oriretur, natura gratiam anteuertente: natura enim gratiam anteuertere non eſt auſa, ſed tantiſper expectauit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet*. Naturam autem non anteuertiſſe, aut pręueniſſe gratiam, nihil eſt aliud, quam eam vitiū ex Adamo deductum Virgini non communicaſſe, ſed expectaſſe gratiam, quæ talem impediret communicationem: idq́; prius Virginem conceptam ſanctificando, quā vitium originale pululaſſet: etenim ſi natura, id eſt, naturalis generatio ex Adamo prius communicaret vitium, quam adueniret gratia; quomodo natura non eſt auſa anteuertere, & præuenire gratiā; ſed eam expectauit? Quare non eſt au-
45. *Reijcitur Bellom.* diendus *Bellomontanus in dicta diſp. 117. cap. 4. n. 46.* dum ait verba iſta pro conceptione B. Virginis allegari non poſſe, ſed ſolum pro illius natiuitate, in eo enim deceptus fuit, quod per naturam intelligit naturam humanam Virginis conceptam, quæ gratiam expectare non poteſt: cum tamen per naturam intelligenda ſit ipſa vis generatiua ſeminis, quæ niſi præueniatur gratia, ſimul cum natura genita vitium naturale communicat. Hæc igitur natura non eſt auſa anteuertere gratiam, aut illam præuenire in natura humana Virginis genita; ſed expectauit gratiam, id eſt locum dedit gratiæ, illique ceſsit: vt expectatio naturæ metaphorica ſit, non propria: quem ſenſum ſatis conuincunt verba immediate antecedentia: *etenim natura gratiæ cedit, & tremula ſtat, progredi non ſuſtinens.* Ex quibus patet naturam *expectaſſe, quod gratia fructum ſuum produxiſſet*; non eſſe aliud, quam naturam cedere gratię, & ſtare, nec vlterius progredi ad actualem infectionē perſonæ genitæ.

¶ Tertiò adducamus verba eiuſdem pri- 46. *Alius locus Dam.*
mæ orationis: *O ſanctiſsima, quæ principatus, & poteſtates fefelliſti: atque ignea maligni tela extinxiſti, quæ in Spiritus thalamo verſata eſt, atque immaculata conſeruata in Dei ſponſam.* Quæſo explicent nobis aduerſarij quomodo Virgo in ſua conceptione (ſcilicet in vtero ſuæ matris, vt patet ex verbis ſequentibus) cœleſtes fefellerit poteſtates? vtique ideo eas fefellit; quia cum exiſtimarent eam generandam fore immundam, genita fuit immaculata, atque poſita in thalamo ſpiritus: non ob aliam rationem, niſi quia concepta fuit, vt fieret ſponſa, & mater Dei.

¶ Sed accedant alia verba in prima ora- 47. *Alius adhuc locus.*
tione de Aſſumptione eiuſdem Virginis: explicans enim illa verba Luc. 1. *Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, ita ſcribit: *gratiæ abyſſum inuenit, quæ duplicis virginitatis nauem incolumen ſeruauerat: animamq́ non minus quam corpus Virginem cuſtodierat.* Ecce duplicem habuit virginitatem animæ. ſ. & corporis, cum vero corpus cuſtodierit abſque vlla corruptionis macula, vtique eodem modo cuſtodiuit animam ſemper integram, & à culpa immaculatam: quod tamen non eſſet, ſi cū originali concepta foret: vnde idem Damaſcenus lib. 3. de Fide cap. 2. *Virginem vocat ſemper ſanctam*; quia ſcilicet nunquā fuit in ſtatu peccati.

48. ¶ Quod adhuc ſignificauit in 2. orat. de Aſſumptione, dum ait: *ad hanc paradiſum* (Virginem intelligit) *ſerpens aditum non habuit*, aditus autem ſerpentis in paradiſo fuit per culpam originalem. ¶ Faciunt etiam verba quæ ſcribit in 2. orat. de Natiuitate Virginis, dum ait, *Conceptionem illius fuiſſe collapſi generis noſtri exertationem, & integram reſtitutionem*: integra autem reſtitutio in hoc erat poſita, vt natura humana ſine vitio, ſicut erat ante peccatum, conciperetur; ad quem ſtatum fuit in Virgine reſtituta. ¶ Denique citari ſolet in ſuo Martyrologio, vbi notat *diem conceptionis Virginis, & eam appellat puram, etiam ante conceptionem: citatur à Canniſio lib. 1. de Maria Deipara c. 7. pag. 75. col. 1.*

Alius locus.

49. ¶ Hæc me cogunt vt dicam S. Damaſcenum nobiſcum ſtare pro Virginis immunitate: imò poterat enumerari cum Patribus primæ claſsis, ſicut enumeratur à Suario 2. tom. ad 3. p. *diſp. 3. ſect. 5. §. Tertium principale fundamentum, pag. 40. col. 1*: cum tamen in hac ſecunda claſſe poſuimus; quia in prima ſolum collocauimus, qui in terminis noſtram ſententiam ſcribunt.

Concluſio eſt pro verbis Dama.

50. Vltimum locum habeat S. Vincẽtius Ferrer. ordinis Prædicatorum, qui floruit anno Domini 1420. is enim in ſermone de Conceptione Virginis in 3. p. ſermon. fol. 7. col. 1. in fine, agens de gradibus ſanctificationis, qui in B. Anna reperiuntur, ita ſcribit: *Sextus gradus, & ſuper omnes alios, eſt ſanctificatio Virginis Mariæ, quia non quando debuit naſci; nec in vltimo die; nec hebdomada; nec menſe; ſed in eadem die, & hora formato corpore: & anima creata, quia tunc fuit rationalis, & capax ſanctificationis.* Sed ne libera cuique tribueretur occaſio, vt hæc verba explicet in hoc ſenſu, vt ſanctificatio corpore formato, & creata anima adueniret in eodẽ die, & hora, aliquo tamen interiecto tẽpore adueniſſet; paulò inferius in eodem ſermone addit hæc alia verba: *Quãdo enim corpus glorioſæ Virginis fuit organizatum, & anima coniuncta corpori per creationem; tunc Altiſsimus ſanctificauit tabernaculum ſuum.* Similia verba ponit in 2. ſerm. de Natiuitate Virginis fol. 115. col. 1. in fine, ita ſcribens: *Sed ſtatim poſtquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit ſanctificata.* In vtroque loco illud aduerbium *tunc* abſque dubio notat primum inſtans generationis, quæ facta fuit in ipſo inſtanti infuſionis animæ; vt tunc primo fuerit ſanctificata, cum primum fuit genita. Quem ſenſum ſatis conuincunt verba illa ſecundi loci, *Et ſtatim poſtquam corpus fuit formatum, & anima creata*: etenim ſi formatio corporis, & creatio animæ, eiuſque infuſio per aliquod tempus, licet breuiſsimum ſanctificationem præceſsit; iam non ſtatim poſt formatum corpus, & animam infuſam ſanctificatio adueniret: illa enim particula *ſtatim* idem eſt, quod *immediate* nullo tempore intermedio. Quod etiam ſatis confirmant verba ſermonis primi de Natiuitate Virginis fol. 112. colum. 2. quæ ita habent; *fuit quaſi vitis, quia non in inſtanti eius corpus fuit formatum: ſed quando formatum fuit, & anima creata, & infuſa; quia ita dicitur conceptio germinis, quæ eſt perfecta: nam conceptio ſeminis imperfecta eſt.* Pro quorum verborũ vera intelligentia aduertendum eſt Sanctum Vincentium in illo ſerm. 1. de Natiuitate ponere diſcrimen inter ſanctificationem Chriſti, & B. Virginis; quod ſanctificatio Chriſti ſimul & in eodem inſtanti facta eſt cum conceptione, & formatione corporis, & creatione animæ; quia in eodem inſtanti corpus conceptum, & formatum eſt, & anima creata, & facta eſt vtriuſque ſanctificatio: cum tamen corpus B. Virginis non fuerit conceptum, & formatum in inſtanti; quamuis in eodem inſtanti, quo corpus primum eſt complete formatum, creata etiam ſit anima, & infuſa. Et ita facta fuit vtriuſque ſanctificatio. Ait igitur Sanctus Vincentius in dicto ſermone 1. Virginem quidem in vtero ſuæ matris feciſſe fructum ſanctificationis, ſicut & Chriſtus in ipſius Virginis vtero fructum ſanctificationis fecit; ſed vt ait, *non æqualiter tunc fructũ fecit; atq; fecit Chriſtus*: & ratio eſt, quia Chriſtus in inſtanti fecit hunc ſanctificationis fructum, quia in eodem inſtanti, quo facta eſt ſanctificatio, facta eſt, & corporis formatio ſimul, & conceptio, & animæ

Vincent. Ferrer.

crea-

creatio: cum tamen in Virgine ſanctificatio non in eodem inſtanti facta ſit, in quo formatum eſt corpus; quia corpus Virginis non in eodem inſtanti conceptum eſt, & organizatum, & ideo non in inſtanti formatum eſt, ſed in tempore; quanuis in eodem inſtanti, in quo corpus primum fuit vltimate formatum atque organizatum, ſimul etiam anima creata fuerit, & facta vtriuſque ſanctificatio. Hæc eſt vera explicatio verborum ſanctiſsimi Vincentij. Ex qua ſatis colligitur illa duo aduerbia *tunc* & *ſtatim* denotare ſanctificationem Virginis factā eſſe in ipſo inſtanti, in quo corpus primo eſt perfecte formatum, & organizatum, & anima creata, ita vt inter vltimam corporis formationem, & creationem animæ, atque ſanctificationem vtriuſque, nullū, vel breuiſsimum ſit tempus interiectum.

Quam verborum explicationem conuincunt verba immediate antecedētia ad illa, quę ex ſerm. 2. eiuſdem natiuitatis adduximus: agens enim de ſanctificatione B. Virginis ita ſcribit: *Non credatis, quod fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur: ſed ſtatim poſtquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit ſanctificata.* Ecce apertiſsime diſtinguit inter conceptionem noſtram, & B. Virginis: quod noſtra ſit in peccatis; Virginis autē ſtatim poſt formationē corporis, & creationem animæ ſit ſancta: iam vero ſi B. Virgo in peccatis cōcepta eſſet, cōceptio illi⁹ à noſtra nō diſtingueretur. Quare vt illa diſtiguatur à noſtra, verba illa *ſtatim* & *tūc* non poſſunt non explicari de immediatione ſanctitatis; ita vt in ipſo inſtanti formationis corporis, & infuſionis animæ facta fuerit illius ſanctificatio.

Tandem accedant verba eiuſdem ſermonis ſecundi de natiuitate Virginis fol. 15. col. 1. poſt principium: ita enim habent: *Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariæ; quia ſine tenebra culpæ facta eſt.* Et ſtatim: *ſed generatio Mariæ fuit vt lux.* Et ſtatim: *Sic iſta coniunctio Ioachimi, & Annæ luminoſa fuit.* Iam vero generatio Virginis, ſi cum originali macula facta eſſet; vtique facta eſſet cum tenebris culpæ.

Non eſt igitur dubitādum S. Vincentiū B. Virginis immunitatē ab originali macula non ſolum expreſsiſſe, ſed etiam cōſtanter defendiſſe. Quæ vero in contrarium Caietanus, & Bandellus adducunt ex Sanctiſsimo Vincentio, falſo adducūtur, vt inferius art. 2. §. 1. oſtendemus.

§. 3.

Referuntur Patres, qui immunitati Virginis maxime fauent.

PRæter Patres adductos, qui vel in terminis immunitatem Virginis ab originali macula docent; vel eam efficaciter confirmant; ſunt quam plurimi, qui eam maxime fouent. 51. *Alij Patres fauent*

Primò loco ponatur Origenes (anno 230. is enim non parum fauet puritati conceptionis: non ſolum quatenus B. Virginem appellat immaculatam immaculati homil. 1. ex varijs collecta to. 2. in antiquis p. 499. in nouis autē to. 3. p. 3. B. ſed etiā quatenus docet: *B. Virginē nec Serpētis perſuatione deceptā, nec venenoſis eius afflatibus infectam.* Per venenoſos autē Serpentis afflatus non ſine probabilitate intelligi poteſt originale peccatum: quamuis ſolum intelligantur malæ ſuggeſtiones, vt diximus ſupra lib. 2. q. 4. ar. 7. §. 7. ad 5. argumētum; ab his autem B. Virgo fuit libera. *1. loco Origenes.*

52. Secundo loco adeſt Cyprianus (anno 250.) nam in ſermone de Chriſti Natiuitate ideo docet non fuiſſe decens, vt B. Virgo in dolore pareret, & cōmunibus cæterarum mulierum laſſaretur iniurijs, *quia* (vt ait) *à cæteris differens natura communicabat, non culpa.* Et ſtatim eam appellat *inſignem corporis, & mentis integritatē.* Ecce apud Cyprianum cum cæteris mulieribus non communicauit illa culpa, ex qua habent, quod cum dolore filios pariant: hæc autem culpa nulla alia eſt, niſi originalis; quam ſi communicaſſet cum cæteris iam non haberet omnimodam mentis integritatem, vt patet. *2. loco Cyprian.*

53. Tertio loco fauet Chryſoſtomus (anno 400.) in liturgia pro Virgine, vbi eā appellat *ſemper beatiſsimam, & penitus immaculatam*: quæ verba non ſatis cōſonant cum contractione maculę originalis: etenim ſi aliquando eam habuiſſet, nec pe- *3. loc. Chryſoſtom.*

nitus immaculata dici poſſet, nec ſemper beatiſsima.

54. 4. loco Hieronym. Quarto loco fauet D. Hieronymus eiuſdem tempeſtatis: nam Eccleſiaſt. 10. ad illa verba *Væ tibi terra* tom. 5. pag. 28. col. 1. agẽs de Abrahamo Iſaac, & Iacob, & de omnibus Prophetis atque ſanctis ita ſcribit: *Quibus peccatum non fuit dominatum: & ob id fuerint liberi; ex quibus nata eſt Virgo liberior, Sancta Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, ſed totus fructus eius erumpens in florem, de quo in Cantic.* vbi per fruticem (quę eſt arbor parua) non ſine probabilitate intelligitur peccatum originale; per germẽ vero (quod ſignificat id, quod ex arbore producitur) intelligitur peccatũ actuale, quod ex originali, tanquam ex frutice germinatur. Igitur virgo tota erupit in florem, nullum à latere habens fruticem (id eſt originale peccatum) nullum etiã germen (id eſt peccatum actuale) nec enim verba illa alium videntur habere ſenſum.

55. Alius Sophorij. ¶ In ſermone de Aſſumptione B. Virginis Epiſt. 510. tom. 5. pag. 95. ſiue ſermo ille ſit D. Hieronymi: ſiue (vt verius creditur) Sophronii, Hieronymo contemporanei quædam reperiuntur, quæ huic fauent immunitati. Primum eſt, *In Mariam veniſſe plenitudinem totius gratiæ, quæ eſt in Chriſto, quanquam aliter.* Quæ verba ita ſunt explicanda, vt in Virginẽ venerit plenitudo totius gratiæ, quæ eſt in Chriſto, id eſt, quæ Chriſto homini communicata eſt: hunc enim ſenſum ſatis ſignificant illa verba, *quanquam aliter:* omnis igitur gratia Chriſto cõmunicata, communicata etiam eſt Virgini: quoniã ſicut Chriſto communicata eſt omnis puritas, & gratia ad puritatem pertinens; cõmunicata eſt etiam Virgini: vt ſatis declarant verba immediate ſequentia: *Quoniam quidquid in ea geſtum eſt, totum puritas, & ſimplicitas, totum veritas, & gratia fuit: totum miſericordia, & iuſtitia, quæ de cœlo proſpexit: & ideo immaculata,*
56. *quia in nullo corrupta.* Vbi notandum eſt ideo inferri Virginem immaculatam dici, quia in nullo corrupta fuit; quia quidquid in ea geſtũ eſt, &c. Si in nullo corrupta eſt: ergo non fuit macula originali infecta: alias non totum, quod in ea geſtũ eſt, eſſet puritas, ſiquidem prima illius formatio, & conceptio cum impuritate facta fuiſſet. Quare tota plenitudo gratiæ, quæ fuit in Chriſto, fuit Virgini cõmunicata: cum vero Chriſto communicata fuerit gratia immunitatis à macula originali, vt notum eſt: vtique, & Virgini illa etiam fuit cõmunicata, licet aliter quam Chriſto: etenim talis gratia fuit Chriſto cõmunicata tãquam redẽptori, qui homines ab omni peccato debebat redimere, & principaliter ab originali. Oportuit igitur, vt ita naturam Adami aſſumeret, vt ex vi ſuæ generationis illi ſubiectus non eſſet: Virgini autem communicata fuit vt redemptæ; & per conſequens, vt ex vi generationis contrahendæ originali maculæ fuerit ſubiecta, licet ab actuali contractione per gratiam præſeruantem fuerit liberata.

¶ Accedunt etiam verba in eodem ſermone: *Hortus concluſus: fons ſignatus: puteus aquarum viuentium, ad quem nulli potuerunt doli erumpere: nec præualuit fraus inimici, ſed permanſit, ſancta mente, & corpore.* Quæ verba ita explicanda ſunt, vt hortus ille ſemper fuerit concluſus: ſemper ſignatus: ſemper aquam viuentem habens: nam Pſalm. 77. expreſſe ait Hieronymus Virginem (quam per nubem leuem intelligit) *nunquam fuiſſe in tenebris, ſed ſemper in luce:* ſemper igitur fuit hortus concluſus. &c. Vnde verba illa *ad quam nulli potuerunt doli erumpere,* non ſolum intelligenda ſunt de dolo, & fraude actuali contra perſonam Virginis, ſed etiam de dolo, & fraude contra naturam humanam, quæ in Adamo decepta fuit. Vnde verba illa, *ſed permanſit ſancta mente & corpore,* ita intelliguntur, vt ſemper & mente, & corpore ſancta fuerit, & ſubinde nunquam infecta originali macula. 57. Alius lo. Hierony.

¶ Maxime vrget quod ſcribit: *Angelos ideo habuiſſe mirabilem quandam perpetuitatis in gratia firmitatem, quia habuerunt gratiam ne corruerent: hanc autem in Virgine* 58. Vlt. locus.
fuiſſe admirabiliorem. Quomodo autẽ admirabilior fuit gratia Virginis, ne corrueret, ſi in originale corruit peccatum? etenim gratia collata Angelis effecit vt nullum haberent peccatum: quare talis gra-

gratia hoc ipſũ effecit in Virgine. Omittimus quæ ſupra adducimus §.2.

59. 5.loc. Fulgentius. Quinto loco adeſt teſtimonium D. Fulgentij (anno 500.) in ſermone de duplici Chriſti natiuitate, dum docet, *Gratiam B. Virginis mentem integram ſeruaſſe, & carnem;* ſed carnem ita ſeruauit, vt nũquam corrupta fuerit, affectaque aliqua vel minima carnis illecebra: ergo mentẽ eius ita ſeruauit, vt nulla, vel actuali, vel originali macula peccati corrupta fuerit.

60. 6.loc. Arator. Sextum teſtimonium afferri poteſt ex Aratore Romanæ Eccleſiæ ſubdiacono anno 540. is enim lib.1. ſuor. poemat. in acta Apoſtolorum poſt principium in laudem Virginis ita ſcribit.

A nato formata ſuo mala criminis Euæ
Virgo ſecunda fugat.

Malum autem ex peccato Euæ reſultãs primum eſt originale: hoc igitur Virgo fugauit.

61. 7.loc. Conſiliũ Francofordiẽſ. Septimo locõ adduci poteſt teſtimonium ex Synodo Francofordienſi ſub Adriano primo (anno 795.) in Epiſtol. ad præſules Hiſpaniæ tom.3. concil. pag. 652. in principio vbi poſtquam docuit *Adam de terra virgine formatum fuiſſe, addit Chriſtum formatum eſſe de virgine meliori terra, & magis immaculata.* Quomodo autem formatus eſſet de virgine terra meliori, ſi illa cum peccato originali foret formata?

62. 8.loco D. Anſelm. Octauum teſtimonium ſit D. Anſelmi 1080, ex quo iam ſuperius §.1.n.17. adduximus verba ex cap.5. ſecundæ ad Corinth. pro hac ſententia ſatis efficacia: ſed quoniam dubium eſt, an illi Commẽtarij ſint D. Anſelmi, proferamus aliud ſumptum ex lib. de Conceptu Virginali cap. 18. vbi oſtendit potuiſſe quidẽ Dei filium abſque peccato generari de parente peccato infecta; decuiſſe tamen, vt de virgine mundiſsima carnem ſumeret: *quia, vt ait, decebat, vt illius hominis conceptio de matre puriſsima fieret: decens enim erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus per vnicum ſuum filium, &c.* Ex quibus verbis D.Thomas 1. ſent. diſt. 44. q. 1. art.3. ad 3. colligit Virginem ab originali fuiſſe liberatam. Quare Anſelmus ex D.Thoma pro Virginis immunitate pugnat.

D. Thom.

Quod ex eo etiã euidentius confirmabitur, ſi verum eſt D. Anſelmũ fuiſſe authorem feſti Conceptionis B. Virginis vt ſcribit hiſtoria Ordinis S. Benedicti idiomate Luſitano edita. Sed de hoc inferius q.6.art.1.§.13.

63. 9.loc. Damianus. Nonum teſtimoniũ ſit Petri Damiani eiuſdem temporis cum D. Anſelmo: is præter verba, quæ ex eo ſuperius adduximus §.1. hæc ſcribit, in ſermone de Natiuitate Virginis: *Nihil vitij in eius corpore aut mente vendicare ſibi potuit locum, quæ totius Trinitatis meruit eſſe ſacrarium:* nec immerito, quia dignitas explicata cuiuſque vitij tam actualis, quàm originalis expulſionem meretur. ¶ Illud etiam vrget, quod ſcribit in ſermon. Natalis Baptiſtæ: *B. Virginem in vtero mundatã fuiſſe à peccato, altiori ſanctificationis genere, quã aut Ioãnes, aut Hieremia mũdati ſunt.* Cum vero hi duo ſint mundati à peccato originali, quod actu contraxerunt: nõ potuit ſanctificatio Virginis in vtero eſſe altioris generis, niſi fuerit præſeruatiua ne maculam contraheret: nam vt ſanctificatio illius dicatur generis altioris, nõ ſatis eſt, quod aut citius, quam illi, mũdata ſit; aut maiori infuſione gratiæ: hæc enĩ duo ſub vno, & eodem genere ſanctificandi continentur.

64. 10.loc. Heſychius. Decimum teſtimonium ſumatur ex Heſychio conc.2. de B. Virgine in 2.to. Biblioth. Patrum: ex anno 400. dum affirmat, *B. Virginem audaciam Dæmonis contriuiſſe:* audaciam, inquam, illam, qua Euam, & Adamum aggredi, & decipere auſus eſt; quod fuit omnium hominum originale vitium: confregit autem hanc audaciam, dum ab originali culpa diuina gratia fuit immunis.

65. 11.loc. S. Domin. Vndecimum teſtimonium ſumitur ex Sanctiſsimo Dominico Ordinis Prædicatorum fundatore (anno 1200.) in tractat. de Corpore Chriſti: quem cõtra hęreticos Albanenſes ſcripſit: vbi in hæc verba: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in ſecundo Adam fieri. ſ. Chriſto: cuius terra, id eſt, Mater Virgo nunquam fuit maledicta.* Ita de Sanctiſsimo Dominico referunt grauiſsimi Authores, *ſ. Antonius de Cucaro in Elucidario de Conceptione*

Antonius Cucarus.

Galatinus *Virginis Pariſijs impreſſo anno Dñi 1506. & Petrus Galatinus lib. 7. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 7. Canniſius lib. 1. de Virgine Deipara cap. 7. cum pluribus alijs*

Pineda. *quos refert Pineda in ſermone de conceptione Virginis* §.7.quos vide: quare non videtur dubitari poſſe Sanctiſsimum Dominicum illum librum ſcripſiſſe. Quin potius apud eundem Pinedam videbis,quo modo liber iſte à quibuſdam hæreticis, qui immunitatem Virginis impugnabãt, in ignem coniectus exiuit illæſus. Quod confirmatur teſtimonio Epiſcopi de Acerra in Regno Neapolitano,& Antonij de Cucaro in præcitato Elucidario. Suppoſito igitur quod liber iſte à Sãctiſsimo Patriarcha Dominico fuit editus, ſuppoſita etiam efficacitate verborum ad firmandam Virginis immunitatem ab originali macula (etenim ſi illa nunquam fuit maledicta; vtique nunquam fuit macula originali infecta) mirum eſt , quod Ordinis Dominicani Theologi Sanctiſſimi ſui Patriarchæ,& fundatoris ſententiam non ſequantur : ſed,vt credo,negabunt hunc librum à Sancto Dominico fuiſſe conſcriptum,vt negat Bandellus in lib.contra B.Virginis puritatem rat. 11. fol.99 pag. 2. vbi teſtatur librum iſtum mendaciter illi fuiſſe impoſitum : idem teſtatur Thomas Maluenda in lib.de Paradiſo cap.60. ſed in hoc non ſunt audiendi,cum tot,& tantæ authoritatis Theologi hunc librum S.Dominico tribuant; & liber ille ex eodem citetur in additionib.ad Gloſ. ad Rom.5. vt teſtantur Feuardenſius, Ioannes Draducæus,& Iacobus de Borli : imò etiam illum ſuo Patri S.Dominico expreſſe tribuat Frater Vincentius Bellouacẽſis Epiſcopus (qui poſt Sanctum Dominicum obijt annis 35.) in ſuo Speculo hiſtoriali lib. 19.cap. 96.vbi Sancto Dominico tribuit libellũ, qui ter ab igne exiuit illæſus. Idem facit Theodoricus Apoldia in vita Sancti Dominici lib.1.cap.6.& Sanctus Antoninus 3 p.tit.19.cap.1.§.8. quos authores refert Ojeda d.defenſione,in 1.fundamento cap.7.fol.18.p.1. vbi refert reſponſorium quoddam, in officio B. Dominici, vbi idem de eodem libro teſtatur,& affirmat ſe illud in quodam Breuiario legiſſe, & idem confirmat teſtimonio fratris Iacobi Genuenſis in lib.de legẽdis ſanctor. c.108.Ioannis Gerſij Bononienſis in vita eiuſdem ſancti apud Lipomanum de vitis Sanctorum pag.2.fratris Ferdinãdi de Caſtillo lib.1. ſuæ hiſtoriæ cap.8.Petri Epiſcopi Equilini lib.7. Catalogi Sanctorum cap.22. & Pelbarti lib. 4. ſtellarij p.1.art.vltimo. Quare negari non poteſt librum illum à B. Dominico fuiſſe ſcriptum.

Hac veritate conuictus Gabriel Barilete in ſerm. de conceptione B. Virginis 66.
admittens librum illum eſſe verum fœtũ Sanctiſsimi Patriarchæ Dominici,aſſerit non conſtare an in illo lib. præcitata ſint verba: ſed cum ſine fundamẽto loquatur & contra tot grauiſsimorum authorum teſtimonia,audiendus non eſt , vt contra eum ſcribit Ojeda vbi ſupra fol.18. pag. 2.maxime cum conſtet Albigenſes hæreticos,contra quos S.Patriarcha diſputabat in ea fuiſſe hæretica blaſphemia , vt dicerent B.Virginem (horrẽdum dictu) fuiſſe meretricem. Credẽdum eſt igitur, imo affirmandum S. Patriarcham pro omnimoda Beata Virginis puritate acerrime pugnaſſe; & ideo puritatem ſuæ conceptionis ex diametro ſtantem approbaſſe: quare nec eſt audiendus Barilete, dum negat verba illa in præcitato libro contineri.

Sed nec audiendus eſt Bandellus,dum ait verba in hoc ſenſu eſſe intelligenda,vt Chriſtus formatus ſit de terra immaculata pro tempore,quo Chriſtum cõcepit: in quo tamen maxima dignus eſt reprehenſione ; cum contradicat illis verbis: *nunquam fuit maledicta* ; quæ omne tẽpus complectuntur : quare non poſſum non admirari,quod filij Sanctiſsimi Patriachę Dominici potius opinionem filij, id eſt, Sanctiſsimi Thomæ,quam Patris doctrinam ſequantur.

67. Poſtremus locus.

Poſtremo loco pro immunitate conceptionis B. Virginis adduci poſſunt illi Patres,qui prædicant *Virginẽ eſſe immaculatam,& ab omni contagione peccati liberã.* Quorum primus fuit *Iacobus Apoſtolus in ſua Liturgia,* cuius ſexta Synodus can. 32.mentionem facit: in ea enim ſæpe affirmat B. Virginem eſſe immaculatam, (Iacobus Apoſtolus)

Septima

Septima etiam Synodus *actione* 3. & *Concilium Francofordienſe in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, immaculatam, & prorſus purā eam prædicant. Ephrem. *Ephrem etiam in ſermone de Lamentatione Virginis tom. 3. pag. 199. D.* eam prædicat puram, & immaculatā, & inculpatam. Immaculata etiam dicitur Arnobius *ab Arnobio Romano Pſalm. 10. ad illa verba Dominus in templo ſancto ſuo.* Immaculata dicitur Origenes. *ab Origene in prima homilia ex varijs collecta*: eodem modo laudatur Andr. Cretenſis. *ab Andrea Cretenſi in ſermone de Aſſumptione*; Euthimius *& ab Euthimio in ſerm. de Zona Virginis* Theodore. *à Theodoreto lib. 3. in Cantic. ad illa verba ſexaginta ſunt Reginæ*, Fulbertus *à Fulberto Cranotēſi quem ſupra citauimus*, eam corpore, & anima prorſus impollutam appellat Gregor. Neocæſa. *Gregorius Neocæſarienſis in expoſitione ſalutationis Angelicæ*: Et eſt phraſis apud Patres ſæpiſsime vſurpata.

68. Qui etiam alia communi phraſi volūt eam eſſe ab omni peccatō liberam: ita Ambroſ. *D. Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm. 22.* Hierony. *D. Hieronymus in cap. 10. Eccleſiaſtici*: Sophron. *Sophroni. Ieroſolymitanus in Epiſt. ad Sergium lecta, & probata in 6. Synodo actione 11.* Brunus. *Brunus ſupra citatus, & in lib. 1. de Emmanuele cap. vltimo*: Damian. *Damianus in ſerm. de Natiuitate Virginis*: Cyprianus *Cyprianus in lib. de Cardinalibus Chriſti operibus, in cap. de Natiuitate Chriſti*, vult B. Virginem integritate carnis, & mentis fuiſſe inſignem: denique communiter refertur Rupertus. *Rubertus Abbas lib. 6. in Cātic. aſſerens Virginem liberam fuiſſe ab omni iugo peccati*, quæ verba ſatis declarant eā fuiſſe liberam à iugo peccati originalis.

69. Idem declarant Patres, qui volunt eā fuiſſe omnibus Angelis puriorem: vt ſatis colliges Iacobus Apoſtol. *ex Iacobo Apoſtolo in præfata Litargia*: 7. Synod. *& ex ſeptima Synodo actione quinta*: Theodore. *ex Theodoreto vbi ſupra*: Hierony. *ex Hieronymo in ſerm. de Aſſumptione Virginis*, Gregor. *& ex Gregorio lib. 1. in lib. Reg.* Hæc enim puritas nō ſolum poſita videtur in poſitiua perfectione gratiæ; ſed etiam in carentia omnis culpæ. ¶ Hæc omnia, ſi nō conuincūt, ſuadent tamen hoc priuilegium ex communi ſanctorum mente B. Virgini concedendum eſſe.

§. 4.

Auguſtinum pro nobis ſtare.

Q Væ nam fuerit Auguſtini ſententia de hac controuerſia, ſoli aduerſarij controuerſum faciunt: etenim pleno ore affirmant eum immunitatem Virginis ab originali macula expreſſe impugnaſſe: ſed quam id ſit falsū inferius in 2. huius art. ſect. oſtendemus: vbi omnia Auguſtini teſtimonia, quæ pro ſe adducunt explicabimus. Nunc cōtra illos euidenter monſtrabimus Auguſtinum, ſi non in terminis, verbisq; formalibus, & expreſsis ſcripſerit B. Virginem ſine peccato originali conceptam fuiſſe; id tamen efficaciter docuiſſe. 70. Explicatur ſentēt. Auguſt.

Quod hæc fuerit Auguſtini ſententia, aperte teſtatur *D. Bernardus ſem. 4. ſuper Salue Regina*: & quamuis nonnulli dubitent an illi ſermones ſint illius, dubitandum tamen non eſt authorem illorū eſſe magnæ authoritatis, cum inter opera D, Bernardi ſemper ſint enumerati. In illo igitur ſermone pag. 450. ita ſcribit: *Innocens fuiſti ab originalibus, & actualibus peccatis: nemo ita præter te: vnde Auguſtini authoritas; cum de peccatis agitur. &c.* Idē etiam teſtatur *Iacobus Genuenſis, quem ſuperius §. 1. adduximus*: is enim immunitatem B. Virginis confirmat authoritate Auguſtini in ſerm. 2. de Aſſumptione Virginis, cuius verba refert *Coccius lib. 3. de B. Virgine art. 1, pag. 269.* Auguſtinum abſque dubitatione ita docuiſſe expreſſe teſtatur *Galatinus lib. 7. de arcanis verbi Dei cap. 5. pag. 501.* Cum his Patribus conſentiunt omnes noſtri temporis Theologi, aliquibus exceptis Thomiſtis: ita *Canniſius, Bellarminus, Suarius, Valentia, & Bellomontanus*, cum cæteris Nouioribus: imò idem teſtantur omnes antiquiores, quos ſupra ar. 2. pro noſtra iſta ſentēntia adduximus. 71. D. Berna. Iacobus Genuenſis Coccius. Galatinus Canniſius. Bellarm. Suarius. Valentia Bellom.

72. 1. loc. Auguſtin. In huius rei confirmationem fere omnes noſtræ ſententiæ aſſertores adducūt Auguſtinum in lib. de natura, & gratia cap. 36. vbi Pelagio objicienti plurimos fuiſſe Sanctos, qui nunquam peccauerūt (inter quos Virginem enumerabat) his verbis reſpondet: *Excepta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volumus quæſtionem: vnde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuit aduincendū omni*

ex parte peccatum; quæ concipere & parere meruit eum, quem conſtat nullũ habuiſſe peccatum: hanc igitur, Virgine excepta, ſi omnes illos Sanctos, & Sanctas, cũ hic viuerẽt, congregare poſſemus. Ecce Auguſtinus fatetur non eſſe ſuæ intentionis, cum de peccatis agitur, ſub illa quæſtione Virginem comprehendere.

73. *Reſponſio aduerſariorum non recipitur. Catharin. Cannisius. Bellarm. Suarius. Valentia. Bellom.*

¶ Sed reſpondent aduerſarij Auguſtinũ loqui de peccatis actualibus, non de originalibus, vt ait Medina, & quidam alij: ſed Auguſtinum loqui generaliter de peccatis, ſiue actualibus ſiue originalibus multis contendit *Catharinus in primo trac. de Conceptione Virginis cap. 5. pag. 52. & in 2. tract. lib. 2. cap. 3. pag. 43. Cannisius lib. 1. de Virgine Deipara c. 10. pag. 102. & 103. Bellarminus tom. 4. in 2. controuerſ. lib. 4. de amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati cap. 15. §. Habemus tertio Auguſtinum: Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5. §. in ſecundo ordine numerabimus pag. 42. Valentia 4. to. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag. 415. & 416. Vaſquez Bellomontanus 2. tom. ad 3. p. diſp. 117. cap. 3. num. 28. 29. & 30.* & eſt communis fere omnium nouiorum explicatio, quam Valentia cum pleriſque alijs putat eſſe indubitatam, quod etiam exiſtimo.

1. Confirmatio ex Bernard.

Eam primo loco confirmo authoritate S. Bernardi in d. ſermo. 4. ſuper Salue Regina, vbi noſtram ſententiam cõfirmat authoritate Auguſtini adducens præcitata illius verba. Satis igitur ſignificat illa eſſe intelligenda, tum de actualibus, tum de originalibus, cum docuerit Virginem ab vtriſque fuiſſe innocentem.

74. Accedit etiam: quoniam illa verba *ad vincẽdum omni ex parte peccatum* expreſſe interpretatur tã de originali, quam de actuali, ita ſcribẽs: *Ex omni parte*, inquit, *hoc eſt ex parte originalis, & ex parte actualis peccati.* Dubitari igitur non poteſt D. Bernardum, ſiue authorem illorum ſermonũ verba Auguſtini citata intelligere etiam de peccatis originalibus: & in eodẽ ſenſu eadem intellexit Iacobus Genuẽſis ſuperius adductus.

75. *2. Confirmatio.*

Deinde id confirmari poteſt: quoniã licet quæſtio ab hæretico propoſita de ſolis eſſet peccatis actualibus, & Auguſtinus ibi contra eum principaliter oſtẽdat neminem ab actuali peccato immunem viuere: tamẽ in exceptione, quam per parentheſim facit, cum loqui generaliter de quocunque peccato, euidenter oſtendũt, quæ ad exceptionem confirmandam adduxit: nam in primis generaliter affirmat, cum de peccato agitur, Virginem ſemper eſſe excipiendam. Præterea ratio, quam affert nõ ſinit, vt illa exceptio 76. ad ſola peccata actualia coarctetur, cum etiam accõmodetur originalibus: *de qua*, inquit, *propter honorem Domini nullam volo quæſtionem eſſe*: iam vero honor Chriſti Domini non minus poſtulat, vt Mater careat originali, quam actuali: quin potius magis id exigit; quia actuale peccatum, quando eſt veniale, non facit perſonam Deo inimicam, nec ponit hominem ſub poteſtate Diaboli: imò ſtat cum gratia: cum tamen peccatum originale vtrũque faciat, de quo inferius latius dicemꝰ.

77. Addit adhuc D. Auguſtinus. *Se ideo Virginem excipere, cum quæſtio de peccatis agitur; quia concipere, & parere meruit eum, quem conſtat nullum habere peccatum.* Cum vero Chriſtus nec actuale habuerit, nec originale; ſi Auguſtinus cum agitur de peccatis actualibus, ideo Virginem excipit, quia Chriſtus nõ habuit actuale: eadẽ ratione excipienda erit, cum agitur de originali; cum Chriſtus illud etiam non habuerit.

78. *3. Cõfirm.*

Accedunt tertio illa verba: *Quod Virgini plus gratiæ, quam cæteris fuit collata ad vincendum omni ex parte peccatum*: peccatum autem tunc omni ex parte vincitur, cũ quis, & ab actuali, & ab originali liberatur, vt docet Bernardus in d. ſer. 4.

79. *4. Cõfirm.*

Accedit quarto: quoniam cũ copus Auguſtini in illo libro ſit oſtendere contra Pelagianos, neminem, etiam infantes, ſine peccato eſſe, vtique in eo libro agit de peccato generaliter ſumpto; & ſubinde illa exceptio: *cum de peccato agitur* de omni peccato eſt intelligenda, vt bene aduertit Suarius loco citato: vbi etiam (& ſit quinta confirmatio) doctiſsime aduertit, ſi illa verba: *cum de peccatis agitur* de ſolis actualibus eſſet intelligenda, vtique non ſola virgo excipienda foret, ſed etiam infantes baptizati: quoniam conſtat illos peccatũ actuale non habere: imò etiam addo Ioannem Baptiſtam ab

illa regula excipiendum fore; quia apud nonnullos, non ſine aliqua probabilitate, nullum habuit peccatum actuale M. vel V. quam ſententiam probauerũt Galatinus *lib. 7. de Arcanis cap. nono, & Catharinus opuſc. de eximia Chriſti prædeſtinatione: quorum ſententiam eſſe probabilem docuit Suarius 2. tom. ad tertiam partem diſpu. 24. ſectio: 4. pag. 383. colum. 2. & pag. 384. col. prema.* Idem de Beato Ioſeph teſtantur *Gerſon in quodam ſerm. de Natiuitate Mariæ, & Iacobus Chriſtopolitanus.* Quare cũ Auguſtinus ſolam Virginem excipiat: & de Baptiſta non putet illam opinionẽ eſſe temerariam, vt patet ex lib. *de Spiritu, & litera c. 2. & Epiſt. 95.* vtique mens illius eſt in præcitatis verbis comprehendere, tam actuale peccatum, quam originale.

Galatinus Catharin. Suarius. Nec B. Ioſeph. Gerſon.

80. *Vlt. confirmatio.* Accedit vltimo apud Auguſtinũ hæc duo mutuo ſe inferri: nõ cõmittere peccatum actuale grandioris ætatis, & non habere in infantia originale, vt ex eo ſtatim adducemus *lib. 5. contra Iuſtinianũ cap. 15.* Quare ſi quando agitur de peccatis Virginem excipit ab actuali; eandem etiam excipiet ab originali. Cõcludimus igitur verba illa *cum de peccatis agitur* ex mente Auguſtini eſſe accipienda generaliter: & ſubinde affirmandum eſt Auguſtinum B. Virginem, & ab actuali, & ab originali peccato liberaſſe.

Auguſt.

81. *2. loc. Auguſtin.* Secundo loco idem efficaciter oſtenditur ex regula ab Auguſtino poſita lib. 5. contra Iulianum cap. 15. ad finem to. 7. vbi agens de Chriſto ita ſcribit: *Profecto peccatum etiam maior feciſſet, ſi paruulus habuiſſet: nam propterea nullus eſt hominũ præter ipſum, qui peccatum non feciſſet grandioris ætatis acceſſu; quia nullus eſt hominũ, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis ex ortu.* Agit autem de peccato originali: quia in infantia hoc ſolum dari poteſt. Ex his autem verbis ſatis patet apud Auguſtinum neminem ſine peccato actuali poſſe viuere, qui habuit originale: & ſubinde apud Auguſtinum valet hæc cõſequentia: *habuit originale: ergo adultus habuit actuale.*

82. *Nota conſequẽtiam Auguſt.* Cum vero putet hanc conſequentiam etiã in Chriſto eſſe veram, ſi per poſſibile, vel impoſſibile in eo admitteretur antecedens; à fortiori exiſtimabit eam in Virgine eſſe neceſſariam, cum illa ſola gratia fuerit à peccato libera. Quare ſicut in Chriſto, ideo quia non habuit actuale, infert eum non habuiſſe originale, ſumpto argumento à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis; eodem modo negando in Virgine peccatum actuale, ab ea etiam negabit originale: igitur cum apud Auguſtinum firma ſit conſequentia; *Si Virgo habuiſſet originale, habuiſſet actuale:* vtique dum actuale in Virgine non admittit, nec etiam admittet originale.

¶ Nec vim argumenti ſolues, ſi dicas Auguſtinum conſequentiam iſtam *grandioris ætatis non fecit actuale: ergo ætatis infantilis non habuit originale,* ſolum admittere in his, qui in adulta ætate ex ſe peccatum actuale facere non poſſunt: & proinde eam ſolũ admittere in Chriſto, qui ex ſe erat impeccabilis: in Virgine autem eam non valere; quia ex ſe peccare poterat, & per ſolam gratiam fuit libera: non ſolues, inquam, vim argumenti: quoniam hanc ſolutionem ipſemet Auguſtinus reijcit; adducit enim illã in illis verbis: *vt doceret* (S. Paulus) *inquiens, quia qui non facit, habere non potuit:* & tamen affirmat cõſequentiam illam etiam in Chriſto valere, ſi per poſſibile, vel impoſſibile admittatur, eum in ætate adulta actuale feciſſe: facta enim hac ſuppoſitione impoſſibili, apud eum valet hæc conſequentia: *ergo habuit originale:* ſicut etiam facta ſuppoſitione, quod paruulus habuit originale, valet iſta: *ergo adultus habuit actuale.* 83. *Occurritur eiuſdem ſolutioni.*

Quare ſi ex mente Auguſtini præcitata conſequentia eſt firma in Chriſto, prædicta impoſſibili ſuppoſitione facta: vtique, facta eadem ſuppoſitione, ſimpliciter illa valebit in Virgine: & ex cõſequẽti à deſtructione conſequentis Auguſtinus fatebitur, Virginem non habuiſſe originale, ſi actuale non habuit. Quare cum ex Auguſtino illa nullum habuerit actuale, neceſſario tenetur Auguſtinus fateri illam non habuiſſe originale. Solutio igitur illa merito diſplicuit *Suario 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5. pag. 42. col. 2. in principio.* 84.

Suarius.

S Sicut

¶ Sicut etiam non poteſt non diſplicere reſponſio, ſiquis dicat, doctrinam Auguſtini intelligendam eſſe de eo, qui paruulus habuit originale, cum quo natus eſt; non vero de eo, qui cum originali conceptus, ſine originali naſcitur, vt pote ſanctificatus in vtero: hæc enim ſolutio ſine vlla, vel apparenti probabilitate excogitatur: etenim eadem ratio eſt de eo, qui in vtero cum originali concipitur, licet ſine eo naſcatur, quæ eſt de eo, qui conceptus cum originali, cum eodem naſcitur, licet ſtatim ſanctificetur: quam doctrinam ſatis confirmat communis, & recepta ſententia, quæ nec Baptiſtam, nec Ieremiam (qui cōcepti cum originali in vtero ſanctificati ſine originali nati ſunt) à peccato veniali liberat: de qua ſententia videndus eſt *Suarius ſecundo tom. ad tertiam partem diſputa.* *Suarius.* *24. ſectione quarta pagina 383. columna 1. §. Tertio ex his.*

85 *3. loc. Auguſt. ſatis difficilis.* Tertio loco adducitur Auguſtinus, in lib. de quinque hæreſibus cap. 5. tomo 6. *Si potui inquinari cum eā facerem: potui in illa inquinari, cum ex ea naſcerer.* Pro huius difficilis loci intelligentia aduertendum eſt ex verbis præcedētibus: *Quid eſt, quod te permouet in mea natiuitate? non ſum libidinis conceptus cupiditate*, ſatis colligit, Manichæum (contra quem agit) ideo negaſſe Chriſtum habere veram carnem humanam, & eſſe verum filium Virginis; quia exiſtimabat ex muliere immunda (id eſt in peccato originali concepta) nō poſſe filiū Dei, niſi immunde concipi, & peccato originali coinquinari, quod filio Dei repugnabat: Auguſtinus vero vt hoc argumentum elidat, introducit filium Dei cum Manichæo colloquentem, & oſtendentem, Matrem, ex qua natus eſt, non fuiſſe cum aliqua factam immunditia, cum ab ipſo Dei filio fuerit fabricata, *Ego* (inquit) *Matrem, de qua naſcerer, feci: ego viam meo itineri præparaui, atq; mūdaui: hanc, quam tu deſpicis Manichæe, Mater eſt mea: de manu fabricata eſt mea.* 86. *Duplex locus Auguſ.* Deinde addit verba adducta: *Si potui inquinari; &c.* quæ dupliciter leguntur; nam apud Gerſonem ita legitur: *Si potui inquinari cum eā facerem; potui inquinari, cum ex ea naſcerer*: ita vt prima pars periodi intelligatur de Virgine cum in vtero formata eſt: ſecunda autem pars de Chriſto ex Virgine concepto: vt ſit ſenſus: *Si potuit Mater mea inquinari, &c.* Sed vera lectio habet ſicut ſupra poſuim⁹, vt vtraque pars de Chriſto intelligatur. Quocūque tamen modo verba illa legantur, cōſtat Auguſtinum pugnare pro honore Virginis: cum ſcribit: *Ego matrē, de qua naſcerer, feci, &c*: ita vt illis contra hæreticum probet Virginem, quam in matrē elegerat, immundam non fuiſſe conceptam: quaſi dicat fieri non poſſe, vt filius Dei formaret ſibi Matrem, & illam formaret immundam: & ſubinde oſtēdat, Manichæum in ſuo fundamento falſò ſupponere Virginem electam in Matrē cum immunditia fuiſſe conceptam: quaſi non potuiſſet filius Dei ex ea naſci ſine vlla peccati immunditia. Arguit igitur Dei filius conceptionem, & formationē Virginis Matris immaculatam eſſe ex eo, quod ipſe eam fecerit, & ſibi in Matrem præparauerit: quaſi ſic argumentetur: *Sicut ego inquinari non potui naſcendo ex illa: ita inquinari non potui, cum eam in meam Matrem præpararem.* 87. Quæ doctrina ex præcedentibus deducitur: etenim filius Dei faciendo, & efformando Virginem in vtero Annæ non aliter potuit inquinari, niſi quia honorem Matri debitum non exhiberet, ſi cum poſſet eam formare penitus immaculatam, mundando eam mundatione præſeruatiua, eam formauerit maculatam originali macula. Quare vis argumenti poſiti in illis verbis, *Si potui inquinari, &c.* in hoc eſt poſita, vt filius Dei contra hæreticum ita arguat, *Si ego potui inquinari non exhibendo Matri futuræ honorem naturaliter debitum, potui etiam inquinari naſcendo ex illa immunda.*

Eadem eſt vis argum. ex 2. lectione. Quare cum hoc conſequens non ſit admittendum; nec etiam admittendum eſt me Matrem meam formaſſe immundā. ¶ Et eandem arguendi vim habent præcitata verba, ſi prima periodi pars legatur in tertia perſona, ita vt intelligatur de Virgine; ſenſus enim erit, *Si Virgo Mater mea potuit coinquinari exiſtens à me formata; potui, & ego inquinari naſcendo ex ea*; quia illa de manu mea fabricata non

potuit

potuit immunda, & inquinata formam; niſi ego coinquinarer,eam formando immundam, cum poſſem eam efformare mundam. Hæc eſt huius loci difficillimi vera,& facilis explicatio: ex quo ita explicato euidenter colligitur Auguſtinũ abſque dubio ſenſiſſe Virginem non ſolum immaculatam fuiſſe natam ex vtero; ſed etiam in vtero conceptam fuiſſe ſine vlla originalis peccati macula.

Hæc ex Auguſtino adduximus pro confirmanda virginis immunitate à peccato originali.

§. 5.

Qui nam Patres pro hac noſtra ſententia admittendi non ſint,quamuis à viris doctiſsimis pro ea citentur?

89. *Qui Patres pro Virgine nõ ſatis firmiter citentur.*

VT euidenter appareat nos hanc quæſtionem excitare ſolius veritatis indagandæ gratia adducemus plures ex Patribus à doctiſsimis Theologis pro noſtra opinione adductos: & oſtendemus eos pro illa non ſtare.

90. 1. *Citatur Greg. Taumaturgus.*

Primo igitur loco *Turrianus in Epiſt. de peccato originali* adducit S.Gregoriũ Taumaturgũ (qui floruit anno Domini 233.) in quodam ſermone: explicans enim verba Lucæ.2. *Aue gratia plena*,ait *Virginem dici gratia plenam; quia in generationibus hæc ſola Virgo Sancta corpore,& ſpiritu fuit*, quæ verba Turrianus explicat, non quidem de ſanctitate eiuſdẽ generis cum alijs virginibus, quæ á Paulo, & corpore, ſpiritu ſanctæ dicuntur, ſed de ſanctitate longe alterius generis; quatenus .ſ. Virgo fuit immunis ab originali culpa: quem ſenſum colligit ex eo,quod magnus ille Gregorius in ſequẽtibus affirmat: *Cum Virgine eſſe eum, qui ſanctificationis eſt Dominus ſalutis procurator, & veræ pacis diſtributor: qui ex terra virgine fecit hominẽ.* Non decebat igitur (inquit Turrianus) gratiam,quam Deus Adamo conceſſerat, Virgini denegari.

91. *Nõ probat intentum.*

¶ Ego tamen plane non video, quomodo ex illis verbis magnum illum Taumaturgum in noſtram adducamus ſententiam: admitto enim B. Virginem fuiſſe Sanctã,& corpore, & ſpiritu nouo quodam ſanctificationis genere illi ſoli conceſſo: quoniam in ſanctificatione corporis ſola illa Deum in ſuo vtero concepit; ex cuius contactu vterus illius nouo ſanctificationis genere ſanctificatus manſit: ſpiritus etiam ſpeciali quodam modo in ea fuit ſanctus: tum; quia ita ſanctus fuit, vt ab omni actuali peccato liber fuerit; ſiquidem ex ſententia Auguſtini ſoli ſpiritui Virginis id conceſſum fuit: tum ſecundo,quia in ſola illa gratia diuina fomitem nõ ſolum ligauit; ſed etiam omnino extinxit; quod ſoli Virgini datum eſt.

Quare propoſitio aſſerta à Taumaturgo non ſatis efficaciter arguit Beatam Virginem ab originali immunem fuiſſe; 92.
nec hunc ſenſum euincunt verba poſteriori loco adducta: etenim Sanctiſsimus Gregorius totus eſt in explicanda Virginis ſanctificatione, quæ in conceptione Verbi futura erat: ideo autem dicit Deum condidiſſe Adamum ex terra virgine, vt oſtenderet potuiſſe Deum ex Maria Deipara carnem ſumere, illa permanente Virgine, & omnino incorrupta. Quare Taumaturgus pro noſtra ſententia ex illis verbis afferi non poteſt.

93. 2. *Citatur Proclus.*

Secundo idem Turrianus adducit Proclum Conſtantinopolitanum Chryſoſtomo contemporaneum: quatenus in Homilia de Virgine *Virginis carnem appellat impollutam.* ¶ Cæterum eam impollutam appellare poteſt in eodem ſenſu, in quo omnes ſancti eam impollutam vocant;quia ſcilicet nulla concupiſcentiæ labe, aut contagio polluta eſt, & à viro omnino intacta.

Non recipitur.

94. 3. *loc. citatur Theodotus.* *Nõ placet.*

Tertio adducit Theodotum Angranum, in Homilia de Natali Domini, quã fecit in Concilio Epheſino, quatenns ait *Vterum Virginis fuiſſe mundum à paſsionibus peccati.* ¶ Sed cum aduerſarij hoc etiam de Virgine prædicent, non video quomodo Theodotus noſtram dicat ſententiam: etenim ideo docet Virginis vterum à paſsionibus peccati fuiſſe mundum: quia mundus fuit à concupiſcentia,quæ eſt lex membrorum, & peccati fomes: ſed inde non infertur Virginem illi fomiti nũquam fuiſſe ſubiectam,quia poſt contractionẽ peccati potuit ab illius paſsionibus liberari.

95. 4. loco citatur Cypri. Quarto loco à quam plurimis adducitur Cyprianus, ſiue author libri de operibus Cardinalibus Chriſti apud Cyprianum in ſermone de Natiuitate Chriſti, vbi pag.448.colum.ſecunda, ita ait: *Spiritu Sancto obumbrante incendium originale extinctum eſt.* ; *ideoque innoxia affligi non debuit, nec ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniurijs; quoniam plurimum à cæteris differens natura communicabat, non culpa.* Propter quæ verba Suarius, & Valentia putant D. Cyprianum teſtem eſſe, & aſſertorē immunitatis Virginis ab originali peccato.

96. Non probatur. ¶ Sed immerito, quia author illius libri in eo loco non agit de culpa originali, ſed de culpa, quæ via communi comitatur delectationem in concipiendo: etenim in illo loco ſolum explicat nullam naturæ iniuriam, quæ in puerperio aliarū mulierum reperitur, fuiſſe repertam in puerperio virginis; nam ante illa verba ita ſcribit: *Nec aliqua naturæ iniuria Matrem Domini laſſarat; quoniam ſine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate: nihil in hac re petijt vltio, nec præcedens delectatio aliqua expetijt pœnarum vſuram.*

97. Hanc concluſionem in his verbis poſitam probat verbis ſupra allatis: *Spiritu Sancto obumbrante incendium originale extinctum eſt.* Incendium, inquam, originale, id eſt, incendium libidinis ab ipſa natura conceptionem concomitans: hoc enim extinctum eſt, & omnino ſublatum; quia Spiritu Sancto obumbrante ſine viro concepit. *Ideoque innoxiam affligi non decuit:* innoxiam, inquam, ab incendio libidinis, cum in hac cōceptione nullum fuerit: & ideo non decuit in partu puerperioque eā affligi. *nec ſubſtinebat iuſtitia; vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniurijs:* iniurijs, inquam, quibus cæteræ mulieres in partu laſſantur: *Quoniam à cæteris differens, natura communicabat, non culpa:* hoc eſt etſi cum cæteris mulieribus communicabat natura, quatenus ad conceptionem Verbi ſanguines, ſemenque muliebre, ex quo Chriſti corpus formaretur, tanquam vera fœmina produxit, & in hoc cum cæteris mulieribus natura cōmunicauit: non tamen cum illis communicauit in culpa libidinis, quę in alijs in deferendis ad fætum ſanguinibus vt plurimum reperitur. Iſte eſt genuinus, & proprius ſenſus illorum verborum: quare author illius libri nec agebat, nec agere poterat de incendio culpæ originalis, quo concipimur, ſed de incendio libidinis, quo concipiunt mulieres. Etenim ſine hoc B. Virgo concepit Verbum. Quare in hac conceptione fuit in Virgine mentis, & corporis ſumma integritas; ſiquidē in ea Virgo ſuo modo fruebatur præſentia Chriſti, tum ſpirituali, tū corporali. Vnde nec pro noſtra ſententia faciunt illa alia verba: *Quæ carnis, & mentis integritate inſignis:* quia de integritate in conceptione Verbi reperta apertiſsime loquuntur.

Quinto à Canniſio, Suario, & alijs adducitur Richardus de Sancto Victore, tum in expoſitione Canticorum 2. parte capi. 26. & 42, tum etiam in tractat. de Emanuele cap. vltimo: ſed in vltimo loco nihil inuenies, quod ad inſtitutum cō ducat: in primo autem loco poſt multa, quæ in laudē Virginis adducit hæc poſſunt ad inſtitutum facere; *Obtenebrantur,* inquit, *ſtellæ.i, Sancti caligine culpæ: ſed beatiſsima Virgo Maria tota pulchra fuit, quam totā illuſtrauit, & perfudit ſol iuſtitiæ, vt nec maculā habuerit; nec tenebras culpæ.* 98. 5. lo. affertur R. chardus Victo.

¶ Sed verba iſta eſſe intelligenda de macula, & tenebris peccati actualis facile intelliges ex verbis antecedentibus: *Hi qui ſanctitate vitæ lucent, velut Luna, velut ſtellæ in nocte huius vitæ, obtenebrantur in eius comparatione:* ex quibus patet Richardum agere de Sanctis, qui vitæ ſanctimonia in hoc mundo lucent, & de luce, qua lucent in eo: eorum enim lux, ſi cum luce, qua Virgo in hac vita vixit, comparetur; in eius comparatione obtenebratur; quia, ſcilicet in eis, & datur aliqua macula culpæ actualis, & dantur tenebrę tētationum, quibus à Dœmone impugnantur: cum tamen Beata Virgo, nec vllam actualem culpam admiſerit, nec illius ratio, aut ex fomite peccati, aut ex Dœmonis oppugnatione, vnquam obtenebrata fuerit. Et iſte eſt verus ſenſus illorū verborū. Nō admittitur.

Illud

98. *Officiũ antiquum refert Rich*

¶ Illud tamen notandum eſt in officio antiquo conceptionis Virginis hæc verba ex Richardo afferri: *non decuit, vt caro Mariæ qualicũq; foret obnoxia culpæ, nam Dei Sapientiæ indignum credimus, vt quam ad lucem gentium deſtinauit, prauitate tenebræ ſineret inuolui: nec erit ingratus Matri ſuæ, qui Patri Matrique honorem præcepit exhiberi.* Quæ verba ſi in Richardo inuenirentur, noſtræ fauerent veritati: ſed illa in eo inuenire non potui.

99. *6. loco refertur Nyſſenus.*

Sexto loco, à Valentia adducitur D. Gregorius Nyſſenus homil. 13. in Cant. vbi ita ſcribit: *Oportebat Matrem vitæ tam conceptionem à lætitia inchoare, quam partum in lætitia perficere, nimirum ait ad eam princeps ille Angelus: gaude per gratiam dilecta: qua voce mæſtitiam illam abigit, quæ rerum initio propter peccatum partui eſt impoſita.* Adducit etiam illum, quatenus in eodem loco Virginem appellat, *cubile vitiorum expers.*

Non placet.

¶ Sed hæc teſtimonia ſine vllo fundamento adducuntur: quoniam prius teſtimonium nihil ad rem facit, cũ euidenter in eo agatur de lætitia, qua virgo Chriſtum concepit, & peperit. Poſterius autem generale eſt, & ab omnibus Virgini conceditur: omnes enim fatentur eam fuiſſe omnium vitiorum expertem, quando Chriſtum concepit: de cuius conceptione Gregorius agebat.

100. *7. loc. affertur Baſil.*

Septimo loco, idem Valentia affert D. Baſilium in Conc. de Sancta Chriſti Natiuitate: nam poſtquam dixit nihil illius ſæculi comparandum eſſe cum puritate Mariæ Virginis, ita ſcribit: *Ex ſanctitate igitur compacta caro digna erat, vt Deitati vnigeniti vniretur.*

Non probatur.

¶ Sed ego plane non video, quomodo hæc verba probent Virginem à labe originalis culpæ fuiſſe immunem: ſolum enim intelliguntur de carne, quam in vtero Virginis compactam, & ex puris Virginis ſanguinibus genitam, Diuinum Verbum aſſumpſit: non vero de carne in vtero Beatæ Annæ compacta, & genita ad corpus Virginis efformandum: carnem illam fuiſſe compactam ex ſanctitate, tum Spiritus Sancti, tum Virginis, nullus negare poteſt: hæc autem, an ex ſanctitate fuerit compacta, negant omnes aduerſarij: & merito; quia illa eadem numero non fuit compacta, vt Verbo Diuino vniretur: ſed alia, quæ tempore conceptionis Verbi fuit in Virgine.

101. *Vlt. adducitur Cyrillus Alexãdrinus.*

Tandem pro hac ſententia adducitur Cyrillus Alexandrinus à Gundiſaluo Sancio Luzero in ſuis Theologicis diſcurſibus in defenſionem immaculatæ conceptionis Beatæ Virginis in primo diſcurſu in capite quinto, fol. 19. pagin. ſecunda: quatenus Cyrillus libro ſexto in Ioannem cap. 15. ita ſcribit: *Excepto ſolo Chriſto, & eius matre omnes in peccato naſcimur*: quæ verba intelligenda ſunt de natiuitate in vtero, non vero ex vtero: quoniam, & Ioannes Baptiſta, & Ieremias ſine originali ſunt ex vtero nati. Et id ſatis oſtenditur, quia ſtatim ita habet: *Quis vnquam de Architecto audiuit, quod ſuum ipſius templum conſtruxerit, & in eo habitare prohibitus ſit?*

102. *Cõmẽtarij illi nõ ſũt Cyrilli, ſed Clitouæi.*

¶ Quæ ſane verba ſatis confirmarent immunitatem Virginis, ſi illa eſſent verba Cyrilli: at tamen, nec ille liber ſextus in Ioannem eſt Cyrilli, ſed Iodoci Clitouæi: nec verba poſteriora in dicto capit. 15. inueniuntur: hoc poſterius legenti patebit: illud vero prius ſatis aduertit præfatio poſita ad initium libri quinti in Ioannem: nam cum Diuus Cyrillus duodecim libros ediderit in Ioannem, quatuor intermedij quintus, inquam, ſextus, ſeptimus, & octauus iniuria temporum, & negligentia ſunt deperditi: quos Clitouæus ſumma cum diligentia, & abſque vlla fere ſtili diſſimilitudine, & deformitate compoſuit, & inter medios adiecit: ad quod Sancius ille Luzero minime aduertit.

103.

Ex dictis iam facile colliges, quos nam Patres, tam Antiquiores, quam Moderniores pro immaculata Virginis conceptione, vel expreſſe, vel efficaciter, vel denique probabiliter habeamus: quos ve pro illa citare non poſſimus. Quare oportet, vt expendamus Patres, quos aduerſarij cõtra hanc puritatem tanta cum efficacia citant: quod in ſequenti articulo diligẽtiſsime pręſtabimus.

(.:.)

ARTICVLVS II.

Quinam Patres doceant B. Virginem peccatum originale contraxiſſe.

1. IN hoc 2. articulo huius quæſtionis quartæ diligentiſsime expendemus, qui nam ex Patribus, tam antiquioribus, quam recentioribus doceant B. Virginem in peccato originali fuiſſe cõceptam, & vt diſtinctius procedamus; in §. 1. proferemus eos Patres, qui ab aduerſarijs contra puritatem Conceptionis B. Virginis referuntur: qui tamen cõtra eam nihil faciunt. Deinde in 2. §. referemus eos qui illam cõceptionis puritatem impugnarunt: in tertio deniq; expendemus, an Caietanus ſufficienter impugnet explicationes quibus Sanctorum teſtimonia explicauimus.

Ordo dicẽdorum.

§. I.

Referuntur Patres, quos aduerſarij putant expreſſe ſuam probaſſe ſententiam, falſò tamen.

2. *Qui Patres falſo afferuntur.* QVod attinet ad primum proferemus eos Patres, quos aduerſarij conſtanter affirmãt pro ſua ſtare ſententia; cum tamen pro ea non ſtẽt. Quos per annorum centurias ſuó ordine referemus.

¶ *Primæ centuriæ Patres.*

Non contradicit Irenæus.

3. *Non contradicit Irenæus.* ¶ Pro prima annorum centuria à Chriſti natiuitate ſolus adducitur Irenæus, quem refert Bandellus in ſuo lib. cap. 13. (qui floruit anno 170.) in lib. contra hæreſes; quatenus dicit: *Peccato Adami aſtrictum eſſe morti totum genus humanum, & omnes homines plaga ſerpentis eſſe vulneratos, & omnes à Chriſto (qui ſolus eſt ſine peccato) ſanari in carne peccati.* ¶ Sed ex hac propoſitione generali, quam etiam Fides proponit, non bene infertur Virginem in ſe ipſa fuiſſe plaga Serpentis, originaliq; peccato vulneratam: quia generalitas illius propoſitionis ex authoritate Eccleſiæ intelligitur, niſi Deus ab actuali illo vulnere ex gratia ſpeciali voluerit aliquem præſeruare: Virginẽ autem de facto diuina gratia fuiſſe præſeruatam pia Eccleſiæ credulitas affirmat. Quod vero ait; *Solum Chriſtum ſine peccato fuiſſe,* veriſsimum eſt, ſi intelligatur ex vi ſuæ conceptionis; cum ex Adamo ſeminaliter non fuerit conceptus: quod non impedit Virginem in Adamo ſeminaliter propagatam ex gratia ſine peccato originali fuiſſe.

¶ *Ex ſecunda centuria.*

Origenes non contradicit.

¶ Idem Bandellus obijcit nobis Origenẽ (ex anno 210.) multis in locis. Primus locus ſumitur à Cõmentarijs in Ioannẽ, quatenus docet *ſolum Chriſtum dicere potuiſſe; quis ex vobis arguet me de peccato? quia ſolus ille nullum habuit peccatum.* Secundus locus ſumitur ex homilia 7. dum ait. *quamcunque animam in carne natam iniquitatis, & peccati ſorde pollui; & ſolũ Chriſtum peccatum non feciſſe, & omnem hominem in patre, & matre eſſe pollutum.* Tertius locus habetur homil. 5. in Numeros, vbi ait, *vno excepto Chriſto, reliquos omnes aliquando fuiſſe ſub peccato.* ¶ Sed omnes iſtæ authoritates accommodatiſsime explicantur, vt omnes homines ex vi ſuæ cõceptionis fuerint ſub peccato; quia omnes ſub debito illius fuerunt, etiã Virgo: & omnes peccatum actu contraxerunt, vna excepta Virgine; quia ex ſpeciali priuilegio à regula communi de actuali contractione fuit excepta. 4. *Nec Origenes.* 5.

Nec Cæſarius Arelatenſis.

Addcitur ex anno 220. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus in quodam ſermone ab eodẽ Bandello c. 16. quatenus ait, *omnes peccatum originale trahere ex Adamo.* ¶ Sed futile eſt, inde inferre etiam Virginem illud contraxiſſe: quia licet debitũ illius ex Adamo traxerit: illius tamen maculam per ſpeciale priuilegium non contraxit. 6. *Nec Cæſarius Arelat.*

Nec Cyprianus contradicit.

Ab eodẽ Bãdello c. 13. adducitur Cyprianus ex anno 250. in epiſt. de paruulis baptizãdis: 7. *Nec Cyprianus.*

dis,vbi ait: *omnē paruulū ab Adamo propagatum contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere.* Et in epiſt.ad Cirinum (teſte D.Hieronymo)expreſſe ait: *Neminem niſi ſolum Chriſtum eſſe ſine peccato.* ¶ Sed vtraque authoritas eodem modo explicatur;quo explicantur duæ Irænei authoritates.

Nec Theophilus.

8. *Nec Theophilus.* Adducit etiam Theophilum Alexādrinum ex anno 280. in caput 2. Lucæ: quatenus dicit *ſolam Virginem filium cum benedictione,id eſt,ſine peccato concepiſſe* ¶ Sed id intelligitur ex vi conceptionis; quia ſine viro filium Dei concepit: cum quo bene conſtat B. Annam ex ſpeciali gratia concepiſſe Virginem ſine peccato; quamuis ex vi conceptionis peccati fuerit debitrix.

¶ Ex tertia Centuria.

Non officit Rethicius.

9. *Nec Rethicius.* Obijcit etiam idem Bandellus S. Rethicium ex anno 310.quatenus teſte Auguſtino generaliter docet *omnes homines, excepto Chriſto, antiquo crimine teneri obnoxios.* ¶ Sed cum iſta verba ex mente eiuſdem Auguſtini explicentur ex vi ſuæ conceptionis, etiam comprehendūt B. Virginem, quæ ex vi ſuæ conceptionis peccato Adami erat obnoxia: liberata tamen fuit ex ſpeciali gratia.

Nec Athanaſius.

10. *Nec Athanaſius.* Nec ab eodem Bandello bene refertur Athanaſius ex anno 340.in Lucam:quatenus dicit *ſolum Chriſtum ſingulariter eſſe ſanctum: & in hoc ab alijs diſtingui;quia ſanctitatem ſimul cum natura accepit.* ¶ Sed intelligitur ex vi ſuæ conceptionis, quia ex vi illius peccato ſubiacebat, à quo ex ſpeciali priuilegio præſeruata fuit, ſimul cum natura gratiam accipiens.

Nec B.Seuerus.

11. *Nec Seuerus* Refertur etiam B. Seuerus in Lucam quatenus docet *quod nullus homo, Chriſto excepto, ſine peccato fuit: & quod omnes in Adamo peccauerint.* ¶ Sed hæc doctrina intelligitur ex vi conceptionis, vnde nihil officit.

Nec Hilarius.

Obijcitur etiam Sanctus Hilarius ex anno 340. relatus ab Auguſtino, quatenus ait,*Omnem carnem,excepta carne Chriſti ſub peccato originali, & lege natam eſſe; quia ex Propheta omnes in iniquitatibus cōcepti ſunt.* Et quatenus in Matthæum ait, *Salutem ex Chriſto omnibus eſſe neceſſariam.* 12. *Nec Hilarius.* ¶ Sed prior locus non concludit, quia vel intelligitur ex vi cōceptionis, in quo ſenſu eſt vniuerſalis talis doctrina ſine vlla etiam Virginis exceptione:vel ſi intelligitur de actuali macula ita eſt intelligendus,niſi Deus aliquem diſpenſando ab illa macula præſeruet. Locus autem ſecundus intelligitur ex vi ſuæ conceptionis, & ratione debiti ex peccato Adami reſultantis. Vide quæ inferius dicemus ad Auguſtinum.

Nec Euſebius Emiſſenus.

Obijcitur etiam nobis à Caietano ex Bandello Euſebius Emiſſenus anno 340. 13. *Nec Emiſſenus.* in ſermone de Natiuitate Domini in hęc verba: *Ex peccati originalis nexu nullus immunis extitit,nec ipſa genetrix redemptoris: ſolus enim Chriſtus, licet de debitrice naſcatur legis veteris debito non tenetur.* ¶ Sed tam Caietanus,quam Bandellus ab Euſebio demunt verbum ab eo poſitum: vnde falſarij nota inuri poſſunt,dum ab Euſebio demunt verbum à quo ſenſus doctrinæ pendet. 14. Euſebius igitur ita habet: *à peccati originalis nexu per ſe non eſt immunis, nec ipſa Dei genitrix,* vt contra Caietanum aduertit inſignis Paiua in defenſione Tridentinæ ſynodi lib. 5. fol. 353. & omnes,qui poſtea ſcripſerunt, vt Suarius vbi ſupra diſp.3. ſect.5. pag.44.col. 2.B.& Valentia 4.p.diſp.2.q.1.punct.2. pag.424.D. Appoſita autem illa particula *per ſe,* teſte ipſo Caietano nihil contra nos faciunt præcitata verba; quia libentiſsime fatemur ſolum Chriſtum per ſe ex vi ſuæ conceptionis fuiſſe liberum à nexu originalis peccati; Virginem autem per ſe illi fuiſſe obnoxiam: quod nō tollit,quominus per gratiam fuerit ab eo libera. Quin potius pro nobis facit Euſebius,vt doctè aduertit Paiua: quia ideo appoſuit illam particulam per ſe; quia ſentit Virginem ab illo nexu per ſpecialem gratiam fuiſſe immundam. Quin po

tius, vt aduertit Valentia, verba Euſebij ſecluſa illa particula *per ſe* in eodem ſenſu intelligenda forent; maxime quia illa particula *nexu* idem eſt, quod obligatio & debitum, vt facile declarant verba immediate addita: *ſolus Chriſtus, licet de debitrice naſcatur, legis veteris debito non tenetur.* Quare cum Euſebius inquit à *nexu* originalis peccati, nullus, nec genitrix redemptoris *immunis exiſtit*, ita eſt intelligendus à nexu. i. à debito, & obligatione: in quo ſenſu verba illa ſimpliciter prolata ſunt veriſsima: quia Virgo, licet immunis fuerit à macula originali; non tamen fuit immunis à debito contrahēdi illam: vnde ex ſe vere fuit debitrix maculæ, quamuis per gratiam eam actu nunquam habuerit, vt ſæpè diximus.

Nec Abraham Syrus: nec Ephrem: nec Theodorus: nec Olympius.

14. *Nec Abraham Syrus nec Ephrē: nec Theodorus, nec Olympius.*

Idem Bandellus in præcitato cap. 14. refert Abraham Syrum ex eadem centuria anno 340. atque Theodorum, & B. Ephrem, & S. Olympium eiuſdem cēturiæ. ¶ Sed hi nihil aliud docent, niſi *quod nullus homo, excepto Chriſto, ſine peccato fuerit*: quam doctrinam intelligunt ex vi ſuæ conceptionis: quod non tollit, quod Virgo per gratiā ſine peccato fuerit.

Nec Græcus Epiſcopus.

15. *Nec Græcus Epiſcopus.*

Citat idem Bandellus S. Græcum Epiſcopum in Lucam, ſed ſolum docet id, quod docent Abraham, Theodorus, & Ephrem immediatè citati, floruit in eadem centuria anno 360.

Nec Baſilius.

16. *Nec S. Baſilius.*

Citatur etiam ab eodem Bandello Baſilius ex eadem centuria anno 360. in lib. contra Manichæos: ſed ſolum dicit, *Omnes nos ægritudinem peccati contrahere; & ideo omnes indigere medico*: ſed eodem modo explicatur cum cæteris.

Nec Gregorius Nyſſenus.

17. *Nec Nyſſenus.*

Nec etiam contradicit Gregorius Nyſſenus eiuſdem centuriæ anno 360. relatus ab Auguſtino: quia ſolum docet *omnes in iniquitatibus conceptos eſſe*: quod fatemur, cum ſit regula generalis fidei; quę intelligitur, niſi Deus cum aliquo ſpecialiter diſpenſet, vt ſæpe diximus.

Nec Ambroſius in eadem centuria anno 370.

Caietanus in tractatu de Conceptione Virginis cap. 4. cum Bandello vbi ſupra cæteriſque aduerſarijs, contra puritatem conceptionis Virginis citat D. Ambroſium multis in locis expreſſe docuiſſe, *Virginem actualiter contraxiſſe originale peccatum*; & Bandellus vbi ſupra cap. 10. quindecim affert locos ex Ambroſio, vt putat, apertiſsimos. Primus locus habetur Pſalm. 118. ſerm. 6, ad illa verba: *& ne auferas de ore meo verbum veritatis*, vbi ita ſcribit: *Nemo hominum ſine peccato fuit, niſi ſolus Dominus IESVS: quem non cognoſcentem peccatum ſacrificium fecit pro nobis pater: venit enim Dominus Ieſus, & in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.* Ex quibus verbis duplex ſumi poteſt argumentū: primum eſt, quod ſolus Chriſtus fuit ſine peccato: ſecundum eſt; quod caro Virginis fuit obnoxia peccato.

18. *Nec Diu⁹ Ambroſ.*

1. *locus.*

Secundus locus ſumitur ex epiſtol. ad Rom. cap. 8. vbi ita habetur, *Miſit*, inquit Apoſtolus, *Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati: quia cum eadem ſit caro Chriſti ſecundum ſubſtantiam, ſicut caro noſtra; non tamen ita nata eſt in vtero, ſicut caro noſtra: eſt enim ſanctificata, & nata in vtero, ſine peccato, & etiam ipſa in illa nunquam peccat: ideo enim virginalis vterus electus eſt ad conceptum dominicum, vt in ſanctitate differret caro dominica à carne noſtra. Propterea ergo ſimilem dixit; quia de eadem ſubſtantia carnis venit; ſed in eadem qualitate peccati concepta non fuit: expiata eſt caro Domini à Spiritu ſancto in Virgine, vt in tali corpore naſceretur, quale fuit corp⁹ Adæ ante peccatum.* Ecce generaliter docet Ambroſius carnem Chriſti non ita natam eſſe in vtero, ſicut in vtero nata eſt noſtra caro: quia. ſ. in vtero nata eſt ſine peccato; & talis, qualis fuit humana caro ante peccatum Adami. Cum verò velit oſtendere ſolam carnem Chriſti habuiſſe hoc priuilegium, ſatis expreſſe docet nullam aliam carnem humanam (& per cōſequens nec carnē B. Virginis) ſine peccato fuiſſe in vtero conceptam: nec vllam talem fuiſſe, qualis fuit caro Adami ante peccatum.

19. 2. *locus.*

20. 3. *locus.* Tertius locus ſumitur ex commentarijs in Lucam in hæc verba: *Solus per omnia ex natis de fœmina ſanctus in conceptione fuit Dominus Ieſus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non ſenſit, & cœleſti maieſtate depulit.* Ergo ex D. Ambroſio ſola Chriſti conceptio fuit ſancta; quia ſolus Chriſtus cœleſti maieſtate carnis corruptelam depulit.

21. 4. *locus.* Quartus locus habetur in commentarijs in Iſaiam: *Omnis* (inquit) *homo mẽdax: & nemo ſine peccato, niſi vnus ſolus Deus, ſeruatum eſt igitur, vt ex viro, & muliere, per illam corporum mixtionem nemo conceptus, expers ſit delicti; qui autem expers eſt delicti, expers etiam eſt huiuſmodi conceptionis.* Ecce ex eo, quod nemo eſt ſine peccato, niſi ſolus Deus, infert Ambroſius neminem ex viro, & muliere conceptũ delicti eſſe expertem: quod adeo verum eſſe putat, vt doceat eum, qui in ſua conceptione delicti expers eſt, expers etiam ſit conceptionis ex cõmixtione viri, & mulieris: quam conſequentiam eſſe notandam in margine ponitur. Quare cum B. Virgo non ſit expers conceptionis ex concubitu maris, & fœminæ; vtique ſi vera eſt Ambroſij conſequentia, bene infertur eam nõ habuiſſe conceptionem delicti expertem:

22. 5. *locus.* Quintus locus inuenitur in lib. de archa Noe: *per vnum Dominum Ieſum ſalus ventura nationibus declaratur: qui ſolus potuit iuſtus in conceptione eſſe; cum omnis generatio hominum erraret, niſi natus ex Virgine generationis obnoxiæ vinculo minime teneretur.* Docet igitur Ambroſius ſolum Chriſtum potuiſſe in ſua conceptione iuſtum eſſe: quia ſcilicet omnis aliorum hominum generatio iuſta non eſſet, niſi generatio Chriſti à vinculo obnoxiæ generationis fuiſſet libera: iam vero ſi ſolius Chriſti conceptio potuit eſſe iuſta, ſatis exprimit Virginis conceptionem iuſtam non fuiſſe.

23. 6. *locus.* Sextus locus ſumitur ex eodem libro de archa Noe, *ſolus* (inquit) *Chriſtus in conſpectu Dei iuſtus apparuit: de quo non iam cum exceptione dictum eſt, non peccauit in labijs: ſed peccatum non fecit: omnes enim ſub peccato naſcimur: cum ille, qui præ cæteris iuſtus putabatur, dicat: ecce in iniquitatibus conceptus ſum.* Igitur generaliter probat Ambroſius omnes homines ſub peccato naſci; natiuitate ſcilicet, qua in vtero concipiuntur.

Septimus locus eſt in libro de Pœnitentia c. 2. in hæc verba: *Omnes homines ſub peccato naſcimur; & ipſe noſter ortus in vitio eſt, dicente Dauid: ecce in iniquitatibus conceptus ſum: Chriſti autem caro damnauit peccatum, quod naſcẽdo in ſe non ſenſit; quod moriendo in alijs crucifixit, vt in carne noſtra eſſet iuſtificatio, per gratiam, vbi erat ante colluuio per culpam*: probat igitur Ambroſius generalem regulam, quod omnes homines cum peccato naſcuntur. 24. 7. *locus.*

Octauus locus ſumitur ex lib. de Sacramento regenerationis, ſiue de Philoſophia, vbi generalem regulam præcitatam ſcribit, *quod omnes homines ex concupiſcentia concepti cum originali culpa concipiuntur.* Ex quo videtur inferri B. Virginem cum eadem culpa fuiſſe conceptam, cum ex concupiſcentia carnis concepta ſit. 25. 8. *locus.*

Nonò eandem regulam ponit in libro Apologiæ Prophetiæ Dauid, & in alijs locis à Bandello adductis, in quibus eandem generalem regulam repetit, vel ſolum Chriſtum ab originali liberat. 26. 9. *locus.* *Alij loci.*

Ex his locis concludit Bandellus Sanctiſsimũ Ambroſium expreſſe tenuiſſe B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam: quod etiam & Caietanus teſtatur, & Medina cum cæteris huius ſententiæ patronis: & ita de ſanctiſsimo Ambroſio Auguſtinum ſenſiſſe, probat ex eodem Auguſtino lib. 2. contra Iulianũ, vbi ita ſcribit: *B. Ambroſius ſolum Chriſtũ, eo quod natus ſit ex Virgine, à vinculis obnoxiæ generationis excepit: cæteris omnibus ex Adam ſui peccati obligatione naſcentibus.* 27. *Adducitur Aug.*

¶ Sed mirum eſt, quod viri Theologi ex præcitatis Ambroſij teſtimonijs inferant Sanctiſsimum Antiſtitem tenuiſſe, nedum expreſſe docuiſſe Virginem originalis peccati maculam actu contraxiſſe: quod vt fiat euidentius, ſingulos citatos locos diligenter expendemus. 28. *Hi loci nihil concludunt.*

Et quod attinet ad primum locum, Caietanus verba Ambroſij fideliter non retulit 29. *Explicatur 1. loc.*

tulit, vt optime contra eum aduerterunt
Catharinus in 2.tract. de Conceptione Vir-
Catharin. *ginis lib.2.cap.2.pag.39.in fine, & Suarius*
Suarius. *2.tom.ad 3.p.diſp.3.ſect.5.pag. 44.col.2.*
Valentia. *B. Valentia tom.4. diſp.2, punct.2. pagina*
425. & plures alij: nec enim D. Ambro-
ſius dixit: *Venit Ieſus in carne, quæ in ma-*
tre peccato fuerat obnoxia: ſed ſimpliciter
30. ſcribit: *Venit Ieſus, & in carne, quæ peccato*
fuerat obnoxia: quæ verba quidam intelli-
gunt de carne Chriſti; ita vt ſit ſenſus:
Venit Ieſus & in carne ſua, quæ peccato fue-
rat obnoxia: ita *Catharinus in 1.tract. de Cō-*
Cathar. *ceptione Virginis c.6. pag.64. & in trac.2.*
Suar. *lib.2.c.2.ad finem, pag.40. probant Suarius*
Valentia. *vbi ſupra, & ſatis Valentia loco citato*: ſed
31. *Non placet.* tamen ſi verba antecedentia, & conſequē-
tia diligenter expendantur, facile patebit
verba illa non eſſe intelligenda de carne
Chriſti; ſed abſolute de carne humana:
nam poſtquam in antecedentibus dixit,
Verbum veniſſe in ſimilitudinem carnis
peccati; explicat quid nomine carnis
peccati intelligat, inquiens: *Peccatum erat*
caro: quia hæreditario erat damnata maledi-
cto; peccatum erat illecebra, & miniſtra pec-
cati. Et immediate ſubiungit verba citata:
Venit Ieſus, & in carne, quæ peccato fuerat
obnoxia, militiam virtutis exercuit. In cō-
firmationem huius aſſerti adiungit: *Facta*
ſunt membra noſtra, iam non arma libidinis,
ſed arma virtutis: vbi erant incentiua libidi-
32. *nis; ibi nunc ſunt domicilia caſtitatis.* Quæ
verba euidenter oſtendunt, in quanam
carne peccato obnoxia IESVS militiam
virtutis exercuerit: eam enim exercuit
in membris noſtris: quæ cum antea fuiſ-
ſent arma libidinis, per aduentum Chri-
ſti, & per gratiam ex eo nobis donatam,
facta ſunt arma virtutis, & domicilium
caſtitatis. Hic igitur eſt verus & proprius
ſenſus verborum Sanctiſsimi Ambroſij.
¶ Ex qua explicatione conſtat verba ex
33. *Locus nihil concludit.* Ambroſio contra nos allata, nec ad præ-
ſens inſtitutum aliquid facere; nec in ali-
quo immaculatam conceptionem Virgi-
nis impugnare. Quam etiam nec aparen-
ter impugnarent, ſi intelligerentur de
carne Chriſti Domini, vt eſſet ſenſus:
Venit Ieſus, & in carne ſua peccato obnoxia,
militiam exercuit: etenim caro Chriſti vel
in eo ſenſu diceretúr pèccato obnoxia,
quia in parentibus fuit illi obnoxia, vt
vult Suarius, quod ego nō admitto: quia
caro Chriſti à Virgine genita, cum in pa-
rentibus ſeminaliter non fuerit, ſed ſolū
ſecundum corpulentam ſubſtantiam, nō
fuit in illis peccato Adami obnoxia, vt
alibi oſtendimus: vel in eo ſenſu, quod
fuit ſimilitudo carnis peccati, vt alij ve-
rius malunt: vel denique quia voluntate
ipſius Chriſti fuit ſubiecta reatui, & pœ-
næ peccati: in quo ſenſu & ipſe Chriſtus
pro nobis factus eſt peccatum, vt Paulus
affirmat. Ex hoc autem inferre B.Vir-
ginem actualiter contraxiſſe maculam
originalem, nihil eſt aliud, quam à diſpa-
ratis arguere.
¶ Quibus addo verba præcitata imma- 34. *Nec concludit loc⁹ in ſenſu Bādelli, & Caietani.*
culatam conceptionem non impugnare,
licet cum Caietano, & Bandello, cęteriſq;
ita haberent: *Venit IESVS & in carne,*
quæ in Matre peccato fuerat obnoxia, &c.
nam in hoc ſenſu explicari poterant, imò
etiam deberent; vt caro Virginis ex ſe,
& ex vi ſuæ conceptionis peccato origi-
nali fuerit obnoxia, cuius maculam actu
contraheret, ſi diuinitus ab ea non præ-
ſeruaretur. In ea igitur actu præſeruata
Chriſtus militiam virtutis exercuit, pro-
pter excellentem gratiam, virtuteſque
eximias, ſingulariaque priuilegia, quibus
Virgo fuit ornata. A carne autem, quæ
ex vi ſuæ conceptionis originali maculæ
eſt obnoxia, arguere in Virgine actualē
maculam, inutilis omnino eſt conſequē-
tia: quia cum debito, & obnoxietate, obli
gationeque ad contrahendam maculam
originalis culpæ, optime conſtare poteſt
præſeruatio ab actuali illius contractio-
ne, vt in ſuperioribus iam oſtendimus, &
libenter fatetur Caietanus in d.tract.c.3.
Quare primus locus nō cogit, nec appa-
renter probat Ambroſium expreſſe do-
cuiſſe Virginem contraxiſſe originalem
maculam.

Sed nec ſecundus locus id conuincit: 35. *Ad 2. loc.*
quoniam agit de immunitate carnis Chri
ſti à peccato; nō abſolute, ſed ex vi ipſius
conceptionis: quia licet caro illius ſecun-
dum corpulentam ſubſtantiam eadem ſit
ſicut noſtra caro: non tamen eodem con-
ceptionis modo concepta eſt: quo caro
noſtra (etiam Virginis) cōcipitur: etenim

caro

caro noſtra concipitur ex commixtione viri, & mulieris: caro autem Chriſti ſine viri concurſu ex Spiritu Sancto fuit à Virgine concepta, & ſubinde caro omnium noſtrum eſt ab Adamo, & ſecundum ſubſtantiam corpulentam, & ſecũdum virtutem generandi: à quo tamen caro Chriſti ſeminaliter non venit, ſed ſolum ſecundum corpulentam ſubſtantiam: vnde caro Chriſti ex vi ſuæ conceptionis ſine peccato fuit: noſtra autem cũ peccato traducitur. Quare verba Ambroſij tantum probant, ſolam carnẽ Chriſti habuiſſe hoc priuilegium, vt ex vi cõceptionis ſuæ ſit ſine peccato: quod nulli hominum (nec etiam Virgini) conceſsũ fuiſſe cum fide Catholica libenter admittimus. Deceptus autem fuit Bandellus; quia exiſtimauit priuilegium conceptus ſine peccato ab Ambroſio ſoli Chriſto abſolute & ſimpliciter concedi.

36. *Ad 3. loc.* Ex quo fundamento infertur, tertiũ locum à Bandello adductum ſatis eſſe inutilem, vt ex eo dicamus S. Ambroſiũ ſenſiſſe Virginem cum macula originali fuiſſe conceptam: etenim in hoc ſenſu docet ex natis de fœmina ſolum Chriſtũ in ſua conceptione fuiſſe ſanctum; quia ſolus ille ex vi conceptionis contagio terrenæ corruptelæ non fuit obnoxius; quia ſolus ille de fœmina ſine viro conceptus eſt; & ſubinde ſolus ille non fuit naturaliter propagatus ab Adamo; cum tamen cæteri omnes (etiam Virgo) ab eo per naturalem propagationem deſcẽdant, per quam peccatum Adami in homines transfunditur. Et inde eſt, vt ſolus Chriſtus cœleſti maieſtate originalem carnis corruptelam depulerit; quia ſolus ille ex fœmina ſine viro, Spiritu ſancto ſua maieſtate viri concurſum ſupplente, vi ſuæ conceptionis à ſe maculam originalem depulerit.

37. *Ad 4. locũ* Quartus locus ex eodem fundamento apertiſsime diſſoluitur: expreſſe enim agit de conceptione, quæ ideo expers eſt delicti, quia expers eſt conceptionis ex cõmixtione viri & fœminæ. Quare cum ait illum, qui expers delicti concipitur, expertem eſſe conceptionis, ex cõmixtione maris, & fœminæ; agit de eo, qui ex vi ſuæ conceptionis expers eſt delicti originalis: ſolus enim, qui ex vi conceptionis illius eſt expers, expers etiam eſt conceptionis ex cõmixtione viri, & mulieris. Quare Ambroſius non abſolute docet omnem, qui ſine originali delicto concipitur, expertem eſſe conceptionis per maris, & fœminæ concubitum: in hoc enim ſenſu argumentum concluderet: ſenſum tamen illum nec Ambroſius admittit, nec fides, quæ docet diuina potentia fieri poſſe, vt quis ex mare, & fœmina concipiatur; & tamen concipiatur expers originalis peccati. Quod aduerſarij non poſſunt non admittere; & admittit Caietanus vbi ſupra.

Quintus locus ex præcedenti doctrina euidenter explicatur: ſolus enim Chriſtus ex vi ſuæ conceptionis potuit in ſua conceptione eſſe iuſtus. Et eodem modo explicantur reliqui omnes loci à Bandello adducti, vt legenti facile patebit. Quare non eſt, quod Bandellus, Caietanus, Medina, cæteriq; aduerſarij dicant, Ambroſium abſque dubio tenuiſſe, Virginẽ cum originali peccato fuiſſe conceptam: Nec eſt, quod pro ſuo iſto iudicio, & explicatione S. Ambroſij adducant Auguſtinum: quoniam Auguſtinus ſolum aſſerit, Ambroſium abſque dubio ſolum Chriſtum excipiſſe à vinculis, debitoq; obnoxiæ generationis, conceptioniſque ad contrahendum originale peccatum; non ob aliam rationem, niſi quia ex Virgine conceptus eſt, abſque viri complexu. Quare ſatis declarat, Ambroſiũ agere de exemptione à peccato originali, non abſolute, ſed ex vi ipſius conceptionis. Quare contra Virginis puritatem in ſua conceptione nullo modo poteſt afferri B. Ambroſius: imò pro ea illum adduximus ſupra art. 1. §. Loco quarto. 38. *Ad 5. loc.*

Nec contradicit D. Hieronymus.

Citatur etiam à Bandello D. Hieronymus eiuſdem centuriæ circa annũ 360. quatenus docet ſolum Chriſtum fuiſſe ſine peccato, & hanc eſſe propriam ſolius Chriſti prærogatiuam, vt ſcribit *in Pſal. 21. & in epiſt. ad Theophilum, & ad Galat. 3. ad illa verba concluſit omnia ſub peccato, & lib. contra Pelagium, & in epiſt. ad Laurentium Epiſcopum*, & multis alijs in locis, in quibus inde infert *nullum hominem eſſe* 39. *Nec contradicit D. Hieron.*

poſſe

poſſe ſine omni peccato, nec vllum eſſe ab omni peccato mundum.
40. ¶ Sed mirũ eſt, quod inde inferat Bandellus S. Hieronymum ſine dubio tenuiſſe B. Virginem habuiſſe peccatum originale: maximè cum multis in locis Virginis immunitati maximè faueat, vt oſtendimus *ſupra art. 1. §. 3. in quarto loco*: & abſque dubio eam defendat *in Pſalm. 77.* (*ſi ille author eſt illorum commentariorum*) *vt aduertimus in d. art. 1. §. 2. in 3. loco.*
Soluuntur loci obiecti. Quæ vero adducuntur, ex ijs, quæ diximus, facile explicantur: admittimus enim ſolum Chriſtum Dominum ex ſe, & ex vi ſuæ conceptionis nullum habuiſſe peccatum: & ſubinde neminem hominum ex vi ſuæ conceptionis liberum eſſe â peccato originali. Cum quo tamen ſtat, quod per gratiam aliquis eſſe poſsit, & ſine peccato actuali, & ſine originali: & vtrumque priuilegium fuiſſe Virgini per gratiam conceſſum, nec derogat priuilegio Chriſti, qui ex ſe hoc habuit, nec debito, cum quo omnes homines ex vi conceptionis naſcimur.

Nec contradicit Auguſtinus.

41. Nec Auguſtin⁹ eſt contrarius. Caietanus in d. tract. de Conceptione Virginis c. 4. contra puritatem conceptionis illius, ſimul cum Bandello, & cæteris aduerſarijs, citat ſanctiſsimum Patrem Auguſtinum *in Pſalm. 44. conc. 2.* ad illa verba: *Ego autem cum mihi moleſti eſſet*
1. loc. Auguſt. tom. 8. vbi ita ſcribit: *Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum: Adam mortuus eſt propter peccatum: caro Domini mortua eſt propter delenda peccata.* Ecce fatetur Auguſtinus Mariam mortuam eſſe propter peccatum: cum caro non ſit mortua propter actuale. Ergo mortua eſt propter originale, quod contraxit. Deinde (& eſt
42. 2. locus. prioris argumenti confirmatio) Auguſtinus lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 4. oſtendit ſolum Chriſtũ mortem (quæ eſt pœna peccati) ſine peccato ſubijſſe: ita enim ſcribit: *Quod de vno ſolo mediatore Dei & hominũ homine Chriſto Ieſu Catholica fides nouit: qui pro nobis mortem, id eſt, peccati pœnam ſine peccato ſubire dignatus eſt.* Ergo ex Auguſtino fides Catholica aſſerit Virginem mortẽ ſubijſſe propter peccatum: non propter perſonale: quia eadem fides docet eam nullum tale habuiſſe: ergo propter originale: & per conſequens illud habuit.

Tertio loco Auguſtinus multis in locis docet *carnem Mariæ eſſe carnem peccati*: ita ſcribit lib. 2. de peccatorum meritis c. 14. tom. 7. & lib. 10. in Geneſ. ad lit. c. 18. tom. 3. & in lib. 5. contra Iulianum c. 15. tom. 7. & libr. 1. hypognoſticon. cap. 2. Denique lib. 2. de Baptiſmo paruulorũ. Caro autem peccati apud Auguſtinum illa dicitur (inquit Bandellus) in qua actu fuit culpa originalis: & pro hac explicatione citat *eundem Auguſtinum lib. 1. de peccatorum meritis cap. 32. & ſerm. 17. de verbis Apoſtoli cap. 12.* 42. 3. locus.

Quarto loco Kemniſius hæreticus citat Auguſtinum in lib. de natura & grat. c. 36. quatenus ait: *Gratiam Virgini collatã fuiſſe ad vincendum omni ex parte peccatũ*: vincere autem peccatum (vt ait) ſupponit affuiſſe peccatum. Hæc ex Auguſtino ſpecialiter adducuntur, præter ea, quæ generaliter docent, nullum, præter Chriſtum, ab originali fuiſſe immunem. 43. 4. locus.

Quinto loco adducitur idem Auguſt. lib. 2. contra Iulianum c. 10. vbi ita ſcribit: *Quam Catholicam veritatem Sancti, ac Beati, & in diuinorum eloquiorum pertractatione clariſsimi ſacerdotes Irenæus, Cyprianus, Retitius, Olimpius, Hilarius, Ambroſius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Baſilius; quibus addo præsbyterum (velis, nolis) Hieronymũ, vt omittamus eos, qui non dum dormierunt, aduerſus vos proferunt de omniũ hominum obnoxia ſucceſsione ſententiam; vnde nemo eruitur, niſi quẽ ſine lege peccati repugnante legi mentis Virgo concepit.* Ecce ex Auguſtino omnibus Patribus cõſentientibus à regula contrahendi originale peccatum ſolus Chriſtus excipitur, quã veritatẽ eſſe Catholicam verbis expreſsis affirmat: quo argumento plures aduerſariorum etiam ante conſtitutionem Sixti IIII. tanquam hæreticum damnarunt aſſerere Virginem peccatum originale non habuiſſe. Eodem etiam argumento Kemniſius cum pluribus ex Lutheranis ductus eſt, vt Patres Concilij Tridentini appellaret impios, quod in decreto de peccato originali Virginem non comprehenderint. 44. 5. locus.

Sexto loco quidam nobis objiciunt Auguſtinum lib. 1. de peccatorũ meritis 45. 6. locus.

cap.

cap. 29. in fine, dum ſcribit: *Solus ſine peccato natus eſt, quem ſine virili complexu non concupiſcentia carnis, ſed obedientia mentis Virgo concepit.* Quę verba licet ab aliquibus, in quibus eſt Bellomontanus, de natiuitate ex vtero intelligantur: vere tamē de natiuitate in vtero in ipſa conceptione intelligi debent: etenim non ſolus Chriſtus ſine peccato natus eſt ex vtero: ſed etiam Virgo, Ieremias, & Baptiſta, vt latè oſtendimus lib. 2. q. 2. art. 3. 4. & 5. nec Auguſtinus huic opinioni repugnat, vt ibidem diximus art. 7. ad tertium argumentum.

46. *Confirmatio.* Quod idem confirmatur ex Auguſtino lib. 1. de peccatorum meritis ad finē, dum ait: *Non eſt in filijs hominum quiſquā ſine peccato, excepto vno mediatore noſtro:* rurſus ita ſcribit: *Teneamus fidei indeclinabilem confeſsionem; quod ſolus Chriſtus ſine peccato natus eſt in ſimilitudinem carnis peccati.* Vide eundem Auguſtinum in libro de perfecta iuſtitia cap. 11. ita docentem: *Aliud eſt, eſſe ſine peccato, quod de ſolo in hac vita vnigenito dictum eſt: aliud ſine querela: quod de multis iuſtis etiā in hac vita dici potuit.* Denique Auguſtinus (vt ait Bandellus) in quamplurimis locis ſcribit; *Solum Chriſtum fuiſſe ſine peccato: & omnes homines, excepto Chriſto, aliquod peccatum habuiſſe.*

47. *7. locus.* Septimo loco adducit Bandellus Auguſtinum in lib. quando, cur, & quomodo Deus homo, capite 10. ita dicentem: *Sciebant Sancti Patres, quod poſt primi parentis lapſum nemo ex eius ſtirpe more naturali propagandus erat, qui ſe, vel alios erigere valeret, niſi ille deſurſum veniret, qui virtute diuinitatis de carne peccatrice humanitatem ſine peccato acceperat, cum qua homines peccato proſtratos erigeret.* Ecce non ſolum carnem Virginis vocat peccatricem; ſed affirmat neminem ex Adami poſteris potuiſſe ſe, & alios erigere: idque non ob aliam rationem, niſi quia omnes in peccato naſcuntur: quod clarius docuerat in eodem libro capite 6: dum ſcripſit de ſtirpe Adæ nullum naturaliter propagari poſſe, qui illius delicto non teneretur aſtrictus. ¶ Hæc ſunt omnia Diui Auguſtini teſtimonia, quibus *Medina, Bandellus, & cæteri aduerſarij* indubitanter affirmant Beatum Auguſtinum expreſſe docuiſſe Virginem actualiter contraxiſſe originale peccatum: & Caietanus illis mouetur, vt aſſerat, ſuam ſententiam in ſinu Auguſtini ſecuram requieſcere.

¶ Sed hæc, quæ ex Auguſtino adducuntur, nullam vim habent, vt dicamus Auguſtinum Virginis immunitatem à peccato originali impugnare. Quod facile patebit, ſi ſingulos adductos locos diligentius expendamus. 48. *Hæc Aug. teſtimonia non conuincunt.*

49. *Ad 1. loc. Auguſt.* Et quod attinet ad primum locum; quanuis ille aduerſarijs videatur apertiſsimus, nullam prorſus habet vim: quoniam euidenter intelligitur de morte corporali, quæ in pœnam inobedientiæ Adami (qua omnes eius poſteri in eo peccauerunt) in omnes pertranſijt: de hac enim morte intelliguntur verba illa *Adamus mortuus eſt propter peccatum*, & illa alia: *Chriſtus mortuus eſt propter delenda peccata:* Iam vero, teſte Caietano in *eodem tractatu capite 3. paulò ante finem,* *Caietan.* pœna mortis corporalis incurri poteſt ab eo, qui ab incurſu originalis maculæ præſeruatur: quia non implicat aliquem ex priuilegio præſeruari à macula peccati commiſsi in Adamo; non tamen à pœna illi peccato impoſita. Quare Caietanus (ſi velit ſibi conſtare) non poteſt non fateri hanc conſequentiam eſſe ineptam: *Virgo corporaliter eſt mortua propter peccatum, quod in Adamo commiſit: ergo actu contraxit maculam illius peccati:* etenim, teſte Caietano, poteſt quis præſeruari à macula illius peccati, & manere ſubiectus illius pœnæ. Quare licet Virgo propter peccatum in Adamo commiſſum fuerit corporaliter mortua, non proinde bene infertur eam maculam originalis peccati actu incurriſſe. Cuius conſequentiæ infirmitas inde etiam euidenter oſtenditur; quoniam Beatam Virginem mortuam eſſe propter peccatum Adami, eſt de fide, vt ſupponimus: cum teſte ipſo Caietano, de fide non ſit eam maculam originalem contraxiſſe: eſſet autem de fide, ſi illa conſequentia ex antecedente eſſet firma. Ex quibus patet Caietanum non ſatis penetraſſe verba Sanctiſsimi Au- 50.

Decepti ſunt Bandellus, & Caiet.

guſtini,dum ex eo quod Auguſtinus ait, B.Virginem mortuam eſſe propter peccatum,infert eum docuiſſe B. Virginem contraxiſſe originalem maculam : mortua eſt enim propter peccatum,quod in Adamo exiſtens commiſit: non tamen propter peccatum , id eſt propter maculam peccati, quam in ſe ipſa actu contraxit.

51. *2.explic.*

¶ Secunda explicatio ita explicat Auguſtini verba, vt *Virgo mortua ſit propter peccatum*, non quod actu contraxit, ſed quod contractura fuerat,niſi per gratiam præſeruaretur; ita vt mortua ſit propter peccatum, cuius contrahendi debito tenebatur : hæc eſt communis explicatio, quam probat *Catharinus in 2.tractatu de Conceptione Virginis libro 2.cap.2.pag.39. in principio.* Probarunt *Cordubenſis lib. 1. quæſtionar.quæſt.44. ad tertium argumentũ contra 6.concluſionem pag.376. columna 1. & Suarius 2.tomo ad 3.partem diſp. 3. ſect. 5.§.In ſecundo ordine citatur,pag.44.col.2.* Sed hæc verborum explicatio mihi non placet:quoniam pœnæ per ſe non imponuntur maculis relictis ex peccato; ſed actibus,ex quibus reſultant. Virgo igitur ſubiecta fuit corporali morti, non præciſe propter maculam, quam in ſua conceptione erat contractura; ſed propter actuale peccatum inobedientię Adami, quam non in ſe,propriaque perſona commiſit, ſed in Adamo. Quare illa ſolutio ſumit pro cauſa mortis corporalis, quod non eſt per ſe illius cauſa. Quare noſtrã ſolutio venit approbanda : quoniã Chriſtus mortuus eſt, non propter aliquod peccatum, quod vel in ſe, vel in alio commiſerit. Adamus autem mortuus eſt propter peccatum,quod commiſit perſonaliter: Virgo autem mortua eſt propter peccatum, quod non in ſe, ſed in Adamo fecit : nam licet valeat *Virgo mortua eſt propter peccatum : ergo commiſit peccatum vel in ſe, vel in Adamo*: non tamen valet : Virgo mortua eſt propter peccatum : ergo in ſe ipſa contraxit maculam peccati, quod in Adamo commiſit.

Catharin. Cordub. Suarius. Non placet ſolutio.

52. *Ad 2.locũ Auguſt.*

Ex quo infertur ex ſecundo loco,qui ſumitur ex lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 4. inutiliter inferri Auguſtinum docuiſſe Virginem contraxiſſe maculam originalem : nam licet bene & catholicè inferatur Virginem mortuam eſſe propter peccatum , & in pœnam peccati, non actualis, ſed originalis, quod commiſit, non in ſe, ſed in Adamo; inutiliter tamen & omnino improbabiliter infertur eam actu contraxiſſe maculam originalem: quoniam pœna mortis Adamo, & poſteris impoſita fuit propter inobedientiam, quam ille,& poſteri in ipſo commiſerunt, non vero propter maculam ex tali peccato contrahendam: quoniam pœna illa (vt iam diximus) impoſita fuit non propter maculam, ſed propter actualem culpam,ex qua macula naturaliter reſultat, niſi diuina gratia impediatur. Virgo autem licet ab actuali macula præſeruata fuerit : non tamen libera fuit ab actuali inobedientia, quam in Adamo commiſit, vt eſſe de fide libro ſecundo latè oſtendimus. Quare Auguſtinus catholicè docuit ſolum Chriſtum paſſum eſſe mortẽ ſine peccato, cui mors in pœnam fuit impoſita; quia nec in ſe, nec in Adamo inobedientiæ peccatum fecit, cum ex Adamo ſeminaliter non deſcendat, in quo ſolum fuit ſecundum corpulentam ſubſtantiam, non vero ſecundum generatiuam virtutẽ;cum ab eo ſine concurſu viri deſcẽdat. Vide quæ in huius loci explicatione ſcribit *Vaſquez Bellomontanus 2.tom. ad 3.p. diſp. 117. c.10. ad vltimum Auguſtini teſtimonium, pag. 54. col. 1. §. Denique ad teſtimonium.* *Vaſquez.*

Sed nec tertius locus quidquã efficit: quoniam falſiſsimũ eſt Auguſtinum eam carnem appellare carnẽm peccati, quæ originali culpa actu fuit maculata : quod inde vel euidenter demonſtratur; quia ex Auguſtino lib.5.contra Iulianũ c.15. *Hæreticus eſt,qui negat aliam omnem carnẽ à carne Chriſti eſſe carnem peccati*:iam vero non eſt hæreticus, qui dixerit Virginis carnem actu fuiſſe maculatam macula originali, vt patet ex eodem Auguſtino, quatenus in materia peccati nõ vult quæſtionem haberi de Virgine, & ex Tridentino, dum in decreto peccati originalis eam non comprehendit. Quare turpiter errauit Bandellus, dum affirmat 53. *Ad 3.loc. Auguſt.*

Augu-

Auguſtinum eam carnem appellare peccati carnem, quæ culpa originali eſt, vel fuit actu contaminata.

54. *Quænã caro ſit peccati caro.* ¶ Si verò inquiras; quænam caro ab Auguſtino dicatur caro peccati? varios dicẽdi modos adducit *Cordubenſis in d. q. 44. pag. 376. col. 2:* qui tamen non ſatis placent. *Corduben.* Dicendum eſt igitur, apud Auguſtinum illam carnem dici peccati carnẽ, quæ ex vi ſuæ conceptionis ſubiecta eſt debito contrahendi maculam originalis peccati, & quæ ex vi ſuæ virtutis generatiuæ communicatiua eſt originalis maculæ. Ita explicarunt omnes, qui in hac materia recte ſentiunt; ſcilicet *Catharinus* *Catharin.* *in dicto libro ſecundo de Conceptione Virginis capite ſecundo, pag. 39. inſignis Paiua* *Paiua.* *libro tertio defenſionis Tridentinæ fidei, fol. 353. pagina 1. Bellarminus libro quarto de* *Bellarm.* *Amiſsione gratiæ capite 16. ad quartum teſtimonium, Suarius 2. tomo ad 3. partem* *Suar.* *diſp. 3. ſect. 5. §. In ſecundo ordine, Valentia* *Valentia.* *4. tomo diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag. 499. cum cæteris omnibus.* Et hæc eſt communis *Rom. 8.* explicatio phraſis Pauli *ad Romanos 8.* *Gloſſa.* vt patet ex *Gloſſa ordinaria, & interlineari ibidem, ex Lyra, cæteriſq; interpretibus, in-* *Lyra.* *ter quos eſt Caietanus,* ex Patribus autem *Ambr.* *Chryſoſt.* ita explicarunt *Ambroſius, Chryſoſtomus,* *Auguſt.* *& alij,* ſatis explicat *Auguſtinus in omnibus citatis locis:* eſt enim hebraiſmus: ſicut enim filius iræ ille dicitur, qui eſt dignus ira, & obnoxius pœnæ iræ vindicis, ita etiam caro peccati dicitur illa, quæ eſt obnoxia, tum ad contrahendum peccatũ ex Adamo, tum ad illud communicandum.

55. Quare non valet hæc conſequentia: *Caro Virginis eſt caro peccati: ergo caro Virginis labe peccati originalis fuit contaminata:* etenim in illa ex debito contrahendi maculam (ratione cuius caro dicitur caro peccati) infertur actualis contractio maculæ: quæ illatio ſatis eſt infirma: quoniam cum debito contrahendi maculam, bene conſtat præſeruatio ab actuali macula, vt Caietanus fatetur. *Caietanus dormitauit* Dormitauit igitur Caietanus, dum hac nixus conſequentia, ex hoc loco intulit Auguſtinum expreſſe in B. Virgine agnouiſſe maculam originalem. *Bandellus errat.* Bandellus autem non ſolum errat, in tali conſequentia: ſed etiam eſt reus falſitatis, dum citat Auguſtinum *in lib. de peccatorum meritis cap. 32. & ſerm. 16. de Verbis Apoſtoli cap. 12.* quaſi aſſerat carnem peccati dici illã, quæ actu fuit macula originali contaminata: nam in primo loco, dum ait, *Carnem* 56. *Explicatio Auguſt.* *peccati eſſe, in qua culpa fuit & pœna,* non eſt intelligendus de culpa actu exiſtente, ſed de ſolo debito & reatu ad contrahendum illam: quod idem Auguſtinus ſatis explicat, dum in lib. *cur Deus homo cap. 6. & de baptiſmo paruulorum c. 20. & 24.* docet, omnes ex Adamo naturaliter deſcẽdẽtes ipſius Adami peccato aſtrictos eſſe. In quo etiam ſenſu intelligitur Auguſtinus *ſerm. 16. cap. 12.* dum ait: *Carnem pec-* *explicatur alius locus* *cati illam eſſe, quæ mortem habet, & peccatum.* Non quidem actu, ſed reatu, & debito. In eodem etiam ſenſu explicandus eſt, dum in Ioannem (locum non citat *Alius loc⁹ explicatur* Bandellus) ita ſcribit: *Caro peccati eſt, quæ eſt ſub peccato* non actu, ſed reatu. Quod 57. vero in hoc ſenſu præcitata Auguſtini *1. ratio.* teſtimonia ſint intelligenda, conuincitur; primo ex ipſis verbis: carnem enim peccati vocat, *in qua culpa fuit & pœna, & quæ mortem habet & peccatum:* iam vero caro noſtra, cum concipitur, actu non habet mortem, quæ eſt pœna peccati Adami ſed ſolum reatu, & obligatione. Idem igitur de culpa dicendum erit. Secundo conuincitur; quia, vt ſuperius diximus, mortis pœna non fuit impoſita pro- *2. ratio.* pter actualem maculam; ſed propter actualem inobedientiam in Adamo commiſſam. Iam vero actualis illa inobedientia non eſt actu in nobis, quando concipimur, ſed ſolum reatu, & debito; quia propter illam obſtricti ſumus, & obnoxij ad contrahendam maculam peccati actualis commiſsi in Adamo. Tertio adhuc conuincitur: quia de fide *3. ratio.* eſt carnem B. Virginis eſſe carnem peccati, vt ex Patre Auguſtino bene fatetur Bandellus; cum tamen non ſit de fide carnem Beatæ Virginis actuali macula originali fuiſſe contaminatam, vt patet ex Concilio Tridentino, & fatentur aduerſarij, qui poſt conſtitutionem Sixti Quarti ſcripſerunt. Quare additio ad Bandellum ſatis bene ſcripſit explicationem Bandelli teneri non poſſe.

58. *Ad 4. locũ Auguſt.* Quartus locus hæretico kemniſio nullatenus fauet: quia falſiſsimum eſt gratiam ad vincendum peccatum ſupponere peccatum actu ineſſe: peccatum enim, diuina adiuuante gratia, tunc omni ex parte vincitur, cum nullo modo incurritur. Ille autem hæreticus in hoc turpiter lapſus eſt, quod exiſtimauit idem eſſe vincere peccatum, & illud delere: cum tamen hæc duo maxime inter ſe diſtent: Virgo igitur, quia ex ſua natura erat peccato originali ſubiecta, indiguit gratia, ne vllum aut contraheret, aut admitteret peccatum: quod ipſum eſt omni ex parte peccatum vincere.

59. *Ad 5. locũ Auguſt.* Quintus etiam Auguſtini locus nec iuuat Catholicos nobis aduerſarios; nec hæreticos: etenim Auguſtinus cum omnibus Patribus, quos citat, in hoc ſenſu ſuam ſententiam intelligit, vt omnes Adami poſteri ex vi ſuæ generationis peccato originali ſubiaceant, vno tantum excepto Chriſto: & in hoc ſenſu intelligendos eſſe Patres, qui generalem illam fidei regulam explicant, aduertunt omnes, qui noſtram defendunt ſententiam.

Annotatio optima. ¶ Pro cuius explicatione aduertendum eſt, Pelagianos, contra quos Auguſtinus, & Patres diſputant, non ſolum non agnouiſſe originale peccatum in poſteros transfuſum per naturalem ab Adamo generationem; ſed nec agnouiſſe debitum contrahendi illud. Duo ergo contra Pelagianos omnes Patres conſtanter docuerunt: vnum eſt; omnes homines peccato Adami eſſe obnoxios, & illius contrahendi debitores: alterum eſt; omnes de facto naſci cum originali peccato: etenim ad debitum contrahendi peccatũ originale naturaliter conſequitur actualis illius contractio: ſicut etiam ad naturalem potentiam, naturaliter conſequitur actus. Patres igitur duas vniuerſales fidei regulas nobis contra Pelagianos propoſuerunt. Prima eſt; *omnes Adami filios ſubiacere debito, & obligationi contrahendi peccatum originale*. Secunda eſt, *omnes Adami filios maculam originalem in ſua conceptione in vtero actualiter contrahere.*

60. De poſteriori regula nec Auguſtinus egit in loco citato, nec Patres ab eo citati; ſed ſolum de priori: omnes enim egerunt de ſeruitute, & debito contrahendi peccatum originale, cui omnes Adami poſteri ſubiacent: hunc enim ſenſum ſatis declarant adducta Auguſtini verba, contra Pelagianos prolata: *omnes aduerſus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia ſucceſsione ſententiã:* quæ ſatis declarant Auguſtinum, & Patres agere de obligatione, & debito, cui omnes filij Adami ex eiuſdem Adami peccato ſunt obnoxij, & ſubiecti; quod debitum, & ſubiectionem negabant Pelagiani, contra quos Auguſtinus in illo libro diſputat. *Auguſt. & Patres agunt de regula priori.* A qua regula fidem Catholicam ſolum Chriſtum excipere, & Auguſtinus, & Patres docent: & hoc indubitanter fatentur omnes noſtræ opinionis patroni: omnes enim ingenue admittunt Beatam Virginem debitum, & obligationem contrahendi originale peccatum habuiſſe; vt contra nonnullos ſupra libro ſecundo latè oſtendimus: cum vere in Adamo peccauerit, vt ibidem probauimus. *In quo ſenſu à regula ſolus Chriſtus excipiatur.* 61. Quare ſolus Chriſtus ab ea regula & lege catholicè excipiendus eſt: & merito, ſi verum illius regulæ ſenſum expendamus: in hoc enim ſenſu intelligenda eſt; & à Patribus expreſſe intelligitur, vt omnes Adami filij ex ſe, & ex vi ſuæ traducis, generationisvè ab Adamo ſubiaceant, & obnoxij ſint debito contrahendi originalem maculam. In hoc ſenſu hanc regulam declarat *Auguſtinus libro 2. hypognoſticon cap. 4. ad finem:* *Auguſt. Ad Rom. 5.* explicans enim illa verba Pauli ad Romanos cap. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei*, eamque intelligens de originali peccato, ita ſcribit: *Quid eſt egent? id eſt, nemo idoneus per ſe, quod naſcitur carnaliter*, hoc eſt; nemo filiorum Adami per ſe, & ex vi ſuæ generationis; quia. ſ. carnaliter naſcitur, & concipitur, idoneus eſt, vt à peccato originali liberetur.

62. *D. Greg.* Diuus etiam Gregorius *libro 18. Moralium capite 35.* ita ſcribit: *Ipſa naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum Propheta dicamus: ecce in iniquitatibus conceptus ſum*. Sentit igitur filios Adami ex ipſa naturæ conditione ſubiectos eſſe, vt in peccato originali concipian-

pian-

Euſebius.

piantur. Idem declarauit *Euſebius Emiſſenus homilia prima de Natiuitate Domini,* inquiens: *à peccati veteris nexu per ſe non eſt immunis, nec ipſa genitrix redemptoris:* à nexu, inquam, id eſt ab obligatione, & ſubiectione, debitoque. Et merito omnes Patres hanc fidei regulam in præcitato ſenſu explicarunt: quoniam in eodem ſenſu eam explicauit Paulus ad Epheſ. 2: *Nam & nos eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri:* natura, inquam, id eſt, naturali generatione, & natiuitate in vtero, vt explicat *Auguſtinus ſerm.* 14. *de verbis Apoſtoli cap.* 14. *& lib.* 3. *hypognoſticon cap.* 4. & eſt omnium indubitata explicatio. Quare cum Patres regulam illam fidei generaliter proponunt, eam ad Pauli ſenſum, & intelligunt, & docent.

Eſt explicatio ex Paulo ad Eph. 2. — *Auguſt.*

63. *Alia ratio*

Cui etiam accedit; quoniam Pelagius (contra quem arguunt) negabat, peccatum Adami ab eodem ad nos generatione traduci, & ſubinde, aſſerebat nullum hominem ex vi ſuæ generationis eſſe obnoxium peccato Adami, aut teneri aliquo debito cõtrahendi illud: Patres igitur in hoc ſenſu ſe ſe oppoſuerunt Pelagio, vt patet ex illis, quos citauimus, & ex *Auguſtino lib. 2. contra Iulianum cap. 2. 5. 6. & 9. & ex Ambroſio in libr. de archa & Noe cap. 24. & Pſalm. 116. cap. 6. & lib. 1. exameron. cap. 4. & lib. 11. de Pœnitent. cap. 2.*

Auguſt. Ambr.

64. *In quo ſenſu Virgo nõ excipiatur*

¶ Ab hac igitur Catholica regula in ſenſu à Paulo explicato, nullus, niſi ſolus Chriſtus catholicè excipi poteſt, nec ipſa B. Virgo Dei genitrix, vt Euſebius verbis expreſsis docuit.

65. *Male arguunt aduerſarij. Caiet.*

¶ Sed mirum eſt, quod aduerſarij inde inferant, & Auguſtinum, & Patres ab eo citatos expreſſe docere Virginem maculam originalis peccati contraxiſſe: etenim *Caietanus in dicto tractatu* libenter fatetur inutilem eſſe hanc conſequentiam: *B. Virgo habuit debitum contrahendi maculam originalem; ergo eam contraxit:* etenim licet ſuppoſito Adami peccato nullus hominum ex ſpeciali priuilegio à debito illius peccati liberetur; quia ſuppoſito illo peccato omnes vi naturalis generationis obnoxij ſunt ad contrahendam originalem maculam; ſuppoſita tamen tali obligatione, poteſt quis ex ſpeciali gratiæ priuilegio præſeruari, ne maculam illam contrahat: etenim licèt regula illa poſterior (*omnes filios Adami cum peccato originali actualiter concipi*) generalis ſit & verbis & ſenſu, vt contra Caietanum, & nonnullos alios inferius oſtendemus: tamen illius generalitas apud Patres in hoc ſenſu ſemper fuit intellecta, vt omnes contrahant originalem maculam, ſublato ſpeciali gratiæ priuilegio: & quanuis nulli, niſi Virgini hoc priuilegium concedatur; imò nec concedi poſsit abſque authoritate Eccleſiæ, & ſubinde nullus ab illa regula excipi poſsit: tamen B. Virgini hoc priuilegium fuiſſe conceſſum, & ſubinde ſine fidei periculo, ab illa excipi; ſatis euidenter colligitur ex Tridentino ſeſſione quarta, & Extrauag. Sixti Quarti, aliorumque Summorum Pontificum, qui ſub illa generali regula fidei Beatam Virginem comprehendere noluerunt.

66. *Intellectus ſecundæ regulæ.*

Ex quo neceſſario infertur non fuiſſe mentem Patrum antiquiorum comprehendere Beatam Virginem ſub hac generali fidei regula: *Omnes in peccato originali concipi, & originalem maculam omnes actu contrahere*, vt contra impium Kemniſium optime docuit inſignis Paiua *libro quinto defenſionis Tridentinæ fidei, fol. 350. pagina 2.* & ante eum *Catharinus in ſecundo tractatu de Conceptione Virginis libro ſecundo, capite ſecundo* cum communi Theologorum ſententia, quæ poſt declarationem Tridentini non poteſt ab aduerſarijs non admitti: imò ante Tridentinum, & Sixti IIII. Extrauagantem hanc excipiendi facultatem nobis conceſsit *Auguſtinus in libro de natura, & gratia cap. 36.* dum in quæſtione de peccatis, de B. Virgine propter honorem Domini nullam prorſus voluit haberi quæſtionem: & eandem poſtea conceſsit *Diuus Bernardus ſermon. 13. de Cœna Domini, & author ſermon. 4. ſuper Salue Regina apud Diuum Bernardum*; vt ſupra diximus, dum de Auguſtino, & Bernardo egimus. Quare non poſſunt non reprehendi temeritatis, & audaciæ, qui ex aduerſarijs ſcripſerunt Virginis ab originali peccato immunitatem ante conſtitutionem Sixti Quarti fuiſſe hæreticam.

Patres Virginem non comprehendunt. Paiua. Catharin. — *Auguſt.* — *D. Bern.*

67. *Ad 6. loc. Auguſt.* Ad locos Auguſtini ſexto loco adductos facilis eſt reſponſio: quoniã primus locus ſumptus *ex 1. de peccatorum meritis cap. 29. & ex lib. 1. de baptiſmo paruulorum,* qui de natiuitate in vtero intelliguntur, in eo ſenſu ſunt explicandi, vt ſolus Chriſtus ex vi ſuæ generationis ſine peccato conceptus ſit: quia ab Adamo non per rationem ſeminalem fuit conceptus, ſed ſine viri complexu: in quo ſenſu veriſsimum eſt; imò & Catholicum, nullum, niſi Chriſtum ſine peccato concipi: quia omnes, etiam Virgo, ex viri complexu, & per generationem ab Adamo diriuatã fuerunt nati in vtero. Quam explicationem aduerſarij non poſſunt non admittere, cum nobiſcum fateantur omnes nos ſimul cum Virgine in Adamo peccaſſe, & ideo omnes ſimul cum ea trahere debitum contrahendi originalem maculã, à qua niſi per ſpeciale priuilegium, nullus, nec Virgo, liberari poteſt. Locus

68. *Ad alium locum.* autem ſumptus ex libro *Auguſtini de perfectione virtutis cap. 11.* expreſſe agit de peccato actuali: vnde ita explicandus eſt, vt ſolus Chriſtus ex ſe ſuapteque natura ab omni actionis peccato ſit liber; idque ratione vnionis hypoſtaticæ, ex qua habet, quod omnes illius humanæ actiones ſint theandricæ, hoc eſt à diuinitate directæ, ob quam rationem Chriſtus, etiam vt homo, ex ſua natura eſt impeccabilis, cum tamen omnes homines, etiam Virgo mater, ex ſua natura peccabiles ſint, & in ſuis actionibus defectibiles; vnde ſine peccato non ſunt, niſi ex diuina gratia.

69. ¶ Ex his ſatis patet quinquaginta ſeptem locos, quos ex Auguſtino Bandellus adducit, in vno vel altero ſenſu eſſe explicandos: etenim ſi de peccato originali agunt explicandi ſunt de illo ex vi generationis conſiderato; in quo ſenſu ſolus Chriſtus eſt ſine peccato, vt diximus: ſi vero agant de peccato actionis; intelligendi ſunt non abſolute, ſed cum hac additione *ſuapte natura*: quia ipſe Bandellus cum aduerſarijs fateri tenetur B. Virginem nullum habuiſſe actuale peccatum.

70. *Ad 7. locũ Auguſt.* Septimus & poſtremus locus ſolutione non indiget: nam primum teſtimonium tãtum probat nullum ex Adami poſteris potuiſſe aut ſe, aut alios à contrahendo Adami peccato liberare: ſed id ſoli Chriſto Domino fuiſſe conceſſum: ex quo inutiliter infertur Beatã Virginem actu contraxiſſe originalem culpam: etenim licet ab illa non potuerit ſua propria virtute ſe ipſam liberare, potuit tamen diuina gratia liberari. Secundum teſtimonium ſolum probat omnes Adami poſteros Adami delicto eſſe aſtrictos; quia ſcilicet omnes ex peccato commiſſo in Adamo ex vi ſuæ generationis obligationem trahunt ad contrahendam maculam originalem, niſi diuina gratia ab ea præſeruentur.

¶ Ex his, quæ tam latè diximus, euidenter patet Medinam cum alijs hæc Auguſtini teſtimonia non ſatis conſideraſſe, ſed oſcitanter ſolum, dum iterum & iterum affirmat Auguſtinum expreſſe docuiſſe Beatam Virginem originalem maculam actu contraxiſſe: etenim ex nullo eorum hæc aſſertio vel apparenter deduci poteſt. Vnde Caietanus oſcitando aſſeruit prçcitatam ſententiam in ſinu Auguſtini ſecure, & ſine vllo timore requieſcere: quin potius immunitatem B. Virginis in ſinu magni Auguſtini omni prorſus excluſo timore cõquieſcere, facile intelliges ex ijs, quæ ſupra ſect. 1. §. 4. ex Auguſtino adduximus, quibus aduerſarij non ſatisfaciunt, vt ibidem oſtendimus. 71. *Aduerſarij teſtimonia Aug. non ſatis cõſiderant.* *Reprehenditur Caietanus.*

¶ *Nec Chryſoſtomus ſtat contra immunitatem B. Virginis.*

Caietanus in d. tract. de Conceptione Virginis citat Ioannem Chryſoſtomum eiuſdem centuriæ cum Auguſtino ante annum 400. in Matthæum dicentem, *Chriſtum, quanuis peccator non fuerit, naturam tamen humanam de peccatrice ſuſcepiſſe.* 72. *Nec cõtradicit Chryſoſtomus.* 1. *locus.*

Secundum locum refert Bandellus ſumptum ex commentarijs in Ioannem in hęc verba: *Admiranda eſt Chriſti ſingularis excellentia; quia nullus hominum veraciter dicere potuit, quis ex vobis arguet me de peccato? niſi ſolus ipſe, qui peccatum non fecit.* 73. 2. *locus.*

Tertius locus ab eodem Bandello ſumitur ex homil. ad Olimpiũ, vbi ita ſcribit: 74. 3. *Locus.*

bit: *Quoniam Adam peccauit, illud graue peccatum omne genus humanum ab ipſo ſemi naliter propagatum in commune damnauit: propter quod, & eos, qui immortales eſſe po- terant, fecit eſſe mortales.*

75. *1. Soluti o Chryſoſto- mus nõ eſt teſtis omni exceptione maior.* ¶ Sed antequam oſtendamus: hæc Chry ſoſtomi teſtimonia non conuincere, vt dicamus eum tenuiſſe Virginem maculã habuiſſe originalem, illud aduertimus, cũ Valentia loco citato pag. 426. E. Chryſo ſtomi authoritatem in materia de purita- te Virgininis à peccatis reijciendã eſſe, cũ eã ab omni culpa actuali omnino nõ libe rauerit, vt lib. 4. dicemus: cum igitur in re grauiori exceſſerit, vt affirmat D. Tho mas 3. p. q. 27, art. 4. ad 3. non eſt mirum ſi exceſſerit in minori: quare in hoc arti- culo non eſt teſtis omni exceptione ma- ior.

76. *2. Solutio.* Secundo dicimus in his teſtimonijs nullum certum annotari locum, aut à Bã dello, aut à Caietano: cum vero multa de ſuo addant, atque etiam demant; non eſt illis credendum, donec locum ſpecia- lem annotent: etenim multa ex Chryſo ſtomo reuoluens in Matthæum, & Ioan- nem verba in duobus iſtis locis relata in- uenire non potui; ſed nec inueni verba tertij teſtimonij *in Epiſtolis ad Olimpium*: *Auguſt.* referuntur tamen ab *Auguſtino lib. 1. con tra Iulianum cap. 6. tom. 7. pag. 370. col. 2. E.* Aliqua eorũ reperiuntur apud Chry- ſoſtomum tom. 3. in aliquibus homilijs in Ioannem, ſcilicet in homil. de Lazaro reſuſcitato.

77. *3. Solutio.* Tertio loco addimus verba citata non ſatis eſſe vt probent Chryſoſtomum do- cuiſſe Virginem actuale habuiſſe pecca- tum. Nam verba primi teſtimonij expli cari poſſunt de peccatrice natura, non *1. Explica tio.* vero de peccatrice matre, vt ſit ſenſus: *Quamuis Chriſtus peccator non fuerit natu- ram tamen humanam, de humana natura pec catrice aſſumpſit*: qui loquendi modus nõ eſt alienus à modo loquendi Auguſtini: nam lib. 2. de peccatorum meritis capit. *2. Explica tio.* 24. iuxta lectionem emendatam à Plãti- no, vbi antea legebatur *de materna carne peccati*; nunc legitur *de natura carnis peccati.* Secundo dicendum eſt Chri- ſtum in hoc ſenſu ſumpſiſſe naturam hu manam de matre peccatrice; quia eam aſſumpſit de matre, quæ ex progenie peccatrice orta eſt, & quæ ideo erat pec- catrix; quia cum in Adamo peccauerit, obnoxia manſit, & obligata ad contrahẽ- dam maculam peccati originalis; de quo plura inferius, cum teſtimonia D. Anſel mi expenderimus. Quare Virgo Mater fuit peccatrix, quia ex vi ſuæ conceptio- nis fuit obnoxia ad contrahendam macu lam peccati originalis, quod etiam anno- tauit Valentia vbi ſupra pag. 427. A.

Secundus locus omnino eſt inutilis, cum agat de peccato actuali, vt patet ex illis 78. *Ad 2. loc.* verbis Chriſti, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* nec mirum eſt, quod Chryſoſto mus aſſerat ſolum Chriſtum peccatum actuale non feciſſe; cũ Virginẽ ab actuali non omnino liberet, vt iam aduertimus.

Tertius etiam locus nihil ad inſtitutũ conducit: quoniam admittimus pecca- 79. tum Adami omnes homines in commu- *Ad 3. loc.* ni atque vniuerſaliter damnaſſe, & ab hac damnatione nullum ab eo ſeminaliter propagatum excipi; nec ipſam Virginẽ: cum enim illa in Adamo peccauerit, vere in eo fuit damnata, & obnoxia ad con- trahendum originalem maculam; quam de facto contraheret, niſi per gratiam li- beraretur: vnde ob peccatum Adami mortalis facta eſt. Ab hac autem damna- tione non bene infertur eam peccatum originale contraxiſſe.

Nec contradicit Gregorius Nazianzenus.

¶ Bandellus in dicto cap. 14. contra pu- 80. ritatem conceptionis B. Virginis refert *Nõ cõtra* Gregorium Nazianzenum anno 390. *dicit Greg.* quatenus dicit ſolum Chriſtum Sanctũ *Nazianz.* fuiſſe. Sed hoc intelligit ex vi ſuæ con- ceptionis: quod ſatis expreſſit in ratio- ne in confirmationem allata, dum ait: *quia in eo ſolo de ſemeneitate culpæ in eo non inuenitur*: quod eſt veriſsimum quia ſo lus ille ſine virili ſemine conceptus eſt, & ideo ab Adamo ſeminaliter non venit: cæteri vero ſeminaliter ab eo venientes naſcuntur cum debito contrahendæ ma- culæ; cum quo Virgo concepta eſt, & de facto eam contraxiſſet, niſi per gratiã præſeruata fuiſſet.

¶ *Ex Centuria* 400.

Non contradicit S. Maximus.

81. Contra puritatem Virginis adducitur à Caietano S.Maximus (qui floruit anno 415.) in ſermone de Aſſumptione Virginis, vbi ita ait: *Virgo glorioſa fuit in vtero matris ſanctificata ab omni contagione originalis culpæ: antequam naſceretur, & per Spiritum Sanctum mundata.* Quæ etiam verba refert Bandellus vbi ſupra fol.23. pag.1. vbi affirmat eadem verba ſcripsiſſe Sanctum Maximum in quodam ſermone de Quadrageſima. In his verbis duo affirmat: vnum eſt; Virginē fuiſſe in vtero ſanctificatam; alterum eſt fuiſſe mundatam.

82. *explicãtur verba.* Verum hæc verba contra puritatem conceptionis Virginis nihil efficiunt, niſi ſupponatur neminem ſanctificari, niſi à culpa, quam actu in ſe habet, & quæ per ſanctificationē deletur: quæ tamen ſuppoſitio abſolute eſt falſa: etenim carnem Chriſti in vtero Virginis ſanctificatam fuiſſe, verbis expreſsis docet D. Ambroſius ad Roman.8. ad illa verba: *Quod impoſsibile erat legi* pag. 1841.B: & tamen carnem Chriſti nullū præhabuiſſe peccatum, à quo ſanctificaretur, nullus dubitat. *Ioann.10.* Vnde Chriſtus Ioannis 10. *Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemat:* Virgo igitur potuit ſanctificari in vtero, & mundari ab originali macula; non quam contraxit; ſed quam ex debito contraheret, niſi ſanctificaretur: in quo ſenſu admittendum eſt ſanctificationem proprie ſumptam ſupponere peccatum præcedens, non actu; ſed reatu, & debito: de quo vide, *Dionyſius* *Quæ ex Dionyſio diximus ſupra lib.1.quæſt.1.articulo vnic.*

Nec contradicit Seuerinus.

83. Bandellus vbi ſupra capit. 17. contra nos citat Seuerinum in homilia Dominicæ poſt Feſtum Trinitatis (qui floruit anno 400.) ſed immerito: quia ſolū docet *omnes homines ab Adamo vſque ad Chriſtum debitores fuiſſe propter peccatum, quod naſcentes traxerunt, vno ſolo Chriſto excepto.* Ex quibus verbis infirmum ſumunt argumentum, vt ſæpe diximus.

Nec contradicit Caſsianus.

Obijcitur adhuc Caſsianus (ex āno 420.) in collationibus Patrum collatione ante penultima; quatenus docet *ſolum Chriſtū immaculatum eſſe, & ſine peccato: quæ laus ſatis eſſet vilis, & indigna præconijs Chriſti, ſi etiam nos ab omni peccato immunes eſſe poſſemus.* Quod rurſus repetit in eadem collatione affirmans *nos abſque peccato eſſe non poſſe: & ideo Chriſtum à cæteris ex cōmiſtione maris, & fœminæ in eo diſtinguit; quia ſolus ille in ſimilitudinem peccati venit; cum nos omnes in veritate peccati veniamus: & ſuperbiæ crimine notandum eſſe, qui dixerit ſe in veritate peccati non veniſſe.* 84. *Non contradicit Caſsianus.*

Sed expreſſe intelligitur de immunitate à peccato ex vi conceptionis: vt ſatis ſignificant illa verba: *Si ab omni peccato immunes eſſe poſſemus:* cum enim Caſsianus, nec neget, nec negare poſsit, poſſe quem ex diuina gratia ſpecialique priuilegio ex maris, & fęminæ comiſtione, & venire in mundum, & in mundo eſſe ſine peccato; neceſſario ſuam doctrinam intelligit in hoc ſenſu, vt nullus ex vi ſuę conceptionis ſine peccato, aut venire, aut eſſe poſsit. In hoc igitur ſenſu intelligit ſolum Chriſtum ſine peccato veniſſe. 85. *Explicatio verborum.*

Nec reſiſtit Sedulius.

Bandellus vbi ſupra cap.20. refert Sedulium Præsbyterum (anno 430. in Poemate Euangeliorum: loquens enim de Virgine ſic ſcribit. 86. *Nō cōtradicit Sedulius.*

At quoniam nata prior vitiata iacebat
Sub ditione necis Chriſto naſcente renata.

Sæpe etiam affirmat Adamum totum genus humanum ab eo ſeminaliter deſcēdens ſuo peccato infeciſſe; & ſolū Chriſtum fuiſſe ſine peccato. ¶ Sed Sedulium pro puritate Virginis facere, ſuperius oſtendimus ex eodem loco: verba autem falsô referuntur: ita etiam habent.

Vt quoniam natura prior vitiata iacebat
Sub ditione necis, Chriſto naſcente renaſci
Poſſet homo, & veteris maculam de ponere carnis.

Quæ verba immediate ſequuntur ad illa, quibus declarat Virginem ex ſpinis naſcentes

centem à nulla ſpina læſam fuiſſe: in prę citatis vero verbis agit de natura humana, quæ peccato Adami iacebat vitiata, & naſcente Chriſto fuit renata. Quę vero poſteriori loco adducuntur, in ſuperioribus ſæpe explicuimus.

Nec obſtat Cyrillus Alexandrinus.

88. *Nō cōtradicit Cyril. Alexan.*

Idem Bandellus in dicto c.14. cōtra B. Virginis puritatem refert Cyrillum Alexandrinum ex anno 430. ſed immerito: nam Cyrillus ſolum dicit *Chriſtum a nobis omnibus hoſtilem culpam abſtuliſſe, & Patri reconciliaſſe*: quæ verba cum ſint generalia B. Virginem non comprehendūt, quatenus agunt de ablatione culpæ.

Nec Leo Papa primus reſiſtit.

89. *Nec cōtra dicit Leo papa.*

Idem Bandellus adducit ſanctiſsimū Leonem Papam primum in ſermone. 2. de Natiuitate Domini, dum ait: *Aſſumpta eſt de Matre Domini natura, non culpa.* Cæterum (vt optime aduertit *inſignis Paina lib. 5. defenſion. Tridentinæ Fidei fol.* 354. *pag.* 2.) illorum verborum iſte eſt ſenſus, vt de Virgine aſſumpta ſit natura humana, non culpa ipſius naturæ: etenim culpa perſonalis (ſi quæ tempore Conceptionis Verbi Diuini in Virgine fuiſſet: quæ tamen nulla fuit) ipſa culpa nequaquam aſſumi poſſet: quare S. Leo agit non de culpa perſonæ, ſed naturæ: quæ etiam in renatis, & ſanctificatis manet; quia per gratiam in via mundatur perſona, non vero natura: ob quam rationem mundati à peccato originali generando communi via cum ipſa natura transfundunt culpā: quare ex his verbis Leonis nullum argumētum ſumi poteſt, & ideo à Caietano verba iſta non adducuntur. Hanc explicationem colliges ex verbis præcedentibus: *Sine virili ſemine editus eſt Chriſtus ex Virgine; quam non humanus coitus, ſed Spiritus Sanctus Angelo teſtante fœcundauit.* Et inferius: *Quo enim paterni ſeminis transfuſio non prouenit; peccati ſe illi origo non miſcuit.* In hoc igitur ſenſu de Virgine aſſumpta eſt natura humana, vt illius culpam non ſumpſerit; quia ſine paterno ſemine natura humana eſt aſſumpta, ſine quo originalis culpa non transfunditur. Et in eodem ſenſu idem Leo ſe explicat in ſermone 8. de eadem Natiuitate.

Paina.

90. *Ad aliū locum.*

Quod vero Bandellus ex eodem Leone affert in dicto ſerm. 2. *Conceptionem in omnibus alijs matribus non fieri ſine peccato,* intelligendū eſt ex vi ipſius cōceptionis factæ cū ſemine virili: quia ōnis talis cōceptio culpā originalē trāsfundit, niſi prę ueniatur gratia. *Ad aliū locum.* Quod vero ſcribit in 4. ſerm. eiuſdem feſti: *Quod terra carnis humanæ, quæ fuit in primo parente maledicta, in ſola Virgine edidiſſet fructum benedictum & ab omni vitio ſuæ ſtirpis alienum*, veriſſimum eſt ex vi ſuę conceptionis, vt verba clare inſinuant: quod non tollit quominus ex gratia potuerit terra Beatiſsimæ Annæ per gratiam edere fructum benedictum, & à vitio ſuæ ſtirpis omnino liberum.

91. *Ad vlt. locum.*

Denique, quæ ſcribit ſerm. 1. de Natiuitate Domini parum poſt principium, *ſcilicet Chriſtus ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit*, expreſſe intelliguntur de reatu, debitoque ad contrahendum peccatum originale, à quo reatu, & debito ſolus Chriſtus eximitur; quia ſolus ſine virili ſemine concipitur: vnde, & Virginem Matrem cū hoc reatu in vtero matris inuenit; à quo tamen, gratia prçueniente, eam liberauit, præſeruando illam ab actuali contractione maculæ. Quare quod ibidem ait: *Nemo mundus à ſorde, nec infans vnius diei,* ſi generaliter intelligatur, vt ſolus Chriſtus ab illa regula eximatur; intelligendū eſt, non de ſorde actuali, ſed de reatu, & debito illius: ſi vero intelligatur de ſorde actuali maculæ originalis (quam regulā Fides generaliter proponit) ita eſt explicandum, vt in tali regula Virgo non cōprehendatur, quia lex generalis ſemper intelligitur, niſi princeps in ea ex ſpeciali gratia voluerit diſpenſare: hanc autem diſpenſationem Virgini Matri conceſſiſſe Deum, Eccleſia pia Fide credit, ſed de hoc inferius latius agēdum eſt. Quare Sanctiſsimus Leo nihil officit immunitati, quam Virgini pie Fides concedit.

Nec reſiſtit Fulgentius.

92. *Nec cōtra dicit Fulg.* Bandellus vbi ſupra cap.15.cōtra eādem Virginis puritatē citat Fulgentiū ex āno 460. At tamen quod B.Fulgentius non contradicat,facile patet,ſi loci in contrarium citati expendantur : *nam in lib. ad Donatū de myſterio Mediatoris,& in epiſt. ad Theodorum,& in epiſt. contra Fauſtum:* nihil aliud ſcribit, *niſi ſolū Chriſtū ſine peccato fuiſſe*:ſed ſæpe diximus,id eſſe intelligendum ex vi ſuæ conceptionis, quod non impedit quominus Virgo per gratiam ſine peccato originali fuerit.

Nec reſiſtit Proſper.

93. *Nec Proſper.* Citat etiam Proſperum eiuſdem temporis cum Fulgentio lib.7,de vita contemplatiua, vbi duo affirmat : primum eſt; *Adamum ſuo peccato totum genus hominū infeciſſe. Secundum eſt, eum in omnes poſteros culpam tranſmiſiſſe* : ſed cum Adamus totum humanum genus ſuo peccato perſonaliter actu non infecerit; ſed in eo tātum ſenſu,quod omnes ſeminaliter in eo exiſtentes , ſuo peccato obligauerit ad originalem maculam contrahendū ; ideo in eo ſenſu culpam in eos tranſmiſit;quia ſua naturali generatione omnes ad contractionem maculæ obligauit ; idque niſi diuina gratia aliquis à tali cōtractione præſeruaretur : à qua de facto Virginem liberauit. Non eſt igitur quod Bandellus Proſperum citet contra Virginis immunitatem.

Nec contradicit Remigius.

94. *Nec cōtra dicit Remig.* In eodem cap.15.Bandellus nobis obijcit Remigium ex anno 460.in Pſalm. *Deus Deus meus* ſolum affirmat. *B.Mariam ab omni macula peccati fuiſſe mundatam,vt ab ea Chriſtus IESVS ſine peccato conciperetur*, quod idem teſtatur in Iſaiam cap. 2. & ad Rom.8. & ſecundæ Corinth.2. denique ad Hebræos 7. Sed Remigiū pro Virgine ſtare iam ſuperius oſtendimus. Verba autem in contrarium adducta Bādellus non ſatis perpendit : quoniam illa euidenter intelliguntur de mundatione Virginis,qua in Verbi conceptione mūdata eſt, vt patet in illis verbis : *vt ab ea Chriſtus Ieſus ſine peccato conciperetur*; quæ expreſſe intelliguntur de mundatione, quæ facta eſt in ea , vt Verbum diuinū in ſuo vtero digne conciperet: iam vero talis mundatio non fuit à macula originali (quia nullam talem tunc habebat) ſed de fomite originalis peccati, quē (vt plures volunt) tunc habebat; ligatum tamē; qui tunc ab ea penitus fuit ſublatus, vt dicemus lib. 4. ¶ Quod ſi velis hanc mundationem intelligere de mundatione à culpa ; non poteris eam intelligere de mundatione deletiua culpę actu exiſtentis ; ſed præſeruatiua , ne illa adueniat:nam verba illa, *ab omni macula peccati*, comprehendunt culpam, tam originalē, quàm actualem : quia vtriuſque culpæ mundatio erat neceſſaria, vt illa digne, & decenter diuinum Verbum conciperet. Cum vero Fides doceat Virginem nullā actualem culpam habuiſſe; mundatio illa intelligi non poteſt, de mundatione deletiua culpæ exiſtentis; ſed de præſeruatiua, ne vlla exiſtat, ſiue actualis, ſiue originalis.

Non contradicit D. Petrus Tripolitanus.

In cap.20.Bandellus adducit B.Petrum Tripolitanum (qui floruit anno. 490.) 95. *Nec eſt cōtrarius D. Petrus Tripolitan.* in Gloſ. ad Epiſt.Pauli ex dictis Auguſtini: etenim in Epiſt.ad Roman. ſcribit, *Adami peccatum originaliter in omnes poſteros tranſiſſe. Deinde omnes illius poſteros peccato illo obligaſſe, & debitores feciſſe* Tertio loco, *Adamum ſuo peccato ſuam ſtirpem,tanquam in radice vitiaſſe,vt quidquid prolis ex illo per carnalem concupiſcentiam naſceretur,traheret originale peccatum, vno ſolo excepto Chriſto; quia de opere Adami conceptus non fuit.* Quarto loco ait , *Omnes eſſe de progenie peccati.* Quinto loco: *Omnem carnem,Chriſto excepto, eſſe carnem peccati.* Denique in Epiſtol. 2. ad Corinth.cap.5. ſcribit, *Omnes mortuos eſſe in peccatis,nemine prorſus excepto, vel originalibus, vel voluntate additis: & ſolum Chriſtum ab hac lege excipi.* ¶ Sed hæc omnia dicta,cum ex Auguſtino ſumpta ſint, explicanda ſunt , vt ea explicauimus in titulo Auguſtini.

¶ *Ex Centuria 500.*

Non contradicit Boetius.

96. *Nec cōtra dicit Boet.* Bandellus ex Centuria 500. affert Boetium ex anno 520. in lib. de duabus naturis affirmantem *B. Virginem ex illis fuiſſe qui per præuaricationem Adæ ceciderunt.* Hæc tamen verba formaliter in Boetio non inueniuntur; quamuis ex ijs, quæ docet, forte colligantur. Ex illis tamen ſolum concluditur Virginem in Adamo peccaſſe, cecidiſſeque: quod libentiſsime admittimus, vt lib. 2. late oſtendimus: inde tamen nullum ſumi poteſt argumentum, vt dicamus Virginem maculam originalem contraxiſſe, vt doctiores aduerſariorū admittunt, & nos ſæpe diximus. Quod vero in eo libro generaliter ſcribit: *Chriſtum ex nullius ſemine potuiſſe naſci, qui fuerit ſine originalis pœna peccati.* Si intelligatur de pœna peccati, quæ eſt mors, admittendum eſt in tota ſua vniuerſalitate; quia Virgo ex peccato, quod in Adam commiſit, morte ſubiecta manſit, vt communiter docent Theologi, & lib. 4. oſtendemus: porrò ſi verba illa intelligantur de culpa originali; intelligenda ſunt ſecūdum legem ordinariam, quæ non excludit diſpenſationem.

Nec repugnat Caſsiodorus.

97. *Nec Caſsiodor.* Bandellus etiam refert Caſsiodorum ex anno 520. in Pſalm. *Domine probaſti me*, ab illa verba: *Vide ſi via iniquitatis in me eſt*: ſed Caſsiodorus ſolum affirmat, *hæc verba à ſolo Chriſto dici poſſe, & à nullo alio; quia ſolus ille abſque peccato dignoſcitur.* Quod non ſatis eſt, vt dicamus Caſsiodorum immunitatem à peccato originali B. Virgini denegaſſe, quia (vt ſæpe diximus) intelligenda ſunt, vt ſolus Chriſtus ex vi ſuæ conceptionis illa dicere potuerit: quod non tollit, quominus Virgo mater ea poſsit dicere ex vi ſpecialis gratiæ, qua ab omni culpa etiam originali fuit liberata.

Nec contradicit Gregorius.

98. *Nec repugnat Diuꝰ Gregor.* Adducitur adhuc à Bandello ex anno 590. D. Gregorius homil. 8. in Ezechielē tom. 2. fol. 66. litera G. dum ait: *Virginē de propagine mortalitatis exiiſſe*, per propaginem mortalitatis affirmat Bandellus S. Gregorium intellexiſſe propaginem peccato originali infectam: vnde ſic arguit: omnis, qui venit de propagine mortalitatis, in peccato originali cōcipitur, vt idem Gregorius *docet lib. 25. Moral. c. 1. ad illa verba Iob 34: ſubito morietur, &c.* Sed Virgo venit ex propagine mortalitatis, vt idem Gregorius ſatis docet *in dicta homil. 8. in Ezechiel.* Ergo ex D. Gregorio Virgo in peccato originali cōcepta eſt. 1. *Locus.* Idem etiam colligit ex eo, quia D. Gregorius expreſſe docet, *ſolum Chriſtū in ſua carne à peccato mundum extitiſſe*, vt ſcribit *lib. 11. Moral. capit. 18. circa finem*, quod etiam docuerat lib. 9. Moral. ad illa verba Iob 9. *Nullus eſt, qui vtrumque poſſit arguere.* *Secundus.* *Tertius.* Quarto eandem ſententiā deducit ex eo, quod Gregorius ſcribit in d. lib. 18. Moral. ad illa verba Iob. 18. *Non adæquabitur ei topazion*, vbi ita ſcribit; *nos quippe, & ſi ſāncti efficimur, non tamen ſancti naſcimur; quia naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum Propheta dicamus: ecce in iniquitatibus conceptus ſum, &c.* 4. *Locus.* A qua regula ſolum Chriſtum excipit: quod etiam ſatis explicat lib. 14. Moral. dum ait: *Nullus hominum fuit, qui coram Deo iuſtus appareret, ideo Dei filius pro hominibus ſe ipſum hominem fecit, & ſolus eorum Deo iuſtus apparuit.*

99. *Ad 1. locum. 1. Solutio.* ¶ Non eſt tamē quod propter hæc quiſquam, vel mediocriter doctus, moueatur, vt exiſtimet D. Gregorium, immunitatem conceptionis B. Virginis non admiſiſſe: quare ad primum locum in primis dicimus falſū eſſe p propaginē mortalitatis Magnum Gregoriū intellixiſſe propaginem peccato originali infectam: quod ex eo facile cōuincitur; quia in eodem loco dicitur Chriſtum exiſſe de propagine mortalitatis; cuius tamen propago vitioſa non fuit. Dicimus ſecundo, quod licet per propaginem mortalitatis intelligeremus propaginem vitioſam, & peccato infectam; inde ſolum concluderetur, Virginem ex vi ſuæ propaginis ſubiacuiſſe originali maculæ, quod veriſſimum eſt: ſed tamen inde nullum ſumi poteſt argumentum, vt inferamus Sāctū Gregorium contra Virginis immunitatem docuiſſe. *2. Solutio.*

Quo

200. Ad 2.locũ & 3. Quod vero ſecundo loco adducitur nihil concludit: quoniam expreſſe intelligitur de munditia à peccato ex vi ſuæ conceptionis: nam reddẽs ſui dicti rationem, dicit: *Nec enim ex viro, & fœmina; ſed ex S.Spiritu, & Maria Virgine proceſsit* In quo ſenſu omnes admittimus B. Virginem mundam non extitiſſe; quia ex vi ſuæ conceptionis ex cõmiſtione viri, & fœminę immunditiæ originali ſubiacebat, & eam actu contraheret, niſi Dei gratia impediretur, vt ſæpe diximus. Et in hoc ſenſu Gregorium eſſe intelligendum, bene aduertit Bellomontanus *vbi ſupra in d.cap.10.num.118.* Ex quo patet quartum locum nihil concludere; quia expreſſe loquitur de conditione naturæ corruptibilis, qualis eſt ſola illa, quæ ex viro, & fœmina generatur, & cõcipitur.

¶ *Ex 600. Centuria.*

Nec contradicit Iſidorus.

101. Non contradicit Iſidorus. Bãdellus ex Centuria ſexagẽteſima adducit S.Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum ex anno 620. *in lib. ſuarum ſententiarum c. 12. & 14.* quatenus aſſerit *in primo homine in omnes filios eius culpam fuiſſe propagatam, à qua ſolus Chriſtus nos eruit.* Quod etiam affirmat in quodã ſermone de Natiuitate Domini. Sed id intelligitur ex vi cõceptionis, & ex debito propter peccatum in Adamo commiſſum.

Nec contradicit Damaſcenus.

102. Nec Damaſcen. Bandellus etiam adducit Ioannem Damaſcenum ex anno 640. in ſermon. de Aſſumptione, dum ait, *hanc Virginem Pater prædeſtinauit: virtus ſanctificatiua Spiritus Sancti obumbrauit, purgauit, & ſanctificauit.* Sed hæc verba euidenter intelliguntur de virtute, qua Virgo in conceptione Verbi diuini fuit purgata, & ad plenum ſanctificata. In quo etiam ſenſu in l. ſuarum ſententiarum expreſſe docet, *Spiritum Sanctum in Virginem ſuperueniendo, eam purgaſſe, & ſimul illi tribuiſſe potentiam ſuſceptiuam Verbi Dei, & generatiuam.*

Nec repugnat S. Ildephonſus.

103. Refertur etiam à Bandello B.Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus ex anno 640. in lib. de Virginitate B.Mariæ, ſed quam falſò illum adducat, ſuperius oſtẽdimus §.1.

Nec contradicit Andreas Ieroſolymitanus.

Idem Bandellus in dicto cap.20.contra Virginis immunitatem refert S.Andreã Ieroſolymitanum ex anno 670.in quodam ſerm. Natiuitatis B.Virginis vbi ita ait: *Dei filius, vt humanam naturam propitius reformaret, carnem aſſumpſit ex Virgine, eã purgans per Spiritum Sanctũ à puluere peccati, in quo prius conculcabatur.* 104. Nec Andreas Ier.

¶ Sed hæc verba euidentẽr intelliguntur de purgatione B.Virgini facta in cõceptione Verbi diuini: qua purgata eſt à fomite peccati, quem puluerem peccati appellat: etenim plures volunt Virginẽ vſque ad conceptionem Verbi habuiſſe fomitem peccati, ligatum tamen, qui tũc penitus fuit extinctus.

Nec contradicit Beda.

Refertur etiam à Bandello, & Caietano venerabilis Beda in quadam homil, ſuper Miſſus eſt in Annuntiatione Virginis, tom.7.pag.467.ex anno 690. vbi ita habet: *Spiritus Sanctus ſuperueniens in Virginem, mentem eius ab omni vitiorum ſorde caſtificauit; & ab omni æſtu carnalis concupiſcentiæ cor eius temperauit, atque mundauit:* quæ eadem verba ex eodem Beda reperiuntur in Gloſſa ordinaria ad illa verba Luc.1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te,* & eadem refert Bandellus fol.24.pag.2.vbi etiam refert eundem Bedam homilia 8. in Epiphaniam, quatenus docet, *Chriſtũ de carne peccatrice nullam traxiſſe culpæ maculam,* & in quadam homil. in Ioannem ſcribit: *Præcurſorem Chriſtum Dominum vocaſſe agnum, quia præ cæteris mortalibus ſingulariter innocentem, ab omni peccato mũdum cognouit:* quod etiam ſcribit ſuper Lucam capite.1. vbi, poſtquam docuit Chriſtum ſingulariter natum fuiſſe ſanctum, ita ait: *Nos & ſi ſancti efficimur: non tamen ſancti concipimur, quia ipſa naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum Propheta gementes ſinguli dicamus; ecce*

105. Nec Bed. 1. Locus. Gloſ.Ord. 106. 2. Locus. 3. Locus.

in iniquitatibus conceptus ſum. &c. *Ille ergo ſolus veraciter ſanctus natus eſt, qui ex cõmiſtione carnalis copulæ conceptus nõ eſt:* Et idem repetit in eodem cap. 1. Lucæ, quatenus docet, *Patrem in ſolo filio Chriſto peccatum non inueniſſe.*

107. 4. *Locus. Non recipitur.* ¶ Sed Bandellum non admiror; non poſſum tamen non admirari, quod Caietanus, vir alioquin in rebus expẽdendis diligentiſsimus, verba primo loco adducta rẽferat, tanquam expreſſa, pro ſtabiliendo in Virgine peccato originali; cum tam Beda, quam Gloſſa Ordinaria agant de caſtificatione; & mundatione Virginis, non quando ipſa in vtero matris fuit concepta, ſed quando in ſuo ſacratiſsimo vtero Verbum diuinum concepit: explicans enim verba Angeli Luc.
Luc. 1. 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te,* ſic ait: *Superueniens in Virginem Spiritus Sanctus duobus modis in ea diuinæ ſuæ potentiæ efficaciam oſtendit: quia & mentem illius adeo, quantum humana fragilitas patitur, ab omni vitiorum ſorde caſtificauit, vt cœleſti digna eſſet partu, & in vtero illius ſanctum, ac venerabilem redemptorem ſola ſui operatione creauit.* Et inferius: *Obum-*
108. *brauit autem B. Dei genitrici virtus altiſsimi, quia Spiritus Sanctus cor illius impleuit, & ab omni æſtu concupiſcentiæ carnalis temperauit, emundauit deſiderijs temporalibus: ac donis cœleſtibus mentem ſimul illius conſecrauit, & corpus.* Quare Beda, & Gloſſa
Eplicatur Beda. euidenter agunt, de emundatione, qua Virgo in conceptione Verbi mundata eſt ab omni peccati fomite, qui per ſordes vitiorum intelligitur: tunc enim omnino fomes in illa extinctus eſt. Quod verò in 2. loco docet: *Chriſtum de carne peccatrice nullam traxiſſe peccati maculam,* nihil obſtat. Primo; quia per carnem peccatricẽ non intelligit carnem Virginis, ſed carnẽ humanam abſolute, quæ vere erat peccatrix, vt ſupra diximus ad teſtimonium Chryſoſtomi.

109. Deinde quia adhuc nõ obſtaret locus, ſi de carne peccatrice Virginis explicaretur; quia vt ibidem diximus; caro Virginis ideo à Patrib⁹ dicitur caro peccatrix, quia ex vi ſuę generationis obnoxia erat peccato. Sed nec obſtant verba 3. adducta loco: quoniam fatemur Chriſtũ præ cæteris mortalibus fuiſſe innocentẽ, imò ſolũ illum innocentẽ eſſe; quia ex vi ſuæ conceptionis à peccato Adami liber erat, ideo quia non fuit ex viro cõceptus, nec ſeminaliter ab Adamo propagatus; ſub quo innocentiæ genere Virgo non continebatur, cũ ex vi ſuæ conceptionis innocentiã non habuerit, vt ex 4 loco euidenter colliges; quẽ ſolus Bandellus pro ſe poſſet adducere; quia expreſſe intelligitur de peccato ex vi conceptionis reperto: in quo ſenſu ſolus filius à Patre ſine peccato eſt inuentus.

¶ *Ex 700. Centuria.*

Nec Alcuinus obſtat.

Ex 700. Centuria refert Bandellus in d. cap. 20. Alcuinũ (anno 770.) in hæc verba poſita *lib. 3. ſententiarum ſuarum c. 18 quanuis caro Chriſti traducta ſit ex carne Virginis, quæ per peccatum originale corrupta erat: non tamen Chriſtus habuit originale peccatũ.* Et lib. 4. c. 1. expreſſe docet, *carnem Chriſti in Virgine obnoxiã fuiſſe peccato.* Et idẽ docet dũ in eodem li. c. 8. addit, *carnẽ, quæ nunc eſt Chriſti, fuiſſe obnoxiam peccato, antequam eſſet caro Chriſti.* 110. *Nõ obſtat Alcuinus.*

¶ Sed hæc non ſatis ſunt, vt dicamus Alcuinum ſiue Albinũ, aſſeruiſſe B. Virginem actu contraxiſſe maculam originalis peccati: quoniam doctrina Alcuini intelligi poteſt, vel de carne Chriſti, quæ erat in Virgine pro illo tẽpore, quo Verbum concepit; vel de ea, quæ in illa fuit pro tempore, quo à matre Anna cõcepta fuit: etenim omnes loci in vtroque ſenſu explicari poſſunt: ſi explicentur in priori ſenſu (in quo de ea agit locus tertius, & ſatis etiam locus primus) non poſſunt intelligi de macula actuali peccati, quia conſtat Virginem pro illo tempore maculam originalis peccati non habuiſſe, cum ex vtero ſine illa nata fuerit; vnde in eo ſenſu dicetur caro Chriſti in Virgine per peccatum originale corrupta; quia pro illo adhuc erat fomiti peccati ſubiecta; licet in illa ligatus eſſet: vnde in 3. loco ait Alcuinus; carnẽ Virginis ꝓ illo tẽpore mũdatã fuiſſe, quia in ipſa cõceptione Verbi fomes peccati (qui ſępe 111. *explicãtur loci Alcuini.* *A.*

appellatur peccatũ) in ea fuit extinctꝰ. Si vero verba illa explicentur in ſenſu poſteriori (in quo videntur ſumi in 2. loco) in eo ſenſu fuit obnoxia originali peccato; quia ex vi ſuæ conceptionis habebat debitum contrahendi originalem maculam, ideo quia in Adamo peccauit: cum quo ſtat, quod per gratiam fuerit libera à contractione illius. In quo ſenſu Auguſtinus, & omnes Patres intelliguntur, cum docent carnem Virginis eſſe carnẽ peccati, & peccato obnoxiam, vt in ſuperioribus oſtendimus.

¶ *Ex Centuria.* 800.

Nec obſtat Rabanus.

112. *Nec obſtat Rabanus.* Bandellus vbi ſupra c. 16. refert Rabanũ ex anno 820. in Matthæum, quatenus introducit *Patrem diuinum aſſerentem ſolum Chriſtum ſine peccato eſſe à ſe repertum.* Sed id intelligitur ex vi ſuæ conceptionis.

Nec repugnat Aimon.

113. *Nec repugnat Aimon.* Refert etiam idem Bandellus Aimonem, ex anno 880. in lib. 1. & 2. in Apocalypſim aſſerentem, *Omnes Adami filios per Adamum factos eſſe peccatores; omnes à maledicto legis fuiſſe per Chriſtum redemptos: omnes in iniquitatibus fuiſſe conceptos*: quę omnia libenter admittimus etiam in Virgine ratione peccati in Adamo commiſsi; à quo omnes ſimul cum Virgine naſcimur cum debito contrahendi peccatum originale: ſed inde non bene infertur Virginem originalem maculam contraxiſſe.

¶ *Ex Centuria* 1000.

Nec contradicit Burchardus.

114. *Nec Burchardus.* Ex Centuria milleſsima adducitur Burchardus Epiſcopus Vmatienſis: libr. 2. c. 71. ſuę ſumę; ſed inutiliter adducitur; quia ſolũ ſcribit in præuaricatione, *omnes innocentiam perdidiſſe, & neminem à profundo talis ruinæ, niſi per Chriſtum liberari,* quod cum ſit de Fide, admittendum eſt: ſed Eccleſia, & Tridentinum liberam nobis faciunt facultatem, vt ex tali regula Virginem poſsimus excipere.

Nec Petrus Damianus. 115. *Nec Damianus*

Adducitur etiam Petrus Damianus ex anno 1060. ſed immerito: quoniam in ſermone de Natiuitate Virginis. (quem Bandellus refert) ſolum docet, *totam humani generis arborem peccato Adami in ipſo tanquam in radice fuiſſe venenatam: & vniuerſam filiorum Adami multitudinem, totamque maſſam generis humani.* Quam doctrinam in ſua generalitate admittimus: à qua Virginem non excipimus, ſed ſolum Chriſtum, quia omnes homines, etiã Virgo, in Adamo peccauerunt: & omnes in illo, tanquam in radice, peccato corrupti fuerunt. Ex quo non bene infertur (etiam teſte Caietano) Virginem maculam illius peccati, quod in Adamo commiſit, in propria perſona contraxiſſe; quamuis habuerit debitum contrahendi illam: etenim à ſolutione talis debiti, & potuit diuina gratia liberari, & de facto ab eo libera fuit: quod authoritate Eccleſiæ poſſumus aſſerere, quæ in Tridẽtino declarauit, ſe nolle in illa regula generali Virginẽ cõprehendere, vt iam diximus.

Nec contradicit Anſelmus.

Affertur etiam à Caietano, & Bandello D. Anſelmus lib. 2. cur Deus homo cap. 16. tanquam hæc verba ſcribens: *Licet ipſa Chriſti conceptio munda ſit; Virgo tamẽ ipſa, vnde aſſumptus eſt, in iniquitatibus concepta eſt, & in peccatis concepit eam mater eius.* Secundo adducit eum Bãdellus, quatenus in eodẽ c. aſſerit, *Chriſtum aſſumptũ eſſe de maſſa peccatrice*: quod etiã affirmat in lib. de Conceptu Virginali cap. 3. 13. & 19. Tertio adducit eundem, quatenus affirmat: *Virginem de illis eſſe, qui ante natiuitatẽ Chriſti mundati ſunt à peccatis,* vt patet lib. 2. cur Deus homo c. 16. pag. 74. col. 1. A. 4. Loco adducit Anſelmũ in ſuis meditationibus ita ſcribentẽ: *animam glorioſæ Virginis Mariæ in macula culpæ originalis creaſti, ſed conſequenter eam à primaria labe purgaſti, & in ſanctitatis puritate poſtea confirmaſti.* Quinto ab eodẽ affertur in 2. libro, cur Deus homo cap. 17. quatenus docet, *Virginem, de qua natus eſt Chriſtus, & multos alios mundatos eſſe à peccato.* Sexto generaliter docet ſolum

116. *Non contradicit D. Anſel. 1. Locus.*

Chriſtum

Chriſtũ inter omnes homines non peccaſſe; cæteros vero omnes in peccato naſci, & filios
7. *locus.* *iræ*, vt ait *lib. 2. cur Deus homo, cap. 16. & 18. & in libro de conceptu Virginali cap. 13. 16, & 22.* Septimo in eodem lib.
8. *locus.* *cap. 13. 15. & 19.* affirmat *Chriſtum ſumpſiſſe carnem de matre peccatrice*. Octauò deniquè ex doctrina eiuſdem Anſelmi
117. Bandellus hoc vtitur argumento: omnes qui naturali curſu ab Adamo ſunt propagati, in primo inſtanti infuſionis animæ, & conceptionis hominis habent carentiam originalis iuſtitiæ, quã Adamus omnibus illis perdidit: ſed omnes homines, etiam B. Virgo, ab Adamo naturaliter ſunt propagati: ergo omnes homines, etiam B. Virgo, in primo inſtanti ſuæ conceptionis, & infuſionis animæ, habuerunt carentiam iuſtitiæ originalis, ex peccato Adami. Sed carentia iuſtitiæ originalis orta ex peccato Adami eſt peccatum originale. Ergo omnes homines, etiam ipſa Virgo, in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuerũt peccatum originale. Minorem huius poſterioris diſcurſus ſupponit Bandellus, vt veram. Minor autẽ diſcurſus prioris eſt nota: maiorem vero probat ex eodẽ Anſelmo *in libr. de conceptu Virginali cap. 2. 10. 12. 15. & 23. & in 2. libro, cur Deus homo*: eius verba refert *in dicto fol. 12. pag. 1. & 2.*

118. His motus Vaſquez Bellomontanus facile admittit, B. Anſelmum contra puritatem conceptionis Virginis docuiſſe; vt patet ex *d. diſp. 117. c. 16. n. 15. & c. 11. n. 128.* fragili tamen ducitur fundamento, vt videbimus. Dicendum eſt igitur, hæc, quæ in contrarium adducuntur, nõ conuincere.

Bellomon. putat Anſelmũ eſſe cõtra Virginem.

Ad 1. loc. Quare ad primum locum dicendum eſt; verba allata nõ eſſe Anſelmi docẽtis, ſed diſcipuli interrogantis, cuius verba non ſunt admodum curanda, cum ſæpè interroget ea, quæ nec ab Anſelmo admittuntur, nec in ſe admittenda ſunt: & hæc eſt prima ſolutio huius loci, quam probauit *Cordubenſis lib. 2. quæſtionar. q. 44. pag. 377. §. Ad* [illegible]. *Anſelmũ: Suar. 2. to. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5. pag. 44. col. 2. C.* cum pluribus alijs. In illo igitur loco ſolũ ſunt expendenda, quæ D. Anſelmus ad interrogationem diſcipuli docendo reſpõdet.

119. ¶ Notandum eſt igitur, diſcipulum non ſolum interrogando verba poſita adduxiſſe; ſed hæc etiam addidiſſe: *& cum originali peccato nata eſt*, quod, & falſum eſt, *Notabile.*
& erroneum, vt oſtendimus *libro 1. q. 2. art. 3.* Quare certiſſimum eſt, verba primi loci non eſſe ab Anſelmo docente, ſed ſolum à diſcipulo interrogante, vt de veritate doceatur. Tota autem dubitatio diſcipuli in eo poſita eſt; quare de maſſa peccatrice, & de humano genere, quod totũ infectum erat peccato, hominem ſine peccato, quaſi azymum de fermentato Deus aſſumpſit? Dubitationem autem in eo fundat, *Quoniam Virgo in iniquitatibus concepta fuit à matre, & in peccato originali nata, cum in Adamo peccauerit, in quo omnes peccauerunt.* Huic interrogationi, & dubitationi Anſelmus docendo reſpõdet, admittendo quidẽ Chriſtũ ſine peccato fuiſſe conceptum: & hoc non niſi

Explicatur D. Anſelmus.

de maſſa peccatrice. Quomodo autem id 120.
fieri potuerit, affirmat quidẽ à nobis cõprehendi non poſſe; ſed tamen coactus à diſcipulo, aliquo modo id declarat, ſupponens, quod Deo, ad hoc faciendũ opus, nec ſapientia defuit, nec potentia. Supponit etiam, Deum ad omnes homines, præſentes, præteritos, & futuros redimendos carnem ſuſcepiſſe; idque non aliunde, niſi ex maſſa, carneq; peccatrice: vnde eam debuit accipere ex aliqua filia Adami, quæ per Chriſti redemptionẽ à peccato mundanda foret. Et ideo admittit, *Virginem Deiparam, ex qua homo Chriſtus carnẽ aſſumpſit, fuiſſe de illis, qui per Chriſtum à peccatis fuerunt mundati*, vt patet ex eodẽ loco *pag. 74. col. 1. in principio*. Adducens vero ſolutionem allatæ dubitationis ait, ideo eam à peccato mundaſſe, vt de illa munda, atque de illius munditia aſſumeretur: vt patet ex verbis ibidem poſitis: *Et in ea eius munditia de illa aſſumptus eſt.* Quam ſolutionem diſcipulus ſtatim repetit; Anſelmus autem inferius *capite decimo octauo, pag. 75. in fine*, diſputationem his verbis concludens, ait: *Oſtendimus, vt puto, certam rationem; quomodo Deus aſſumpſerit hominem ſine peccato de maſſa peccatrice.* Solutio autem in eo eſt poſita, qđ talẽ maſſã à peccato mũdauit, vt de ea mũda Verbũ hominẽ, id eſt, naturam humanam, qua homo fieret, aſſumeret.

mereret. Quam ſolutionem breuiter epilogat diſcipulus ad finem dicti cap. 18.

121. *Quænam D. Anſel. aſſerat.* Ex his iam patet, D. Anſelmum, quatenus perſonam docētis aſſumit, duo tantum aſſerere, primum eſt, *Carnem Virginis eſſe carnem peccatricem.* Alterum eſt, *eam à pecacto fuiſſe mundatam.* Ex priori dicto non bene infertur, Virginem cum macula originali fuiſſe conceptam: quia, vt ſæpe diximus, vt caro aliqua dicatur peccatrix, ſiue caro peccati, ſatis eſt, quod ex vi ſuę conceptionis ſubiecta ſit, & obligata ad contrahendam originalem maculam. Quem ſenſum ſatis expreſsit idem Anſelmus in lib. de cōceptione Virginis cap. 7. nam ſemen à viro, & à fœmina in cōmixtione emiſsū in eodem etiā ſenſu dicitur immundū, immūditia peccati; quia ſemen ipſum neceſsitatem inducit contrahendi originale peccatum, vt idem Anſelmus ibidem docet: cū quo ſimul ſtat, quod homo ex eo conceptus ab actuali originalis maculæ contractione in ipſo inſtanti infuſionis animæ, in quo concipitur homo, per gratiam liberari valeat. Et eodē modo ex poſteriori loco non poteſt ſumi firmum argumentum: nam cum mundatio à peccato duobus modis fieri poſsit, vt eſt vulgata doctrina à Caietano, & aduerſarijs recepta, ſ. per actualem deletionem peccati exiſtentis, & per præſeruationem: ne peccatum inſit, dum ex eo, quod B. Virgo fuit à peccato mūdata, infertur eam mūdatam fuiſſe à peccato iam exiſtēte, illatio eſt ſophiſtica, cū à pluribus cauſis inferatur ad vnā cauſam. Cui accedit; quia idem D. Anſelmus *lib. 2. cur Deus homo d. cap. 16. pag. 74. col. 1.* dicit, *Virginē per mortem Chriſti fuiſſe mundam:* quæ verba optimè conſtant cum munditia præſeruatiua.

122. *Concluditur.* Quare ex his, quæ D. Anſelmus docēdo affirmat, nihil adduci poteſt, quod vel probabiliter probet, eū tenuiſſe, Virginē cū originali fuiſſe cōceptam. Sed obijcit Bellomontanus, D. Anſelmū nihil reſpōdiſſe ad verba diſcipuli interrogantis; cū tamen reſpōdeat ad interrogationē illius, oſtendens, & late probans, Deū ſine peccato aſſumpſiſſe naturā humanā, quanuis eā aſſumpſerit de maſſa peccatrice, & de Virgine à peccato mundata: quod (vt ait Bellomōtanus) nō obſcure indicat, Virginē, ex mente illius, in peccato originali fuiſſe conceptā: nam ſi exiſtimaret oppoſitū; non ſolum id dixiſſet, ne diſcipulus cōtrarium intelligeret; ſed etiam propoſitam quęſtionem facilè diſſoluiſſet.

Hæc tamen Bellomontani inſtātia ſatis eſt fragilis: quia ex eo inferretur, Anſelmum non obſcure indicaſſe, Virginē in peccato originali fuiſſe ex vtero natā, & ab eo poſt natiuitatem fuiſſe mundatā: etenim diſcipulus in ſua interrogatione non ſolum dixit, *Virginem in iniquitatibus, & peccatis à matre fuiſſe conceptam, ſed etiam cum originali peccato fuiſſe natam:* ad quam quæſtionē Anſelmus nihil reſpondet. Quare ſi ex hoc fundamento nō bene infertur, Anſelmū ſenſiſſe, B. Virginem cum originali fuiſſe natam, vt Bellomontanus tenetur admittere; vtiq; nec ex eo inferri poteſt eū tenuiſſe, Virginem cum originali fuiſſe conceptam. 123.

Dicendum eſt igitur D. Anſelmum in eo loco diſsimulaſſe de quæſtione conceptionis B. Virginis; quia illius deciſio ad principale inſtitutū nō pertinebat: & ſolū docuiſſe, carnē Virginis eſſe peccatricem, & Virginem à peccatis fuiſſe mūdatam, quoniam in hoc omnes cōſentiebant. Quæ verba nō ſatis ſunt, vt ex illis inferatur actualis contractio originalis maculæ, vt iam aduertimus. 124.

Secunda ſolutio adduci poteſt, quam probat *Bellarminus tom. 4. controuer. 2. lib. 4. cap. 16. pag. 334. B.* vt verba, quæ obijciuntur, licet ſint diſcipuli interrogantis, intelligēda ſint non de conceptione, quę in vtero fit in primo inſtanti infuſionis animæ: ſed de conceptione, quæ fit ante animæ infuſionem in ipſa ſeminum cōmiſtione in vtero: nō quod in ipſo ſemine peccatum, & culpa exiſtat (quia ante infuſionem animæ, ſicut nō dum eſt voluntas; ita nec peccatum, aut culpa ineſſe poteſt:) ſed quod tale ſemen ſecum trahit neceſsitatem, vt homo, ex illo in prima animæ infuſione conceptus, in culpa originali concipiatur, niſi per gratiā pręſeruetur. Quam ſolutionem, & explicationē probat *Valent. 4. to. diſp. 2. q. 1. pūct. 2. pag. 425. C. D. E. & pag. 226. B. & eam* 125. *2. Explicatio D. Anſelm.*

iam

Suarius. *iam probauerat 2. tom. q. 12. de peccatis; quã explicationem aliquo modo probat Suarius vbi ſupra diſp. 3. ſect. 5. pag. 44. colum. 2. in fine.* Quæ non longe eſt à mente D. Anſelmi, quidquid velit Bellomontanus in dicto cap. 11. num. 129. & 130. pag. 56.
126. col. 2. Sed non eſt audiendus: tum; quia inſtantia eſt ſatis friuola: quoniam Anſelmus appellat ſemen omne illud, quod poſt ſeminis emiſsionem reperitur in vtero, vſque ad infuſionem animæ rationalis: iam vero ante infuſionem animæ præceſsit vera caro embrionis ſenſitiui, quæ ad infuſionem animæ organizatur. Tum ſecundo; quia ipſemet Anſelmus multis in locis ipſam ſeminis receptionẽ in vtero ante animæ infuſionem, appellat hominis conceptionem, & de illa explicat verba Pſalm. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis cõcepit me mater mea.*
D. Anſel. vt plures Theologi aduerterunt, & euidenter patet ex lib. de cõceptu virginali cap. 7. vbi id ſæpius explicat, maximè in his verbis: *Simili modo de immundo ſemine in iniquitatibus, & peccatis concipi, poteſt homo intelligi; non quod in ſemine ſit immunditia peccati, aut peccatum, ſiue iniquitas: ſed quia ab ipſo ſemine, & ab ipſa conceptione, ex qua homo incipit eſſe, accipit neceſsitatem, vt cum habebit animam rationalem, habebit peccati immunditiam, quæ non eſt aliud, quam peccatum, & iniquitas.* Ecce ex Anſelmo antequam anima infundatur, homo non iam dicitur incipere; ſed etiam iam dicitur conceptus in iniquitatibus, & in peccato: non quaſi iã habeat peccatũ, & iniquitatẽ; ſed quia iã tunc habet neceſsitatem, & debitum habendi peccatum, cum anima fuerit infuſa: nam vt in eodẽ cap. ait: *Sæpe diuina Scriptura aſſerit aliquid eſſe, quando non eſt; idcirco quia certum eſt futurum.* Et cap. 14. eiuſdem libri, ita ſcribit: *Nam ſi alicuius mens non capit, quod de ſemine hominis dixi: ſ. non eſſe in illo peccatum ante animam rationalem; ſed immũdum dici peccato, & iniquitate, propter futu*
127. Explicatur D. Anſelm. *ram immunditiam, cum fuerit homo. &c.*

Quare non eſt negandum verba diſcipuli interrogantis ex mente Anſelmi intelligi poſſe de prima conceptione Virginis ante infuſionem animæ; ita vt in ea in iniquitatibus, & peccatis in vtero matris ſit concepta, & nata: ſiquidem quod concipitur naſci dicitur: non quidem in ſecunda conceptione, quæ tunc datur, cum anima infunditur: ſed de prima, quæ fit per ſeminis conceptionem, & formationem fœtus ante infuſionem animæ, quæ ipſa immunda eſt immunditia culpæ originalis, non quæ iam inſit, ſed quæ nõ poteſt non ineſſe, cum primum anima infunditur, niſi adſit gratia præſeruans, quæ fuit doctiſsimi Bellarmini explicatio à pluribus viris doctis recepta. Quare primus locus non ſatis eſt vt dicamus B. Anſelmum expreſſe docuiſſe Virginem in ipſa animæ infuſione fuiſſe in originali conceptam.

Sed nec ad hoc ſatis eſſe ſecundum, & tertium locum ex dictis ſatis patet: nam ex eo, quod dixit, *Virginis maſſam ſiue carnem,* eſſe peccatricẽ, & à peccato mundatam, non bene infertur Virginem habuiſſe originalem maculam, vt iam oſtẽdimus. Quartus locus ſumptus ex libro mediationum, falsò à Bandello citatur; quia illa verba in illo libro non reperiuntur. Argumentum porrò ſumptum ex doctrina Anſelmi, ſolum continet regulam generalem, ſub qua Virgo non continetur, vt ſæpe diximus. 128. *Ad 2. & 3. locum. Ad 4. loc. Ad argu.*

¶ *Ex Centuria 1100.*

Nec obſtat Theodorus Teutonicus. 129. *Nõ obſtat Theodorus*

Bandellus in dicto cap. 16. contra puritatem Virginis in ſui conceptione adducit S. Theodorum Teutonicum ex anno 1100. *in libro, quem metrice compoſuit de hiſtorijs veteris, & noui teſtamenti;* quatenus affirmat, *ſolum Chriſtum fuiſſe ſine culpa,* ſed inde nihil inferri, ſæpe oſtẽdimus.

Nec obſtat Zacharias Griſolſpolitanus.

Adducit etiam S. Zachariã Griſolſpolitanũ ex anno 1100. *in lib. de concordia Euãgeliſtarum,* dũ ſcribit, *omnes in iniquitatibus conceptos eſſe, & ſolum Chriſtum Dominum eſſe ſine peccato.* Quod libẽtiſsimè fatemur ſi id intelligatur ex vi cõceptionis: ſecus ſi per diuinam gratiam liberemur. 130. *Nec Zacharias.*

Nec Rupertus Abbas.

Forſitan aliqui aduerſus noſtram ſentẽtiam obijciet Rupertũ Abbatẽ Tuitiẽſem 131. *Nõ obſtat Rupertus.*

ex anno 1120. *in lib. 1. in Cantic. non longe à principio. tom. 2. pag. 1. colum. 2. in fine*; vbi agens de Virgine ita ſcribit: *Et tu quidem veraciter dicere potueras: ecce in iniquitatibus concepta ſum, & in peccatis concepit me mater mea: cum enim eſſes de maſſa, quæ in Adam corrupta eſt, hæreditaria peccati originalis labe non carebas.* Nec poſſum non admirari, cur Bandellus, & aduerſarij hunc locum pro ſua nõ attulerint ſententia; cum expreſsior pro illis videatur, quam omnes, quos citant: nam ex his verbis Richardum illius fuiſſe ſententiæ libenter agnoſcit Suarius in dicta diſpu. 3. ſect. 5. pag. 45. col. 1. §. *Ex Patribus qui vltimo*: & in eadem ego aliquando fui opinione; ſed nunc puto verba illa non cogere, vt dicamus S. Abbatem puritatem conceptionis B. Virginis reieciſſe: etenim verba illa accomodatiſsime explicari poſſũt de debito, & obligatione, ex vi conceptionis ad contrahendam maculam originalem: in quam opinionem inducor, tum ex illis verbis, *hæreditaria labe*, quæ denotant obnoxietatem, & debitum ex conceptione deductum: tum ſecundo; ex verbis, quę immediate addit: *Sed ante faciem huius amoris, nec illud ſtare potuit*, ſtetiſſet autem, ſi paruo aliquo tempore originale habuiſſet.

Nec contradicit Richardus de S. Victore.

132. *Non contradicit Richard.* Citatur à Bandello Richardus de Sancto Victore ex anno 1130. *in lib. ſecundo de Emmanuel p. 1. cap. 26.* vbi ita ſcribit: *Conſtat, quod niſi B. Virgo ad plenum purgata fuiſſet, fructum tam ſublimem facere non potuiſſet.* Sed mirum eſt, quod Theologus iſte Richardum Victorinum in illo loco adducat, cum in eo, & in ſequentibus expreſſe agat de purgatione Virginis facta in cõceptione Verbi diuini, ad quam ideo fuit ad plenum purgata; quia ab omni vitiorum contagio penitus purgata fuit; vt immediate ſcribit: & in eodem cap. ſæpius explicat eam purgatam fuiſſe à vitio concupiſcentiæ, & ignorantiæ; quorum alterum ad culpam pertinet; alterũ vero ad pœnam, vt ibidem ait: concupiſcentia enim pertinet ad culpam; quia ex culpa in nobis mãſit; vnde dicitur fomes peccati: ignorantia vero in pœnã culpæ fuit impoſita. Ab his igitur duobus vitijs B. Virgo purgata fuit, quando Verbum diuinum concepit: quia & fomes peccati in ea tunc fuit penitus extinctus, vt plerique putant; & ab omni ignorantiæ vitio penitus tunc fuit liberata: de vtroq; latius agemus lib. 4. Ab hac autem purgatione abſurde infertur Virginẽ fuiſſe à vitio originali actu exiſtẽte purgatam: nam talis purgatio eſt purgatio ab omni vitij actualis, & originalis cõtagio: Virgo autẽ à contagio actualis vitij in ea exiſtẽte non fuit libera; cum nullum habuerit.

¶ Si vero volueris Richardum agere de purgatione à vitio culpę originalis (quod non damus) explicabis verba de purgatione culpę originalis: non quę in ea fuit; ſed quæ fuiſſet, niſi gratia pręueniretur: nam id, quod nunquam fuit vitio immũdũ, dicitur purgari, & mundari ab eo vitio, quod non habuit, ſed habiturũ erat, vt communiter dicitur. Vide Bellom. in d. diſp. 117. cap. 12. n. 132. & 133. 133 *Alia ſolutio.*

Nec repugnat Gilbertus Porretanus.

Adducitur etiam à Bandello cap. 20. Gilbertus Porretanus (ex anno 1130) ſuper Boetium *in lib. de duabus naturis*, & vna perſona Chriſti vbi verbis expreſsis affirmat *Virginem cum cæteris omnibus ex primorum parentum præuaricatione peccato, & morti ſubiacuiſſe.* Simul etiam ſcribit: *Nullum vnquam per concupiſcentiam genitum ſine originali peccato eſſe potuiſſe: & ideo Chriſtum fuiſſe ſine peccato: quia ſine cõcupiſcentia fuit genitus.* 134. *Nec Porretanus* ¶ Sed ex priori loco non bene infertur Virginem actũ ſubiacuiſſe originali culpę, ſed debito ad illam actu contrahendam, niſi per gratiã liberaretur: locus autem poſterior expreſſe intelligitur ex vi ſuæ conceptionis; quod non tollit, quod Virgo per gratiam ſine peccato concipi potuerit.

Nec repugnat Hugo de Sancto Victore.

135. *Nec Hugo Victor.* Refertur à Bandello, & aduerſarijs Hugo Victorinus ex anno 1140. *lib. 2. de Sacramẽtis 1. p. c. 5. to. 3.* ita ſcribẽs: *Catholicæ veritatis diffinitio aſſerit filium Dei (qui pro peccatoribus, & de peccatoribus natus eſt)*

de carne obnoxia peccato carnem aſſumpſiſſe liberam à peccato: & ideo liberam; quia liberatam: non quia ſub illo nunquam fuerit; ſed quia ſub illo eſſe aliquando ceſſauit, quando aſſumpta eſt, mundata eſt. Pro intelligentia horum verborum aduertendum eſt Hugonem agere contra eos, qui dixerunt carnem, quam Chriſtus aſſumpſit, nunquam in maioribus fuiſſe obnoxiam peccato, & immundam: quos catholicè redarguit, affirmans carnem Chriſti in ſuis maioribus immundam fuiſſe. Quæ doctrina intelligenda eſt non de immunditia culpæ actualiter inficientis perſonam (quia in parentibus, & maioribus Chriſti, & ſi aliquando culpæ originali ſubiacuit; non tamen ſemper ſubiacuit illi; quia maiores ab illa mundati ſunt) ſed de immunditia naturę, ſub qua ſemper fuit, quouſque fuit à Chriſto aſſumpta: nam (vt ait) tunc primum natura humana ceſſauit eſſe ſub culpa ipſius naturæ; quia tunc primum non eſt ab Adamo ſeminaliter genita. Quare cum Hugo ſolum agat de culpa originali naturæ, non vero perſonę; inepte contra Virginem adducitur; cuius natura licet ex ſe vitio originali ſubiacuit; non tamen illi ſubiacuit perſona.

Nec contradicit Rupertus Linconienſis.

136. *Nec contradicit Rupertus Linconienſis.* Refertur adhuc à Bandello Rupertus Linconienſis ex anno 1140. in Pſalm. in hæc verba: *Plus cæteris in hac vita Virgo reſplenduit rectitudine: à qua poſt conceptionem Ieſu Chriſti, nec per veniale peccatum declinauit: poſtquam enim tenebras peccati originalis abiecit, ſic armis lucis induta eſt, vt nulla parte peccati venialis nube ſit obſcurata.* Et ſuper Boetium in lib. de duabus naturis expreſſe ait: *Chriſtum ex Maria carnem aſſumpſiſſe, quæ ex primi parentis præuaricatione peccatrix fuit.* ¶ Sed cum Linconienſis in priori loco expreſſe loquatur de Virgine poſt conceptionem Verbi, vt ex verbis illis patet, clarum eſt per tenebras originalis peccati, quas abiecit, nō intellexiſſe culpam originalem: quia tunc nullam habebat, ſed fomitem peccati ex originali relictum, hunc autem in ipſa Verbi conceptione penitus abiecit: quia fomes, quem ligatum habebat, penitus in ea extinctus fuit, & omnino ſublatus, vt plerique docent. Quomodo autē ſecundus locus ſit explicandus, in quo caro Virginis ex Adami præuaricatione fuit peccatrix? in ſuperioribus ſępè oſtēdimus.

¶ *Ex centuria* 1200.

Non repugnat S. Antonius.

Caietanus vbi ſupra ex Bandello c.24. refert Sanctiſsimum Antonium Paduanum ex anno 1230. in quodam ſerm. de natiuitate Mariæ, in hæc verba: *B. Virgo fuit in vtero matris à peccato per gratiam ſanctificata, & ſine peccato nata.* ¶ Sed non eſt, quod S. Antonium Luſitanum, & Oliſyponenſem contra Virginis puritatem referant aduerſarij: tum primò; quia in ſermonibus, qui circumferuntur verba illa non reperiuntur, vt aduertunt Cordubenſis, & Suarius in locis citatis: nec veriſsimile eſt, quod ab illis hæc verba ſublata ſint, cum nullus antiquus codex exhibeatur, in quo illa ſcribantur verba. Tum etiam; quia licet admittantur nihil officiunt: quoniam accommodatiſſimè explicantur de ſanctificatione in vtero præſeruatiua ab actualis maculæ contractione, vt bene aduertit Cordubēſis vbi ſupra: etenim (vt ſępe aduertimus) ſanctificatio non neceſſario ſupponit aliquando præceſsiſſe culpam, à qua ſanctificetur: licet in toto rigore ſumatur hoc verbum *ſanctifico*. Satis enim eſt, quod præceſſerit culpa, quę deberet ineſſe, niſi ſanctificatione impediretur, vt colliges ex *D. Thoma 3. p. q. 35. art. 4. ad primum.* *D. Thom.*

137. *Nec S. Antonius de Padua.*

Nec repugnat Honorius Tertius.

Refertur etiam à Bandello c. 18. Honorius tertius ex anno 1210. in quodam ſermone de Purificatione, vbi exponens illa verba Pſalmi *Sanctificauit tabernaculū ſuum Altiſsimus*, ita ait: *Hoc tabernaculum, ideſt, B. Virginem Altiſsimus ſanctificauit: quia eam in vtero matris ab originali peccato mundauit*, & in ſerm. de Aſſumptione, quatenus docet, *Hieremiam, Baptiſtam, & Virginem ex ſpeciali priuilegio fuiſſe ſanctificatos ante natiuitatem.* Sed primus locus non cogit; quoniam verba illa ſatis ex- 138. *Nō repugnat Honorius 3.*

plicantur de mundatione præſeruatiua: etenim qui præſeruatur ne incurrat peccatum, proprie dicitur ab illo mundari, vt docet D. Thomas 3, p. q. 55. ar. 4. ad 1. Secundus autem locus non ſatis conuincit, vt dicamus Virginem eodem modo eſſe in vtero ſanctificatam, quo Ieremias & Baptiſta ſanctificati ſunt: ſed ſolum affirmat Ieremiam, Ioannem, & Virginem ex ſpeciali priuilegio in vtero matrum ſanctificatos fuiſſe, quod abſolute eſt veriſsimũ, quanuis Virgo ſublimiori modo ſanctificationis fuerit ſanctificata: qui in eo eſt poſitus; quia fuit ſanctificata præſeruatiuè. Quo modo alij ſanctificati non ſunt.

¶ *Ex centuria 1300.*

Non repugnat Bonifacius Tertius.

139. *Non contradicit Bonifacius 3.* Ex centuria 1300. anno 1380. refertur Bonifacius tertius *in priuilegio Viſitationis Virginis.* ¶ Sed immerito; quia ſolum docet *Vniuerſum genus humanum maculã peccati Adami incurriſſe, quam Chriſtus Dominus ſua morte deſtruxit.* Hæc autem propoſitio licet generalis ſit, Virginem non comprehendit: vt patet ex declaratione Concilij Tridentini.

¶ *Ex centuria 1400.*

Non contradicit S. Vincentius de Ferrara ordinis Prædicatorum.

140. *Nec Vincentius.* Caietanus in d. tract. de Conceptione Virginis cap. 4. refert S. Vincentium de Ferrara ordinis Prædicatorum *in ſermone de Conceptione Virginis* in hæc verba: *B. Virgo Maria fuit in peccato originali concepta, ſed eadem die & hora ſtatim poſt animationem fuit per ſanctificationem â peccato contracto mundata.* Quæ verba ad literam tranſtulit ex Bandello vbi ſupra cap. 22. Quo in loco etiam adducit hæc verba: & ideo feſtum hoc debet referri ad ſanctificationem, non ad conceptionem. Aſſerit deinde eadem verba reperiri apud eundem in ſermone B. Annæ, & in ſermone natiuitatis Virginis. ¶ Propter hęc verba (quia fideliter relata putabam) ego olim referebam S. Vincentium pro ſententia, quæ conceptionem Virginis non putat eſſe purã â macula originali; quod etiam plerique Theologorum exiſtimarunt: ſed habita copia ſermonum ſanctiſsimi Vincentij plane inueni verba præcitata falſo referri; quia nec in aliquo ſermone de Virginis conceptione reperiũtur, nec in aliquo alio ex citatis: quin potius in eiſdem ſermonibus reperiuntur verba, quæ Virginis immunitatẽ à culpa originali efficaciter concludunt, vt latè oſtendimus ſupra art. 1. §. 2. in fine. Quare falſitatis & mendacij arguendi ſunt Caietanus, & Bandellus, cum cæteris, qui ex ſanctiſsimo Vincentio referunt verba, quæ ille non ſcripſit. Quin potius cũ ſit eiuſdem ordinis Prædicatorũ, & Virginis puritatem â peccato originali maniſeſte defendat, non eſt quod mendaciter contra Virginis puritatem illum referant.

Nec contradicit S. Bernardinus de Senis.

Bandellus in d. cap. 24. (cuius verba tranſcripſit Caietanus) refert contra puritatem Virginis S. Bernardinum de Senis ordinis Minorum ex anno 1430. in 3. p. *ſermonum in tract. de Sanctiſsima Virgine ſerm. 4. pag. 92. col. 2. aliàs in 2. opere ſermonũ, ſer. 51. in c. 1. p. 511.* quatenꝰ dicit, *Sanctificationem maternalẽ in vtero matris remouere culpam originalem, & conferre gratiam; & hanc fuiſſe in Virgine.* Alij addunt eum ſolum dixiſſe *Virginem in prima ſanctificatione originalis peccati tenebras efugaſſe*: quæ tamen verba in eo non inuenio. ¶ Sed Sanctum Bernardinum puritatem conceptionis Virginis in vtero matris expreſſe aſſeruiſſe iam oſtẽdimus ſupra art. 1. §. 1. cuius verba refert *Petrus Morales lib. 3. de Chriſto & Virgine Maria tract. 1. pag. 284. n. 30. litera C. & pag. 285. n. 35.* eumq; pro noſtra refert opinione, cum pluribus alijs. Vnde non eſt audiẽdus *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. sect. 5. pag. 45. col. 1.* dum ait, Sanctum Bernardinum aperte dixiſſe ſe velle ab hac quæſtione abſtinere: nec enim hoc aſſeruit, nec potuit aſſerere, vt bene aduertit *Vaſquez Bellomontanus in 2. tom. ad 3. p. diſp. 117. c. 9. poſt principium.* Vbi aduertit verba in contrarium adducta non ſignificare Virginem à peccato originali contracto

141. Nec cõtradicit Bern. de Senis.

142.

Petr. Morales.

Nõ recip. Suarius.

Vaſquez.

fuiſſe

fuiſſe iuſtificatam; ſed potius illud ipſa ſanctificatione abigiſſe, ne accederet. Quare dum ait Virginem in vtero fuiſſe ſanctificatam, ſanctificatione remouente culpam, intelligendus eſt de remotione præſeruatiua. Quomodo illa verba etiam intellexit *Cordubenſis lib. 1. quæſtionar. q. 44. ad 14. authoritatem col. 2. ad finem.*

¶ Ex his patet Patres ſuperius adductos falſò referri ab aduerſarijs, quare expendamus, an ſint alij Patres, qui ſententiam aduerſariorum in terminis, & expreſſe probent.

§. 2.

Quinam ex Patribus expreſſe docuerunt Virginem peccatum originale contraxiſſe?

143. EX his iam patet Patres à Caietano, & Bandello adductos non docere B. Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam: quanuis *Caietanus in d. tract. de Conceptione Virginis c. 4. §. Præter dictos autem*, affirmet non ſolum Patres à ſe citatos, ſed etiam aliam magnam antiquorum Doctorum multitudinem relatam à Turrecremata, & Bandello in indiuiduo affirmare B. Virginem cõceptam fuiſſe in peccato originali. Sed cum multitudo Patrum, quam ex Caietano, & Bandello adduximus, illam non probet opinionem; oportet explicare, quinam ex Patribus, & Theologis (ſcholaſticis exceptis, de quibus modo non agimus) illam opinionem expreſſe probent? vt videamus quam parua Patrum, & antiquorum Theologorum multitudo, pro illa ſit opinione: etenim re bene expenſa pro ea quatuor tantum numero referri poſſunt; S. Erardus, ſiue Gerardus Epiſcopus, & martyr: Innocentius III. Clemens VI. & S. Bernardus: nam cæteri omnes, qui eam opinionem expreſſe probant, cum ſcholaſticis ſunt enumerandi, de quibus inferius agemus.

Decipitur Caietanus.

Qui Patres ſint pro aduerſarijs.

Sunt tantum quatuor.

Probat Erardus.

144. Erardus ſiue Gerardus Epiſcopus, & martyr in quodam ſermone de natiuitate Virginis, ita habet: *O felix puela, quæ concepta in peccato, purificatur ab omni peccato, & filium concepit ſine peccato.* Refertur à Bandello, & à Caietano, qui tamen non explicant, quinam fuerit iſte Erardus, & in quo tempore floruerit: vnde ego olim dubitaui, an hoc teſtimonium ſatis eſſet authenticum. Sed tamen poſtea inueni Erardum iſtum martyrio coronatũ eſſe anno Domini 1047. vt ex Tritemio refert Baronius in annotationibus ad martyrologium Romanum, 24. die Septembris litera D. Quare negare non poſſum, ſi verba citata fideliter referuntur, ſatis conuincere Erardum illius fuiſſe opinionis, quod fatetur *Cordubenſis lib. 1. quæſtionar. q. 44. pag. 377. col. 1. §. Ad vndecimum.*

Pro ea eſt S. Erardus martyr.

Cordubẽſ.

Innocentius III.

145. ¶ Secundo loco pro eadem opinione referri poteſt Innocentius III. ex anno 1200. 2. ſerm. de Aſſumptione Virginis paulò poſt principium in hęc verba: *Eua fuit ſine culpa producta; ſed produxit in culpa: Maria autem fuit in culpa producta, ſed ſine culpa produxit.* Quæ verba Bandellus c. 18. falsò tribuit Innocentio II. cum apud Innocentium tertium loco citato expreſſe inueniantur: Innocentius autem ſecundus nullos ſcripſerit ſermones. Adducuntur etiam à Bandello eiuſdem Innocentij verba, in ſerm. de Purificatione B. Virginis: *Spiritus ſanctus prius quidem in Virgine venit; quam in vtero matris animam eius ab originali peccato mundauit.* Poſterior tamen locus non ſatis conuincit, Innocentium approbaſſe B. Virginem in peccato originali fuiſſe cõceptam: etenim ex doctrina D. Thomæ ſæpe relata, is, qui per gratiam liberatur, ne culpam aliquam incurrat, dicitur ab ea mundari. An vero ex priori loco ſufficienter conuincatur? non ſatis patet. ſunt enim, qui eum intelligant de culpa radicaliter, & quoad debitum: vt ſit ſenſus: *Maria fuit producta in culpa*, id eſt, cum obligatione & debito culpæ: ego tamen puto ea eſſe intelligenda de culpa formaliter, & actu contracta: vnde non negarẽ Innocentium III. ex parte aduerſariorũ ſtare.

Pro eadem eſt Innoc. 3.

146.

Clemens VI.

147. Expreſsius eandem ſententiam tenuit Clemens VI. in ſermone ad illa verba: *Erunt ſigna in ſole, & luna* (floruit anno 1330.) vbi in hæc verba ſcribit: *videtur*

Pro eadem eſt Clemẽs 6.

mihi: quod de Conceptione B. Virginis non debet fieri feſtum. Primo authoritate Bernardi: ſecundo; quia feſti celebratio non eſt, niſi in reuerentiam ſanctitatis eius, de quo celebratur: conceptio autem Virginis non fuit ſancta, quia fuit in originali peccato concepta: dico enim hoc vnum verum eſſe, & clarũ, quod B. Virgo contraxit in ſua conceptione peccatum originale. Et ſtatim ita ait: *Beata Virgo fuit ſub peccato originali per aliquam morulam, & ſtatim poſt fuit ſanctificata.*

Quod D. Bernardus pro hac ſententia citari poſsit.

148. *Quid ſenſerit S. Bern. controuerſum.* Ex anno 1140. à *Bandello cap. 17. & à Caietano in tract. de Conceptione Virginis cap. 4.* & à cæteris aduerſarijs refertur D. Bernardus; & conſtanter docent eũ verbis expreſsis approbaſſe B. Virginem in originali peccato conceptam fuiſſe; id, quod quidã ex noſtris libenter fatentur: id concedit *Canniſius lib. 1. de Virgine Dei para c. 7. pag. 70:* *Canniſius.* *firmius id admittit Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5. ad teſtimonia, quæ vltimo loco obijciuntur, pag. 45. col. 1. ad finem.* *Suarius.* Idem ita conſtanter fatetur *Bellomontanus 2. tom. ad 3. p. diſp: 117. cap. 9. n. 101. & 103.* *Bellom.* vt dicat verba Bernardi pro hac ſententia ita eſſe perſpicua, vt miretur, quod viri doctiſsimi illa conentur in alio ſenſu explicare. Ex quo patet non deeſſe viros doctiſsimos, qui firmiter doceant S. Bernardum eam opinionẽ non habuiſſe. *Quod non id ſenſerit.* 149. *Catharin.* Ita affirmat *Catharinus in 1. tract. de Conceptione Virginis 1. p. cap. 7.* vbi multis id conatur oſtendere, in eadẽ ſententia fuerunt *Bellarminus tom. 4. in 2. controuerſia lib. 4. de Amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati c. 16. pag. 254.* *Bellarm.* *& Valentia 4. tom. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag. 512.* *Valentia.* *& ante eos Henricus de Haſia iunior* *Henric. de Haſia.* ordinis Carthuſiani (qui vixit vel anno 1317. vel anno 1420.) ſcripſit librum contra diſceptationes, & contrarias prædicationes quorundam contra immaculatam Virginis cõceptionem. Et adeo adhæſit huic iudicio, vt librum ſcripſerit contra maculam Sancto Bernardo mendaciter impoſitam, vt refert Antonius Poſſeuinus in ſuo apparatu ſacro, litera H. pag. 17. Nec ab hac opinione longe abeſſe videtur *Cæſar Baronius tom. 12. annalium ad* *Baronius.* *annum 1136. n. 15. pag. 308.* D. dum ait, D. Bernardum præcitatam ſententiam cõtra Canonicos Lugdunenſes, ideo tam acriter confirmaſſe (licet diuerſum ſenſerit) vt quæſtio iſta accuratius examinaretur, & deferretur ad iudicium Sedis Apoſtolicæ, cui in omnibus ſe ſubijciebat. Quare dubitari non poteſt controuerſum eſſe, quænam de propoſita quæſtione fuerit Sanctiſsimi Bernardi ſententia. Quare oportet, vt res iſta diligentius explicetur.

¶ Noſtrum hac de re iudicium hoc eſt, 150. *Bernardus primũ fuit pro noſtra opinione.* vt negari non poſsit D. Bernardum indubitanter docuiſſe B. Virginem à peccato originali fuiſſe immunem: & ſatis cum Auguſtino declaraſſe ſe nullã quæſtionem haberi velle de B. Virgine, cum de peccatis agitur: id enim expreſſe ſcribit *ſerm. 13. de Cœna Domini poſt princip. 1. tom. pag. 1767. vt ſuprà adduximus in hac quæſtione quarta art. 1. n. 21.* vbi diximus ſermones illos S. Bernardi eſſe legitimos: & eandem ſententiam verbis expreſsis docuiſſe *2. tom. ſerm. 4. ſuper Salue Regina pag. 470.* Si verò dicas hos ſermones falſò tribui D. Bernardo, reſpõdebo authorem illorum mentem D. Bernardi ſatis explicaſſe, vt indubitanter ſenſerit Beatã Virginem à culpa originali fuiſſe prorſus immunem.

Deinde iudico epiſtolã 174. ad Canonicos Lugdunenſes falsò D. Bernardo 151. *2. aſſertũ. Bernardus in epiſtola 174. tenuit cõtra nos.* imponi: vt multis, & efficacibus rationibus latè probat Petrus Ojeda in ſua informatione pro immaculata B. Virginis conceptione in 1. fundamento c. 14. §. 2. & 3. Porrò ſi illa epiſtola vere eſt D. Bernardi negare non poſſum illa verba eſſe vrgentiſsima, vt dicamus, D. Bernardum eam approbaſſe opinionem, quæ aſſerit Virginem in peccato fuiſſe conceptam. Nam poſtquam docuit eam ſanctificari non potuiſſe, antequam cõcepta eſſet, quia non dum erat, ita ſcribit: *Si igitur ante conceptum ſui ſanctificari minime potuit; quoniam non erat; ſed nec in ipſo quidẽ conceptu propter peccatum, quod inerat: reſtat, vt poſt conceptum in vtero iam exiſtẽs ſanctificationem accepiſſe credatur; quæ excluſo peccato ſanctam fecerit natiuitatem, nõ tamẽ conceptionem.* Quæ verba efficaciter

conuin-

conuincere S. Bernardum illam probaſſe opinionem, libenter fatetur Suarius vbi ſuprà. Ea in alio ſenſu ab aliquibus viris doctis explicari miratur Bellomontanus. Quorum iudicium ego probo, & ſatis id patebit, ſi explicationem, quam plerique probant, diligenter expendamus.

152. *Duæ conceptiones diſtinguũtur.* Aduertendũ igitur Catharinum, Bellarminum, & aliquo modo Valentiam duas diſtinguere conceptiones in vtero: prima eſt, quæ fit in ipſo parentum congreſſu, & commixtione ſeminum: ſecũda eſt, quando anima rationalis infunditur, qua primum generatur homo. Hanc duplicem conceptionem ſumpſerunt ex D. Anſelmo in lib. de Conceptione Virginis, & peccato originali cap. 7. vbi D. Anſelmus ſine dubio duas illas conceptiones admittit, tanquam inter ſe diſtinctas: & ambas diſtinguit à natiuitate, quæ eſt ex vtero: quanuis ambæ dici valeant natiuitates in vtero. Primam conceptionem per ſe eſſe immundã affirmãt; ideo, quia fit cum libidine reperta in ipſo parentum congreſſu, vt clare docet Anſelmus. Secundam vero mundam, & à peccato immunem eſſe poſſe, ex eodem D. Anſelmo ſatis colligitur: quoniam (vt ſupra vidimus) prima in B. Virgine immũda fuit: ſecunda vero mundiſsima. Hac

153. *Explicatur ſenſus Bernardi à nonnullis.* duplici ſuppoſita conceptione in vtero antecedente natiuitatem ex vtero, volũt præcitati Doctores Sanctũ Bernardũ in citatis verbis non agere de ſecunda conceptione Virginis; quando illi fuit infuſa anima rationalis; ſed de ſola prima. Quæ facta fuit in ipſo parentum congreſſu, & ſeminum mixtione. Iam vero quanuis prima conceptio in ipſa Virgine omniũ conſenſu fuerit immunda; quia facta fuit cum libidine; potuit tamen ſecunda eſſe ſancta; quia gratia præueniente potuit impediri reſultantia originalis maculæ. ¶ Iuxta hanc explicationem verba allata ita ſunt explicanda: *ſi igitur ante conceptum ſui*, primum. ſ. & ſecundum, *ſanctificari minime potuit, quia non erat* ſimpliciter. ſ. & abſolute; quia nec in virtute ſeminis exiſtebat: *ſed nec in ipſo conceptu* nimirum primo, quando parẽtum ſemina in vtero Annæ cõmixta ſunt: *propter peccatum, quod inerat*, id eſt, propter immunditiam libidinis, qua ſemina emiſſa ſunt: quem ſenſum ſatis explicant illa Bernardi verba: *Quomodo enim inter complexus maritales ſe immiſcuiſſet ſanctitas?* addit, *reſtat vt poſt conceptum in vtero*, nimirum primum factum per commixtionem ſeminum: *ſanctificationem accepiſſe credatur*, nimirum in ſecundo conceptu, quando anima infuſa fuit: *quæ ſecluſo peccato*. ſ. per gratiam præuenientem maculam naturaliter conſecuturam: *ſanctam fecerit natiuitatem* in ipſo. ſ. vtero, in inſtanti infuſionis animæ, quæ dicitur natiuitas in vtero: *non conceptionem*. ſ. primam quæ facta fuit inter maritales complexus, & in ſeminum commixtione.

Quare præcitati Theologi putant S. Bernardum non agere de natiuitate ex vtero, ſed de natiuitate in vtero, quæ fit in animæ infuſione; hæc enim apud plurimos Patres etiam dicitur natiuitas, quia tunc primo naſcitur homo, & ponitur in mundo, quanuis ſolum ſit in vtero: & hæc diſtinguitur à D. Bernardo à cõceptione prima, quæ fit cum in vtero cõcipitur ſemẽ: & hæc etiã ab Anſelmo dicitur conceptio prima, de qua Anſelmus in d. cap. 7. intellexit illa verba Pſalmi 50: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, illa etiam verba Iob: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* 154.

155. *Non recipitur hæc explicatio.* Sed quam aliena ſit à verbis, & mente Bernardi hæc explicatio euidenter oſtẽdunt ipſamet verba, quæ aperte ſignificant Virginem ſanctificationẽ accipiſſe, poſtquam in propria perſona concepta fuit: vt patet ex illis verbis: *reſtat, vt poſt conceptum in vtero iam exiſtens*: cum verò in vtero non extiterit in propria perſona, niſi rationali anima iam animata; bene infertur Bernardum aſſerere Virginem poſt infuſionem animæ fuiſſe ſanctificatam, & ſubinde non ſolum primam conceptionem per ſeminum cõmixtionem fuiſſe immundam; ſed etiam ſecundam, cum primum habuit animam. Quod etiã manifeſte deducitur ex illis verbis: *Quæ excluſo peccato ſanctam fecerit natiuitatem; non tamen conceptionem*: ea enim intelligẽda eſſe de natiuitate ex vtero, euidenter conuincunt verba immediate conſequẽ- 1. ratio. 156. 2. ratio.

tia:

tia: *quamobrem etſi quibus, vel paucis, filiorũ hominum datum eſt, cum ſanctitate naſci, non tamen & concipi: vt vni ſane ſeruaretur ſancti prærogatiua conceptus.* Quę verba abſq; dubio intelliguntur de natiuitate ex vtero; non vero de natiuitate in vtero, quæ ſit in inſtanti infuſionis animæ: etenim intelliguntur de natiuitate, quam aliquibus, licet paucis, datum eſt eſſe ſanctam: hæc autem natiuitas non eſt natiuitas in vtero per infuſionem animæ; quia hanc natiuitatem eſſe ſanctam non datum eſt pluribus: ſed vel nulli, vel ſoli Chriſto, vnde hoc priuilegium nec Ieremiæ, nec Baptiſtæ conceſſum fuit: licet enim ex vtero nati ſint ſancti: non tamen ſancti nati ſunt in vtero. Quare cum verba immediate ſequentia abſque dubio intelligantur de natiuitate ex vtero; & illa deducantur ex præcedentibus; neceſſario infertur in noſtris verbis ſermonem eſſe de natiuitate ex vtero: aliàs inde non bene inferretur *vni ſoli Chriſto ſeruatam eſſe ſancti prærogatiuam conceptus.* Accedit tertio;

157. 3. *ratio.* quia S. Bernardus in tota illa epiſtola per natiuitatem ſemper intelligit natiuitatem ex vtero: & hãc ſemper diſtinguit â conceptione in vtero, ſiue primo, ſiue ſecundo modo ſumatur. Id ex pluribus illius epiſtolę locis intelliges; ſed illa ſunt apertiſsima: *An non potius, quia præceſsit ſine ſanctitate conceptus, potuit ſanctificari concepta, vt ſanctus ſequeretur & partus.* Concludendum eſt igitur verba illa (de quorum intellectu agimus) *quæ excluſo peccato ſanctam fecerit natiuitatem; non tamen & conceptionem* intelligenda eſſe de natiuitate ex vtero. Quare cum hęc ſola, ex ſententia Bernardi, acceperit ſanctitatem, non verò conceptio; vtique D. Bernardus vni & alteri conceptioni ſanctitatem denegat. Et ſubinde verba illa: *reſtat, vt poſt conceptum in vtero iam exiſtens accepiſſe ſanctificationem credatur* intelligenda ſint de poſterioritate temporis non verò naturæ. Illa etiam: *ſed nec in ipſo quidem conceptu, propter peccatum, quod inerat*, ex mente Bernardi intelligenda ſunt, non de peccato, quo ſemen dicitur immundum; ſed de vero peccato, quod formaliter eſt culpa. Et gauiſus ſũ quod poſt hoc meum iudicium contra præcitatos Theologos ſcripſerit Petrus de Ojeda in ſua informatione pro conceptione B. Virginis cap. 14. §. 1.

Tertio loco in hac ſum ſententia, vt S. Bernardus in hac quæſtione fuerit varius, ſi ea, quæ ſcribit, attente conſiderētur: 158. 3. *aſſertũ. D. Bernardũ dubiũ fuiſſe.* etenim ſi ordinem eorum, quę ſcripſit, attendamus; prima illius opinio fuit, quod B. Virgo originalem maculam in vtero contraxit, & quod ab ea iam contracta in vtero per gratiam fuit libera. Et quod ſublimiori, quam aut Ieremias, aut Baptiſta, ſanctificatione in eodem vtero fuit ſanctificata. Quam opinionem poſtea reliquit, & docuit eam ab originali culpa fuiſſe expertem. Poſtremo (ſi epiſtola ad Lugdunenſes eſt illius) ille ad primam opinionem redijt; non ſimpliciter, ſed ſe ipſum ſubijciendo determinationi Eccleſiæ Romanæ, ſi feſtum Cõceptionis approbaſſet.

¶ Quod vero primum non admiſerit conceptionem Virginis ſine peccato originali, 159. *Primũ ſenſit conceptam in originali.* euidenter mihi probant, quæ ſcribit in 2. ſerm. de Aſſumptione eiuſdem Virginis (quem ſcripſiſſe multo ante tẽpore, quam ſcripſerit ſermones de cœna Domini, ordo ipſe, & operum diſpoſitio ſatis videtur innuere) in eo igitur ſecũdo ſermone ad finem in 1. tom. pag. 325. C. poſtquam docuit in Virgine *nihil proprij inquinamenti fuiſſe, nullumq; actuale peccatum, ita ſcribit: quod ſi originalem à parentibus maculam traxit; ſed minus à Hieremia ſanctificatam in vtero: aut non magis à Ioãne Spiritu ſancto repletam credere prohibet pietas Chriſtiana: hæc enim feſtis laudibus naſcens honoratur. Poſtremo; cum omnino conſtet ab originali contagio ſola gratia mũdatam eſſe Mariam; proprium tamen delictũ non habuit*: quæ vltima verba ſatis declarant priora illa; *quod ſi originalem à parentibus maculam traxit* non eſſe conditionalia, & quaſi per ſuppoſitionem propoſita; ſed hunc habere ſenſum: & quamuis originalem maculam traxit; non tamen minus, quam aut Hieremias, aut Ioannes; ſed magis fuit in vtero matris ſanctificata. Quam etiam opinionem ſatis videtur ſignificare in ſermone Ioannis Baptiſtæ; quatenus aſſerit; *Virginem in maternis circunceptam viſceribus, ſublimiori ſanctifica-*

tionis gratia fuiſſe mundatam, quam fuerint Hieremias, & Baptiſta: quia non ſolum à peccatis abluta fuerit, & repleta Spiritu ſancto; ſed & de Spiritu ſancto poſtea concepiſſe credatur. Iam vero nullus proprie dicitur ablui à peccato, niſi peccato vere ſit immundus: vnde illa verba mundationem præſeruatiuã ſatis excludunt. Quod vero poſtea opinionẽ mutauerit, & docuerit Virginẽ ſine originali peccato conceptã eſſe, ſatis expreſſe probant verba, quæ ſupra adduximus *ex ſerm. 13. de cœna Domini*: vnde pro noſtra opinione cum adduximus *ſupra ar. 1. huius quæſt. loc. 10. n. 21.* Deniq; quod poſtea priorem opinionem probauerit in d. epiſt. 174. late oſtẽdimus: addimus tamen cum Catharino, & Cannſio S. Bernardum non omnino firmiter illam opinionem aſſeruiſſe, ſed cũ trepidatione, vt patet ex illis verbis, *Sanctificationem accepiſſe credatur poſt conceptum*; quę ſolam probabilitatem denotant. Accedant etiam illa: *Ego, quod ab Eccleſia accepi, ſecurus & teneo, & trado: quod non; ſcrupuloſius, fateor, admiſerim.* Vnde in fine epiſtolę ſuam ſententiam iudicio ſubijcit Romanę Eccleſiæ in hæc verba: *Quæ autem dixi abſque præiudicio ſane dicta ſint ſanius ſapientis; Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati, atq; examini totum hoc ſicut & cætera, quæ huiuſmodi ſunt, vniuerſa reſeruo: ipſius, ſiquid aliter ſapio, paratus iudicio emẽdare.* Quę verba ſatis declarant S. Bernardũ ideo cõtra illos canonicos tam acriter inſurrexiſſe; & pro contraria ſtetiſſe opinione; quia propria authoritate incõſulta Romana Eccleſia, & forte inconſulto Epiſcopo, feſtũ Conceptionis Virginis ſub titulo immaculatæ celebrarũt. Quam præcipitationẽ, vt reprehenderet, in cõtraria tunc ſtetit opinione (quanuis forte diuerſam ſenſerit, vt ait Baronius vbi ſupra n. 15.) vt res ipſa de celebrando feſto cõceptionis ſub titulo immaculatę accuratius examinaretur, atque deferretur ad iudiciũ Apoſtolicæ ſedis, vbi ex ſcripturis ſanctis, proditis in mediũ teſtimonijs, prę uijs fidelium precibus Pontificio ſanciretur decreto, celebrandam eſſe in Eccleſia Sanctiſſimæ Dei genetricis cõceptionem, vt ſapienter aduertit Baronius loco citato. Quare ſine vlla dubitatione

160. *2. mutauit ſententiã.*

161. *Tandẽ ad 1. opinionẽ accedit, & quomodo?*

162. *Intentio eur ſenten tiam muta uit.*

affirmauerim S. Bernardum noſtram & ſuam ſententiã nõ ſolum iterũ & firmius probaturum fore; ſed etiam magnopere veneraturũ, ſi nunc viueret, videretq; feſtum Conceptionis, non iam in aliquibus Eccleſijs, ſed in omnibus ſedis Apoſtolicæ, Romanæq; Eccleſiæ inſtitutione, & generali decreto, tanta cũ fideliũ pietate, & deuotione publicè celebrari; quod eſt omnium ſcribentium, & ſapientum indubitatum iudicium.

¶ *Concluſio huius §.*

Ex his, quę diximus, iã patet ex Patrib⁹, & ex ijs, qui inter ſcholaſticos nõ enumerãtur, quatuor tantũ poſſe afferri, qui affirmauerint B. Virginẽ in ſua cõceptione peccatũ originale de facto contraxiſſe: ſ. Gerardum Epiſcopũ, & martyrẽ, ſi vera ſunt, quæ ex illo afferũtur: etenim Bandello nõ ſatis credendũ eſt, cũ in referendis authoribus ſępius falſitatis accuſetur. Secũdo loco referri poteſt teſtimonium Innocentij III. (cuius authoritas magni eſt facienda) quanuis illius teſtimonium non ſatis videatur firmum; cum verba accommodate explicari poſſint, non de culpa formaliter, ſed de debito illius. Tertio loco in eadem opinione fuit Clemens VI. cuius verba adeo ſunt clara, vt dubitari nequeat eum hanc habuiſſe ſententiam. Vltimo referri poteſt S. Bernardus: qui licet fuerit varius; hanc tamẽ ſententiam tenuit ſubijciens eam iudicio Eccleſiæ.

163. *Concluſio huius §. 2. Quatuor tãtum Patres pro contraria ſententia.*

Cum vero pro opinione, quod Virgo actu contraxit originale peccatum, ſolũ quatuor præcitati Patres poſſint afferri; non poſſum non admirari, quod Caietanus, vir alioquin circumſpectus, in dicto tract. de Conceptione Virginis non ſolũ referat quindecim Patres pro oppoſita & ſua ſententia; ſed etiam affirmet pro ea expreſſe ſtare magnam antiquorum Patrum, & priſcorum Doctorum multitudinem: cum tamen ex ijs, quæ tam latè oſtendimus, euidenter conſtet ex Patribus, & Theologis, qui ſcholaſtici non ſint, ſolos quatuor pro illa ſententia adduci poſſe. Nam pro illa adduci non poſſe, quos §. 1. huius ſecundi articuli citauimus, ſatis euidenter patet ex ijs, quæ diximus. Quod vt euidentius fiat

164. *Reprehenduntur aduerſarij.*

expendemus impugnationes Caietani, quibus impugnat explicationes, quibus præcitatos Patres ſupra explicauimus.

§. 3.

Expenditur an Caietanus ſufficienter impugnet explicationes Patrum adductas §. 1.

165. *An explicationes Patrum ſufficienter impugnentur à Caiet.*

VT euidentius conſtet opinionem, quæ aſſerit B. Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam, ex Patribus, & Doctoribus non ſcholaſticis habere Patres ſolo numero quatuor; operæpretiũ erit expendere, an explicationes, quibus §. 1. explicauimus, quinquaginta quinque Patres, qui pro contraria opinione adducũtur, ſufficienter impugnentur à Caietano in d. tract. de concept. Virginis c. 4. §. *Et quia authoritates*: etenim ſi fiat euidens prçcitatos Patres, ſatis ſufficienter ad illorum mentem explicari; euidens etiam erit, aduerſarios contra Virginis puritatem falſo, ne dicam fraudulentur, pro ſua opinione referre. *Caiet.*

166. *Tres ſunt gloſſæ, ſiue explicationes.*

Pro maiori huius rei explicatione, prç-mittendũ eſt, Caietanũ tres gloſſas, ſiue explicationes adducere, quibus Sanctorũ authoritates explicauimus. Prima eſt; qđ intelligendæ ſint de lege in cõmuni, ſiue de lege ordinaria ſecluſo ſpeciali priuilegio. *1. gloſſa.* Secunda eſt; quod ſint intelligendæ vel de facto, vel ex debito: ita vt ſancti in indiuiduo agẽtes de B. Virgine, & docẽtes eã peccatũ originale incurriſſe; intendant, quod illud incurrerit, nõ de facto, ſed ex ſe, & ex debito; quia. ſ. illud debuerat incurrere; quanuis de facto, Deo eam præſeruãte, non incurrerit. *2. gloſſa.* Tertia deniq; explicatio ſit, vt Sancti, dum dicunt B. Virginẽ in peccatis fuiſſe conceptam, id intelligant de prima cõceptione ante infuſionẽ animæ rationalis; non vero de ſecũda cõceptione, quæ fit, quando anima rationalis infũditur. *3. gloſſa.* Has tres Sanctorum explicationes Caietanus late impugnat: interim ſupponẽs tanquã indubitatum, quod omnes illi Patres, in indiuiduo agũt de B. Virgine: & quod omnes expreſſe, & formaliter affirment Virginẽ cũ orig. culpa fuiſſe cõceptã, & pec. originale in ſui conceptione contraxiſſe. Vtroq; autẽ ſuppoſito, multis impugnat tres illas Patrũ explicationes, quas ex eo retulimus.

Non admittuntur duæ ſuppoſitiones, quas Caietanus ſupponit.

167. *Non recipiuntur ſuppoſitiones Caietani. 1. ſuppoſit.*

Sed antequam ad ſoluendas obiectiones à Caietano adductas accedamus; expendenda eſt vtraq; ſuppoſitio, quam vt indubitatam ſupponit. Et quod attinet ad primam, negamus magnã illam Patrũ multitudinem, quam videre iubet vel in fontibus, vel in Bandello, in indiuiduo agere de B. Virgine: licet enim quindecim illi Patres, quos Caietanus citat in d. c. 4. in indiuiduo agant de ea, magna tamẽ eorum multitudo, quos ex Bandello retulimus, ſolum proferunt propoſitiones generales, nihil de Virgine in indiuiduo agentes: ita *Irenæus, Origenes, Cæſareus Arelatenſis, Cyprianus, Rethicius, Athanaſius, Hilarius, Abraham Syrus, Ephrem, Theodorus, Olympius, Græcus Epiſcopus, Baſilius, Nyſſenus, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Seuerinus, Caſſianus, Sedulius, Cyrillus Alexand, Fulgentius, Proſper, Petrus Tripolitanus, Caſsiodorus, Burchardus, Damianus, Aymon, Zacharias, Theodorus, Rabanus, Iſidorus Hiſpalenſis, Marinus, Bonifacius Papa III.* hi omnes à Bandello relati non agunt in indiuiduo de Virgine, qui ſunt numero 35: non negabo tamen ex ijs, qui etiam ſunt adducti, quamplurimos in indiuiduo de Virgine egiſſe: hi autem ſunt numero 20: *Theophilus Alexand. Emiſſenus, Auguſtinus, ſanctus Maximus, Leo I. Remigius, Boetius, Gregorius, Beda, Damaſcenus, Richardus, Rupertus Linconienſis, Gilbertus Porretanus, Alcuinus, Vincentius, Rupertus Abbas, Bernardinus de Senis, S. Antonius, denique Innocentius III.* fatemur hos omnes in indiuiduo egiſſe de Virgine: dicimus tamen nullum eorum contra Virginis immunitatem docuiſſe, vt iam oſtendimus. 168. Quare Caietanus in prima ſuppoſitione aperte decipitur; dum putat Patres, & Theologos à Bandello allatos de Virgine in indiuiduo diſputare.

169. *Non recipitur 2. ſuppoſitio.*

Sed turpius decipitur in ſuppoſitione ſecunda, dum tanquã veriſsimũ ſupponit Sanctos, & Theologos à ſe, & à Bandello allatos expreſſe docere *Virginẽ in peccato originali fuiſſe conceptam, & illud in ſui conceptione contraxiſſe.* Quod eſſe falſiſsimũ

aduer-

Corduben.

aduertit *Cordubenſis in d. lib.1. q. 44. pag. 375. col.1. in princip.* & euidenter colliges ex verbis, quæ ex illis à Caietano, & Bādello referuntur: conſtat enim illos 35. quos ſuperius retulimus, non agere in indiuiduo de Virgine; ſed propoſitiones generales docere. Ex alijs vero, qui de Virgine in indiuiduo loquuntur, nullus inuenitur, qui adductas à Caietano propoſitiones formaliter ſcribat. Quod vt fiat euidentius, ſingulorum verba proferemus. Auguſtinus ſolum dicit: *B. Virginem ex Adam mortuam fuiſſe propter peccatum Adæ: & carnem eius eſſe carnem peccati, & peccatricē.* Emiſſenus ſcribit *Virginem à nexu originalis peccati non extitiſſe immunē, & fuiſſe peccati debitricem.* S. Maximus ait: *Quod Virgo fuit in vtero ſanctificata, & mundata ab omni contagione originalis peccati.* Leo Papa: *Quod de matre Domini aſſumpta eſt natura, non culpa.* Remigius: *Quod B. Maria ab omni macula fuit mundata.* Baſilius: *Quod Virgo fuit ex illis, qui per Adæ præuaricationem ceciderunt.* Gregorius: *Quod Virgo exijt de propagine mortalitatis.* Beda: *Quod Spiritus ſanctus Virginem ab omni vitiorum ſorde caſtificauit, & cor eius temperauit ab omni æſtu carnalis concupiſcentiæ: & quod caro Virginis eſt caro peccatrix.* Damaſcenus: *quod Spiritus S. virtute ſanctificatiua Virginem obumbrauit, purgauit, & ſanctificauit.* Andreas Ieroſolymitanus: *Quod Chriſtus aſſumens carnem ex Virgine eam ab omni puluere peccati, in quo prius conculcabatur, purgauit.* S. Antonius: *Quod Virgo fuit in vtero matris ſanctificata.* Richardus de S. Victore: *Quod Virgo ad plenum purgata fuit.* Rupertus Linconienſis: *Quod Virgo tenebras peccati originalis abiecit.* Et præterea: *quod caro illius in prima primi parentis præuaricatione fuit peccatrix.* Alcuinus: *quod caro Virginis per peccatum originale corrupta fuit: & quod caro Chriſti, antequam eſſet Verbi, fuit obnoxia peccato.* Gilbertus Porretanus: *Quod Virgo cum cæteris omnibus ex primorum parentum præuaricatione peccato, & morti ſubiacuit.* Honorius tertius: *Quod Altiſſimus Virginem in vtero ſanctificauit, & ab originali peccato mundauit.* Denique Bernardinus de Senis: *Quod ſanctificatio maternalis in vtero matris remouit culpam originalem.*

Conſtat igitur nullum ex Patribus adductis formaliter ſcripſiſſe Virginem in peccato originali fuiſſe conceptā. Quare Caietanus (qui nos falſarios appellat) optimo iure poteſt falſitatis damnari, quatenus aſſerit prçcitatos Patres illam propoſitionem in terminis docuiſſe: ſed nec ex illis talem propoſitionem bene inferri, facile intelliges ex ijs, quæ de his Patribus oſtendimus. 170.

Caietanus damnatur falſarij.

Sed fortaſsis aliquis dicet præcitatam propoſitionem in terminis à nōnullis Patribus ſcribi: nimirum ab Anſelmo, Ruperto Abbate, & S. Vincentio. Ad quod reſpondeo propoſitionē illam falſò imponi S. Vincentio, vt de illo iam oſtēdimus: quin potius eum immunitatem Virginis & aſſeruiſſe, & confirmaſſe aduertimus §.1. & 2. Verba autem D. Anſelmi non eſſe illius docentis, ſed diſcipuli interrogantis ſuperius mōſtrauimus. Verba autem Ruperti Abbatis (quamuis Suario videatur propoſitionē Caietani manifeſte continere; quod ego aliquando exiſtimaui) re tamen diligentius conſiderata, oppoſitum dicendum puto, cum illa accommodatiſsimè explicari poſsint, nō de actuali cōtractione originalis culpæ; ſed de debito, & obligatione ad illam contrahēdam, vt ſuperius aduertimus. Quare non eſt audiendus Caietanus, ſed accuſandus potius falſitatis, dum ſupponit Patres in contrarium adductos, & à nobis explicatos expreſſe docere B. Virginem cum peccato originali fuiſſe conceptam. 171.

Inſtantia pro Caiet.

Solutio.

¶ *Defenditur prima explicatio.*

His ita præmiſsis iam expendamus, an obiectiones, quibus Caietanus tres illas gloſſas ſiue explicationes, quibus Patrū teſtimonia explicauimus, ſufficiēter impugnent? ¶ Et quod attinet ad primam gloſſam; concedimus plurimorum Patrū authoritates explicandas eſſe de lege cōmuni, & ſecundum legem ordinariam: illas nimirum, quæ abſolute docent omnes Adami poſteros originale peccatum ex Adamo contrahere; & ſimiles alias ſententias, quæ generaliter ab illis aſſeruntur: nam hanc explicationem ſatis admittit *Concilium Tridentinum ſeſſione 5. in decreto de peccato originali in fine*, dum declarat non eſſe ſuæ intentionis com- 172.

Defenditur prima gloſſa.

Trident.

prehēdere B. Virginē in decreto, quo generaliter diffinitur omnes ſeminaliter ab Adamo propagatos peccatum originale ipſa generatione contrahere: facit igitur nobis facultatem, vt generalē illam fidei doctrinā intelligamus in cōmuni, & ſecundum legem ordinariā à Deo ſtatutā: quod non tollit quominus B. Virgo ex ſpeciali priuilegio fuerit à peccato præſeruata, & libera. Porrò ſi illam generalem regulam ab Eccleſia definitam, eiuſdem Eccleſiæ facultate, poſſumus intelligere, vt vera ſit in communi; & ſecūdum legē ordinariam; vtique eandem regulam generalem à Patribus aſſertam ſatis accommodate poſſumus explicare, vt vera ſit ſecundum legem communem à Deo ſtatutam, quæ diſpenſationem ſpecialem non excludit. Cui ſolutioni accedit regu

173. *Regula iuris.* la iuris, quod lex à principe ſtatuta, quātūuis generalis ſit, nō tollit ab eo poteſtatem diſpenſandi, & eximendi â ſua lege, quem voluerit: vnde diſpenſando cū aliquo ex gratia ſpeciali, legem non violat; quia generalitas legis ex natura eiuſdem legis intelligitur, niſi princeps cū aliquo diſpēſauerit, & à lege cū immunē fecerit. Quare cū multitudo Patrum generaliter doceat omnes Adami poſteros ex Adamo trahere peccatū originale: omnes in Adamo fuiſſe peccato vulneratos; & ſimiles alias ꝓpoſitiōes; generalis illa doctrina accōmodatiſsime explicabitur, vt ſit vera in cōmuni, & ſecūdum potentiā ordina-

174. *Chryſoſt.* riā. Quem ſenſum ſatis videtur explicaſſe Chryſoſtomus homil. ad Olympiū, dum ait, *Peccatum Adami totum genus humanū in commune damnaſſe*: in cōmune, inquā, .i. generaliter, & ſecundum legem generalem, & ordinariam à Deo ſtatutā. Ean-

Guillerm. Pariſienſis dem gloſſam, & explicationē ſatis nobis ſignificat *Guilermus Pariſienſis* 1. *tom. in tract. de vitijs & peccatis c. 5. pag. 257. col.* 1. dum ait, *originale peccatum contrahi à carne, & à parentibus, exceptis ijs, qui priuilegio gratiæ exempti ſunt.*

175. *Obiect. Caietani.* Obijcit Caietanus: quoniā hæc doctrina non habet locū, quando ſermo eſt non in cōmuni, ſed de aliquo indiuiduo: iam vero Patres & ſancti (vt ait) non loquuntur in cōmuni, ſed in indiuiduo de Virgine, docentes B. Virginē in particulari ſubiacere peccato originali in ſui cōceptione. Ad hanc obiectionē primum dicimus Patres â Caietano citatos agere quidem de Virgine in particulari, non tamen de ea 176. *Non recipitur.* ita agere Patres, quos Bandellus refert; quia loquūtur de omnibus generaliter, & in cōmuni, nullum de Virgine verbum facientes, vt ex dictis patet, quibus ſolis primam explicationem accōmodamus. Deinde aduertimus ex Patribus, qui teſte Caietano in indiuiduo agunt de Virgine nullū dixiſſe eam in peccatis fuiſſe conceptam, vt immediate ſupra oſtendimus. Vnde cum fundamentum inſtantię falſum ſit; inſtantia omnino corruit.

¶ *Defenditur ſecunda Gloſſa.*

Secūda gloſſa, quā refert Caietanus, à nobis probata, aſſerit ſanctos Patres, quādo 177. *Defenditur 2. gloſſa.* dicunt B. Virginem cōtraxiſſe originale peccatū nō intelligi de facto; ſed ſecundū debitum, & ex vi ſuæ generationis; ita vt ex ſe habuerit debitū contrahēdi peccatū originale; cū quo bene cōſtat, Virginē ex *Inſtantia Caietani.* ſpeciali priuilegio de facto, & actu nō cōtraxiſſe originalē maculā. Quam gloſſam tripliciter impugnat. Primò, quia ſi iſta 1. *inſtātia.* verba *Virgo cōcepta eſt in peccato originali: peccatū originale contraxit* non ſignificāt actualē contractionē, ſed debitū, & obligationē cōtrahendi; nulla dari poſsūt verba, quibus ſignificetur Virginē originale peccatū actu contraxiſſe. Deinde; quia, ſi *Secunda.* Patres nō vellent ſignificare actualē contractionē, ſed debitū ad illam; alijs verbis ſuā mentē ſignificarent. Tertiò; quia Pa- *Tertia.* tres ſimpliciter & abſolute docent Virginē originale contraxiſſe abſq; vlla conditione diminuēte: iam vero illa gloſſa ex ſe denotat diminuentem conditionē: etenim qui aliquid habet non actu, ſed ſolo debito, quatenus. ſ. illud ſibi debetur; non habet illud ſimpliciter, ſed ſecundū quid. His motus Caietanus nō ſolū gloſſas illas appellat fatuas, & temerarias, ſed etiam corruptiuas authoritatum Sanctorum.

178. *Reprehenditur Caietanus.* Sed mirum eſt, quod Caietanus Gloſſas illas appellet fatuas, temerarias, & corruptiuas locutionum, quibus Patres vtūtur; *Patres his gloſsis vtūtur.* cum plures ex Patribus illis gloſsis, & explicationibus vtantur: etenim Irenęus *Iren.* ex anno poſt Chriſtum 150. ſcribit *totū genus hominum peccato Adami aſtrictū eſſe.*

Rethi-

Rethitius. Rethitius ex anno 310. ſolum ait: *omnes hominem, excepto Chriſto, antiqui criminis teneri obnoxios.* Idem colliges ex Grego-
Gregor. rio, quatenus generaliter docet *omnes ho-*
Leo papa. *mines peccato Adami eſſe obnoxios.* Leo Papa ſcribit: *Nullũ hominem, excepto Chriſto, à reatu peccati eſſe liberum.* Reatus autẽ nihil aliud eſt, quam debitum, & obliga-
Euſebius. tio. Euſebius Emiſſenus ex anno 340. in lib. de Conceptione Virginis c.4. ita ait: *à peccati originalis nexu per ſe non eſt immunis, nec ipſa Dei genitrix: ſolus Chriſtus, licet de debitrice naſcatur, legis veteris debito non tenetur.* Sãctus etiam Seuerinus ex anno
Seuerinus. 400. in homil. Dominicæ poſt feſtũ Trinitatis, ita ait: *Omnes homines ab Adamo vſque ad Chriſtum debitores fuerunt propter peccatum, quod naſcentes traxerunt, vno ſolo*
Tripolit. *Chriſto excepto.* Accedat B. Petrus Tripolitanus ex ann. 490. in ſua gloſſa ad epiſt. ad Romanos, vbi ſcribit: *Adamum ſuo peccato omnes ſuos poſteros obligaſſe, & debitores feciſſe.* Quare nec ſtulta eſt, nec teme-
179. *Cõcluditur contra Caietanum.* raria gloſſa, quę docet filios Adami ex ſe, & ex vi ſuæ generationis obligatos eſſe, & debitores ad contrahendum peccatum originale: nam cum præcitati Patres hac vtantur phraſi, & cõſtet apud eos debitũ hoc ad contrahendum originale nõ poſſe non diſtingui ab actuali cõtractione eius; cum debitum obligationem denotet; cõtractio vero ſolutionem eius, quod debetur: & actualis ſolutio ex ſua eſſentia ſit ſeparabilis à debito; quia ex gratia ſpeciali poteſt à Deo remitti, & impediri, ne detur; profecto non corrumpuntur generales Sanctorum locutiones; ſi vt ſunt generales, & abſque vlla exceptione, intelligantur non abſolute, ſed addita gloſſa *ex ſe, & ex vi debitoq́; generationis ſeminalis*
180. *In quo deceptus ſit Caiet.* *ex Adamo.* Caietanus vero in eo ſtulte & plusquam temerarie eſt deceptus, quod tanquam indubitatũ ſupponat ſanctos in terminis docere hãc propoſitionẽ: *B. Virgo in peccato originali cõcepta eſt: peccatum originale contraxit*, quod tamen eſſe falſũ, ſi ſermo eſt de Patribus, iam oſtendimus: nullus enim, tribus vel quatuor exceptis, illas docet propoſitiones; ſed ſolum ſcribunt, *Carnẽ Virginis eſſe carnem peccatricẽ: eſſe carnem peccati*: quæ tamen locutiones longe ſunt diuerſæ à prioribus: priores enim ex vi ſuæ ſignificationis denotant actualẽ contractionẽ, & ſolutionẽ debiti: poſteriores vero ſolum ſignificant obligationẽ, & debitũ, vt patet, & ſatis explicat Emiſſenus, vbi ſupra. Iam vero debitũ ſtare poteſt ſine actuali ſolutione eius, quod debetur. Quare Caietanus non ſolũ falſitatis argui poteſt in prima inſtantia, *Iterum reprehẽditur*
ſed etiã in ſecũda, quatenus ſupponit Pa- *Caiet.*
tres ſuis propoſitionibus non ſignificaſſe debitũ peccati, ſed actualẽ illius ſolutionẽ. Quod vero in 3. inſtantia adducit (.ſ. *quod habetur ex ſolo debito, non ſimpliciter* *Ad 3. in-*
habetur, ſed ſecundũ quid) admittendũ eſt. *ſtantiam.*
Vnde libenter fatemur B. Virginẽ ſimpliciter & abſolute non habuiſſe maculã culpę originalis; ſed ſolum ſecundũ quid; quia eam ſolũ habuit in debito, & ex vi ſuæ conceptionis: qui habendi modus eſt ſecundũ quid: ſiquidẽ diſtrahat ab actu tali culpæ. Hoc autẽ eſſe abſurdum ſolus Caietanus, & aduerſarij exiſtimabũt: nos tamen cum patronis noſtræ ſententię nõ modo nõ putamus id eſſe abſurdum; ſed aſſerimus eſſe veriſsimum: in quo nobiſcum conſentit Cordubenſis in d. lib. 1. queſtionar. q 44 ad 4. arg. pa. 356. col. 1.

¶ *Defenditur tertia Gloſſa.*

Tertia gloſſa eſt, vt Patres, qui docent B. 181.
Virginẽ in peccato originali fuiſſe con- *Defẽditur*
ceptã, intelligantur de cõceptione prima, *3. gloſſa.*
quæ fit per receptionem ſeminũ in vtero matris: nõ vero de cõceptione ſecũda, quę fit in inſtãti infuſionis animę, quãdo primo cõcipitur homo capax peccati, quaſi Doctores, & Sancti, dum aſſerũt *Virginẽ fuiſſe conceptam in peccato originali* intelligantur de prima conceptione, non vero de ſecunda. Qua ſuppoſita explicatione facile intelligitur, quod Virgo nunquam ſubiecta fuit culpæ originali.

Hanc explicationẽ late impugnat Ca- 182.
ietanus; imò eam appellat ſtultitiã: tum; *Impugna-*
quia Sancti loquuntur de culpa originali: *tio ex Caie*
cum tamen prima conceptio illius non *tano.*
ſit capax, ſed ſola ſecũda: tum etiam, quia Sancti eodem modo loquuntur de conceptione B. Virginis, quo loquuntur de aliorum hominum conceptione.

Sed non poſſum non admirari, quod 183.
Caietanus Theologus tantæ authoritatis *Reprehen-*
& eruditionis ſtultitiam appellet, quod *ditur Caie.*

S. Anſelmus verbis expreſsis docet, vt ſupra vidimus in illius teſtimonio: reprehendenda eſt igitur Caietani audacia, & temeritas; maxime cum doctrina Anſelmi à Theologis doctiſsimis ſit approbata ſcilicet *à Bellarmino, Valentia, & Suario,*

184. *Reſolutio.* *vt ibidem oſtendimus.* Sed omiſſa Caietani temeritate, dicimus non ſine maximo fundamento admittẽdas eſſe duas cuiuſque hominis conceptiones in vtero; quarum prima fiat, quando ſemina parentũ in vtero comiſcentur: ſecunda vero, quãdo anima rationalis infunditur. Et quanuis hæc poſterior ſit vera & propria conceptio hominis; prima tamen ſatis accõmodate dici poteſt hominis conceptio; quia homo generandus, iam eſt extra potentiam generatiuam parentum, & continetur in virtute ſeminis concepti, ita vt hominis conceptio aliquo modo iam detur. Cum vero ſemen iſtud, ideo quia eſt ab Adamo, poſsit dici immundum; non immunditia formalis culpæ, ſed immunditia culpæ communicandæ; vtiq; homo iam poteſt dici in immunditia genitus. Quare ſicut natura humana ex Adamo

185. propagata immunda eſt immunditia originalis peccati, ex eo præciſe, quia ex vi ſuæ generationis ſubiecta eſt debito originalis culpæ; & quia ex vi ſuæ generationis communicatiua eſt culpę originalis: ita etiam ſemen illud in vtero ex concubitu conceptum dicitur immundũm, ex eo præciſe, quia in hominem à ſe generandum culpæ originalis eſt transfuſiuum: vnde ſuo modo homo in illa prima generatione dici poteſt immundus concipi, & in iniquitatibus, & peccatis, vt D.

D. Anſelmus. Anſelmus fatetur, & ſatis confirmat D. Bernardus, dum ait: *Inter complexus ma-*

D. Bern. *ritales ſanctitatem ſe non immiſcere.* Vtrum vero illa verba Pſalmi 50: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, &c.* intelligi poſsint de prima conceptione? alterius eſt quæſtionis: ſicut etiã alterius quæſtionis eſt; an Patres, quos contraria opinio pro ſe habet, accõmodate explicentur de prima conceptione; an vero de vtraque? Ego dicerem ſatis probabiliter eos de prima cõceptione explicari poſſe, ſi ſimpliciter ſcribant Virginem in originali conceptã eſſe: ſecus, ſi ex ijs, quæ conſequenter ſcribunt, conſtet eos ſuam propoſitionẽ de vtraque intelligere, vt de D. Bernardo diximus ſuprà §. 2.

ARTICVLVS III.

Quænam ſententia inter Patres communior ſit & antiquior?

1. *Quæ ſit cõmunior & antiquior.* IN primo articulo huius quartæ quæſtionis §. 1. & 2. adduximus Patres tam antiquos, quam modernos, qui vel in terminis, vel efficaciter probant Virginem ſine originali peccato fuiſſe conceptam: adduximus etiam in 3. §. eos, qui huic opinioni maxime fauent. In 2. autẽ art. diligenter expendimus, quinam Patres oppoſitam docuerint ſententiam: id, quod fecimus, vt aduerſarios confunderemus; imò accuſaremus falſitatis eos, qui affirmant nullum ex Patribus pro noſtra ſtare opinione: omnes autẽ pro ſua; & inde inferunt noſtram opinionem eſſe nouã; ſuam vero apud Patres eſſe veterẽ, & vno conſenſu receptam: adeo vt nobis improperent, quod ex Patribus habeamus neminem; ex antiquis vero Theologis illuſtrem nullum: cum tamẽ ex ijs, quæ diximus, euidenter conſtet fere omnes Patres pro noſtra ſtare ſententia: pro aduerſaria vero ſolum quatuor. 2.

¶ Hanc veritatem in ſuperioribus latè cõfirmatam, in hoc art. per modum epilogi oſtendemus. Et priori loco citatis Patribus (qui â ſcholaſticis diſtinguuntur) monſtrabimus opinionem noſtram pro puritate Virginis in ſinu omnium fere Patrum ſecuram requieſcere: contrariam vero pro ſe ad ſummum habere tantum quatuor Patres. Deinde oſtendemus noſtram pro B. Virgine opinionem multis ſæculis aduerſariam præceſiſſe.

§. 1.

Quod longe ſit communior.

3. *Eſt communior.* QVod noſtra ſententia apud Patres antiquiores, & moderniores lõge ſit communior, & fere omnes habeat, qui & ſanctitate, & doctrina in Eccleſia ſunt illuſtriores, euidenter oſtenditur ex dictis art. 1. huius quæſtionis: etenim quod B. Virgo ſine peccato originali fuerit concepta, in proprijs terminis ꝓbarũt ſeptẽ & viginti Patres ſanctitate & doctrina clariſsimi. Expreſſe id docet S.

S. Cecilius *Cecilius martyr Apoſtolorum diſcipulus in lib.* Granatę in monte ſancto cum pluribus reliquijs inuento: de cuius veritate dubitare non poſſe, late oſtēdimus ſupra q. 3. ar. 1. ſect. 4. & q. 4. ar. 1. §. 1. n. 7. *Secundo loco*

Sedul ius. *Sedulius vir literis diuinis. & ſæcularibus eruditiſsimus.*

Ildephōſus *Tertio Sanctus Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus, de cuius ſanctitate, & eruditione nullus dubitare poteſt.*

Idiota. Fulbertus Damianus. Anſelmus Brunus. Iuo Carnotenſ. D. Bernardus. Adamus. S. Victor. Petrus Ripa. Vincētius. Linconienſis. Genuenſis. Vtino. Tauler. Laurent. Iuſtinian. Bernard. Nicolaus, Apollin. Pipinus. Santius. Mantuan. Budæus. Vida.

Quarto Sanctiſsimus, & doctiſsimus Idiota, cuius eruditionē hæretici reformidant. Quinto Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis inter omnes ſui temporis doctiſsimus. Sexto, Petrus Damianus Doctor illuſtris. Septimo S. Anſelmus inter Patres ſanctitate, & eruditione notiſsimus. Octauo S. Brunus Ordinis Carthuſianorum fundator. Nono, Iuo Carnotēſis ſuo tempore illuſtris, & decretorum cōpilator. Decimo D. Bernardus (quanuis poſtea cōmotus quorundam canonicorum audacia dubius fuerit) Vndecimo loco Adamus de S. Victore. 12. Petrus de Ripa inter omnes ſui temporis doctiſsimus 13. Vincentius Valuacenſis. 14. Rupertus Linconenſis ſuo tempore omnium peritiſsimus. 15. Iacobus Genuenſis Ordinis Prædicatorum doctrina illuſtris. 16. Leonardus de Vtino eiuſdem ordinis, & in eodem Theologus celebris. 17. Ex eodem ordine doctiſsimus Ioannes Taulerus. 18. Sanctiſsimus, & doctiſsimus Laurentius Iuſtinian. qui inter Patres non infimum meretur locum. 19. Bernardinus Senēſis. 20. Nicolaus Cuſanus. 21. Petrus Apolinaris vir eruditiſsimus. 22. Guillermus Pipinus magnæ eruditionis Theologus. 23. Santius de Lapuerta Ordinis Prædicatorum. 24. Baptiſta Mantuanus ſuo tempore celebris. 25. Guillermus Budæus vir eruditiſsimus. 26. Hieronymus Vida. Vltimo loco refertur communis conſenſus omnium Vniuerſitatum, Religionum, & Theologorum Cēturia 1500. & 1600.

4. Addūtur alij 9. Patres.

Hi ſunt Patres, & Theologi, qui in indiuiduo docent, B. Virginem ſine vlla peccati originalis labe conceptam fuiſſe, & ſubinde habuiſſe conceptionem ſanctam, & penitus immaculatam. Quibus non immerito ad[illegible] poſſunt nouem numero Patres, qui, ſi non in terminis id docent, id tamen efficaciter cōfirmant: hæc enim ſententi[illegible] efficaciter deducitur, ex

Damaſce. Hierony.

Damaſceno, Athanaſio, Authore commentariorum in Pſalmos apud Hieronymum: Ambroſio, Sophronio Ieroſolymitano, Germano Conſtantinopolitano: Anſelmo: S. Vincentio Ferreira, quos retulimus ſupra art. 1. §. 2. & tandem ſatis efficaciter eam probat Pater Auguſtinus, vt late oſtendimus in d. artic. 1. §. 4. vt omittamus duodecim teſtimonia Sanctorum Patrum, quæ huic immunitati maxime fauent, quæ videre poteris in dicto artic. 1. §. 3.

Ambroſ. Sophron. German. Anſelm. S. Vincē. Auguſt.

5. Pro contraria ſolū ſūt 4. Patres.

Quibus ſi addamus pro aduerſaria ſententia ſolum referri poſſe quatuor numero Patres, vt late probauimus in præcedēte art. 2. per totum. Conſtat aduerſarios falſitatis euidenter conuinci, dum conſtāter, & vno ore ſcribunt nullum ex Patribus atque illuſtribus Theologis pro noſtra ſtare ſententia. Sed omnes indubitāter ſuam aſſerere.

§. 2.

Noſtram ſententiam eſſe multis ſæculis antiquiorem.

6. Eſt longe antiquior.

EX dictis in 1. & 2. artic. non ſolū cōſtat noſtrā ſententiā, quæ puritatē cōceptionis B. Virginis defēdit, inter Patres, & Theologos illuſtres eſſe longe communiorem; ſed eam eſſe multis ſęculis antiquiorem, quam ſit oppoſita; vt inde etiam appareat aduerſarios ex hoc etiam capite eſſe falſarios, quod affirmant noſtram opinionem eſſe nouam.

7. Fuit apud Rabinos.

Quod igitur attinet ad antiquitatem opinionum; non eſt contemnendum teſtimonium Galatini lib. 7. cōtra Iudæos cap. 1. quo affirmat apud antiquos Rabinos ante Chriſti aduentum, eam iam percrebuiſſe ſentētiam, vt dicerent matrem Meſsię ab originali peccato futuram eſſe immunem, & puram. Deinde accedat teſtimonium Sancti Cecilij *Apoſtolorum diſcipuli*, qui in medio primæ Centuriæ poſt Chriſti natiuitatem floruit anno 50. ex quo euidenter probatur, noſtram iſtam ſententiam ab ipſis Apoſtolis initium ſumpſiſſe. Quod etiam ſatis colligitur ex *S. Andræa Apoſtolo*, qui abſque dubio aſſeruit *B. Virginem nunquam fuiſſe maledictam*. Ex ſecunda Centuria ſatis eam probant *Origenes, & D. Cyprianus*. Ex tertia Centuria eandem veritatem efficaciter probant *D. Athanaſius ex anno 340. D. Hieronymus, D. Ambroſius, &*

D. Auguſtinus. Ex Centuria quarta in terminis probarunt noſtram ſententiam *Sophronius Ieroſolymitanus, Sedulius, Eſichius Presbyter.* Ex Centuria quinta *Fulgentius, & Arator ſubdiaconus Romanæ Eccleſiæ.* Ex ſexta Centuria *Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus.* Ex ſeptima *Germanus Conſtantinopolitanus: Damaſcenus: Synodus Francofordienſis.* Ex Centuria decima *Anſelmus, & Petrus Damianus, vt omittamus eos,* qui poſt Centuriam decimam (poſt annum ſ. milleſimum) vſq; ad noſtra tempora floruerunt. Cum tamen ante decimam Cẽturiam nullus inueniatur, qui contrariam ſententiam in ſpeciali probauerit: etenim ſi expendantur Patres, quos ſupra art. 2. §. 2. & 3. pro contraria ſententia adduximus; inueniemus ſolũ quatuor Patres eam expreſſe, & in terminis docuiſſe. Primus fuit S. Martyr *Erardus, ſiue Gerardus*, qui floruit in Centuria decima, & paſſus eſt anno Domini 1047. vt ex Tritemio refert Baronius in annotationibus ad Martyrologium Romanum 2. die Septembris litera D. In Centuria 11. eandem probauit S. *Bernardus*, quamuis dubius, vt iam oſtendimus. Eandem in Centuria 12. ſcripſit Innocentius tertius; & in 13. Centuria Clemens Sextus.

Erardus in 10. Centuria.

In 11. Centuria D. Bernard.

8. *Noſtra opinio à principijs Eccleſiæ incepit.*

Ex quibus euidenter patet ſententiã, quæ B. Virginem ab originali liberat, ab ipſis Eccleſiæ principijs incepiſſe, & apud Patres multis annorum centurijs antiquiorem eſſe, quã oppoſitam, quidquid Aduerſarij non ſine magna falſitatis nota reclament. Nec in hoc audiendus eſt, *Doctiſsimus Paiua*, quatenus non inficiatur noſtram ſententiam recentem eſſe, & nouam, vt ſcribit *lib. 5. defenſionis Tridentinæ Fidei fol. 353. pag. 1.* nam quomodo opinio noſtra recens & noua dici poteſt, ſi feſtum Conceptionis à tempore D. Anſelmi celebrari incepit, vt multis cõfirmat *Baronius in dicto Martyrologio ad diem 8. Decembris litera A?* & in Gallia de facto fuit celebratũ à Canonicis Lugdunenſibus, & alijs tempore *D. Bernardi, vt patet ex Epiſtola illius 174.* & *D. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. ad 3.* fateatur hoc feſtum ab aliquibus Eccleſijs celebrari, Eccleſia Romana talem celebrationem tollerante. Quin potius *Baronius* loco citato affirmat ſe vidiſſe in Bibliotheca Sfortiana ſermonem de Conceptione Virginis, ſcriptum anno Leonis Imperatoris: & alium Georgij Epiſcopi Nicomedienſis: qui duo multo tempore Anſelmum, & Bernardum anteceſſerunt. Feſtum autẽ hoc nec celebraretur, nec ſcriberẽtur ſermones eiuſdem feſti, niſi ab ijs, qui Virginis immunitatem certo, & approbarẽt, & defenderent.

Nec recipitur Paiua.

Baronius.

D. Bernar. D. Thom.

Baronius.

Addimus *D. Damaſcenum in ſuo Martyrologio*, feſtum Conceptionis Virginis annotaſſe, vt ſcribit *Galatinus lib. 7. contra Iudæos cap. 8. & poſt eum Cannisius libr. 1. de Maria Deipara capit. 7. pag. 73. in fine.* Quomodo igitur aduerſarij auſi ſunt affirmare opinionem, quæ B. Virginem ab originali liberat, recẽtem eſſe & nouam? cum feſtum conceptionis eius iam celebraretur in 7. Centuria, in cuius principio floruit Damaſcenus: & à pluribus Patribus à prima Centuria vſque ad decimam eius immunitas, & puritas verbis expreſsis confirmetur? Valeant igitur aduerſarij, & Patrum antiquorum ſcripta ſolius cognoſcendæ veritatis gratia diligenter euoluant.

9. *Damaſce. Galatinus. Cannisius.*

ARTICVLVS IIII.

Quænam ſententia inter Theologos Scholaſticos communior ſit, & antiquior?

SEd oportet etiam expendere, quænam iſtarum opinionum inter Scholaſticos Theologos communior ſit, & antiquior? nam huius reſolutio maxime conducit ad ea, quæ de hac quæſtione dicemus.

§. I.

Quænam ſit communior?

QVod attinet ad primum caput; aduerſarij conſtanter affirmant ſuam opinionẽ etiam apud Scholaſticos longe eſſe communiorem: vnde *Bandellus in ſuo tract. à cap. 21. vſque à 26.* ex Scholaſticis Theologis pro ſua opinione recitat Theologos numero 160. quem Medina, & alij ex ordine prædica-

1. *Quæ ſit cõmunior? Band.*

torum in Doctoribus euoluendis appellant diligentiſsimum: ſed vtinam tam fidelis eſſet, in horum Doctorum recitatione, quam diligens in illis congerendis: ſed ſicut in recitatione Patrum, & antiquorum Theologorum ſæpe fuit falſarius: ita etiam falſarius inuenitur in recitandis Scholaſticis: vnde in hoc non erit teſtis omni exceptione maior, ſed vehemẽter ſuſpectus: & per cõſequens non eſt illi credendum, niſi authores referat, quorum ſcripta habeamus, vel illorũ fiat mentio ab eis, qui ſcriptorũ libros teferunt; & merito; quia de alijs, qui opera ſua typis non mandarũt, modo nõ eſt curandum.

2. *Falſo plures refert.* Pro explicatione in primis illud aſſerimus, Bandellum ex Theologis Scholaſticis plurimos falſo referre: quod facile oſtendetur, ſi expendamus eos, quorum libros habemus excuſſos: nam refert Magiſtrum ſententiarũ in 3. diſt. 3. expreſſe *Falſo refertur Magiſ.* aſſeruiſſe B. Virginem contraxiſſe peccatum originale: cum tamen Magiſter eã ſententiam non ſcribat; ſed ſolum dicat carnem Chriſti in Virgine fuiſſe obnoxiam peccato: purgatam tamen, & caſtificatam ab omni peccati labe: etenim in illo loco non agit de mundatione Virginis à peccato in ſui conceptione, ſed pro tempore conceptionis Verbi; quando (vt ait) peccati fomes, quem ligatum habebat, penitus in ea fuit extinctus: vnde ſolum agit de mundatione à fomite peccati (qui peccatum dicitur) pro tempore, quo Verbum diuinum concepit: & nullum ibi verbum ſcribit de mundatione illius pro tempore, quo in vtero matris concepta fuit: quare in citando Magiſtro euidenter eſt falſarius.

3. *Falſo refertur Altiſiodorenſis.* Sicut etiam falſarius eſt, dum citat Guillermum Altiſiodorenſem ſcripſiſſe, quod B. Virgo, ideo quia per carnis concupiſcentiam ab Adamo deſcendit, peccatum originale cõtraxit: cum tamen nec in 3. lib. nec in 2. hæc verba in eo inueniãtur; nec in indice totius libri annotẽtur.

4. *Falſo refertur Pariſi.* Tertio etiam falſarius eſt, dum citat Guillermum Pariſienſem in ſua Suma candem ſententiam expreſſe aſſeruiſſe; cũ in illius operibus id nõ reperiatur, nec annotetur in indice nouæ impreſsionis: quin potius ex eo oppoſitum non immerito colligi poteſt: quatenus 1. tomo. in tract. de vitijs, & peccatis cap. 5. pag. 257. col. 1. hęc ſcribit verba: *Originale peccatũ contrahitur & à carne, & à parentibus, his ſolis exceptis, qui priuilegio gratiæ exempti ſunt,* quæ verba ſatis ſignificant præpter Chriſtum Dominum dari alicuius exceptionem.

Quarto adhuc loco eſt falſarius, dum refert *Alex. de Ales* 3. *p. q.* 9. *num.* 2. quaſi expreſſè aſſerentem B. Virginem fuiſſe in peccato originali: cum tamen hoc expreſſe non ſcribat: ſed ſolum aſſerat eam, nec ante cõceptionem in vtero, nec poſt eam ante animationem potuiſſe ſanctificari. Fuiſſe tamen ſanctificatam poſt animæ infuſionem. Primum oſtendit in d. membr. 2. art. 1. concludens, quod B. Virgo in ſuis parentibus non potuiſſet ſanctificarì, antequam in vtero Matris ſeminum cõmixtione conciperetur. In ſecundo vero art. demonſtrat, nec eam potuiſſe ſanctificari in ipſa ſui conceptione per receptionem ſeminum in vtero Matris ante infuſionem animæ. In tertio probat, quod nec potuit ſanctificari poſt conceptionem in vtero ante infuſionem animæ. Tandem artic. 4. concludit eam ante ſuam natiuitatem ex vtero fuiſſe in vtero ſanctificatam poſt infuſionem animæ. Quæ reſolutio bene poteſt conſtare cum ſanctificatione in primo inſtanti animationis præſeruante à reſultãtia culpæ, quæ in eo inſtanti poſterius natura debebat reſultare, vt ſuo loco oſtendemus: vnde quando dicit in dicto 1. artic. *fuiſſe neceſſarium, vt B. Virgo carnaliter generata à parentibus in ſui conceptione originale contraheret,* intelligendus eſt de neceſsitate àparentibus orta; ita vt ex vi ipſius generationis per carnalẽ parentum cõcubitũ ſtatim in ipſa cõceptione cõtrahatur peccatum originale, nõ quidem in ſe, & actualiter; quia nondum anima eſt infuſa; ſed quoad debitum illud contrahendi, quando anima infundatur: etenim Alenſis in illo artic. agit de radice peccati orta à parentibus. 5. *Falſo refertur Alenſ.*

Sed euidenter falſitatis conuincitur, dum ex artic. 2. refert illa verba: *B. Virgo* 6. *in primo inſtãti ſuæ conceptionis ſanctificari*

7. *nō poterat: primo; quia Bernardus dixit, &c.*

Hæc enim verba, nec ponūtur in d. 2. art. nec in toto illo membr. 2. Simili modo falſarius eſt dum ex q. 10. ſequente artic. 1. 2. & 3. nonnulla refert verba, quę in tota illa quæſtione 10. non inueniuntur, cū in ea ſolū agat de Natiuitate Chriſti, nullū verbū ſcribens de Conceptione Virginis. Quare cū tam patenter Theologus iſte in citandis verbis Alenſis, cōuincatur falſitatis, mirū eſt, quod Caietanus, Medina, & alij ex aduerſariis illi tanquam veraci fidem adhibeant. Et in hoc etiam defecit Petrus Ojeda in ſua informatione pro immaculata conceptione c. 15. §. 2. dum affirmat Alenſem 3. p. q. 9. membr. 3. ſcripſiſse B. Virginē contraxiſſe peccatum original. cum id non dixerit. Et addimus cū eodem Ojeda, Alenſem pro puritate conceptionis B. Virginis ſcripſiſſe librum, qui teſte Ojeda, hodie ſeruatur in Eccleſia Cathedrali vrbis Toloſæ ex Bernardino de Buſtis ſerm. 4. de Conceptione: Pelbarto lib. 4. Stellarij p. 2. ar. 3. & ex Frat. Mauricio de Villaprobata Ord. prædicat. ſermone 5. de Corona, & tandem ex Antonio Cucaro in ſuo Elucidario p. 2. vbi refert hęc Alenſis verba. *Tota pulchra es. &c. Et nulla macula, nec originalis, nec actualis eſt in te.*

8. *Falſo refertur S. Vincentius.*

Quinto loco falſarius eſt, dum pro ſua ſententia refert S. Vincentium Ferreira, cuius verba ponit cap. 22. quę ex eo trāſtulit Caietanus. Etenim verba, quæ referuntur, falſo referuntur, vt oſtēdimus ſupra §. 14. nu. 140. vbi & Bandellum, & Caietanum vt falſarios damnauimus, nō ſolum quia verba referunt, quæ apud S. Vincentium non reperiuntur; ſed etiam quia illum puritatis B. Virginis in ſui cōceptione referunt oppugnatorem; cum vere illius ſit propugnator, vt ſupra oſtē dimus articul: 1. huius quęſtionis §. 2. in fine.

9. *Falſo refertur Albertus.*

Sexto falſarius eſt, dum aſſerit Albertum Magnum in 3. diſt. 3. art: 2. formaliter ita ſcripſiſſe: *Dicimus* B. *Virginem contraxiſſe originale peccatum, nec fuiſſe ſanctificatam ante conceptionem. &c.* Cum ſolū dicat, *quod B. Virgo non fuit ſanctificata ante animationem: & quod dicere oppoſitum eſt hæreſis condemnata à D. Bernardo. & à Pariſienſibus*: quare prima illa verba falſo ſunt poſita.

10. *Qui nā ſint admittēdi.*

Deinde dicimus in hac quæſtione non eſſe admittēdos, niſi Scholaſticos in Scholis notos, quorum opera vel habemus in manibus; vel reperimus in Cathalogo ſcriptorū, qui de viris doctis ſcribunt: cæteros vero reijciendos eſſe, tanquam vere ignotos. Cum autem maior pars eorū, quos Bandellus refert, omnino ſint ignoti, nec in Cathalogo eorum, qui de viris doctis ſcribunt reperiātur; ſolos illos pro vna, & altera opinione admittemus, quos communis Schola agnoſcit; quales ſunt, quos referunt Bellarminus, Tritemius, & Antonius Poſſeuinus, & alijs ſimiles. Porrò ſi ſolum ij ſunt admittendi; non poteſt dubitari, quin longè comunior, & receptior ſit opinio, quæ in Virgine labē originalem non agnoſcit: quod euidenter patet ex Theologis, quos pro vna, & altera opinione citauimus ſupra q. 1. art. 1. §. 1. & 2. etenim ex Scholaſticis ad ſūmum pro opinione contraria ſūt Theologi numero 29. cū tū pro noſtra adſint. 96.

11. *Excitata inuenitur ante annū 1000. Iuo Carno.*

Quibus illud addimus controuerſiam iſtam ex citatam inueniri in 10. Centuria, anno .ſ. milleſimo: quod mihi ſatis probant verba *S. Iuonis Carnotenſis* (qui floruit tempore D. Anſelmi in dimidio 10. Centurię) quæ reperiuntur in ſermone de Natiuitate Domini: *Quomodo matrem carnis ſuæ ſanctificauerit, audiamus: vt inde lætetur Catholicus: confundatur hæreticus: omnem quippe næuum tam originalis, &c.* Quæ verba ſatis confirmant pro illo tempore iam verſari controuerſiam, an Beata Virgo ſine peccato fuerit concepta, ſaltē inter Catholicos, & hæreticos.

12. *Feſtum cōceptionis iā erat tempore D. Anſelmi.*

Quod etiam cōfirmatur, quoniam eodem tempore in quo S. Anſelmus floruit feſtū cōceptionis ſub titulo immaculatę iam celebrabatur, vt ex Baronio iā aduertimus: ex quo euidenter cōuincitur maiorem partem non ſolum fidelium, ſed etiam doctorum Theologorum illam probaſſe opinionē, & quanuis ab illa 10. Centuria vſque ad 14. quæſtio iſta inter Theologos ſemper fuerit aliquo modo controuerſa, vt patet ex Theologis, qui in quatuor illis Centurijs ſcripſerunt: tamen poſt Extrauagantem Sixti Quarti

editam anno 1483. pridie nonas Septẽbris, oppoſitam opinionem, ex ijs, quos viderim, ſolum approbarunt *Caietanus: Ferrarienſis, Canus, & Medina*: cum tamẽ poſt præcitatam Extrauagantẽ ꝓ immunitate Virginis innumeri ſcripſerint, & quottidie ſcribãt. ſ. *Fr. Franciſcus à Chriſto Palatius, Suar. Vaſquez Bellomontanus, Salas, Gregorius de Valentia, Henriquez, Azorius, Catharinus, Aluarus Piçanus, Ludouicus Bloſius, Laurentius Surius, Ioannes Hechius, Aloizius Lippoman⁹, Ioannes Driedo, Petrus Moral. Martinus Delrio, Ioſeph⁹ à Coſta, Ioannes Pineda, Bellarminus, Peltranus, Canniſius, Turrianus, Martinus Martines, Paiua, Iacobus Gennenſis, Petrus Galatinus, Antonius Cucharus, Baptiſta Mantuanus, Guillermus Budæus, Hieronymus Vida, Ludouicus de Azeuedo, Alphonſus Remon, Gundiſaluus Sancius Luzero, Abulenſis, Iacobus de Valentia, Didacus de Stella, Gundiſaluus de Lacerda, Cornelius à Lapide, Maldonatus, Toletus, Titelmanus, Barradas, Salmeronius, Ioannes Ferdinandes, Pereira, Lorinus, Benedictus Iuſtinianus, Magallanus, Albertinus, Nauarrus, Ludouicus Paramus. Guillermus Pipinus, Vincentius Iuſtinianus, Stephanus Mendez, Bartholomeus de Spina, Petrus Aquila, Ioannes Viguerius, cum infinitis alijs.* Quare non eſt dubium, quin opinio defendens Virginis immunitatem poſt Sixtum 4. inter ſcribentes ſit longe communior, vt omittamuseam in omnibus Vniuerſitatibus iam eſſe omnium conſenſu receptiſsimã: imò etiam in omnibus Religionibus, vna prædicatorum excepta, in qua quam plurimi viri doctiſsimi ad noſtram etiam accedunt opinionem.

Noſtra poſt Sixtum eſt cõmunior.

13. *Ante Sixtum qui noſtrã opinionẽ probauerint.*

Imò affirmandum eſt noſtram opinionẽ ab anno 1000. vſque ad Conſtitutionem Sixti 4. inter Scholaſticos fuiſſe communiorem: eam enim primum probauit *D. Thomas, quanuis poſtea mutauerit ſententiã. Deinde mutata priori ſententia eandem probauit Albertus Magnus, vt ſupra aduertimus. Poſtea Scotus, qui floruit circiter 30. annis poſt D. Thomam cum Scoto Lichetus, Mayronius, Baſſolius, Orbelis, Flauius, vterque Ouandus, Nicolaus de Niſſe, Antonius Cordubenſis. Andræas à Veiga, Ioannes Medina, Alphonſus à Caſtro, Petrus Aureolus, Ioannes Maior, Gabriel, Almainus, Dionyſius Carthuſianus, Argentina, Guillermus de Rubione, Marſilius, Gerſon, Clitouæus, Niculaus de Cuſa, Landulphus Carthuſianus, Laurentius Delapuerta, Leonardus de Vtino, Iacobus Gennenſis, Ioannes Taulerus: Bernardinus Senenſis, Iacobus de Valentia; Rubertus Holcoth, & Hugo Cardinalis*, qui omnes ſunt numero 35.

Cum tamen pro contraria ſententia præter *D. Thomã à priori opinione diſcedentem pro illa ſtent D. Bonauẽtura, Richardus, Durandus, Paludanus, Heruæus, Adamus, Anglius, Ægidius, Gregorius Ariminenſis, Ocham, Guido Carmelita, Petrus de Tarantaſia,* Ioannes de Neapoles, *Adam Guodam, Rupertus de Torneio, Ioannes de Poliaco, Ioannes de Guanaco. Ex iure peritis Gloſſa, Hoſtienſis, Speculator, Archidiaconus, Turrecremata, Ioannes Andræas, & Calderinus,* qui omnes ſunt numero 26. ex quibus D. Thomas mutãuit ſentẽtiam priorem. Albertus vero Magnus, quanuis non expreſſe, eam tamen ſignificat, & poſtea ſẽtentiam mutat. D. autem Bonauentura illam opinionem cum formidine admittit, vt patet ex ijs, quæ ſcribit in dicto artic. 1. q. 1. ad 2. nu. 12. In Adam Guodã illam opinionem non inuenio. Petrum autẽ de Tarantaſia, & cæteros, qui conſequuntur, videre non potui. 14. *Qui contrarium probauerint.*

Sed quidquid de hoc ſit, ex dictis patet noſtram opinionionem cõmuniorẽ eſſe, etiã inter eos Scholaſticos, qui ante Sixtũ ſcripſerunt. Quod ex eo etiam confirmo; quoniam in Concilio Baſilienſi illa opinio fuit approbata, & quanuis pro tẽpore decreti Concilium iam non fuerit legitimum, negandum tamen nõ eſt, inter Epiſcopos, & Theologos in eo repertos (qui erant quam plurimi, & ex tota Eccesia ſelecti) hanc opinionem fuiſſe communiter approbatam: cum vero Pariſienſes ſtatim ab eo tempore adeo conſtanter illi adhæſerint, vt ſuos Doctores iure iurando aſtringant, vt hanc opinionem ſemper defendant; negandum non eſt pro toto tempore vſque ad Sixtum Quartum hanc opinionem longe celebriorem fuiſſe inter Theologos Scholaſticos, quam oppoſitam. 15. *Noſtra opinio eſt cõmunior.*

§. 2.

Quænam inter Scholaſticos ſit antiquior?

16. *Fuit excitata. Centuria 10.* CONtrouerſia de immaculata conceptione B. Virginis, quonam tẽpore inter Scholaſticos inceperit agitari? non ſatis conſtat, ſi ſermo ſit de Scholaſticis, qui quæſtiones more Scholaſtico pro vtraque parte diſputant: certum tamẽ eſt mihi, eam iam fuiſſe excitatam Centuria 10. tempore D. Anſelmi, *Tẽpore D. Anſelm.* & Iuonis Carnotenſis, qui floruerunt anno 1080. etenim Iuo eam pro Virgine diſſoluit contra hæreticos. Fuit etiam maxime excitata tempore D. Bernardi in Centuria 11. ad annum 1130, vt patet *Tẽpore D. Bernardi.* ex eodem Bernardo, & aliquo modo ex Magiſtro in 3. diſt. 3. vbi inquirit, an caro Chriſti in Beata Virgine fuerit obnoxia peccato originali? floruit autẽ ãno 1140. Sed à quo tempore modo Scholaſtico hæc inceperit agitari controuerſia? non ſatis mihi conſtat: nullum tamen inuenio Theologum Scholaſticum, qui ante 12. Centuriam (ſcilicet ante annum 1200) hanc quæſtionem modo Scholaſtico pertractauerit: quare (ni fallor) agitari incepit à principio Centuriꝑ 12. etenim inter Scholaſticos hæc quæſtio more Scholæ agitata inuenitur ab Alenſi, qui cum obierit ãno 1245. floruit circa annũ 1220. vel circiter: Deinde agitata fuit ab Alberto Magno, qui fere eodem tempore floruit: ſucceſſerunt D. Thomas, & D. Bonauentura, qui eodem tempore floruerunt, nimirum circa annum 1250. vel circa.

17. *Reſoluitur vtriuſque opinionis antiquitas.* Si igitur quis inquirat; quænam opinio inter Scholaſticos ſit antiquior? reſpondebunt aduerſarij ſuam eſſe in Scholis antiquiorem, quia putãt Alenſem pro ſua opinione ſtetiſſe, qui cæteros Scholaſticos antecedit: ſed tamen falſo nituntur fundamento; quia Alenſis pro illa opinione non ſtetit, vt diximus ſupra q. 1. art. vnico §. 1. num. 2. Poteſt tamẽ pro illa referri Albertus Magnus; quia, licet eam expreſſe non ſcribat, ſatis tamẽ eam amplectitur: cum vero D. Thomas ſit diſcipulus Alberti Magni; & ante Diuũ Thomam nullus inueniatur, qui noſtram aſſeruerit opinionem; facile admittam opinionem oppoſitam inter Scholaſticos prius fuiſſe aſſertam, ſed non multo tempore antea; cum D. Thomas prius noſtram probauerit: & Scotus ſtatim eam docuerit, poſt D. Thomam annis ad Sũmum 30. floruit enim circa annũ 1290. cum tamen D. Thomas floruerit anno 1260. quare paruum intereſt, quod paruo iſto tempore aduerſaria ſentẽtia ſit antiquior noſtra, Satis nobis ſit noſtram, & fidelium opinionem ante Scholaſticos inter Patres longe eſſe antiquiorem, vt diximus §. 1.

ARTICVLVS V.

Quænam harum opinionum potius foret diffinienda, ſi iudicium, tam antiquiorum, quàm iuniorum Patrum, & Doctorum expendatur?

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

QVoniam in expendenda alicuius controuerſiæ veritate in diſputationis principio ſtatim exquiritur Patrum Iudicium, quos Eccleſia in veritatis diſcuſſione habet conſultores, proinde inquirendum eſt; quid nam ex iudicio Patrum, atque Theologorum de propoſita controuerſia iudicandum ſit. 1. *Quid inquiratur.*

De quo varij varia dixerunt: nam Vincentius Bandellus, & alij non pauci relati *ſupra q. 2. art. vnico §. 1. nu. 1.* qui ante Cõſtitutionem Sixti. 4. ſcripſerunt, volunt ſententiam, quæ affirmat B. Virginẽ eſſe conceptam in peccato originali diffiniẽdam fore: ex eo, quia in ea omnes Patres vno, & cõcordi cõſenſu cõuenerunt, qui conſenſus in ijs, quæ ad fidem pertinẽt, non poteſt eſſe falſus. 2. *1. Opinio*

Ex his vero, qui poſt Sixtum ſcripſerunt; *Caietanus in tract. de Conceptione Virginis in concl. poſt cap. 5.* ex eodem fundamento docet, ſi aliqua ex duabus oppoſitis ſententijs aliquando de fide diffinienda veniat; non noſtram, ſed ſuam diffiniendam fore: imò affirmat noſtram ſententiam nunquam poſſe diffiniri de fide; quia, vt ait, non poſſunt Patres vnanimi 3. *2. Opinio. Caietan.*

conſen-

conſenſu in aliquam ire ſententiam, quæ in ſe, & aparte rei ſit fidei contraria. Quã *Caietani ſententiam approbauit Medina 3.p. q.27.art.2.concl.2.§.Sed circa hanc conclu.* *Medina.*

4. *3.ſent.Canus.* Porrò Canus *lib.7.de locis Theologicis c. 3. concl. 4.* licet admittat omnes Patres docuiſſe B. Virginem in culpa originali fuiſſe conceptam; putat tamen neutram poſſe diffiniri de fide. Fundamẽtum eſt, quia iſta quæſtio ad fidem non ſpectat: & ob id ex vnanimi Patrum conſenſu nullum in hac quæſtione deduci poſſe argumentum infallibile ad probandum vnanimem Patrũ ſententiam eſſe de fide.

5 *4.opinio.* Quarto loco ex his, qui noſtram probant ſententiam, quidam affirmarunt opinionem, quæ B. Virginẽ à culpa originali liberat, olim fuiſſe erroneam: at tamẽ ſucceſſu temporis deſiiſſe eſſe talẽ. Fundamentum prioris aſſerti eſt; quoniã apud Patres vehemens fuit opinio, quod noſtra ſententia repugnabat fidei. Poſterioris vero aſſerti fundamentum fuit: quoniam ex diligentia recentiorũ Theologorum (qui rem iſtam accuratius expenderunt) noſtra opinio ab illa erroris ſuſpicione fuit vendicata, & iudicata ꝓbabilis, regulis fidei non repugnans.

6. *5.opinio.* Tandem non deſunt ex noſtris, qui dicant opinionem, quæ docebat B. Virginem originale contraxiſſe, fuiſſe antiquis Patribus magis conſentaneam; imò fuiſſe ab illis ſimpliciter approbatam: Theologos tamen modernos ſine vlla temeritatis nota antiquioribus repugnaſſe; & noſtris his temporibus cum recentioribus potius, quam cum veteribus eſſe ſentiendum: ita plures noſtri temporis Theologi iudicarunt, hanc opinionem tribuentes Cordubenſi lib. 1. quęſtionar. q.44. ad 3. argum. contra concl. 6.

§. 2.

Vera difficultatis reſolutio.

7. *Vera reſolutio.* His tamen nõ obſtantibus, pro vera huius dubitationis reſolutione ſequentes ſtatuo concluſiones; interim contra Canum tertiæ ſententiæ authorem pro certo ſupponẽdo, quæſtionẽ iſtam de Conceptione Virginis ad materiam fidei pertinere, vt inferius late oſtendemus.

Prima Concluſio.

¶ Sit prima concluſio: *Ex dictis Sanctorũ, & veterum Patrum nullum pro vna, vel altera huius quæſtionis parte ſumi poteſt infallibile argumentum.* Pro huius concluſionis confirmatione illud primum aduertimus, non eſſe probandam quorundam moderniorum opinionem, quæ negat ex communi atque concordi Patrum ſententia ſumi non poſſe infallibilem certitudinem, etiam in rebus fidei: oppoſitam enim ſentẽtiam eſſe veriſsimam, & omnino tenendam iudico: quæ fuit ſententia *Vincentij Lyrinenſis in lib. contra prophanas nouitates, & Thomæ Vualdenſis lib. 2. doctrinalis fidei c.22. & 23. quam late cõfirmat Canus 7. de locis Theologicis c.3. cõcl. 6. & lib.11. c.3. concl.3. Valentia tomo.3. diſp.1. q.1. punct.7. §.45. conſentit Bellarminus lib.4. de verbo Dei c.9. in 4. regula, & lib.2. de Chriſto cap.2. §. ad ſecundam reſpondent.* Qui omnes cum cæteris fere omnibus docent Sanctos Patres, & Doctores in ijs, quæ ad fidem pertinent, tũc errare non poſſe, cũ omnes, & eodẽ conſenſu aperte dilucideq; frequẽter, ac perſeueranter aliquid docent: etenim perpetuus, & vnanimis expreſſusq; omniũ Patrum cõſenſus argumento eſt euidẽtiſsimo, eos veritatẽ illã docuiſſe, & tradidiſſe afflatos Spiritu Sancto, qui eſt Spiritus veritatis, & pacis. Hanc igitur doctrinã tanquã veriſsimã ſupponimus, quam in materia de Fide latius confirmauimus. 8. *1.Conclu.* *An ex vnanimi Patrũ cõſenſu ſumatur argum. infallibile.* *Lyrinenſis Vualdenſ. Canus. Valentia. Bellarm.*

Diximus *vno eodẽq; conſenſu*, quoniã ſi in aliqua quæſtione inter Patres eſt cõtrouerſia; ita vt eorũ cõſenſus non ſit vnanimis; vel quia plures contradicunt, (vt placet Lyrinenſi) vel quia vnus tantum (qui tñ inter Patres nõ ſit infimæ authoritatis) vt placet *Cano in d. c.3. concl.3* deficiente iã concordi cõſenſu, cæterorũ authoritates nõ faciũt argumentũ infallibile; vt præcitati authores admittũt: vnde vt altera illius cõtrouerſię pars ſit de fide, neceſſariũ eſt, vt Eccleſia de illa cõtrouerſia ſuũ interponat iudiciũ, & diffinitionẽ. 9. *Magis explicatur doctrina præcedens.* *Canus.*

Diximus etiam *aperte & delucide*; quoniã ſi obſcure, & non ſatis aperte, atq; elaborate rẽ examinarũt, nõ eſt, quod eorũ doctrina, etiãſi cõcors ſit, ꝓ regula fidei cõſti-

Lyrinenſis, tuatur. Addimus adhuc cum Lyrinenſi particulam *Perſeueranter*; quia opus eſt, vt per plures annorum Centurias in eadem doctrina poſteri cum prioribus perſeuerent. Denique adiunximus, *in ijs, quæ ad fidem pertinent*: quoniam ſi Patres agant de rebus naturalibus, quamuis omnes concordi, & perſeuerante conſenſu aliquid doceant; nunquam facient fidei certitudinem; licet faciant ſummam humanam fidem, vt benê aduertit *Canus in dicto cap.3.concl.1.* Idem dicito ſi omnes conſentiant in re Theologica, quæ tamẽ ad fidem non pertineat, vt ibidem aſſerit concl.4: *Canus.*

10. *Confirmatio concluſionis.* Ex hac veriſsima doctrina iam colligitur noſtræ primæ concluſionis euidens confirmatio: quoniam licet controuerſia de immaculata B. Virginis conceptione ad fidem pertineat (vt contra Canũ iam ſuppoſuimus, & inferius oſtẽdemus) tamen Patres, nec vnanimi conſenſu docuerũt B. Virginem ſine peccato originali fuiſſe conceptam; nec adeo dilucide, & clare id docuerunt, vt de illorũ mente inter omnes conſtet. Quin potiùs de hac controuerſia adeo obſcure loquuti ſũt, vt inter nos controuerſum ſit pro quanam ſint opinione. Aduerſarij enim conſtãter volunt omnes Patres pro ſua opinione ſtare: nos conſtantius affirmamus, fere omnes pro noſtra ſcripſiſſe, quatuor tantũ exceptis. Cui accedit: quoniã ſi eos ſpectemus, qui de hac quæſtione dilucidè, & clare egerunt, plane inueniemus eos, hanc controuerſiam elaborate non pertractaſſe, ſed veluti tranſeunter, vno excepto Bernardo. Quare cũ inter Patres, nec vnanimis ſit conſenſus, nec ſatis clarus, aut elaboratus; nullũ ex Patrum doctrina ſumi poteſt infallibile fidei argumentum, quandiù Eccleſiæ Romanæ iudicium non fuerit interpoſitum.

11. *Errauit Bãdellus.* Ex hac concluſione inferes turpiter erraſſe Bandellum, & cæteros primæ opinionis authores, dum aſſerũt opinionem, quæ affirmat B. Virginem peccatũ originale contraxiſſe, ex ſolo communi Patrum conſenſu eſſe de fide, & oppoſitam eſſe reijciendam tanquam hæreticam: ſupponunt enim communem Patrum omnium cõſenſum pro ſua ſtare opinione: in quo turpiter decipiuntur; cum ꝓ illa ſolum ſtent quatuor Patres, qui poſt decimam Centuriam floruerunt; nec vllum habeant Patrem, aut illuſtrẽ Doctorem qui ante annum 1000. à Chriſto nato ſcripſerit: cum tamẽ pro noſtra opinione ſint fere omnes à prima Centuria vſque ad præſentẽ, vt in hac quarta quæſtione late oſtendimus. Et quanuis pro vna, vel altera ſententia ſtaret communis doctrina Patrũ, cũ illa nec dilucide, nec omnino conſtãter ſit ab illis tradita; non ſatis id eſſet, vt faceret fidei infallibile argumentũ. Vnde iſtorum ſententia poſt Conſtitutionem Sixti 4. ſine excõmunicationis cenſura affirmari non poteſt.

Hallucinatus eſt etiã Caietanus, dũ ꝓpter authoritatem Patrũ in parte affirmatiua cõſentiẽtiũ, docuit noſtram ſententiam, quæ B. Virginem ab originali culpa liberat, nõ poſſe de fide diffiniri: quaſi ſentiat ſuam ſentẽtiam à parte rei eſſe de fide, quãuis certitudinem fidei non habeat quandiù ab Eccleſia non diffinitur. Sed hoc Caietani iudiciũ falſiſsimũ eſſe, & omnino relegandũ inferius oſtendemus: & ſatis conſtat ex ijs, quæ in cõfirmationẽ huius noſtræ primæ concluſionis ĩmediatè adduximus: ſupponit enim Patres omnes, ſtare pro ſua opinione contra immunitatẽ Virginis, idq; conſenſu vnanimi expreſſo, & perſeuerãte: in quo eũ turpiter falli ex dictis iam conſtat. 12. *Hallucinatur Caiet.*

Turpiſsimê etiã lapſi ſunt, quos 4. loco retulimus, dũ affirmant noſtrã ſententiã, quæ B. Virginẽ ab originali liberat propter vnanimem Patrũ conſenſum olim fuiſſe erroneam; deſijſſe tamen eſſe talem propter diligentiã Theologorũ recentiorũ, qui rem iſtam accuratius expenderũt: hi enim turpiter errant, dũ cum aduerſarijs, admittunt vnanimẽ Patrũ conſenſũ cõtra B. Virginẽ pugnare: & turpius, dũ putant, id quod ſemel fuit erroneũ, poſſe vnquam ab errore vendicari; ſaltẽ à parte rei: quod latius oſtendere, non eſt huius loci. 13. *Decepti ſunt authores 4. opinionis.*

§. 3.

Secunda Concluſio.

Neq; ex authoritate Theologorũ recẽtiorum (qui communi fere cõſenſu in noſtram eunt ſententiam) deſumi po- 14. 2. *Concluſio.*

teſt

teſt infallibile argumentum ad præſentē controuerſiam dirimendam, antequam Romanæ
1. Præmiſ. *Eccleſiæ iudicium interponatur.* Pro maiori explicatione huius cõcluſionis præmittendum eſt primo, Catholicam Fidē docere, Deum ſuæ Eccleſiæ promiſiſſe perpetuam vſque ad finem mundi Doctorũ ſucceſsionem, ad illius ædificationē, ne ſ. omni vento prauę, & erroneæ doctrinę circũferatur. Hanc veritatē omnes colli-
Ad Ephe. 4. gunt ex verbis Pauli ad Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas: alios vero Euangeliſtas: alios autem Paſtores, & Doctores ad cõſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem Fidei. &c.* Porrò Doctores, quos Deus perpetua quadam ſucceſsione ſuæ Eccleſiæ promiſit ſunt in duplici differētia: nam quidã doctores ſunt, vt diffiniendo doceant: & hi ſunt Epiſcopi, quibus ratione ordinis data eſt poteſtas, & clauis ſcientiæ ad interpretãdam Sacram Scripturam, & ea quæ ad fidem pertinent: alij vero ſunt conſtituti ad diſcutiendum, illuſtrandum, & explicandum ea dubia, quæ quotidie in Eccleſia emergunt: & hi ſunt ſimplices Theologi: nam cũ Epiſcopi ab Apoſtolis (quorum ſunt ſucceſſores) in hoc differant, quod docere debeant, & diffinire (legitime tamen congregati) facta prius diligenti inquiſitione, expenſis medijs, põderatis, & examinatis Scripturis, & alijs fidei regulis: nam cum ex Sacris Scripturis plura ignorent, quam ſciant, vt aſſerit Auguſtinus Epiſtol. 119. capite. 1. & Irenæus lib. 2. cap. 49. antequam diffiniendo doceant, opus eſt, vt diſputationibus, & inquiſitionibus inuigilēt; ad quod indigent opera, & labore Theologorum: ob quam rationem, vt in Eccleſia nihil non ſit perfectum, Deus voluit vt in ſua Eccleſia perpetuo dētur Doctores Theo-
15. logi.

2. præmiſ. Secundo præmittendum eſt Doctores Theologos poſitos à Deo in ſua Eccleſia ad dubia illuſtranda, & ad reſoluendas difficultates, quæ in quocumque tēpore excitabuntur, ad hęc dubia examinanda, in quocumque illi ſint tempore, æqualem cum præcedentibus habere poteſtatem: vnde quanuis moderniores Eccleſiæ Theologi non eadem polleant ſanctitate, ac Theologi veteris Eccleſiæ; eadem tamen cum illis pollent authoritate, & poteſtate, vt doctiſsime aduertit Ioan-
nes Gerſon *in ſermon. de Aſſumptione Virginis conſider. 2. tom. 4. fol. 44.* etenim Eccleſia iunior in rebus fidei explicandis eandem habet poteſtatem cum Eccleſia antiquiori; quantũuis Epiſcopi, ex quibus conſtat, nõ eadē ſorte vigeant ſanctitate; quod, niſi hæreticus, negare nemo poteſt. Cum vero ad diffiniendũ ea dubia, quæ de nouo excitãtur, Theologorũ opera indigeat: profecto ſicut Epiſcopi Eccleſiæ iunioris æqualem cum Epiſcopis antiquioris Eccleſiæ diffiniendi habeant poteſtatem: vtique Theologi eiuſdē iunioris Eccleſiæ æqualē etiã cũ ſenioribus Patribus habebũt poteſtatē ad explicãda dubia, quæ ſeſe obtulerint: quare ſicut Patres ſenioris Eccleſiæ errare non poterant in ijs, quæ ad fidem pertinent; quando vno, & concordi conſenſu, clare, diſtinctè, ac perſeueranter in aliqua doctrina conſentiebant: ita etiam Doctores Eccleſiæ iunioris, ſi in materia ad fidem ſpectante ſimili modo conſentiant, errare nequaquã poterunt: ſecus autē, ſi inter ſe diſſentiãt, aut nõ clare, & perſeueranter in eadē doctrina conueniant, vt ſupra dictũ eſt; tunc enim ab eorũ authoritate certũ, & infallibile argumentum deſumi non poteſt antequam accedat Eccleſiæ diffinitio. Gerſon.

Ex his iã patet confirmatio 2. aſſertiõnis: nam circa propoſitã controuerſiam de immaculata B. Virginis conceptione, licet à multis annorũ Centurijs, in partē, quæ negat, eam contraxiſſe originalem maculam, non ſolũ omnes ex communi plebe fideles, ſed fere omnes nobiliores Theologi conſentiant, non deſunt tamē viri doctiſsimi, qui in oppoſitam potius pedibus, & manibus opinionem eant. Quare ex Doctoribus iunioribus noſtrę Eccleſiæ nõ poteſt ſumi argumentũ omnino firmũ ad excitatã controuerſiã dirimendã, & proinde expectandũ eſt Eccleſiæ iudicium, ante cuius diffinitionem quicumque poterit abſque vlla erroris nota, quam voluerit partem probare, vt 16. Confirmatur concluſio.

iam oſtẽdimus ſupra q. 2. & inferius iterum oſtendemus.

§. 4.

Tertia Concluſio.

17. 4. *Cõclusio* SIt tertia Concluſio difficultatẽ reſoluens: *Si ex Patrum, & Theologorũ tam iuniorum, quam antiquiorum iudicio, & authoritate altera pars huius controuerſiæ diffinienda erit; vtique diffinienda erit, quæ negat B. Virginem originale peccatum contraxiſſe.* Hæc aſſertio ſtatuitur cõtra Caietanum, & Medinam, & nonnullos alios ex aduerſarijs.

18. 1. *Præmiſ.* Pro illius explicatione, & confirmatione nonnulla præmittemus. Primo loco præmittimus, Eccleſiã, licet non poſſit nouas fidei aſſertiones edere, poſſe tamen de nouo explicare, & interpretrari ea, quæ à parte rei ſunt de fide. Ex quo infertur eam poſſe de nouo declarare aliqua eſſe de fide, quæ nondum conſtabat de fide eſſe: ad hunc enim ſenſum quam plurima ſunt ab Eccleſia diffinita de fide, quæ licet antea in ſe, & à parte rei erant de fide, ignorabantur tamen aliquando fuiſſe ab Apoſtolis, vt de fide tradita. Ob quam rationẽ docuit Tertullianus in lib. de velandis Virginibus, *Tempus augere ſapientiam etiam Eccleſiæ Chriſti: & Spiritũ Sanctum omnibus ſæculis aliã, & aliam doctrinæ lucem ſucceſsiuè patefacere. vt manente ſemper eadem numero fide in cognitione veritatis, ſicut, & in reliquis virtutibus paulatim proficiamus.* D. etiam Gregorius lib. 2. in Ezechielem homil. 26. elegantiſsime docuit, *Scientiam ſpiritualem Patrum per incrementa temporis creſcere*: Et D. Hieronymus in Prologo ad Euãgelia, & D. Gregorius relatus à Gerſone docẽt *Spiritum Sanctum aliquas veritates poſterioribus reuelare, quæ antiquioribus non reuelauit*: iuxta illud Daniel. 12. *Plurimi pertranſibũt. & multiplex erit ſcientia*: ex quo loco concludit D. Gregorius inquiens: *Quanto mundus ad extremitatẽ ducitur, tãto nobis æternæ ſapientiæ aditus largius aperitur.* Quam doctrinã, & veritatem confirmant multa, quæ Patribus olim, vel omnino ignota fuerunt, vel obſcura valde, nec ſatis euoluta, & cognita: ob quam rationẽ, vel in illis caligauerunt, vel varia

Tertullia.

D. Gregor.

D. Hieron

Daniel. 12

ſcripſerunt, quę tamẽ poſterioribus per temporũ incrementa, illis diligẽtius excuſsis, & euolutis, non ſolũ certa, ſed etiã indubitata, & de fide ſunt diffinita: quia vero res iſta apud omnes eſt abſq; dubio, ideo quam plurima exẽpla omittimus.

Secundo præmittendum eſt Patres, & Doctores Theologos junioris Eccleſiæ non poſſe diſentire à Patribus Eccleſiæ ſenioris, quando in doctrina ad fidem pertinente omnes vno ore clare, & perſeuerãter conſenſerunt: at tamen quando res, aut ab illis diſcuſſa non fuit, aut non ſatis ſufficienter, aut in illius explicatione nõ omnes conſenſerunt; fieri poſſe, vt poſteriores, re diligentius diſcuſſa, & explicata, non ſolum cõmuniori calculo, ſed etiam vno ore à veteribus diſſentiãt. Primum patet: quoniã quando veteres in aliqua doctrina modo explicato vnanimiter conuenere, talis doctrina abſque dubio ad fidem pertinebit, vt ex dictis patet. Cum vero vna ſit in vtriſq; fides, fieri nõ poterit, vt Doctores iuniores in eadem doctrina à ſenioribus diſſentiant; quia hac in re, ſicut & illi errare non poſſunt. De 2. autem dubitari non poteſt: nam cum ex conſenſu veterum res non dum habet infallibilitatem, Deo adhuc illis veritatem non reuelante; poterit Deus eam reuelare iunioribus, dum illos in illa doctrina vnanimes, & concordes efficit. Et in hoc ſenſu intelligendi ſunt Theologi, qui docent poſſe Doctores iunioris Eccleſię à veteribus Patribus diſcordare, vt ipſemet *Caietanus affirmat 2. 2. q. 1. art. 7. & Cordubenſis lib. 1. q. 44. ad 3, contra 6. §. Alio modo ad ſupra dictum: & plures alij*: id enĩ nõ eſt intelligendũ, quãdo Patres veteres in materia Fidei vno claro, & perſeuerante cõſenſu cõuenere; ſed quando cõmuniori quidẽ conſenſu, aliquibus tamẽ contradicẽtibus, aliquid docuerunt. In hoc autem caſu ſi iuniores Theologi cõcorditer, & perſeuerãter cõtra veteres cõſenſerint; iudicio potius iuniorũ, quam ſeniorum ſtandũ eſt, vt optime docuit *Gerſon 4. p. in ſermon. de Aſſũptione Virginis in ſuis Conſiderationibus, & poſt eum Canniſius libro primo de Maria Deipara capit. 7. §. 67. & lib. 4. cap. vltimo pag. 786. in principio, & ſatis Caietanus, &*

19. 2. *præmiſſ.*

20. *Caietan. Cordub.*

Gerſon. Canniſius. Caietan. Cordub.

Cordu-

Cordubenſis vbi ſupra. Quod ex eo, vel euidenter probatur: quoniam plurima, quæ apud veteres communiori calculo, non tamen cōcordi recepta fuerunt, modernioribus in oppoſitum vnanimiter, & perſeueranter ſeſe obijcientibus modo tanquam erronea habentur abſque vllo Eccleſiæ iudicio, veritatem diſſimente: nam veteres olim in Angelis corpora quædam tenuiſsima communiori ſententia admiſerunt; quod propter iuniorum Theologorum vnanime iudicium modo iam iudicatur erroneum: idem reperies in pluribus alijs controuerſijs, quas breuitatis cauſa omitto.

21. *Corollariũ*

Ex his præmiſsis, primum infertur, non obſtāte iudicio veterum Theologorum (ſi illud daretur) poſſe noſtram ſententiam reddi infallibilem in fide, ſi omnes Theologi iuniores concordi, & perſeuerante conſenſu in ea aliquando conuenerint: nam cum veteres Theologi non ſolum ex Patribus, ſed etiam ex Scholaſticis, nec cōcordi animo, nec omnino perſeuerante in oppoſita ſententia minime conuenerint, vt ſatis iam oſtendimus, dici nullo modo poteſt oppoſitam ſententiam materialiter, & à parte rei iam eſſe de fide; quamuis id ſine vllo fundamẽto, imò fundamento euidenter falſo affirmet Caietanus. Quid igitur inpediet, quominus veritas noſtræ ſententiæ iunioribus ſuo modo reueletur, Deó ſua prouidentia ita diſponente, vt omnes Theologi iuniores concorditer, & perſeueranter in ea conueniant? quin potius ita futurum ſpero, fundamentum ſumens, tum ex teſtimonio ſ. Cecilij nobis nuper diuinitus reuelato; tum ex omniũ fidelium fere concordi pietate, quæ hanc veritatem non ſine Sedis Apoſtolicæ pia inſinuatione, & fauore in dies magis ac magis amplectitur.

22. *2. Corollarium,*

Confirmatur aſſertio

Secundo infertur confirmatio tertiæ aſſertionis. nam conſtat apud veteres Patres hanc controuerſiam non fuiſſe ſufficienter diſcuſſam, cum illius accuratam diſcuſsionem nulla neceſsitas poſtulauerit, vt bene aduertit Cannisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 7. pag. 66. litera B, nam ſi nobiliores Patrum, quos probauit Eccleſia, expendamus, nihil palam, & aperte de hac controuerſia loquuntur, vt etiam aduertit inſignis Paiua in d. lib. 5. defenſionis Tridentinæ Fidei fol. 354. pag. 2. in fine, & patet ex examine ſuperius præmiſſo: nã Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, & cæteri ex Patribus huius primę claſsis tam Latini, quàm Gręci, vel non omnes de hac materia ſcribũt, vel nullam in terminis ponunt expreſſã reſolutionẽ, quamuis ex eorum doctrina noſtra iſta opinio efficaciter deducatur: illi vero, qui de ea in terminis aliquid ſcripſerunt, ſimpliciter, & abſq; diſcuſsione rẽ tractauerunt vſq; ad tempora D. Bernardi, qui Centuria floruit 11. Iam vero poſtquã ab illo hæc controuerſia diſcuti, & aliquo modo controuerti cæpit; mirũ eſt, quomodo cũ totius populi Chriſtiani ſumma pietate noſtra creuerit opinio etiã apud doctiſsimos Theologos; quorum pro ea dari infinitũ numerum libẽter fatętur Caietanus, & nos quam plurimos adduximus.

23. *Feſtũ Conceptionis à multis ſæculis.*

Cui etiam argumento eſt, quod feſtũ Conceptionis Virginis ſub titulo puriſſimæ, & immaculatę à multis iam ſæculis in particularibus Eccleſijs maxima cũ celebritate inſtitutũ fuit: cuius feſti inſtitutionem plures tribuunt D. Anſelmo in 10. Centuria, vt patet ex Chronicis Ordinis S. Benedicti nouiter editis, & late confirmat Baronius in Annotationibu ad Martyrologiũ Romanum ad diem 8 Decembris. Imò illud inſtitutum eſſe à temporibus Damaſceni (anno 350.) referunt *Galatinus lib. 7. contra Iudæos cap. 5. & Cannisius in d. c. 7. pag. 73.* & habetur in antiquiſsimo Græcorum Kalendario, quod tranſtulit Genebrardus in principio Cõmentariorũ in Pſalmos. Nec lõge ab hoc abeſt Baronius vbi ſupra, dũ refert ſe vidiſſe ſermonẽ huius feſti manu Leonis Imperatoris ſcriptũ, & aliũ Georgij Nicomedienſis Epiſcopi. Et ideo creuit huius feſti deuotio, vt authoritate, & præcepto Romanæ Eccleſię indulgẽtijs large cõceſsis vbiq; terrarũ (vno prædicatorum Ordine excepto) ſũma cũ ſolẽnitate celebretur. Et vt rẽ concludã poſt longã diſputationẽ doctiſsimorũ Theologorũ habitã Cẽturia 12. & 13. cõtra grauiſſimos Theologos, negatiua pars, quam

Galatin. Cannis.

defendimus, adeo obtinuit, vt omniũ fere Doctorum, & Theologorum (paucis exceptis) vnanimi conſenſu, aduerſarijs id etiam teſtantibus, in tota Eccleſia, tam in populo, quàm in publicis Vniuerſitatibus iam ſit celeberrima, non ſine pio applauſu, & conſenſu, imò etiam iuſsione Sedis Apoſtolicæ.

24. *Cõcluſio totius quæſtionis.* Concludendum eſt igitur, ſi diffinitio huius controuerſiæ ex ſolo Patrum, & Theologorum iudicio ſumenda foret, noſtram ſententiam abſque dubio fore diffiniendam: cum & inter antiquiores Patres à prima annorum Centuria longe ſit communior; & â Doctoribus poſterioris Eccleſiæ in dies magis continuata, & aucta ab anno 1200. vſque ad annũ præſentem 1616. ſed de hoc inferius iterum redibit ſermo.

QVÆSTIO V.

Quid nam circa vnius, & alterius opinionis probabilitatem ex ſacris literis colligatur?

Præfatio ad ſequentem diſputationem.

1. *Præfatio.* IN tota præcedente 4. quæſt. diligenter expendimus teſtimonia, & placita, tum ſanctorum Patrum, tum Theologorum: & ſtatuimus noſtram ſententiam, quæ docet B. Virginem fuiſſe ſine peccato originali conceptam, inter Patres, & Theologos eſſe longe cõmuniorẽ; adeo vt in eorum ſinu maiori cum ſecuritate, & veritate potius requieſcat, quam oppoſita: *Quæſtio expendenda.* conſequenter expendendũ eſt, quænam harum opinionum ſit literis ſacris magis conſentanea? In hoc enim inter nos, & aduerſarios non parua datur controuerſia: 2. *1. Opinio.* etenim Aduerſarij, ſicut conſtanter affirmant ſuam opinionẽ ſanctorum doctrinæ eſſe magis conſentaneam; ita etiam affirmant eam ſacris literis magis eſſe conformem. Ita colliges ex *Bandello in tract. contra B. Virginis immaculatã conceptionem c. 26. fol. 50. & ſatis ex Caietano in tract. de Conceptione Virginis, & Medina 3. p. q. 27. art. 2. concl. 4. pag. 506. col. 2. in fine, & ex cæteris omnibus.* *Bandellus. Caietan. Medina.* Noſtram tamen ſententiam cũ ſacris literis magis conſentire, multis cõfirmant illius patroni: oportet igitur hanc dubitationem diligenter explicare. Quod præſtabimus, ſi prius aduertamus de propoſita difficultate, quantum ego ex ſcribentibus potui colligere, tres afferri poſſe opiniones. Prima docet, ſententiam, quæ B. Virginem ab originali liberat, ſacrę Scripturę abſq; dubio contradicere; & ideo ſine hæreſi defendi non poſſe. *1. Opinio.*

3. *2. Opinio.* Secunda opinio hanc opinionem non recipit, ſed conſtanter affirmat neutram huius controuerſiæ partem aut ſacris literis, aut fidei principijs repugnare: eam tamen, quæ affirmat B. Virginem in originali conceptam fuiſſe, eſſe literis ſacris maximê conſonam.

4. *3. Opinio.* Tertia denique opinio defendit longe conſonantiorem eſſe ſacris literis opinionem, quæ aſſerit B. Virginẽ nullam originalem culpam contraxiſſe.

5. *Duæ ſunt controuerſiæ.* Ex quibus patet in hac difficultate duas eſſe controuerſias: prima eſt cum hæreticis noſtri temporis, & cum nonnullis Catholicis, qui ante Sixtum 4. ſcripſerunt: vtrũ ſ. ſacris literis, & fidei principijs expreſſe repugnet B. Virginem à culpa originali liberari? Secunda cõtrouerſia ſolũ erit cũ Catholicis: & inquiret; quænam illarũ opinionum ſacris literis ſit conſonantior? an illa, quæ B. Virginem à peccato originali facit immunem? an vero contraria, quæ illius cõceptionem facit ſordidam, & immundam?

6. *Ordo dicendorum.* Quare in hac reſoluenda difficultate (vt clare procedamus) hunc ordinẽ obſeruabimus: quoniam in primo art. abſolute inquiremus; an opinio. B. Virginem liberans ab originali, ſacris literis expreſſe repugnet? In ſecundo expendemus; an propoſitiones generales Sacræ Scripturæ de transfuſione peccati originalis in omnes homines ſint ſolũ vniuerſales ſecundũ figuram; an vero ſecundũ ſentẽtiam? In tertio examinabimus, an ſint intelligendę ſecundũ ſ. ã debitũ cõtrahẽdi peccatũ originale; an etiam ſecundum actum? In quarto inquiremus; quanã vniuerſalitate propoſitiones illæ ſint generales? an logica, an morali? an vero

ſola legali? Quintus articulus inquiret, an ſit contra fidem in aliquo, vna tantum B. Virgine excepta, admittere priuilegium non contrahendi originale peccatum? Sextus denique & vltimus expendet ſecundam difficultatem; an B. Virginem excipi ab illa vniuerſali regula ſit ſacris literis magis conſonum, quam oppoſitũ?

ARTICVLVS I.

An ſacris literis, & fidei principijs repugnet B.Virginem ab originali culpa fuiſſe immunem?

§. 1.

Refertur opinio affirmatiua.

1. *Opinio affirmatiua hæreticorum.* IN primo igitur art. huius quæſtionis inquirimus; an B.Virginem ab originali fuiſſe immunem, repugnet ſacris literis, & principijs fidei inde deductis? Cui quæſtioni affirmatiue reſpondent quidam hæretici noſtri temporis, ſcilicet *Kemniſius, Caluinus, Sarcerus, Illiricus, Centuriones, atque Iacobus Schemchius*; quos ex Canniſio, Paiua, Bellarmino, & Bellomontano citauimus ſupra q.2.ar.vnic. §.1.n.1. hi hæretici aſſerunt & Sixtum IIII. & Patres Tridentini Concilij turpiter erraſſe contra expreſſam ſcripturã; dum in decreto, & generali diffinitione peccati originalis nolunt B. Virginem comprehendere; & dum nobis faciunt facultatem excipiendi eam â generali regula: cui opinioni ante conſtitutionem Sixti IIII. plures adheſerunt: inter quos eſt *Vincentius Bandellus in tract. contra immunitatem Virginis c.34.fol.69.pag.2.* vbi expreſſe docet opinionem, quæ B. Virginem â culpa originali liberat, eſſe impiam, vt quia expreſſe ſacræ Scripturæ contradicat: qui in eodem tract. cap.21. teſtatur hanc opinionem vt hæreticam reprobaſſe quendam *Ioannem de Poliaco quodlib.3. q.3. & in c. 23. idem teſtatur de Ioanne Dominici de Florentia Cardinali in quodam tract. de Conceptione Virginis*: qui omnes ante conſtitutionem Sixti IIII. ſcripſerunt. Pro eadem ſententia cõmuniter refertur quidam *Bartolomæus de Spina ordinis Prædicatorum in proprio tract. de Virginis conceptione*; ſed cum hunc tractatum contra Caietanum ſcripſiſſe aſſerit *Antonins Poſſeuinus in ſuo apparatu ſacro in 1.tom.pag.184.* quod ego potius credo, cum iſte Spina ſcripſerit poſt Sixti IIII. conſtitutionem, quamuis poſt illam quidam in prouincia Bætica anno præterito 1615. publice, & in Eccleſijs prædicauerint, & coram populo in plateis affirmarint ſententiam illam eſſe hæreticam, & ſacris literis expreſſe repugnantem, vt ex publicis inſtrumentis euidenter conſtat.

2. Quidam Catholici adhærent. Bandellus. Ioannes de Poliaco. Ioan. Dominicus. Barthol. de Spina. Poſſeuinus

Horum authorum fundamentum in eo eſt poſitum; quia in ſacris literis nulla facta exceptione vniuerſaliter traditur, omnes Adami poſteros originale peccatum contrahere: etenim Paulus *ad Rom.* 5. ait: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum; & per peccatum mors: & ita in omnes mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt*: intrauit, inquam, in mundum .i. in vniuerſos homines ab Adamo deſcendẽtes, vt verba ſequentia euidenter probãt. Inferius in eodem cap. ſcribitur *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, &c.* Idem Paulus ad Rom. 3. *Omnes enim peccauerũt; & egent gratia Dei*, qui locus etiam explicatur de peccato originali. 1.Cor.15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Chriſto omnes viuificabuntur*: 2.Corint.5. *Si Chriſtus mortuus eſt pro omnibus: ergo omnes mortui ſunt*: morte .ſ. peccati. Ad Epheſ. 2. *Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri.* i. ſicut & omnes alij: Ad Galat.3. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* Denique Iob.21. *Nemo mundus eſt à ſorde, nec infans, cuius eſt vita vnius diei ſuper terram. Adde etiam quia ſolus Chriſtus inter mortuos eſt liber, vt dicitur Pſalm. 97*: Paulus etiam ad Hebræos 7. de Chriſto ita ſcribit: *Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impolutus, ſegregatus à peccatoribus*, quibus verbis oſtendit ſolum Chriſtum eſſe talem. Quod etiã ſatis ſignificat D. Petrus 1.epiſt. c.1. *Quaſi agni immaculati, & incontaminati.* Patet igitur ex ſacris literis generaliter diffiniri peccatum Adami in omnes fuiſſe transfuſum: ſub qua generalitate id definitur in Concilio Arauſi-

3. Fundamentum huius erroris. Ad Rom. 5. Rom. 3. 1. Cor.15. 2. Cor.5. Ad Epheſ. 2. Ad Galat. 3. Iob. 12. Hebr.7. 1. Petr. 1.

cano, Florentino, & Tridentino. Et inde infertur B. Virginem ſub hac generali diffinitione comprehendi.

§. 2.

Vera reſolutio.

4. *Vera reſolutio.* His tamen non obſtantibus, dicendum eſt opinionem iſtam omnino eſſe reprobandam; velut hæreticam, vt ego verius exiſtimo; vel vt
Reijcienda eſt vt hæretica. erroneam in fide, vt plures potius probabunt: etenim ſi hęc opinio ſacrę Scripturæ expreſſe reſiſtit, vt hi authores autumant; non poteſt non cenſeri formaliter hæretica, & contra fidem: nam fides Catholica putat omnia ea vere & proprie ad fidem pertinere, quæ in ſacris literis expreſſe continentur, & omnia illis oppoſita damnat vt hæretica. Quare ſi opinio B. Virginem ab originali liberans, ſacræ Scripturæ expreſſe contradicit, nō poteſt non eſſe formaliter hæretica: hoc autem & cōſtitutioni Sixti IIII. repugnat, & Concilio Tridentino: nam Tridētinum expreſſe docet non eſſe intentionis ſuæ B. Virginem comprehendere ſub illa ſacrę Scripturæ regula generali, quod peccatum Adami in omnes illius poſteros per originem transfunditur: iam vero non poſſet eam non comprehendere; ſi illa ſacrarum literarum generalis regula eam vellet comprehendere. Quare dum
5. *Tridentinum, Sixtus IIII. Alexander VI. & Pius V.* liberam facultatem faciunt, vt quiſque quam voluerit, opinionem probet, dummodo non dicat oppoſitam eſſe hæreticam: vtique ſatis declarant neutrā opinionem ſacris literis repugnare: & à fortiori ſatis euidenter ſignificant non repugnare ſacræ Scripturæ, qui B. Virginem à peccato originali immunem defenderit. Qūod adeo verum eſt, vt Sixtus IIII. in ſua conſtitutione expreſsis verbis vocet falſam, erroneam, peruerſam, & â veritate penitus alienam opinionem, quæ dixerit, liberare B. Virginem à peccato originali, hæreticam eſſe, & contra ſacram Scripturam: imo talem aſſertionē expreſſe reprobat, & condemnat: vnde talem aſſertionem, vt vere hæreticam reprobauimus *ſup. q. 2. ar. 1. §. 3. cōcl. 2. n. 9.*

Concludendum eſt igitur B. Virginē ab originali eſſe liberam & immunem, ſacris literis non repugnare; in quo nobiſcum conſentiunt aduerſarij, qui poſt Sixtum IIII. & Tridentinum ſcripſerunt: ita *Caietanus in d. tract. de Conceptione Virginis c. 2.* expreſſe affirmans neutram illarum opinionū in ſacra Scriptura, certiſque fidei dogmatibus explicite haberi: & ſubinde vtramque cum ſacra Scriptura, & cum reliquis neceſſario credendis poſſe conſtare. *Et inferius cap. 3. §. In ſecundo autem ſenſu* aſſerit Virginem ab originali fuiſſe liberam, non eſſe ſacræ Scripturę contrarium. In quo cum Caietano cæteri omnes conueniunt, quia non poſſunt iam non concedere opinionem, quæ B. Virginem ab originali liberat, ſine hęreſi poſſe defendi: non poſſet autem, ſi ſacris literis contradiceret. 6. *Concluſio reſolutionis.* *Caiet.*

Ex qua reſolutione infertur, erraſſe eos Catholicos, qui ante Sixtum IIII. ſcribentes dixerunt præcitatam ſententiam ſacris literis expreſſe contradicere: etenim ſi expresſè illis contradiceret, nō poſſet Eccleſia in præcitatis Scripturæ regulis eam non comprehendere: cum tamen Tridentinum expreſſe doceat nō eſſe ſuæ intentionis in illis Scripturę regulis B. Virginem comprehendere: & ſubinde faciat facultatem, vt ſine hæreſi illam poſsimus excipere, & eius puritatē defendere. Quare cum ad Eccleſiam pertineat de vero ſenſu iudicare, & interpretatione ſcripturarum ſanctarum, vt docet idem Tridentinum ſeſſ. 4. in decreto de editione, & vſu ſacrorum librorum; dum non intendit ſub generalibus Scripturæ regulis de peccato originali agentibus B. Virginem comprehendere, ſatis explicat ſacræ Scripturæ minime repugnare, qui B. Virginem ab illis exceperit. 7. *Errarunt aduerſarij.* *Trident.* *Trid.*

¶ Quare non ſolum reprehendenda eſt, ſed etiam abominanda impudentia illorum hæreticorū, dum affirmant & Sixtū IIII. & Patres Tridentinæ Synodi contra ſacram Scripturam erraſſe, dum nolunt ſub illo generali peccati originalis decreto B. Virginem comprehendere.

§. 3.

Solutio fundamenti hæreticorum.

Sed

8. *Ad fundamentū hæreticorum.*

SEd iam ſe ſe offert non contemnenda difficultas; quonam.ſ. modo explicandæ ſint vniuerſales ſacræ Scripturæ propoſitiones, quæ ſine vlla exceptione docent omnes originale peccatum ex Adamo trahere. Cui argumento tres principales inuenio ſolutiones. Quarum prima docet propoſitiones illas eſſe quidem vniuerſales ſecundum figuram; non tamen ſecundum ſententiam: & ſubinde licet cum ſigno vniuerſali proponantur; ſententia tamen per eas prolata non accipitur vniuerſaliter. Ex quo infertur his propoſitionibus non repugnari, ſi ab illis aliqua fiat exceptio: etenim cum ſecundum ſententiam non ſint vniuerſales, explicandæ ſunt non de vniuerſalitate logica, ſed de ſola morali, quæ ex ſe non complectitur omnia particularia.

1. *ſolutio.*

9. 2. *ſolutio.*

Secunda ſolutio eſt eorum, qui volunt propoſitiones illas, & ſecundum figuram & ſecundum ſententiam eſſe vniuerſales vniuerſalitate logica, ita vt nullam admittant exceptionem: volunt tamen eas intelligendas eſſe, non ſecundum actum, quaſi omnes actu contrahant maculam originalem; ſed ſecundum debitum: in quo ſenſu abſque vlla exceptione ſunt vniuerſales, & vere comprehendunt B. Virginem, cum illa vere concepta ſit cū debito, & obligatione contrahendi maculam originalem. Attamen cum noſtra controuerſia non ſit, an B. Virgo contraxerit debitum ad originalem maculam; ſed ſolum, an actu contraxerit ipſam maculam originalem: vtique propoſitionibus ſacræ Scripturæ nullo modo contradicet, qui dixerit B. Virginem ſine macula originali conceptam fuiſſe.

10. 3. *ſolutio.*

Tertia tandem ſolutio eſt eorum, qui putant propoſitiones illas ſacræ Scripturæ eſſe vniuerſales ſecundum ſententiā, non ſolum ſecundum debitum, ſed etiam ſecundum actum: volunt tamen eas non eſſe vniuerſales, aut vniuerſalitate logica, quæ ex natura rei omnia particularia, nullo excepto, comprehendit; ita vt vno ſolo excepto, reddatur ſimpliciter falſa: nec ſola vniuerſalitate morali, quę ex ſua natura ratione materiæ ſubiectæ non complectitur omnia particularia, & habet ſolam vniuerſalitatem, vt in pluribus: ſed eſſe vniuerſales vniuerſalitate legali, & iuridica, quę generaliter prolata ex ſua natura complectitur omnia particularia: attamen ex ſua intrinſeca ratione ſemper excipit authoritatem legiſlatoris, ſi forte aliquod, vel aliqua particularia ex gratia ſpeciali eximat à lege: ob quam rationem ſicut legiſlator ſuæ legi non contradicit, cum aliquem ex ſpeciali priuilegio ab ea eximit; ita etiam facta tali exemptione nō redditur falſa vniuerſalis regula legis: quare cum regulæ illæ ſacrarum literarū ſint legales, & vniuerſales vniuerſalitate iuridica, illis non contradicit, qui B. Virginem ex ſpeciali Dei priuilegio ab illis eximit.

11. *Sola 3. opinio recipitur.*

Ex his tribus ſolutionibus nec prima admittenda eſt, nec ſecunda, ſed ſola tertia: quia vero ſingulæ ſingulas continent difficultates, operæpretium erit ſingulas earum ſingulis articulis quamdiligentiſſime explicare: quod in tribus articulis ſequentibus præſtabimus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm propoſitiones generales ſacræ Scripturæ de trāſfuſione peccati Adami in omnes homines, ſint vniuerſales ſolum ſecundum figuram; non vero ſecundum ſententiam?

§. I.

Refertur prima opinio.

1. *Quæſtio.*

PRo explicatione primæ ſolutionis ad hæreticorum fundamenta inquirendum eſt; vtrum propoſitiones vniuerſales ſacræ Scripturæ de transfuſitione peccati Adami in omnes homines ſint vniuerſales ſecundum figuram, an vero ſecundum ſententiam? ita vt licet cum ſigno notaq; vniuerſali proponantur, ſententia tamen per eas ſignificata ex ſe vniuerſalis nō ſit; vt idem ſit in omnes homines, quod in multos homines?

2. *Opinio affirmatiua. Turrian. Cannisius. Martinus de Mart.*

Partem affirmantem videntur probare doctiſsimi Theologi: ita *Franciſcus Turrianus in epiſt. de peccato originali p.2. ad 2. obiect. fol.44. latè Cannisius lib. 1. de Maria Deipara cap.6.pag.58. Martinus de Martines lib,6.hypothipoſeon c.3. pag.460.*

Franciſ-

Onandus. F. Franc. à Chriſto. Palatius. Bellom.

Franciſcus Onandus ad 3. Scoti diſt. 3. q. 1. & 2. dub. 6. ad 1. argum. fol. 127. col. 1. Præceptor Frater Franciſcus à Chriſto in 3. diſt. 3. q. 1. ad teſtimonia Scripturæ fol. 34. col. 4. non diſplicet Palatio ibidem diſp. 1. ad 1. arg. pag. 48. col. 1. non omnino reſiſtit Bellomont. tom. 2. ad 3. p. diſp. 117. c. 8. ante eos ita docuit Maior ibidem q. 1. ad 1. dum ait, vniuerſalitatem illarum propoſitionum non eſſe logicam, ſed moralem, quæ ex ſe non poſtulat complecti omnia particularia, ſed plura: & abſque dubio eandē ſolutionem videntur amplecti, qui abſolute admittunt propoſitiones illas eſſe vniuerſales, & tamen volunt B. Virginē in eis non comprehendi; quomodo ad argumentum nouiſsime reſpondet *Frater Franciſcus de Petigianis in Summa Theologiæ ad 3. Scoti, diſt. 3. q. 1. art. 5. pag. 143. col. 2. in fine.*

Maior.

Franciſcus Petigian⁹.

3. *1. confir. Photius.*

Hanc ſententiam primo confirmant ex quadam doctrina *Photij Conſtantinopolitani in reſponſis ad Amphilachium*, quæ docet in ſacris literis figuram, formamq; propoſitionis ſæpiſsime eſſe vniuerſalē; non tamen ſententiam: quæ etiam doctrina (vt plures volunt) placuit *D. Fulgentio in lib. de Incarnat. & grat. Chriſti c. 31.* Quæ confirmatur multis & apertiſsimis ſacræ Scripturæ locis, quos præcitati Doctores colligunt, & inter eos *Canniſius vbi ſupra*: & quia doctrina iſta receptiſsima eſt, ad illius confirmationem ſatis ſit illud Geneſ. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram*: cum tamen pro illo tempore plures viri ſancti in terra viuerent.

D. Fulg. *Canniſius.* *Gen. 6.*

4. *2. confirm. ex verbis Pauli.*

Deinde eam confirmant; quia ex contextu Pauli *ad Rom. 5.* ſatis colligitur hęc prædictarum propoſitionum explicatio: nam cum dixiſſet: *in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt*: ſtatim dixit: *ſi vnius delicto multi mortui ſunt*: quibus verbis videtur explicare vniuerſalitatem prioris propoſitionis, non eſſe in ſenſu, ſiue in ſententia. Præterea cum in eodem cap. dixiſſet: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationē*; ſtatim addit: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*, his verbis inſinuans in priori propoſitione *Omnes homines* quoad ſenſum idem eſſe, quod *multi homines*; ita vt vniuerſalitas illarum propoſitionum ſit tantum quoad figuram; non vero quoad ſenſum.

5. *3. confirm. ex eodem Paulo.*

Tertio id ipſum confirmant; quoniam ſicut idem Paulus in eodem loco dixit: *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem*, ita etiam dixit: *Per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationē*: vnde vniuerſalitas prioris propoſitionis eodem modo accipienda eſt, quo vniuerſalitas poſterioris; cum vtraque ſimili loquendi forma à Paulo proferatur: iam vero conſtat poſteriorem propoſitionē, quæ eſt de iuſtitia Chriſti, non eſſe vniuerſalem in ſentētia; ſed ſolum in figura: ſiquidem per iuſtitiam Chriſti non omnes homines iuſtificantur. Prior igitur propoſitio ex mente Pauli non erit vniuerſalis in ſententia, ſed in ſola figura.

6. *4. confirm.*

Denique ex eo cōfirmari poteſt; quia ſuppoſita hac ſententia, eximere Beatam Virginem à peccato originali, non erit contra propoſitiones in ſacris literis propoſitas, cum illæ non ſint vniuerſales in ſenſu, ſed in figura.

§. 2.

Non eſt recipienda præcedens opinio.

7. *Non recipitur hæc opinio.*

HÆc tamē opinio indigna eſt, quæ à Catholico recipiatur: tum quia inuenta eſt, & excogitata à Pelagio in ſui erroris confirmationem: & ab Auguſtino cōtra eundem acerrime impugnata: tum etiam; quia diffinitiones Conciliorum, quibus generaliter docemur omnes Adami poſteros in peccatis concipi, & naſci, ſunt vniuerſales, & ſecundum figuram, & ſecundum ſenſum; & tamen ex præcitatis Scripturæ propoſitionibus deſumuntur.

Eſt excogitata à Pelagio, & impugnata ab Aug.

8. *Eſſe inuētā à Pelagio docet Auguſt.*

Quod hæc opinio ſit à Pelagio excogitata, & inuenta, teſtatur *Magnus Auguſtinus in lib. de natura & gratia cap. 41. tom. 7*: agens enim de explicatione propoſitionum vniuerſalium, quæ ex Paulo ad Rom. 5. citantur, ita ſcribit: *Ponit etiā*, ſcilicet Pelagius, *iſtud teſtimonium, vnde probet, cum dicuntur omnes, non ſemper omnes omnino nullo prætermiſſo intelligi oportere.* Ecce Pelagius, teſte Auguſtino, expreſſe docebat propoſitiones illas Pauli

non eſſe vniuerſales ſecundum ſententiam: hanc tamen explicationem Chriſtianæ religioni eſſe infeſtam, & fautricem hæreſis Pelagianæ diſertis verbis affirmat *Auguſtinus lib. 6. contra Iulianũ c.24. tom.7:* agens enim de hac explicatione à Pelagio inuenta, & approbata à Pelagianis ita ſcribit: *Vos autem, dum non omnes, ſed multos vultis intelligi, horrenda peruerſitate, Chriſtianæ religioni eſtis infeſti:* quod ſi authores huius ſolutionis ſupra citati aduertiſſent cum vere ſint Catholici, non modo illam non approbaſſent, ſed totis viribus impugnaſſent: cui enim Catholico placere potuit explicatio à Pelagio excogitata in defenſionem ſui erroris, quo defendebat poſſe hominem viribus naturæ abſque Chriſti gratia iuſtificari? quomodo etiam viro Catholico placebit explicatio, quam Auguſtinus tam acriter impugnat? & quæ Catholicis maxime diſplicuit tanquam fautrix Pelagianæ hæreſis? vt annotauit *Benedictus Pereira in c.5. ad Rom. diſp. 14. ad finem.*

Auguſt.

Pereira.

9. Propoſitiones illæ intelligendæ ſunt de tota vniuerſalitate ex Auguſt.

Quare omnes illas propoſitiones in tota ſua vniuerſalitate intelligamus; ſicut eas intellexit Auguſtinus in d. libro de natura & grat. c.41. ita ſcribens: *Sed plane illud, quod commemoraui; per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt; & antiquos, & recentiores, & nos, & poſteros noſtros ſententia illa complectitur.* Et inferius ſoluens argumentum Pelagij, ita ait: *Non plane illo teſtimonio probat, quod vult: nam ſicut dictum eſt; per vnius dilictum in omnes homines in condemnationem, vt nullus prætermittatur* (quid clarius?) *ſic & in eo, quod dictum eſt, per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ, nullus prætermiſſus eſt.* Quibus verbis expreſſe docet Auguſtinus propoſitionem illam: *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem* ita vniuerſaliter eſſe intelligendam, vt nullus excipiatur. Rurſus in d. lib. 6. contra Iulianum c. 24. hæc verba ponit: *Ita etiam cùm dictum eſt, per vnum in omnes tranſijſſe peccatum, & poſtea per vnius obedientiã peccatores conſtitutos multos; ipſi ſunt multi; qui & omnes: ſimiliter cũ dictum eſt, per vnius iuſticiam in omnes homines in iuſtificationem: & rurſus dictũ eſt, per vnius obedientiam iuſti conſtituti ſunt multi, non aliquibus exceptis, ſed eoſdem multos omnes oportet intelligi.* Quod etiam latè oſtendit in lib. de perfecta iuſtitia cap. vltimo tom.7. Non eſt igitur dubitandũ, Auguſtinũ conſtantiſsimè docuiſſe propoſitiones illas Pauli non ſolum eſſe vniuerſales ſecundum figuram, & formam, ſed etiam ſecundum ſententiam, & ſenſum earum, vt nullus excipiatur: & oppoſitam explicationem Chriſtianæ religioni eſſe infeſtam.

10. Confirmatur ex Concilijs.

Quæ explicatio Auguſtini non minus efficaciter, quam euidenter confirmatur ex diffinitionibus Conciliorum, & Patrum: etenim quamplurima Cõcilia vniuerſaliter diffinierunt: *Omnes Adami poſteros non ſolum cum originali concipi in vtero; ſed cum eodem naſci ex vtero: & ob eam rationẽ vniuerſaliter diffinierunt omnes paruullos ex Adamo trahere peccatum originale, quod lauacro regenerationis expiari neceſſe ſit.* Ita diffinitum eſt in *Concilio Mileuitano can. 2. & in Africano c.77. & tandem in Tridentino ſeſſ. 5. can. 4. refertur in c. Placuit. 153. & in cap. Quiſquis. 137. de cõſecr. diſt. 4.* quarum diffinitionum vniuerſalitatem non ſolum eſſe ſecundum figuram, & formam, ſed etiam ſecundũ ſenſum, & ſententiam ſatis declarat Tridentinum can. 2. ex 2. Arauſicano c. 2. dum diffinit *Adamum per inobedientiam in totũ genus humanum non ſolum mortem, & pœnas corporis, ſed etiam peccatum transfudiſſe:* quæ verba ſatis denotant illa alia verba, *Omnes homines ex Adamo trahere originale peccatum* continere vniuerſalitatem quoad ſententiam: niſi enim de omnibus hominibus, nullo excepto, intelligerentur, vtique Adamus in totum genus hominũ peccatum non transfunderet: etenim hominum multitudo, quanuis ingens ſit, & fere innumerabilis, niſi fuerit ita vniuerſalis, vt nullus excipiatur, non poteſt totum genus humanum conſtituere: quia totum genus humanum idem eſt, quod vniuerſum humanum genus: vniuerſitas autem continet omnes, nullo excluſo, & in hoc ſenſu Catholica Eccleſia præcitatas Conciliorum diffinitiones ſemper intellexit. Quibus ſi addamus Concilia præ-

Mileuit. Africanũ. Trident.

Trid. Arauſic. II.

citatas

12. citatas diffinitiones ex illis ſacræ Scripturæ propoſitionibus aſsúpſiſſe, ex præcitatis Cõcilijs patet, dum inquiunt: *Cum contradicat Apoſtolo dicenti, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt*; neceſſario infertur Eccleſiam propoſitiones illas intelligere cum vniuerſalitate ſecundum ſenſum, & ſententiam. Cum vero ad Eccleſiam pertineat de vero ſenſu ſacræ Scripturæ iudicare, vt ex Tridentino iam diximus; omnino dicendum erit illas propoſitiones vniuerſales eſſe ſecũdum ſententiam. Quomodo autem cum hac vniuerſalitate ſtet exceptio B. Virginis? in ſequentibus explicabimus.

§. 3.

Soluuntur argumenta aduerſariæ ſententiæ.

13. *Ad* 1. *arg.* NEc obſtant, quæ in confirmationem ſuę explicationis aduerſarij adducunt. Nam ad primũ ſumptum ex doctrina Photij libentiſsime admittimus in ſacris literis dari aliquot propoſitiones cum nota vniuerſalitatis prolatas, quæ tamen ſolum ſunt vniuerſales quoad figuram, non vero quoad ſententiam: nam præter duos locos in argumẽto adductos, id colligitur ex illis verbis
Matth. 3. Matthæi 3. *Exibat ad Ioannem Ieroſolyma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem*, cum tamen conſtet non omnes ad Ioannem exijſſe: & ideo ſignum illud vniuerſale ſolum denotat maximum hominum concurſum: ſicut etiam in illis
Ioan. 12. verbis Ioannis 12. *Ecce totus mundus abijt poſt eum.* non denotatur vniuerſitas, nullo excepto: quia manifeſtum eſt, non omnes poſt Chriſtum tunc abijſſe. Quare libenter admittimus dari in ſacris literis propoſitiones vniuerſales ſolum ſecundum figuram: dicimus tamen regulam illam locum non habere in omnibus ſacrarum literarum vniuerſalibus propoſitionibus; quia eneruarentur quamplurimæ Catholicæ veritates, inter quas Eccleſia hanc vnam enumerat: omnes homines ab Adamo ſeminaliter propagatos peccatum originale contrahere.

14. Si verò inquiras; quando vniuerſalitas propoſitionum, quæ in ſacris literis ponuntur, ſint vniuerſales, quoad ſententiam? quando vero non ſint? reſpondebo hoc ex materia ſubiecta iudicãdum eſſe: in propoſito autem ipſa materia theologice conſiderata euidenter petit, vt propoſitiones illæ in ſenſu vniuerſali ſumãtur: an vero vniuerſalitate logica; an legali? in ſequentibus oſtendemus: ſatis nunc ſit oſtendere eas non eſſe vniuerſales ſolum ſecundum figuram, ſed etiam ſecũdum ſententiam. *Quãdo propoſitiones vniuerſales ſint ſecundũ ſententiam.*

15. *Ad* 2. *confirm.* ¶ Ad ſecundam confirmationem ſumptam ex contextu Pauli, dicimus primo
1. *ſolutio.* illius authorem fuiſſe Iulianum Pelagianum, vt patet ex *Auguſtino lib. 6. contra eundem c. 24. ad finem*: agens enim de pręcitatis Pauli verbis, ita ſcribit: *Cum vero multos, quos dixit poſtea, non vis intelligi omnes, quod prius dixerat, ideo exiſtimas dictum fuiſſe multos, ne omnes intelligerentur: poteris hoc dicere, &c.* Vides igitur Iulianum, teſte Auguſtino, hanc excogitaſſe explicationem; quam tamen Auguſtinus ibidem impugnat tanquã religioni Chriſtianæ contrariam, vt patet ex verbis ſupra adductis: *Vos autem dum non omnes, ſed multos, ſiue per Adam condemnatos eſſe, ſiue per Chriſtum liberatos vultis intelligi, horrenda peruerſitate Chriſtianæ religioni eſtis infeſti.* Quæ Auguſtini verba ſatis eſſe debuiſſent, ne Theologi doctiſsimi (contra quos agimus) hanc interpretationem ab Auguſtino impugnatam, vt vere impiam laudarent, & approbarent tanquam vere ingenioſam, & literalem. Deinde

16. 2. *ſolutio.* dicimus verbum *multi* à Paulo poſteriori loco poſitum explicandum eſſe per verbum *omnes* poſitum priori loco, vt idem dicat, quod verbum *omnes*, quæ eſt explicatio Auguſtini: nec enim nouum eſt in ſacris literis verbum *multi* idem dicere, quod verbum *omnes*, vt aduertit *Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 23.* & patet ex c. 20. Matthæi: *Filius autem hominis venit dare animam ſuam pro multis:* & ex c. 26. Matthęi: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur*: in quo vtroque loco *multi* idem eſt, quod *omnes*, vt vtrobique annotauit Theophylactus, & eſt communis explicatio. Ad Hebræos etiam c. 9. *Vt animam ſuam det* *Auguſt. Matt. 20. Matt. 26. Theophyl. Ad Heb. 9.*

pretium redemptionis pro multis, id eſt, pro omnibus, iuxta Catholicam explicationem: Daniel. 12: *Et multi dormientium in* Dan.12. *terræ aggere exurgent*, cum tamen *omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei*, vt dicitur Ioan. 5. & docet Paulus 1.Cor.15. 17. 1.Cor.15. *Omnes reſurgemus*. Cum igitur conſtet in præcitatis locis verbum *multi* continere ſententię vniuerſalitatem; cur non dicemus in præcitato loco Pauli idē verbum eam continere? vt idem ſit *multi*, quod *omnes*: maxime cùm materia ſub iecta illam vniuerſalitatem poſtulet; & eandem ſatis conuincat verbum *omnes* in priori propoſitione: quod iuxta communem Eccleſiæ interpretationem continet vniuerſalitatem ſententiæ; vt etiam probat *Auguſtinus lib. 6. contra Iulianum* Auguſt. *cap.24. & lib.1. de peccatorum meritis cap. 15. & libr. 2. de nuptijs, & concupiſcentia cap.27. ad finem*, & eſt communis aliorũ Patrum, & interpretum explicatio, vt patet ex *Bellarmino lib.4. de Amiſsione* Bellarm. Pereira. *gratiæ, & ſtatu peccati cap.8. ad 2. teſtimonium, & ex Pereira in eodem loco diſp. 14. & ex alijs expoſitoribus*.

18. Negatur minor. Quare ad ſecundam confirmationem negandum eſt Paulum ideo vſum fuiſſe verbo *multi*, vt ſignificaret vniuerſalitatem prioris aſſertionis: *Si per vnius delictum in omnes homines in condemnationem* non eſſe ſecundum ſententiam, ſed ſecundum figuram: oppoſitum enim ſatis probant diffinitiones Conciliorum, quæ ex hoc loco Pauli vniuerſaliter diffiniunt omnes Adami poſteros peccatum originale contrahere. Quibus ſuppoſitis, non poteſt non concedi verbum *multi* idem eſſe, quod *omnes*, ita vt contineat ſententiam vniuerſalem. Quod ſatis explicat particula *enim*, quæ prioris aſſertionis rationem reddit: quę ratio inepta eſſet, nisi *multi* idem diceret; quod *omnes*.

19. Non fauet Theodor. Nec aduerſarijs fauet Theodoretus *in eodem Pauli loco, & in epitome diuinorum decretorum in c. p. de Seruatoris diſpenſatione*: nam in illis locis hunc Pauli locum in tota vniuerſalitate ideo non explicat, quia exiſtimauit locum non eſſe intelligendum de peccato Adami per originem transfuſo, ſed per imitationem: in quo ſenſu peccatum Adami non in omnes deuenit, ſed in multos. Theodoretus tamen non eſt in hoc audiendus, vt bene aduertit Pereira in dicta diſputatione 14. quia iam conſtat locum illum Pauli intelligi de peccato Adami transfuſo per originem, non vero per imitationem. Quare ſi Theodoretus in hoc ſenſu Paulum intelligeret, vtique diceret verbum *multi* idem eſſe, quod *omnes*, vt ſcripſit apud *Daniel. 12*. Non recipitur.

20. Non fauet Toletus. Nec etiam fauet aduerſarijs Toletus in eodem loco Pauli annotat. 25: quoniam propriam ibi habet explicationem, docens Paulum in eo loco agere de peccatoribus, qui ſecundum effectum manſerunt peccatores, & perierunt; & de iuſtis, qui permanſerunt iuſti, & ſaluati ſunt: in quo ſenſu vna & altera Pauli ſententia non eſt vniuerſalis, ſed particularis, licet enim omnes ex Adamo cum peccato originali concipiantur; non tamen omnes in eo peccato ſemper permanſerunt; ſicut etiam nec omnes, qui in Chriſto iuſti fuerunt, in eadem iuſtitia perſeuerauerunt. Sed quam aliena à Non eſt de mente Pauli. mente Pauli ſit hæc Toleti explicatio, facile oſtendi poſſet, ſi diſputandi daretur locus; quanuis illa placuerit *Salmeroni lib.2. in epiſt. ad Rom. diſp.42*. Salmer.

21. Ad 3. confirmat. 1. reſponſ. ¶ Ad tertiam confirmationem eodem modo reſpondendum erit: nam primo dicimus illam explicationem Pauli ideo reijciendam eſſe; quia inuenta eſt à Pelagio ad eneruandam catholicam veritatē, vt patet ex *Auguſtino in lib. de natura, & gratia cap. 41. vt ſupra diximus*. Deinde Auguſt. ad argumentum in forma admittimus vtriuſque propoſitionis vniuerſalitatem eodem modo ſumendam eſſe: negamus tamē vniuerſalitatem poſterioris propoſitionis, quæ agit de Chriſti iuſtitia omnes iuſtificante, non eſſe vniuerſalem, ſi debite explicetur: quod etiam negat Auguſtinus *in d. c. 21.* dum ait; *quod ſicut per vnius delictum in omnes homines ita eſt in cō demnationem, vt nullus prætermittatur: ſic in eo, quod dicitur, per vnius iuſtitiā in omnes homines in iuſtificationē vitæ, nullus prætermiſſus eſt*. Quod ſatis etiā ſcribit *in lib. 6. contra Iulian. c.24.* affirmās quod ſicut in Auguſt. illa propoſitione *per vnius inobedientiam*

peccatores conſtituti ſunt multi idem eſſe *multi*, quod *omnes*, vt illa propoſitio conſentiat cum priori: *per vnum in omnes trāſiuit peccatum*, ita etiā cum dicit *per vnius obedientiam iuſti conſtituti ſunt multi*: per multos intelliguntur omnes, vt poſterior conſentiat cum priori, *per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem.* Quod etiam late oſtēdit *in lib. de perfecta iuſtitia c. vlt. tom. 7.* Quare ex Auguſtino neganda eſt minor, & affirmandum illā propoſitionem Pauli: *vnius iuſtitia in omnes homines in iuſtificationem*, eſſe vniuerſalem in ſententia, ſi tamen debite explicetur.

22. *Quomodo explicāda ſit? 1. explicatio. Caiet. D. Thom. Catharin. Salmer.*

Sed quomodo illa debite explicanda veniat? non eodē modo omnes declarāt. Quamplurimi eam explicant quoad ſufficientiam, & meritum (quod in idem recidit) ita vt iuſtitia Chriſti ſufficiēter meruerit, vt in omnes homines trāſiret, quāuis quoad efficaciam in omnes non tranſeat: ita *Caietan. in eodem loco Pauli, & D. Thomas ibid. lect. 5. & Catharinus in 2. trac. de Concept. Virginis lib. 2. cap. 1. pag. 29. & Salmeron. lib. 2. in epiſt. ad Rom. diſp. 42.* & facile arridebit Theologis ſcholaſticis. *Non placet explicatio.* At tamen quanuis explicatio iſta in ſe vera ſit; menti tamen & ſenſui Pauli non bene poteſt accōmodari: ex ea enim ſequeretur priorem partem aſſertionis: *de delicto Adami in omnes homines in condemnationem*, ſimili modo eſſe intelligendam: non quidem quoad actum, ſed quoad debitū, & demeritum Adæ; quem ſenſum in ſequenti art. latè impugnabimus.

23. *Probatur explicatio Auguſt.*

Probanda eſt igitur explicatio Auguſtini, vt Chriſti iuſtitia ſit in omnes homines, non abſolute, ſed in omnes, qui in Chriſto regenerantur: qui ſenſus & in ſe verus eſt, & in ſententia vniuerſalis. Ita enim omnes in Chriſto renati per Chriſti iuſtitiam iuſtificantur, vt nullus niſi per Chriſtum iuſtificetur. Quare hic erit ſenſus propoſitionis: *ſic vnius iuſtitia in omnes homines in iuſtificationem*, quia omnes, qui iuſtificantur, per Chriſti iuſtitiam iuſtificantur, nullo excepto. Ad corroborandam hanc explicationem vtitur Auguſtinus exemplo ſumpto à magiſtro, qui ſolus in ciuitate alios docet; de hoc enim veriſsime diceretur: iſte in hac ciuitate docet omnes, non quod abſolute omnes doceat; ſed quia omnes, qui docētur, ab eo vno docentur. Quæ expoſitio placuit *Auguſtino lib. 2. de nuptijs, & concupiſcentia c. 27. ad finē, & lib. 1. de peccato. meritis c. 15. & epiſt. 89. & 107. & in Enchirid. c. 103. tom. 7. & de prædeſtinat. Sanctorum c. 8. Denique de correct. & grat. cap. 14. probat D. Thomas ad Rom. c. 5. lect. 5. & eſt communis.* *Auguſt.* *D. Thom.*

24. *Obiect. ex Salmer.*

Obijcit tamen Salmeronius: quoniam poſita hac explicatione, deficeret Pauli ſimilitudo: quia Chriſtus non eodem modo ſuam iuſtitiā in omnes homines propagaſſet, quo Adamus peccatum in omnes homines diriuat. Ad hanc tamen obiectionem neganda eſt ſequela: quoniam optime ſeruatur ſimilitudo, ſi bene explicetur: ſicut enim Adam peccatum ſuum, non niſi per generationē diriuat; ita etiā Chriſtus ſuam iuſtitiam non communicat, niſi per regenerationē: & ſicut Adamus ſuum delictum abſolute loquendo non communicat omnibus hominibus, ſed ſolis illis, qui ab eo generantur (ob quam rationem illud non cōmunicauit Chriſto; nec communicaret illis, qui de nouo à Deo crearentur) & tamen vt propoſitio illa ſit vniuerſalis, ſatis eſt, quod omnibus hominibus ab eo genitis ſuum peccatum communicet. Eodem etiā modo Chriſtus ſuam iuſtitiam abſolute non communicat omnibus hominibus, bene tamen omnibus ab eo regeneratis: quod ſatis eſt, vt propoſitio ſit vniuerſalis. Nec poteſt Salmeronius non approbare hunc dicendi modum, cum formaliter ponatur à Tridentino ſeſſ. 6. de iuſtificatione c. 4. vbi ita ſcribit: *Nam ſicut re vera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti, cum ea propagatione per ipſum, dum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant: ita niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam iuſtificarentur: cum ea renaſcentia per meritum paſsionis, eius gratia, qua iuſti ſunt, illis tribuatur.* Quibus verbis (vt annotatur ad marginem) alluditur ad explicationem Auguſtini.

Solutio. 15. *Explicatio propoſitionum,* *Ponitur à Trident.*

25. *Ad vlt.*

Ad vltimam confirmationem dicimus B. Virginem à peccato originali eximi, non contradicere præcitatis Scripturæ propoſitionibus, etiam ſecundum ſenſū vniuer-

vniuerſalibus: vnde nihil cogit ad hanc ſolutionem recurrere.

ARTICVLVS III.

An vniuerſales ſacræ Scripturæ propoſitiones intelligendæ ſint, ſolum ſecundum debitũ contrahendi peccatum Adami? an etiam ſecundum actum?

§. 1.

Refertur opinio, quod ſolum intelligantur ſecundum debitum.

1. *Quæſtio.*

SVppoſita veriſsima ſententia, quod propoſitiones Sacræ Scripturæ, quę nobis obijciuntur, ſint vniuerſales, etiam ſecundum ſententiam: inquirendum eſt; an intelligendæ ſint, & explicandæ, non ſecundum actum; quaſi Scriptura doceat, omnes homines Adami poſteros actu contrahere originale peccatum; ſed ſolum ſecundum debitum, vt doceant omnes Adami poſteros habere debitum, & obligationem contrahendi originalem maculam?

2. *1. opinio quod ſolũ intelligantur ſecundum debitum.* *Caiet.* *Medina.* *Catharin.* *Mayron.* *Palatius.* *Fr. Franc. à Chriſto.* *Cannisius.* *Salmer.*

Huic quæſtioni plerique reſpondent propoſitiones illas non eſſe intelligendas ſecundum actum, ſed ſolum ſecundum debitum, quia in hoc tantum ſenſu ſunt vniuerſales abſque alicuius hominis exceptione, & in eodem tantum ſenſu eſſe de fide. Ita *Caietan. 1.2. q.81. art.3. & in tract. de Conceptione Virginis cap. 3. §. In ſecundo autem ſenſu, Medina in d.q.81, art. 2. ad finem, Catharin. in 2. tract. de Concept. Virginis lib.2.c. 3. Mayron. in 3. diſt. 3. q. 2. art.10. Palat. ibidem diſp.1. ad 1. argum. pag.47. col.2. Placuit Præceptori Fr. Franciſco à Chriſto ibidem q. 1. ad authoritates ſacræ Scripturæ, & Canniſio lib. 1. de Virgine Deipara c.7. gag.66. & cap.6. pag.58: adde Salmeronium lib.2. in epiſt. ad Roman. diſp.42.*

3. *1. confirm.*

Hanc ſententiam primo confirmant ex *Paulo ad Rom. 5.* quatenus ſub eadem generalitate loquitur de peccato Adami, & de morte: & tamen generalitas mortis, vt ſit de fide, ſolum eſt intelligenda ſecundum debitum; non vero ſecundum actum: quia adhuc ſimpliciter non eſt de fide, quod illi, de quibus agit Paulus ad Theſſal. 4. actu ſint morituri. Ergo illa peccati vniuerſalitas, vt ſit de fide, debet intelligi, non ſecundum actum, ſed ſecũdum debitum.

Secundo; Paulus in d. cap. 5. ſimilem vniuerſalitatem tribuit peccato Adami ad omnes homines, & iuſtitia Chriſti reſpectu omnium hominum: ita enim ait; *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ita per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem:* & tamen vniuerſalitas iuſtitiæ Chriſti reſpectu omnium hominum, ſi ſecundũ actum intelligatur, non eſt de fide; quia non omnes homines de facto iuſtificantur, eſt tamen de fide, ſi intelligatur ſecundum debitum, & meritum Chriſti; quia vere Chriſtus meruit, vt omnes iuſtificarentur. Ergo vniuerſalitas peccati Adæ, vt ſit de fide, eſt intelligenda, ſecũdum debitum, & non ſecundum actum. 4. *2. confirm.*

Tertiò; Paulus in d. cap. 5. modo loquitur vniuerſaliter per verbum *omnes*, modo non vniuerſaliter, ſed per verbum *multi*: nam primum dicit, *in quo omnes peccauerunt*: deinde addit: *vnius delicto multi mortui ſunt.* Similiter ait: *per vnius delictum in omnes homines in condemnationem*: & ſtatim adiungit: *per inobedientiam vnius peccatores conſtituti ſunt multi*; hoc autem non ob aliam rationem fecit, niſi quia in prioribus propoſitionibus agebat ſecundum meritum, & debitum, & ideo vniuerſalem adhibuit notam, in poſterioribus autem, ſecundum actum: & ideo abſtinuit à nota vniuerſali vtens verbo *multi*. Quam ponderationem Catharinus appellat ſubtilem. 5. *3. confirm.*

Quartò; id ſatis ſignificat Paulus ad Epheſ. 2. dum ait: *Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri*: vbi propter notam vniuerſalem, qua vſus eſt, addidit particulam *natura*, vt explicaret illam vniuerſalitatem non eſſe intelligendam ſecundũ actum, & de facto; ſed ſecundum naturæ conditionem, & ex vi generationis; quod declarat debitum contrahendi originalẽ culpam. 6. *4. confirm.*

Tandem in huius rei confirmationem obſeruat Canniſius in ſacris literis frequens eſſe, vt quod vniuerſaliter aſſirmatur, accipiatur ſecundum certam cõditi- 7. *Vltima cõfirmatio.*

ditionem, quæ vniuerſalitatem reſtringat: nam in Pſalm. dicitur: *Omnis homo* Pſalmus. *mendax, vanus, & peccans*: hoc autem intelligitur non abſolute, ſed ſecundum naturæ conditionem. Deinde Matthæi Matt. 26. 26. *Qui gladio percutit, gladio peribit*; nimirum ſecundum meritum, quia dignus eſt, vt gladio pereat. Tertio Matthæi 19. Matt. 19. Luc. 18. & Lucæ 18. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*, id eſt, ſecundum conditionem ſuæ naturæ. Quarto; 1. Timoth. 1. *Solus Deus habet immortalitatem*. ſ. ſuapte natura, & eſſentia. 1. Tim. 1. 1. Tim. 6. Denique 1. Timoth. 6. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*: ſpectata ſcilicet hominis natura. Non igitur videri debet nouum, ſi illæ Pauli propoſitiones, non abſolute, & ſimpliciter intelligantur, ſed cum modificatione: nimirum ſecundum debitum, & obligationem generationis.

8. *Reſolutio huius primæ opin.* Ex his fere omnes citati authores concludunt hanc propoſitionem vniuerſalē: *omnes Adami poſteri contrahunt originale peccatum*, eſſe de fide, ſi intelligatur ſecūdum debitum: ſecus ſi intelligatur ſecundum actum, & de facto: & ideo putant non eſſe contra fidem nec contra propoſitiones vniuerſales adductas aſſerere B. Virginem actu non contraxiſſe peccatū originale; quia propoſitiones illæ nō ſunt de fide ſecundum actum, ſed ſolum ſecūdum debitum.

§. 2.

Propoſitiones illas vniuerſales intelligendas eſſe, & ſecundum debitum, & ſecundum actum.

9. *Non placet præcedens opin.* IN hac tantorum Theologorum reſolutione illud omnino diſplicet, quod aſſeritur non eſſe de fide *omnes Adami poſteros actu contrahere peccatum originale*: quæ opinio contra Caietanum diſplicuit Ferrarienſi 4. cōtra gentes c. 50. in prima ratione: eam tanquam parum tutam reijcit Valentia 2. tom. diſp. 6. q. 11. punct. 2. pag. 727. & in lib. de peccato originali cap. 3. §. *Verum hæc opinio*: contra eam docuit Cordubenſis lib. 1. quæſtion. q. 44. ad 3. argum. poſt 3. concl. pag. 356. col. 1: ego etiam puto talem propoſitionem vere eſſe de fide, & oppoſitum defendi non poſſe.

Contra illorum Theologorum ſentētiam, primum expendo; quod omnes 10. 1. *confirm.* Theologi pro fide Catholica contra Pelagianos pugnātes ſimpliciter & abſolute docent *omnes Adami poſteros contrahere originale peccatum*: & hanc veritatem tanquam de fide ſupponūt, cum eam errori Pelagianorū ex diametro contraponāt: & D. Thomas expreſſe cōcedit erroneū eſſe affirmare aliquos ex Adamo diriuari abſque peccato originali, vt ſcribit *in q. de Malo q. 4. ar. 6. & in 4. diſt. 43. q. 1. art. 4. q. 1. ad 3*: D. Thom. Et hanc eſſe fidei regulam vnanimis eſt Patrum conſenſus. ſ. *omnes Adami poſteros, & cum originali concipi, & cum eo naſci*. *Eſt regula fidei.* Ita Zozimus Papa apud Augustinum *epiſt.* 157: *Auguſt.* agens enim de peccato originali, ita ſcribit: *In quo Adami peccato nullus omnino natorum, antequam per baptiſmum liberetur, non tenetur obnoxius*: obnoxius, inquam, i. obſtrictus, & ligatus, donec liberetur per baptiſmum: quæ verba ſatis euidenter loquuntur de contractione actuali originalis culpæ. Auguſtinus etiam lib. 1. de peccatorum 11. *Idē Aug.* meritis cap. 16: *Quiſquis ex concupiſcentia carnis, & lege peccati carnaliter generatur, regenerari ſpirituali opus habet, vt non ſolum ad regnum Dei perducatur, verum etiam à peccati damnatione liberetur: ſicut enim per primum hominem in peccato, & in morte naſcuntur; ita & per Chriſtum in iuſtitiam, & vitam æternā in baptiſmo renaſcuntur.* Refertur in c. *Quiſquis ex concupiſcentia* 137. C. *Quiſq. de conſecr. d.* 4. *de conſecr. diſt.* 4: cum vero agat de regeneratione per baptiſmum, vtique agit de peccato actu contracto, cuius macula per baptiſmum tollitur. Idem Auguſtinus *in Enchirid. c.* 52. poſtquam docuit omnes, nullo excepto, per baptiſmum peccato mori, ita ſcribit: *cui autem peccato paruuli renaſcendo moriuntur; niſi quod naſcendo contraxerunt?* refertur in c. *Vt oſtenderet* C. *Vt oſtē deret de cō ſecr. d.* 4. 133. de conſecr. d. 4. ſimilis fere ſententia habetur in cap. à paruulo ſtatim ſequente in eodem libro Auguſtini c. 43. cum vero Auguſtinus referat fidei regulam, vtique fides docet omnes Adami poſteros cum actuali macula originalis peccati naſci, à qua per baptiſmum liberantur: quod ſi de fide eſt omnes naſci cum actuali macula originali; vtique

de fide etiam erit omnes cum eadē actualiter concipi. Idem Auguſtinus lib. 5.
12. *Auguſt.* contra Iulianum c. 15. ad finem ita ſcribit: *Propterea nullus eſt hominum, præter Chriſtum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominum, præter Chriſtum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis ex ortu.* Quæ verba non ſoli debito accommodari poſſunt, ſed actuali maculæ contractioni. In eodem ſenſu explicanda ſunt verba *Auguſtini* 22.
Idē Aug. *de Ciuitate Dei cap.* 22. *pag:* 305. *A. Omnes Adami filios in originali peccato naſci*: in eodem etiam intelliguntur, quæ ſcribit *Pſalm.* 101. *conc.* 1. *tom.* 8. *pag.* 466: agens enim de culpa originali, ita ſcribit: *Ipſa eſt illa ira tua Domine in Adam: ira, cum qua omnes nati ſumus, cui naſcendo cohæſimus*: quæ cohæſio actualem contractionem denotat: etenim culpa, quæ nō actu ineſt, ſed ex ſolo debito, debēti non dum cohæret: cum per actualem cohæſionem debitum tollatur: qui enim ſoluit, quod debebat, iam liber eſt à debito: vt omittamus Auguſtinum ibi loqui de natiuitate ex vtero: non vero in vtero: de qua etiam natiuitate intelligitur in ſer. 20. de Verbis Apoſtoli c. 2. to. 10. dum ait: *Diabolū poſsidere omne genus humanum natum cum obligatione peccati*: iam vero qui ſolo debito peccandi tenetur, non dum poſsidetur â Diabolo, ſed qui actu ligatur macula peccati. Eadem veritas ſatis colligitur ex S: Fulgentio de Fide ad Petrum c. 26.
13. *Fulgent.* vbi ita ſcribit: *Firmiſsime tene & nullatenus dubites omnem hominem, qui per concubitum mulieris concipitur, cum originali naſci, & ob hoc natura iræ filium naſci: à qua nullus liberatur, niſi per fidem IESV Chriſti*, id eſt, per baptiſmum, vt ſtatim declarat cap. 27. docens, *Omnes paruulos originalis peccati damnationem carnali conceptione, & natiuitate trahere; ita vt æterno igne puniantur, niſi ſacramento Baptiſmi regenerentur.* Quare Sanctus Fulgentius
Fulgent. hanc ſtatuit firmiſsimam fidei regulam, omnes homines per concubitum mulieris conceptos actu naſci cum originali macula, â qua niſi per baptiſmum liberari non poſſunt. Quod ſi ſecundum fidē omnes Adami poſteri actu naſcuntur cū peccato originali, vtique eadem fides abſolute docet omnes illos cum actuali macula originali concipi. In eadem etiam doctrina eſt *Diuus Ambroſius libro* 2. *in* 14. *D. Amb.*
Lucam cap. 2. *ad illa verba, Et circunditur puer, & lib.* 1. *de Pœnitent. cap.* 2. *pag.* 169. *in fine, & Apologia Dauid cap.* 11: *Diuus etiam Gregorius lib.* 7. *Regiſtri epiſtola* 53. *D. Greg.*
Diuus Hieronymus ad illa verba Pſalmi 50. *Hieron.*
Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in Iſaiam cap. 47: *Beda in cap.* 1. *Luc. ad illa verba, Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum.* *Beda.* Denique omnes in vniuerſum Patres contra Pelagium hanc regulam, vt de fide tradiderunt, ſcilicet *omnes Adami poſteros, & concipi, & naſci cum originali peccato*, in hoc ſenſu, vt omnes & concipiantur in vtero, & naſcantur ex vtero cum illo.

Et hanc eſſe fidei regulam ex eo patet, quia in quamplurimis Concilijs ſub 15. *Alia con-*
anathemate definitur: *Omnes paruulos ex* *firmatio.*
Adamo trahere peccatum originale, quod lauacro regenerationis expiari neceſſe ſit: ita *Concilium Milleuitanum canone* 2. *primum* *Milleuit.*
Africanum cap. 77. relata in cap. *Placuit* *Afric.* 1.
153. *de conſecrat. d.* 4. diffinit Tridentinum ſeſſ. 5. can. 4. & hanc veritatem hæc *Trident.*
Concilia deducunt ex Paulo ad Roman. 5. in hæc verba: *Quoniam non aliter intel-* *Rom.* 5.
ligendum eſt id, quod dixit Apoſtolus. per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica vbique diffuſa ſemper intellexit: propter hanc regulam fidei ex traditione Apoſtolorum etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in remiſsionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt. In quibus verbis duo ſunt quamdiligen- 16.
tiſsime aduertenda. Primum eſt præcitata Concilia declarare verba Pauli (de *1. aduertē-*
tia.
quibus agimus) non aliter intelligi poſſe, niſi de macula originali actu contracta: cum expreſſe agant de peccato, quod paruulis in baptiſmo remittitur: quod non eſt aliud, quam ipſa actualis macula, quam in ſe ipſis habent contractam. Quare verba iſta euidenter damnant verba præcitata Pauli explicari

non ſecundum actum, ſed ſecundum debitum: cum expreſſe declarent Eccleſiā ea ſemper intellexiſſe de peccato actualiter contracto, quod per baptiſmum remittitur. 2.aduertētia. Alterum eſt præfata Concilia declarare hanc eſſe fidei regulam, ob quā omnes paruuli baptizantur: vt ſcilicet per regenerationem in illis actu mundetur macula, quam generatione contraxerunt. Porrò ſi ſecundum regulam fidei ex traditione Apoſtolorum omnes paruuli ſunt baptizandi, vt in illis mundetur macula actu contracta; vtique ſecundum regulam fidei tenemur confiteri omnes paruulos, & ſubinde omnes homines ex Adamo ſeminaliter propagatos non ſolum habere debitum contrahendi maculam, ſed de facto illam cōtrahere: aliter enim non omnes regeneratione per baptiſmum de facto mundarētur: quam etiam fidei regulam ex præcitatis Pauli verbis deducit Florent. Conciliū Florentinum in decreto Eugenij Papæ de inſtructione Armenorum, dum agit de Sacramento baptiſmi.

17. 2.confirm. Accedit etiam alius locus Tridentini vbi ſupra can. 2. dum ex 2. Arauſicano c. 2. diffinit *Adamum per inobedientiam in totum genus humanum peccatū transfudiſſe*: hanc autem transfuſionem intelligendā eſſe non de ſola transfuſione debiti ad cō trahendam maculam originalem, ſed de actuali transfuſione, ſatis declarat diffinitio can. 3. dum diffinit *peccatum originale non imitatione, ſed generatione transfuſum, in omnibus ineſſe, & cuique proprium*: quæ verba euidenter diffiniunt transfuſionem actualem culpæ originalis: ſiquidem diffiniunt transfuſionem maculæ in vnoquoque inexiſtentis.

18. 3.confirm. Addimus doctrinam eiuſdem Tridētini ſeſſ. 6. de iuſtificatione c. 1. ex qua colliges omnes homines præuaricatione Adami ita fieri immundos, vt omnes natura ſint filij iræ; ſerui peccati; & ſub poteſtate Diaboli cōſtituti: hūc enim ſenſum ſatis exprimunt illa verba poſita c. 3. *Nam ſicut re vera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti, cum ea propagatione per ipſum dum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant.*

Addimus adhuc ea verba, quæ docet 19. 4.confirm. ſeſſ. 6. c. 1. vbi expreſſe tradit *omnes homines præuaricatione Adami fieri immundos: natura.* i. generatione *fieri iræ filios, ſeruos peccati, & ſub poteſtate Diaboli conſtitutos.* Tales autem non fierent ex ſolo debito contrahendi originalem maculā, ſed formaliter ſunt tales per ipſam actualem maculam, quam contrahunt, cum vero in d. cap. 1. doceat *oportere, vt vnuſquiſque hanc doctrinā agnoſcat, & fateatur*, ſatis conuincitur eſſe de fide, omnes ex Adamo progenitos actualem maculam originalis peccati contrahere. Quod etiā ſatis declarat cap. 3. in illis verbis: *Cum ea propagine per ipſum.* ſ. Adamum, *dum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant*: debitum autem contrahendi iniuſtitiam formaliter non eſt iniuſtitia.

In eiuſdem veritatis confirmationem 20. non poſſum non annotare, quod Tridē- 5.confirm. tinum in d. ſeſſ. 5. in fine declarauit, *non eſſe intentionis ſuæ in illa vniuerſali regula fidei ſumpta ex Paulo Virginem comprehendere*: nam ſi illa fidei regula tradita à Concilio, ſolum intelligeretur de debito, vt volunt aduerſarij; cum in Virgine fides debitum agnoſcat, vt diximus lib. 2. non poterat Concilium eam in illa regula nō comprehendere. Quare vt tali intentioni detur locus, oportet, vt regula fidei à Cōcilio tradita intelligatur de actuali contractione maculæ, vt doctiſsime etiam aduertit Valentia locis citatis.

Præter hæc omnia, illud etiam vehe- 21. menter vrget; quia admiſſa Caietani opi- 6.confirm. nione, nihil haberemus, vnde poſſemus conuincere eum, qui aſſereret nullum hominem contrahere peccatum originale, dummodo in omnibus illius debitum agnoſceret, & quemlibet liberari diuina gratia, ne actu maculam contrahat: nam iſte non omnino eſſet Pelagianus; quia Pelagius & actualem contractionem maculæ originalis negabat, & debitum. Vnde igitur hunc hominem hęreſis conuinceremus: etenim illum aſſerere hæreſim Pelagianæ proximam, nullus dubitabit.

Denique Caietani opinionem conuin- 22: cemus ratione petita ex Morali Philoſo- Poſtrema phia, & ex iure: conſtat enim leges, & confirm. præcepta primo & immediate actum in-

tende-

tendere, obligationem vero reſultare ex præcepto, quo actus præcipitur: etenim lex & præceptum eſt menſura actuum, aut agendorum, ſi præceptum eſt poſitiuum, aut omittendorum, ſi fuerit negatiuum, vt docet *D. Thomas 1,2.q.90. art.1.& ſatis explicat iure conſultus in l. 2. ff.de legib. & ſcribit Ariſtot.in præfatione Rethoricor.ad Alexand.& inferius cap. 2. & lib.5.Ethic.cap.1.* Sicut igitur præceptum Adamo, & nobis impoſitum de non edendo de ligno vitæ, primum, & per ſe prohibuit actum eius, & pœna mortis impoſita per ſe reſpexit actum inobedientiæ, ita etiam lex à Deo ſtatuta de cõtrahendo peccato originali, primo, & per ſe non reſpexit debitũ contrahendi, ſed actualem maculam contrahendam.

D.Thom.

L.2. ff.de

Ariſt.

His argumentis inducor, vt non ſolũ non admittam Caietani opinionem; ſed vt eam reijciam tanquam fidei cõtrariã.

§. 3.

Soluuntur argumenta in oppoſitum.

23. *Ad 1.argum.* Nec obſtant, quæ pro Caietano §. 1. adducuntur. Ad primum negamus minorem: quoniam illa Pauli propoſitio: *Et ita in omnes homines mors pertranſiit* in ſua qua proponitur vniuerſalitate, non ſolum eſt de fide ſecundum debitum, ſed etiam ſecundum actũ, vt bene aduertit Valentia vbi ſupra: etenim in ſua vniuerſalitate in ſacris literis explicatur per verba, quæ actum denotant, vt patet, *ex Pſalm.*88. *Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem?* quaſi dicat, nullus, ſed omnis viuens tandem mortem videbit. Illud etiã *Pauli ad Hebræos 9: Statutum eſt hominibus ſemel mori* intelligitur de morte actuali. Adamo etiam, & nobis in eo *Geneſ.*3. dictum eſt: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: actu ſcilicet; iam vero illis verbis explicatur pœna mortis impoſita in illis verbis: *In quacunque die comederis, mortẽ morieris*: nõ quidem ſtatim cum peccaueris, ſed tempore ſtatuto à D.S. Quare pœna impoſita Adamo intelligenda eſt, nõ de debito ad incurrendam mortem, quaſi ſit ſenſus: *In quacunque die comederis, ſtatim ad incurrendam mortem eris obligatus*, ſed de actuali morte, ſuo tamẽ tempore incurrenda; vt ſit ſenſus: in quacũque die comederis, incurres mortem ſuo tempore ſoluendam.

Pſal,88.

Ad Hebr.

Geneſ.3.

Ita fit vt pœna inobedictiæ fuerit, nõ debitum mortis, ſed ipſa mors aliquando incurrenda: & ex hac impoſitione pœnę reſultauit debitum ad incurrendam mortem. Paulus igitur in præcitatis verbis ex peccato Adami optime colligit mortem pro aliquo tempore incurrendam in omnes homines pertranſijſſe: vnde omnes homines actu ſunt morituri, vt late oſtendimus *in 3.tom.de Beatitudine animæ & corporis q.4.art.2.§.3,num,54.* Si vero oppoſitum de aliquibus cum nonnullis ſenties, dicito vniuerſalitatem illam de morte ſecundum actum non tollere diuinam diſpenſationem, vt in ſequẽti ar. dicemus. 24.

25. *Ad 2.* Ad ſecundum minor etiam eſt neganda: quoniam *iuſtitia Chriſti in omnes homines in iuſtificationem* eſt propoſitio vniuerſalis, non modo ſecundum meritum; ſed etiam ſecundum actum, ſi debite explicetur, vt ex Auguſtino oſtendimus ſupra art.2.ad 2.confir.& ſatis colliges ex Tridentino ſeſſ. 6. de iuſtificatione c.3. ſicut enim peccatum Adami abſolute nõ eſt in omnes homines; ſed in omnes, qui ex Adamo generantur: & in hos omnes, & ſecundun debitum, & ſecundum actũ pertranſit: ita iuſtitia Chriſti non abſolute dicitur eſſe in omnes homines; ſed in omnes qui ex Chriſto regenerãtur: & in iſtis generalis eſt, & ſecũdũ debitũ, & ſecundum actum. Non negamus iuſtitiã Chriſti, quoad ſufficientiam eſſe in omnes homines; ſed dicimus Paulum in illis verbis non egiſſe de iuſtitia Chriſti quoad ſufficientiam, ſed quoad efficaciam: nam de peccato Adami (cũ quo ibi Chriſti iuſtitia comparatur) agebat, quoad efficaciam, vt ex Auguſtino, & Conciliis iam oſtendimus: quare quoad efficaciam peccatum Adami in omnes ab eo genitos actu tranſit: & iuſtitia Chriſti in omnes in Chriſto per baptiſmum regeneratos.

26. *Ad 3.* Ad tertium patet ſolutio ex dictis articul.2.§.3.ad 1.confir.admittimus enim Paulum, tam de peccato Adami, quàm de iuſtitia Chriſti nunc loqui per verbũ

omnes, nunc per verbum *multi*: negamus tamen eum in prioribus locutionibus loqui ſecundum debitum, & in poſterioribus ſecundum actum; cum in vtriſque ſecundum actum loquatur: & in poſterioribus verbum *multi* idē eſt, quod *omnes*, vt ex Auguſtino oſtendimus §. 3.

27. *Ad 4.* Ad quartum dicēdum eſt particulam *natura* idem eſſe quod *generatione*, vt ſit ſenſus eramus ex ipſa generatione filij iræ: etenim ex Ariſtot. in 5. Met. cap. de naturo, *natura* ſæpiſsime idem eſt, quod *generatio*: in hoc autem ſenſu *natura* potius denotat actualē Dei iram, quam debitum ad eſſendum filios iræ: nam idem eſt *filius iræ*, quod *reus iræ*: conſtituimur autem rei iræ, non præciſe ratione debiti contrahendi culpam, ſed ratione culpæ contractæ: hæc enim ſola nos facit iræ reos. Quare argumentum in aduerſarios retorquetur.

28. *Ad vlt.* Ad poſtremum admittimus doctrinā Canniſij; quia illa ex locis adductis ſufficienter probatur: dicimus tamē ex ſubiecta materia colligendum eſſe, quando locus explicandus ſit cum prædicta modificatione: in propoſita autem materia propoſitiones Pauli principaliter eſſe intelligendas ſecundum actum Eccleſia declarauit, vt oſtendimus §. 2.

ARTICVLVS IIII.

De qua vniuerſalitate explicandæ ſint propoſitiones vniuerſales Sacræ Scripturæ.

§. 1.

Ponitur vera reſolutio.

1. *Quid inquirendū.* CVm in præcedētibus articulis cōſtitutum ſit propoſitiones Sacræ Scripturæ de tranſfuſione peccati Adami in omnes homines eſſe vniuerſales quoad ſententiam, non ſolum quoad debitū, ſed primo, & principaliter quoad actum: ſupereſt inquirere de quanam vniuerſalitate ſint intelligendæ? an de logica, quæ neminem excludit? an de morali, quæ ex ſua natura ſolum eſt vniuerſalitas vt in pluribus? an denique de vniuerſalitate legali, ſiue iuris, quę ex ſua natura omnia complectitur, niſi authoritate legiſlatoris aliquis excipiatur.

2. *1. propoſi.* Hanc difficultatem propoſitis tribus propoſitionibus explicabimus, ſit igitur prima propoſitio: *Propoſitiones vniuerſales Sacræ Scripturæ de tranſfuſione peccati Adami in omnes homines non ſunt intelligendæ de vniuerſalitate logica.* Probatur, quoniam vniuerſalitas logica ex ſua intrinſeca ratione vendicat ſibi, vt vera eſſe nequeat, niſi in omnibus ſuis ſingularibus ſit vera: vnde ſimpliciter eſt falſa, ſi falſa ſit in aliquo ſingulari: etenim ſi Petrus non currit, hæc propoſitio *omnis homo currit* vera eſſe non poteſt; & inde habet, vt in ſe intrinſecè fundet oppoſitionem contradictoriam; cuius hæc eſt natura, vt vna particularis falſa omnino deſtruat veritatem vniuerſalis, cui contradicit: nec enim hæc *omnis homo currit* vera eſſe poteſt, ſi Petrus non currit. Iam vero veritas huius propoſitionis: *Peccatū Adami in omnes homines tranſiit in condemnationem* ſimul ſtare poteſt cum hac veritate: *Peccatum Adami in B. Virginē actu non tranſiit*: etenim Eccleſia iam fecit facultatem, vt manente vera regula fidei, *quod peccatum Adami tranſiit in omnes homines*, poſſemus dicere B. Virginem peccatum Adami non contraxiſſe. Quare hac exiſtente vera: *B. Virgo peccatum originale actu non contraxit*, hæc ſemper manet vera: *Peccatum originale in omnes trāſiit*: etenim cum veritas fidei ſit immutabilis, & infallibilis; & conſtitutum iam ſit illam Pauli propoſitionē etiam quoad actum, in ſua vniuerſalitate eſſe fidei regulam, vtique ſemper infallibilis erit; cū vero illius veritas ſimul conſtet cum veritate huius particularis *B. Virgo originale peccatum non contraxit*; bene infertur propoſitionem illam Pauli non eſſe explicandam ſecundum vniuerſalitatem logicam.

3. *2. propoſi.* Secunda propoſitio: *Illæ propoſitiones vniuerſales Sacræ Scripturæ non ſunt explicandæ ſecundum vniuerſalitatem moralem.* Hæc propoſitio inde probatur: quoniā vniuerſalitas moralis ex ſua natura, & ratione materiæ non complectitur omnia ſingularia, ſed ei ſufficit vniuerſalitas, vt in pluribus, vt patet ex morali Philo-

ſophia:

ſophia: & inde eſt, vt veritas illiusnon excludat falſitatem in aliquibus ſingularibus: tales ſunt iſtæ: *Tempore hiemis ſemper pluit: æſtiuo tempore non viget frigus*, & alię huiuſmodi, quarũ veritas ratione materiæ non deficit, ſi aliquando in hieme non pluat: aut tempore æſtiuo aliquán do frigus vigeat. In eodem ſenſu ſaluatur veritas illius propoſitionis Matth.3. *Exibat ad Ioannem Ieroſolima, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem*: illius etiam de qua Ioan.12. *Totus mundus abit poſt eum*: quæ veriſsimæ erant, quanuis non omnes ad Ioannẽ exiiſſent, necomnes poſt Chriſtum abierint; & ratio eſt, quia materia, per illas ꝓpoſitiones ſignificata ex ſe non requirit veritatem logicam (quæ ex ſe eſt neceſſaria); ſed ei ſufficit veritas vt in pluribus, quæ in materia cõtingenti reperitur. Ex quo iam colligitur confirmatio huius ſecundæ propoſitionis: quoniã ſuppoſita Adami inobedientia, & omnium hominum in Adamo, ipſa materia ex ſe omnes cõprehendit: quia omnes in Adami inobedientia peccauerunt: qua ſuppoſita ſimul cum diuina ordinatione, materiæ ipſi non ſufficit veritas, vt in pluribus; quaſi ordinationi diuinæ ſatis fiat, ſi peccatum Adami in omnes, vt plurimum homines tranſeat: ſiquidem ordinatio diuina omnes comprehendit. Quibus accedit; quoniam ſi harum propoſitionum vniuerſalitas ſolum eſſet moralis; ipſæ propoſitiones à parte rei eſſent vniuerſales ſecundum figuram, non vero ſecundum ſententiam; quod Auguſtinus nõ admittit, imò reijcit, vt Chriſtianæ religioni contrarium, ſicut oſtendimus ſupra articul.2.

3. 3. propoſ. Tertia propoſitio: *Præcitatæ propoſitiones vniuerſales, de quibus agimus, explicandæ ſunt ſecundum vniuerſalitatem legalem, qualis eſt vniuerſalitas iuridica.* Hæc propoſitio facile patebit, ſi aduertamus vniuerſalitatem legalem propoſitionis iuris vniuerſaliter prolatæ ex ſua natura complecti omnia particularia; ſemper tamen excepta authoritate legiſlatoris, ſi forte ex gratia ſpecia[li] aliquem, vel aliquos à lege voluerit eximere: etenim iuxta vulgare iuris principium in omni lege, quãtumuis ſit generalis, ſemper ſubintelligitur excepta principis authoritas, & gratia: ob quam rationem vniuerſalitas legalis alicuius legis generalis nõ ideo redditur falſa, ſi forte ex ſpeciali gratia principis à lege aliquis eximatur; qui alioquin ſub illa comprehendebatur: quod iuris principium maximè verum habet in legibus diuinis, ſaltem poſitiuis: cum enim Deus ſuam potentiam legibus, & præceptis à ſe traditis non alligauerit; in omni diuina lege ex natura ipſius legis (cum à voluntate principis pendeat) non poteſt non ſubintelligi excepta diuina authoritas, & gratia, ſi forte à lege aliquem gratis eximat. Cum verò lex illa in diuina Scriptura promulgata: *Quod Adami peccatum in omnes transfundatur: quod omnes homines ab Adamo propagati in ſui cõnceptione actu contrahant culpam originalem*, ſit lex pure poſitiua, neceſſario ex ſe, ſuapte ve natura habebit exceptam diuinam authoritatem, & liberalem gratiã, ſi forte ab illa lege ex ſpeciali priuilegio voluerit aliquem eximere. Vnde non redditur falſa, ſi voluit B. Virginẽ ab illa macula gratis præſeruare. Et ad hunc ſenſum propoſitiones illas intellixerunt nobiliores ex Theologis nouioribus, & nos eas in eodem ſemper intelleximus. *In omni lege ſemper intelligitur excepta principis authoritas.*

Conſentiunt *Bellarmin. lib. 4. de amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati c.15. poſt princip. §. Dices; ſi res ita habet pagina 245. Valentia 2. tom. diſput. 9. q. 11. punct. ſecundo pag. 429. & lib. 3. de peccat. original. cap. 3. §. Alij igitur Theologi fol. 785. columna 2. in fine, & ſatis 4. p. diſput. 2. quæſtione 2. punct. 2. pagina 422. §. Secundum genus eſt, & Cordubenſ. lib. 1. quæſtio. 44. ad primum argumentum contra. 6. pag. 371. & 372.* vt alios omittamus. Conueniunt in hac ſolutione, qui reſpondent propoſitiones illas Sacræ Scripturæ intelligendas eſſe ſecundum legem ordinariam, quia lex ordinaria non excludit abſolutam Dei potentiam, & liberam illius voluntatem, ſi voluerit cum aliquo diſpenſare. Vnde diſpenſando, ſicut non frangit legem, ſed eam in ſuo vigore relinquit: ita etiam non reddit eam falſam. *Bellarm. Valentia. Cordub.*

AR-

ARTICVLVS V.

An ſit contra Fidem in aliquo, excepta B. Virgine, admittere priuilegium non contrahendi peccatum originale?

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

1. *Quæſtio ex citanda.* QVoniam ex reſolutione in præcedenti artic. poſita inſurgebat difficultas; an eſſet hæretic⁹, qui diceret hunc puerum, verbi gratia Petrum, recenter natum ex ſpeciali priuilegio maculam originalem non cõtraxiſſe; operæpretium erit excitare hãc quęſtionem; vtrùm ſit contra fidem in aliquo alio, vna excepta B. Virgine, admittere priuilegium non contrahendi peccatum originale? Nec enim video in huius difficultatis reſolutione omnes conuenire.

2. *1. Opinio.* Prima opinio eſſe poteſt negatiua eorũ, qui putant eũ, qui diceret hunc puerum recens natum, verbi gratia Petrum, ex ſpeciali gratiæ priuilegio peccati originalis maculam non contraxiſſe, nec hæreſim dicere, nec eſſe hæreticum, eſſe tamen temeritatis damnandum; niſi ſufficientibus rationibus gratiæ priuilegium oſtendat: ita exiſtimat *Canus libro 12. de loc. Theolog. capite. 11. fol, 775.* *Opinio Cani.* fundamentum eſt; quoniam ex artic.4. præcedente propoſitiones vniuerſales ſacrarum literarum de trãsfuſitione peccati in omnes homines ſunt vniuerſales, vniuerſalitate legali, & ſubinde ex ſua ratione excipere eos, qui ex ſpeciali gratia à macula originali præſeruantur: cum vero aſſertio illa gratiam diuinã admittat præſeruantem à macula, non contradicit pręcitatis propoſitionibus, qui illud aſſereret: etenim illis ſolũ cõtradicit, qui ſecluſa Dei ſpeciali gratia aliquẽ ex poſteris Adami ab originali liberauerit: qualis ſolus eſt Pelagius.

3. *Oppoſita ſẽtentia. Ferrarien.* Iñ oppoſita ſentẽtia videtur eſſe *Ferrarienſ.4.contra gentes cap.50.§.An autem abſolute*, vbi ſignificat iſtum eſſe hæreticum; quia nec per ſacram Scripturam, nec per Eccleſiæ determinationem probat dari in hoc puero ſpecialis gratiæ priuilegium. Sentit igitur eſſe de fide neminem ab illa vniuerſali regula eximi, niſi talis exemptio, vel in ſacris literis, vel ex determinatione Eccleſiæ deducatur. In eadem ſententia eſt *Cordubenſis vbi ſupra fol.371.col.1.* alio tamen ductus fundamento: putat enim iſtum cẽſendum eſſe hæreticum, ſi gratiæ priuilegium ſufficienter non oſtendat: quoniam licet non ſit de fide iſtũ puerũ nõ eſſe priuiligiatũ, eſt tamẽ de fide eũ cõtraxiſſe originale peccatũ, niſi ſufficienter oſtendatur eius priuilegium. Cum Cordubenſi fere conſentit *Bellarminus lib.4.de amiſsione gratiæ loco citato*: dixi *fere*; quia non aſſerit iſtum eſſe hæreticum; ſed præſumendum eſſe hæreticum. Cui videtur conſentire Vaſquez Bellomon.2.2.to.ad3.p,diſp.117. cap.8.n.97. dum ſolum aſſerit non eſſe fas aliquem à B. Virgine excipere. *Cordubenſ.* *Bellarm.*

§. 2.

Vera reſolutio.

EGo puto iſtum non eſſe Pelagianum, vere tamen eſſe hæreticum. 4. *Vera reſolutio.* Quod non ſit Pelagianus, euidẽter patet: etenim Pelagiani ſimpliciter negabant nos ab Adamo trahere aliquam originalem maculam; aut aliquod debitũ illius contrahendæ: & ſubinde omnes abſque vlla ſpeciali gratia, aut priuilegio ſine peccato concipi, & naſci: iſte autem in puero illo recens nato agnoſcit debitũ & obligationem ad maculam originalem contrahendã; & ſubinde admittit neceſſariam eſſe gratiam, & priuilegium ſpeciale, nę maculam originalem contrahat, quod Pelagiani negabant: dicimus tamẽ iſtum in hoc errare, quod affirmat hanc ſpecialem gratiam huic puero conceſſam eſſe: quare error iſtius longe alterius eſt rationis ab errore Pelagianorum. Tota igitur difficultas eſt; vtrùm iſte in hac aſſertione hæreticẽ, & contra fidem erret? Canus putat hunc nullã hæreticam propoſitionem affirmare, & ſubinde nõ eſſe hæreticum, ſed ſolum temerarium: vel ſecundum Bellarminum eſſe de hæreſi ſuſpectum.

5. *Propria authoris ſententia.* Ego cum Ferrarienſi exiſtimo hunc vere eſſe hæreticum, & aſſertorem hæreſis: longe tamen alio ducor fundamẽto: etenim Ferrarienſis putat hæreſim

eſſe excipere aliquem Adami poſterum à regula fidei, niſi illa vel per Sacrã Scripturam, vel per determinationẽ Eccleſiæ à regula excipiatur: quæ tamen doctrina ſimpliciter eſt falſa: quoniã ſine vlla hæreſis nota ab illa regula excipimus B. Virginem, & dicimus ex ſpeciali priuilegio eſſe præſeruatam: cum tamen illam præſeruationẽ nec Sacra Scriptura expreſſe tradat, nec Eccleſia eam eſſe admittendã hactenus determinauerit; alioquin eſſet de fide B. Virginem peccatum originale non cõtraxiſſe; quod Ferrarienſis negat, nec poteſt non negari; cum Sixtus quartus cum Alexandro Sexto, Pio Quinto, & Tridentino affirmet Eccleſiam neutram huius controuerſiæ partem de fide diffiniuiſſe. Quare vt aliquis ab illa fidei regula abſq; hæreſi excipiatur, non neceſſe eſt, vt talem exceptionem, aut Sacra Scriptura faciat, aut Eccleſia diffiniat. Alio igitur opus eſt fundamento, vt hũc de hæreſi damnemus.

6. *Verum fũdamentum*

Ex eo igitur iſtum vt hæreticum dãnandum puto, quia exiſtimo poſt declarationem Tridentini eſſe de fide nullum ex poſteris Adami, vna excepta B. Virgine, habuiſſe priuilegium non contrahendi peccatum originale, ſed de facto omnes nullo excepto illud contrahere. Quam doctrinam (ni fallor) efficaciter deduco ex Tridentino ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali: nam poſtquã Can. 2. diffiniuit *Peccatum Adami omni illius propaginis nocuiſſe, & ſubinde illud in omne genus humanum tranfudiſſe*: & poſtquam declarauit hanc fidei doctrinam euidenter deduci ex verbis Pauli ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*; ab hac regula ſolam excipit B. Virginem: non quidem diffiniendo eam ſub illa non comprehendi (alias hoc eſſet de fide): ſed declarãdo ſe nolle ſub illa regula eam comprehendere: quo ſatis aperte diffinit ſuam, & Pauli intentionem fuiſſe cæteros omnes ſub illa regula comprehendere. Qua ſuppoſita declaratione, non poteſt non concedi, & Paulum, & Eccleſiam priuilegium exceptionis cæteris omnibus denegaſſe. Quod ſi admittatur (eſt autem admittendum) admitti etiã debet eſſe hæreſim, affirmare alicui alij citra Virginẽ cõceſſum eſſe priuilegium à contrahenda originali macula præſeruans.

Tridẽtinũ.

7. *Nõ probatur Cordu.*

Quare nõ poteſt placere id, quod aſſerit Cordubenſis, inſinuante id ipſũ Bellarmino, non eſſe de fide iſtum, vel illum (vna B. Virgine excepta) non eſſe priuilegiatum; & ob id non eſſe hæreticum, qui negauerit hũc, vel illum puerum recenter natum, non contraxiſſe originale peccatum: oppoſitum enim ex Paulo, & Tridentino deduci ſatis confirmant ea, quæ adduximus: in quo nobiſcum videtur conſentire Valentia locis cit.

8. *Ad arg. Cani.*

Nec obſtat fũdamentum Cani: quoniã licet propoſitiones Sacræ Scripturæ, & diffinitiones Eccleſiæ, ideo quia vniuerſales ſunt vniuerſalitate legali, ex ſua natura admittant exceptionem, niſi ex diuino priuilegio aliquis præſeruetur: facta tamen declaratione, quod nulli, niſi ſoli Virgini, hoc priuilegium fuit cõceſſum; non poteſt ſine hæreſi affirmari aliquem alium à B. Virgine ſub illa legis vniuerſalitate non comprehendi.

9. *Concluſio reſolutionis.*

Concludendum eſt igitur propoſitiones illas Panli, & diffiniones Eccleſiæ ita eſſe vniuerſales vniuerſalitate legali, vt diuinam gratiam, & liberalitatem ita excipiant, vt in vna tantũ B. Virgine (Eccleſia id declarãte) hæc liberalitas debeat admitti: etenim in ſola illa reperiuntur Sacræ Scripturæ loci, & probabiles congruentiæ, & decẽtiæ, quibus moti Sũmi Pontifices, & Patres Tridentini declararunt, nõ eſſe intentionis Eccleſiæ in illis generalibus fidei regulis comprehẽdere B. Virginem: quibus etiam plures particulares Eccleſiæ multis ante Sixtum ſæculis id exiſtimarunt, dum feſtum Conceptionis inſtituerunt, vt ſuo loco dicemus. Sine quibus decẽtijs, & congruẽtijs nulla exceptio fieri poteſt: quoniam licet propoſitiones vniuerſales Scripturæ, & Eccleſiæ, ideo quia vniuerſales ſunt vniuerſalitate legali, ex ſua natura admittãt exceptionem ex ſpeciali Dei priuilegio; eam tamen non admittunt niſi tale priuilegium rationibus, tum ex Scripturæ locis, tum ex congruentia, & decentia ſuffi-

ſufficienter probetur, vt omnes annotarunt; & inter eos Cordubenſ. Bellarmin. & Valent. locis citat.

§. 3.

Ponuntur nonnulla corollaria.

10. *1. Corolla.* EX reſolutione immediate poſita infertur, nunquam fuiſſe de fide B. Virginem ſub generalibus ſcripturę, & Eccleſiæ propoſitionibus, & regulis comprehenſam eſſe. Quod corollariũ nobiſcum admittit *Valentia* 2. *tom. diſp.* 6. *q.* 11. *punct.* 2. *& lib.* 3. *de peccat. original. c.* 3. §. *Alij ergo Theologi fol.* 785. *col.* 2. vbi ex eo hoc corollarium confirmat, quia inde ſequeretur non potuiſſe Eccleſiam liberam facere facultatẽ oppoſitum opinandi: quam tamen fecerunt Summi Põtifices Sixtus Quartus, Alexander Sextus, & Pius Quintus ſimul cum Tridenno, ſed hoc argumentum minus eſt efficax: quoniam plura, quæ aliquando in Eccleſia fuerunt de fide, ob obliuionem, & temporum iniuriam fidei certitudinẽ amiſerunt, & liberam opinandi facultatẽ etiam ex conſenſu Eccleſiæ conſecuta ſunt.

Valentia.

Fundamentum Valẽtiæ.

Nõ recipitur.

11. *Verum fũdamentũ.* Verum igitur corollarij fundamentũ inde ſumemus; quoniam ſi ſemel de fide fuit B. Virginẽ ſub illa fidei regula fuiſſe comprehenſam; quãuis potuiſſet Eccleſia illam fidei certitudinem non habere, nõ tamen potuiſſet oppoſitam ſententiam tanquam pietate Chriſtiana vere dignam prædicare, & publica feſtiuitate, ſaltem authoritate, & præcepto Sedis Apoſtolicæ ſolenniter celebrare: cuius oppoſitũ in ſequenti quæſtione late oſtendemus.

12. *2. Corollariũ contra Valentiã.* ¶ Secundo infertur non eſſe audiendum Valentiam, dum ex reſolutione poſita infert nunquam in Eccleſia de hac controuerſia fuiſſe certam, & indubitatam ſententiam: hæc enim opinio in primis contradicit teſtimonio S. Cecilij de *de quo ſupra q.* 3. *art. vnico ſect.* 4. vbi apertis verbis teſtatur immunitatem B. Virginis ab originali peccato fuiſſe ab Apoſtolis diffinitam, & ſubinde pro tẽpore Apoſtolorũ, & primitiuæ Eccleſiæ fuiſſe de fide certam. Deinde contradicit reſolutioni, quàm nobiſcum inferius probabit, ſcilicet poſſe Eccleſiam hanc veritatem de fide diffinire: quod non poſſet, ſi illa nũquam de fide fuiſſet: etenim Eccleſia nõ poteſt nouum fidei articulum ſtatuere; ſed ſolum poteſt declarare ea, quę Eccleſia antiqua ab Apoſtolis tanquam de fide recepit, & ſub obliuionis tenebris temporum malitia deliteſcunt. Quare, vt conſequenter loquatur, concedat neceſſe eſt hanc veritatem ab Apoſtolis aliquando fuiſſe acceptam: quod in hac materia eſt diligentiſsimè obſeruandũ: nam veritatẽ iſtam ab Apoſtolis fuiſſe traditam ſupra diximꝰ: ita vt qui fidẽ à Chriſto acceptã Eccleſię promulgarunt ijdem declarauerint B. Virginem ab illa vniuerſali regula fuiſſe exceptam, vt ſatis declarat teſtimonium S. Cecilij. Et quamuis hanc fidei certitudinem temporum iniuria deleuerit, & adhuc ſub obliuione deliteſcat: tamen illius fidei veſtigia in Eccleſia ſemper permanſiſſe, ex eo, vel euidẽter probatur: quoniam in ſingulis quibuſque ſæculis hæc B. Virginis exemptio à Patribus, viriſq; doctiſsimis, & ſanctiſsimis ſufficientibus argumentis, & congruentijs comprobata fuit, tum ex ſacris literis, tum ex ratione ſumptis; ita vt nõ temere, ſed pie poſſet exiſtimari B. Virginẽ ſingulari Dei gratia ab originali fuiſſe præſeruatam, vt ex ſequentibus magis patebit.

ARTICVLVS VI.

An B. Virginem excipi ab vniuerſali regula peccati originalis ſacris literis ſit magis conſonum, quam oppoſitum?

§. 1.

Refertur opinio aduerſariorum.

CVm in ſuperioribus articulis iam ſit conſtitutum neutram opinionem ſacris literis repugnare, nec illam, quę B. Virginem ab originali liberat (quæ eſt noſtra opinio) nec illã, quæ defendit eam cum originali fuiſſe conceptam, quæ aduerſarijs placet: conſequenter explicanda eſt, ſecunda difficultas initio propoſita: quæ nam illarum opinionũ ſacris literis ſit conſonantior? 1. *Explicatur 2. difficultas.*

Huic

2. Huic quæſtioni aduerſarij reſpondent,
Opinio adverſariorũ. & conſtanter docent ſuam opinionem
Sacræ Scripturæ eſſe longe conſonan-
tiorem, & vt omittamus eos, quos art.
citauimus; qui ante conſtitutionem
Sixti Quarti ſcribentes docuerunt, opi-
nionem, quæ B. Virginẽ ab originali libe
rat, expreſſe contradicere Sacræ Scrip-
turæ, & ideo eſſe impiam quia horum
opinionem vt vere erroneam, imò etiam
hæreticam reiecimus in dicto art. 1. §. 1.
in hoc art. ſolum agemus cum illis, qui
poſt Sixtum Quartum docuerunt neu-
tram opinionem ſacris literis repugnare;
Medina. ſuam tamen magis illis eſſe conformem.
Ex his igitur ita formaliter ſcribit *Medi-
na 3. p. q. 27. artic. 2. concl. 4.* vbi ita ſcribit:
*Pars affirmatiua huius quæſtionis magis eſt
conſentanea Scripturis Sanctis, & regulis Fi-
dei Catholicæ*: in qua ſententia, ſi non in
Caietan. terminis, ſatis tamen eſt *Caietanus in trac.
de Conceptione Virginis cap. 2.* nec (vt pu-
to) contradicent Theologi, qui cũ Tho-
miſtis ſentiunt B. Virginem in peccato
originali fuiſſe conceptam.

3. Pro hac ſententia afferuntur omnes
1. Locus. Sacrę Scripturæ propoſitiones, quæ ge-
neraliter tradunt, omnes Adami filios ab
eo trahere originale peccatũ, quas addu-
ximus art. 1. huius quęſtionis.

4. Secũdo adducuntur loci Sacræ Scrip-
2. Locus. turæ, quibus probatur ſolum Chriſtum
eſſe Sanctum, & à peccato liberum.

5. Tertio afferuntur loci, ex quibus con
3. Locus. uincitur omnes Adami poſteros ad Chri
ſti redemptionem pertinere, ad quam nõ
niſi peccatores pertinent.

6. Quarto ex Bandello in dicto tractat.
4. Locus. contra Virginis immaculatam concep-
tionem cap. 26. adducitur illud Salomo-
nis Eccleſiaſtes 7. *Virum de mille vnum
reperi; mulierem autem ex omnibus non in-
ueni*: quia ſcilicet nulla mulier fuit abſq;
peccato, vt ibi ait Gloſſa.

7. Quinto adducitur illud Prouerb. 25.
5. Locus. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur
vas puriſsimum*: vbi per argentum gloſſa
intelligit B. Virginem; per rubiginẽ au-
tem originale peccatum; vt ſit ſenſus au-
fer à B. Virgine originale peccatũ, quod
in ſui cõceptione cõtraxit, & egredietur,
ſiue naſcetur ex vtero ſine originali pec-
cato. ¶ Poſtremo affertur illud Iob. 3. 8.
Obſcurẽtur ſtellæ caligine eius; expectet lucẽ, Poſtrem.
& non videat, nec ortum ſurgentis auroræ: Ex Iob. 3.
agit enim ibi de die, & hora, in qua in vte
ro eſt cõceptus: & petit vt caligine eius
ſtellæ obſcurentur, ne lucem videant,
nec ortum aurorę conſurgentis: & cum
per auroram intelligatur B. Virgo, ſatis
declarat eam ſolum in ſuo ortu .i. in ſua
natiuitate fuiſſe ſine peccato originali.
¶ Hæc ſunt, quæ ab aduerſarijs ex ſacris
literis afferuntur, vt probent ſuam opi-
nionem cum ſacris literis maxime con-
ſentire.

§. 2.

Oppoſita ſententia eſt vera.

HIs tamen non obſtantibus, dicen-
dum eſt longe cõſonantius Sacræ 9.
Scripturæ eſſe, B. Virginem ab ori Oppoſita ſẽ-
ginali peccato fuiſſe pręſeruatam: cõſtã- tentia.
ter id defendunt noſtrę opinionis autho-
res. ſ. *Catharinus lib. 3. de Conceptione Vir-* Catharin.
ginis cap. vltimo fol. 93. Canniſius lib. 1. de Canniſius.
*Maria Deipara cap. 6. pag. 61. §. Sed ſcrip-
turas adhuc exigimus; vbi late id probat vſq;
ad finem illius capit. late etiam Valentia 4.
tom. diſp. 2. q. 1. punct. 3. pag. 487. §. Primũ* Valentia.
igitur probatur: quem fere ad literam tranſ- Morales.
*cribit Morales libro. 3. de Chriſto, & Virgine
tract. 1. in probatione ſextæ concl. pag. 278:
idem, quãuis breuiter, probat Bellarminus to.* Bellarm.
*4. lib. 4. de Amiſsione gratiæ, & ſtatu pecca
ti cap. 15. pag. 321. §. Quod attinet ad tertiũ
aliquo modo, Suar. 2. to. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5.* Suar.
pag. 38. col. 2. latiſsime id probat Fr. Stepha- Stephanus
*nus Mendes Ordinis Prædicatorũ lib. 3. de la
dignidad de la Virgẽ c. 33. cũ ſeq. vt omitta-
mus varios tractatus cõcionatorũ, qui lingua
vulgari his noſtris temporib. excuſsi ſunt à
Ioanne Pineda in ſerm. feſti Conceptionis, &
in aduertẽtiis ad priuilegiũ Ioannis 1. Regis* Pineda,
Aragoniæ, à Gundiſaluo Sanches Luzer. ab Luzero,
Aluaro Pacanha de Palat. à Fr. Alphonſo Palatio.
Remon, deniq; à Fr. Vincentio Iuſtiniano ex Remon.
præcitato prædicatorum ordine in proprio hu Vin centiu
ius rei tractatu.
Nos his Theologis ſubſcribentes conabi
mur hanc opinionẽ ex ſacris literis mul- 10.
tis modis confirmare: non quidem ex- Placet hæc
preſsis (quia ſi hæc darentur, noſtra ſen- opinio.
tentia eſſet de Fide) ſed locis ſatis pro-
babilibus, ſiue quia figuræ ſunt eiuſdem

B. Virginis: ſiue quia in ſenſu myſtico illam ſignificant: ſiue quia ſpiritualiter à nonnullis ex Patribus de ea intelligũtur: ſiue denique, quia ex Sacris Scripturis adiunctis aliquibus circunſtantijs poſsit hoc priuilegium efficaciter conuinci.

§. 3.

Probatur ex figuris Sacræ Scripturæ.

11. HAnc igitur noſtram opinionem primum confirmabimus, adductis nõnullis ſacræ Scripturæ figuris; quæ in hac materia nõ paruam faciũt probabilitatem; cum ex doctrina Pauli primę Corinth. 10. quæ in noua lege futura erant, Patribus veteris teſtamenti in figura contingebant, & ſignificabãtur. Quia verò creatio Adami, & Euæ fuit prima figura in ſacris literis reperta, ab illa incipiemus.

12. *1. Figura Adamus.* Primo igitur loco cum Bellarmino incipiemus à creatione Adami, quem figuram Chriſti geſsiſſe ſatis docet Paulus ad Roman. 5. dum ait: *Adamum formam fuiſſe futuri*, id eſt Chriſti. Quo ſuppoſito, ſumi poteſt argumentum; vt ſicut Adamus formatus fuit de terra nunquã maledicta, ſed omnino immaculata; ita etiam Chriſtus ſecundus Adamus formãdus erat de matre, quæ ſemper immaculata fuerit, & nunquã maledicto ſubiecta. Quo argumento vtitur *Bellarminus vbi ſupra, & Valentia loco cit. pag. 409. §. Vt genus, & ante eos illo vſus eſt Canniſius in d. c. 6. pag. 62. §. An myſterio vacet: & ante eos Catharinus in 2. tract. de Conceptione Virginis lib. 3. pagina 96. in fine: & Bernardinus Senenſis tomo quarto ſermon. 49. in Feria tertia poſt Reſurrectionem pag. 272. col. 2.*

Rom. 5.

Bellarm. Valentia. Cathar. Senenſis.

13. *Apoſtolus S. Andræas,* Et vere argumentum non eſt contemnẽdum, cum eo vſus fuerit Beatus Andræas Apoſtolus, vt referunt presbyteri Achaiæ in libro de Paſsione eiuſdem Apoſtoli. Cum vero nec de libro iſto dubitetur, nec de illius authoritate, & veritate dubitari poſsit, vt oſtendimus *ſupra quæſtio. 4. artic. 1. §. 2. numer.* 32. non poteſt argumentum iſtud aduerſarios non vrgere: nec ego poſſum illos non laudare, quod illius nullam faciant mentionem.

14. Corroboratur adhuc quod ex eadem figura S. Dominicus fundator Dominicanæ familiæ argumentũ ſũpſit ad cõfirmandam B. Virginis immunitatẽ à peccato originali, vt vidimus *in d, q.* 4. *art.* 1. §. 3. *num.* 65. vbi oſtendimus non eſſe audiendum Bandellum, dum mendacij dãnat eos, qui hunc librum S. Dominico tribuunt, cum à viris doctiſsimis, & in libris legendis verſatiſsimis illi tribuatur: ſicut etiam oſtendimus non eſſe audiendũ, dum verba interpretatur de Virgine, pro tempore, quo Verbum cõcepit, cum expreſſe doceat Chriſtum ſumpſiſſe carnem de terra, id eſt de matre nunquã maledicta, nec eni ſimilitudo aliter cõſtaret. *S. Dominicus.*

15. *2. Figura Eua.* Euam fuiſſe figuram B. Virginis, & eius typum geſsiſſe, vulgare eſt apud Patres, & expreſſe docuit Epiphan. hæreſ. 68: Quare ab illius etiam creatione poteſt ſumi argumentum: etenim ſicut Eua formata eſt ex coſta Adami ſine vlla contagione peccati: ita etiam Beata Maria per Euam figurata ſine vllo peccato in vtero eſt formata: & ſicut Eua figura Mariæ tota pulchra, & in nullo vitiata, tradita eſt Adamo in vxorem; ita etiam Maria tota pulchra tradita eſt Verbo diuino in Matrem. Quo etiam argumento vtuntur Canniſius, & Bellarminus locis citat,

16. *7. Figura Paradiſus terreſtris.* Tertio loco Paradiſum terreſtrẽ fuiſſe B. Virginis figuram teſtatur *Petrus Damianus in ſerm. de aſſumptione illius: & merito*; quia in medio illius plantatũ erat lignum vitæ, quod figura eſt Chriſti Domini. Iam vẽro Paradiſus terreſtris ita à Deo plantatus eſt, vt non ſolũ omnibus floribus pulcherrimis exornatus fuerit; ſed nihil in eo lethale, nihil noxium, nihil ſpinoſum plantatum ſit. Cui figuræ ſatis eſt conſonum, vt B. Maria per illam 17. figurata ita omnibus virtutibus, & gratiis in ſua cõceptione ſit ornata, vt nihil vnquam vitij habuerit. Cui etiam concinit, quod ex illo Paradiſo aſcendebat fons irrigans vniuerſam Paradiſi ſuperficiẽ, idque ſtatim ac Paradiſus formatus fuit: qui figura fuit Chriſti Dñi ex B. Virgine ſurgẽtis, qui gratia ſuæ copioſę redẽptionis vniuerſam Virginem ſtatim a principio irrigauit, eam ab omni vitio præſeruans.

Ex

Cannifius. Valentia. Carthuſia. Ex qua figura argumentum ſumpſit *Cāniſius lib.1.de Maria Deipara capite ſexto pag.69. D. & Valentia quarto tomo diſp. ſecunda quæſt.1.punct.2.pag.409. §.Tertio figura etiam fuit, & Carthuſianus in 2.trac. de Conceptione pag.96.*

17. 4. Figura ex arca teſtamenti. Exod.25. Quarto loco accedat arca teſtamēti, ex qua in confirmationē noſtrę ſentētiæ argumentū adducunt *Catharinus, Canniſ. & Valentia.loc.cit.*& merito quia arcam illā figuram fuiſſe B.Virginis dubitari nō poteſt:id enim ſatis aduertit Gloſſa Moralis, Burgenſis in eodē loco, & in quadā Litania ab Eccleſia approbata, vt figura Virginis adducitur: etenim fabricata eſt, vt cęleſte manna in ſe contineret,cū vero manna in arca contentum omniū cōſenſu ſit figura Chriſti,vt patet Proueib.6. non poteſt arca non eſſe figura B.Virginis,quæ in vtero Chriſtū concepit. Quare cū arca ex lignis Setim cōpacta fuerit, quæ ſimilia ſunt ſpinæ albæ, & in ſe ipſis ſint omnis corruptionis,& putredinis expertia,figurando B.Virginē ſatis ſignificāt, eam ex natura ſua ſpinam eſſe, quia ex Adamo deſcendebat:fuiſſe tū ſpinam albam,& omnino incorruptā,& nunquā putridam; vt figuratum figuræ accōmodate correſponderet; vt ſcilicet digna foret, intra ſe, & in ſuo vtero continere cœleſte manna, Verbum ſcilicet diuinū incarnatum.

18. 5. Figura ex Throno Salomonis Canniſius: Valentia. Morales. Damianus Burgenſis. Accedat 5. loco Thronus Salomonis 3.Reg.10.quā figuram in noſtræ ſentētiæ confirmationem adducunt *Canniſius vbi ſupra pag.52.in fine, Valentia loco cit. pag.410.& Petrus Morales in trac.de Chriſto,& Virgine lib.3.tract.1.pag.284.* Hūc Thronum fuiſſe figuram B.Virginis docet *Damianus ſerm.1.de Natiuitate Virginis,& Burgenſis in Gloſſa Morali eiuſdē loci.* De hoc Throno ita ſcribitur 3. Reg. 10. *Fecit Rex Salomon Thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis.* Hic Thronus, ideo quia eburneus, candorem continentiæ ſignificat,ebur enim eſt os Elephantis inter omnia animantia caſtiſsimi, cum ad ſecundam fœminā nō accedat, vt annotauit Raban⁹ in eodem loco; vnde candor eboris,qui puriſsimus eſt, cum ſignificatiuus ſit continentiæ, quam accōmodatiſsime B. Virginē ſignificat;cuius continentia in vniuerſo humano genere ſingularis fuit,& vnica, ſicut etiā Elephantis inter omnia animātia ſingularis eſt: vnde B. Virgo ſatis digna fuit, vt Rex Salomon (Verbū.ſ.diuinū) in ea cum maieſtate ſederet, non ſolum ſumendo ex ea carnem,ſed etiam in eius gremio, tanquam in vero ſolio in infantili ætate conquieſcendo. Quod vero iſte Thronus accommodatiſsime ſit figura B.Virginis, duo ſunt diligētiſsime aduertenda. Primum eſt,id quod ſcribitur *duæ manus hinc, & hinc tenebant ſedile:* quæ verba ſatis videntur ſignificare B. Virginis immunitatem; tum quoad actionem,tum quoad conceptionem: etenim duę illæ manus ita ſedile ex vtraque parte tenebant, vt nihil ſedilis eſſet, quod à duabus illis manibus non teneretur. Hoc autē ſatis expreſſe figurando ſignificat totā Virginē,& ex parte principij ſui eſſe, qđ à cōceptione incipit;& ex parte finis vitæ, quæ morte finitur, diuina manu, & protectione fuiſſe tentam atque ſubleuatam, ne ſcilicet vllo inficeretur vitio. Quare verba illa quam diligentiſsime ſunt annotanda, vt dicamus noſtram ſententiam eſſe ſatis conſentaneam Sacræ Scripturæ, vtpote figuris ſatis expreſſe confirmatam. 19. 1.annotandum.

20. 2.annotandum. Sed non minus annotanda ſunt verba: *Et non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis:* quæ verba,vt bene aduertit Morales,ſatis efficaciter probant immunitatem B.Virginis in nullo alio puro homine repertam fuiſſe; ſed fuiſſe in ſola Virgine ſpecialem: talis autem non eſſet, ſi poſt contractam maculam originalem in vtero mundaretur: hoc enim opus factum fuit, & in Ieremia, & in Ioanne: etenim illa verba ita intelliguntur, vt opus ſimilis artificij, & generis in nullo alio artefacto repertum ſit, quod ſatis cōgruēter probat nullius alterius ſanctificationem fuiſſe eiuſdem rationis cum ſanctificatione Beatæ Virginis: hoc autem non ob aliam rationem verum eſſe poteſt, niſi quia ſanctificatio aliorū fuit mundatiua à peccato incurſo: Virginis autē fuit præſeruatiua, ne incurreretur.

21. 6. Figura ex virga Ieſſe. Accedat ſexto figura ſumpta ex virga Ieſſe, de qua Iſaiæ 11. quam ad no-

Iſai. 11. Canniſius. Valentia.

ſtrum inſtitutum afferunt *Canniſius in dicto capite ſexto, pagina 64. litera A. & Valentia vbi ſup. pag.* 410. ita autẽ inquit Iſaias: *virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Dñi,* quæ verba, & prophetiam continent, & figurã: etenim per virgam Ieſſe cõmuniter intelligitur B. Maria; & per florem de radice eius aſcendentem intelligitur Chriſtus Dñs à Maria genitus, vt ait *Hierony. in eodem loco, Tertullia. in lib. de Incarnat. Chriſti, Rupert. lib. 2. in Iſaiam c. 8. Gloſſa interlin. & Lyra, & eſt cõmunis explicatio, quam vtiliorem appellat Hugo Cardinalis in eodẽ loco, & probat doctiſsimus pariterq; ſanctiſsimus Fr. Thadæus Peruſinus olim totius Ordinis Eremitani Generalis digniſsimus in Comment. ad eundem locũ.* Hæc tamen figura, vt ſimpliciter ab Iſaia proponitur, ad noſtrum intentum nõ pertinet, niſi dicamus virgã illã à radice ſuaegreſſam eſſe nõ curuam, aut reflexam, ſed ſemper rectam, & directam, & ſtatim in ſuo egreſſu dignã, vt de illa, tanquã de radice incorrupta flos Verbi diuini incarnati aſcẽdat: quæ explicatio ideo mihi videtur probabiliſsima; quia Iſaias non ſine myſterio mentionẽ fecit primi huius Virginis egreſſus.

Hierony. Tertullia. Rupert. Gloſſa. HugoCar. Thadæus. Peruſin⁹.

22. *7. Figura ex Ezech. 43.*

Septimo adducatur figura ſumpta ex domo, & altari, quod monſtratũ eſt Ezechieli c. 43. hãc enim domũ, & hoc altare in ea erectũ, non ſolũ figuram eſſe Eccleſiæ, ſed etiã B. Virginis ſine fundamento negabitur; etenim B. Virginẽ eſſe templũ & domũ in ſummitate montiũ ædificatã, ſatis patet ex doctrina Patrũ in c. 2. Iſaię: *Et erit in nouiſsimis diebus præparatus mons Dñi in vertice montium:* & Pſal. 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis:* nam *D. Gregor. 1. Reg. c. 1.* per montẽ illũ in vertice montiũ ædificatũ intelligit B. Virginem. Quare nõ ſine fundamẽto domus iſta, de qua Ezech. 43. poteſt dici figura B. Virginis. Vnde doctiſsimi Sacrę Scripturæ interpretes id admittũt; ita *Hector Pintus in cõment. ad eundẽ locũ Ezech. ad illa verba Iſta es lex domus p. 401. col. 1. in medio: & Barrad. 1. to. concord. lib. 6. c. 3. pag. 473. in 6. Gẽma; & Petrus Moral. de Chriſto & Virgine lib. 3. trac. 1. pag. 281. in princ.*

Iſa. 2. Pſal. 86. D. Greg. Pintus. Barradas. Morales.

23. *1. Confirmatio.*

Hoc ſuppoſito, expendenda ſunt illa verba d. c. 43. *Hæc lex domus Dñi in ſummitate mõtis, omnis finis eius in circuitu S. Sanctorum eſt.* Illá etiam inferius poſita: *Hi ſunt ritus altaris, in quacunq; die fuerit fabricatum, vt offeratur ſuper illud Holocauſtum.* Ex prioribus verbis ſumitur efficax argum. ad noſtrum inſtitutum, vt docte aduertit Barradas: etenim, *omnis finis huius domus in circuitu eſt S. Sanctorum*: quæ verba ſatis figurant, quod omnis finis B. Virginis per circuitũ, ita vt nihil illius extra maneat, ſit Sanctũ Sanctorum. i. mundũ, & immaculatũ. Porrò ſi tota Virgo per circuitum ſancta fuit, & munda, vtiq; non ſolum natiuitas eius, vita, opera, & mors fuerunt munda; ſed etiam ipſa cõceptio (primum ſcilicet illius eſſe) fuit immaculata: ita vt nihil extra maneat, ſed quidquid in ea fuit intra includatur, & ſubinde totum fuerit immaculatum, & purum ab omni vitio tam actuali, quã originali: quod etiam conuincunt verba poſteriora: *2. Confir.* ſignificant enim hunc ritum fuiſſe à Deo impoſitum illi altari ſignificatiuo Virginis, vt in quocumque tempore fuerit fabricatũ, tale ſit, vt in eo Holocauſtum Deo offeratur, cum vero hoc altare figuratiuum Virginis tũc primo formatum ſit, cum primum Virgo fuit in vtero concepta: negari non poteſt puritatem conceptionis, & immunitatem ab omni originali vitio ſatis conſentire cum figura Ezechielis, de qua agimus.

24. *8. Figura ex Daniel.*

Octauo loco accedat viſio Nabucdonoſor Daniel. 4. de arbore, quæ iuſſa eſt ſuccidi, & præcindi ramos eius, & folia excuti: & tamen germen radicum illius iubetur ſeruari in terra: ita enim ſcribitur: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius: verumtamen germen radicum eius ſinite.* Hęc arbor ſecundum myſticum ſenſum figura fuit Adami in ætate innocentiæ: in quo mira Adamus fruebatur fælicitate; & erat arbor proceriſsima, & ampliſsima, miris ornata frondibus, & floribus, & fructibus. Quæ arbor poſt peccatũ iuſſa eſt ſuccidi, & omnibus ſuis ornamentis ſpoliari, vt. ſ. eſſet figura miſerrimi ſtatus naturæ humanę poſt peccatum. Vnde arbor illa naturæ humanę à ſuis ornamẽtis ſpoliata figurabat eandẽ naturam in Adamo plã-

tatam, & originali vitio vitiatam. At tñ in ea germen radicũ eius iuſſum eſt ſeruari intactum, vt aliquando poſſet creſcere, efflo reſcere, & fructiſicare. Hoc autem germen radicis huius arboris fuit figura

Iſai. 11. B. Virginis, iuxta illud Iſaiæ 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe* B. Virgo: quæ iuſſa eſt ſeruari, ne peccato originali inficeretur, ſed in priſtina puritate permaneret, vt per eã arbor naturæ humanæ creſceret, & germinaret florẽ, & fructũ, nẽpe Chriſtũ Dñm; qui arborem iſtam naturæ humanæ in Adamo plantatã non ſolũ in priſtinam dignitatẽ reſtitueret, ſed etiã in longe ampliorem, & florentiorẽ repararet.

Alia explicatio. Si vero per germen vitis, velis figurari Chriſtum Dñm, per radicem vero B. Virginem (vt explicat Pereira lib. 5. in Daniel. pag. 26. & 262. ſubſcribit Morales de Chriſto, & Virgine lib. 3. trac. 1. pag. 280.) non repugnabo: quia ſemper

Noſtra explicatio verior. per hanc figurã B. Virgo à peccato originali liberatur: at tamen noſtra explicatio potius eſt amplectenda: tũ, quia Iſai. 11. per virgam, quæ de radice Ieſſe egreditur (quæ idem eſt, quod germen) cõmuniter intelligitur B. Virgo, vt patet

Hierony. Gloſſa. ex *Hieronym, Gloſſa Interliniari, & ex alijs in eodem loco*: tũ etiam, quia litera habet: *& germen radicum eius*; per radices autem in plurali non poſſunt intelligi, niſi parẽtes, ab Adamo vſque ad Ioachimum, ex quibus hoc germen .i. Virgo orta eſt.

25. Hæ ſunt illuſtriores figuræ, quibus noſtra ſententia ſit Sacræ Scripturæ ſatis cõſentanea: plures aliæ adducuntur à Catharino, Morales, & ab alijs, qui ſermones de immaculata conceptione his noſtris temporibus lingua vulgari prælo mandarunt .ſ. Vincentius Iuſtinianus: Gundiſaluus Sanches Luzero: Aluarus Pecanha de Palatio: Alphonſus Remon: Ioannes Pineda, tum in Conc. de hoc feſto: tũ etiã in aduertẽtijs ad priuilegiũ 11. Ioannis Primi Regis Aragoniæ: quibus adde Fratrẽ Stephanum Mendes in tra. de la dignidad. de la Virgẽ lib. 3. c. 33. ex quibus multa habebis, quæ potius ad

26. concionandũ valẽt, quam ad diſputandũ.
¶ Aduertimus interim argumentũ iſtud ſumptũ ex figuris Sacræ ſcripturæ non eſſe parui faciendum: ſiquidem myſteria legis nouæ in lege veteri figuris à Deo ſignificabãtur, iuxta illud Pauli: *Omnia in figuris contingebãt illis.* Vnde argumẽta ex figuris ſumpta ad confirmandã aliquam veritatem pluris eſſe facienda, docet Canus 12. de loc. Theol. cap. 12. pagin. 778. quod aduerſarij non negabunt.

§. 4.

Probatur ex locis myſtice intellectis.

Secundo loco accedant illa loca Sacræ Scripturæ, quæ in ſenſu myſtico cõmuniter de B: Virgine explicãtur: ex quibus etiã non inefficax ſumitur argumentum ad veritatis confirmationem, vt idem Canus ſcribit, & fatebũtur aduerſarij. 27. *Ex myſtico.*

Primo loco afferuntur verba Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierẽ; ipſa conteret caput tuum*: a quo loco tanquam à prophetico teſtimonio ſuã probationẽ incœpit Catharinus in 2. tract. de Cõceptione Virginis pag. 93. & adducitur à *Caniſio lib. 1. de Maria Deipara c. 6. pag. 63. B. C. & Suario 2. to. ad 3. p. diſp. 3. ſectio. 5. pag. 38. col. 2. in fin. late Petrus Morales de Chriſto & Virgine lib. 3. trac. 1 pag. 282.* 28. *1. loc. ex Geneſ. 3.* *Canniſius. Suar. Morales.*

Pro explicanda vi, & efficacia huius loci, præmittendum eſt Deum in hoc loco agere cũ ſerpente, qui Euam decepit, vt patet ex verbis antecedẽtibus: *& ait Dominus ad ſerpentem; quia feciſti hoc maledictus es inter omnia animantia, &c.* deinde adiũgit *inimicitias ponam, &c.* Quæſtio igitur eſt vtrũm verba iſta intelligẽda ſint de vero ſerpẽte, in quo Diabolus eſt locutus, an vero de ſerpente trãslatitiè ſumpto pro Diabolo? vt patet ex ijs, quæ ſcribit *Benedict. Pereira lib. 6. in Geneſ. q. 4. pag. 611.* Quidã enim illa intelligunt de vero ſerpente, *vt Ephrem, Barcephus, Ioſephus, Didymus*, & plures alij, quos refert, & ſatis probat *D. Thom. in poſtilla ad Gen. c. 3. ad præcitata verba: & Oleaſter in eodẽ loco.* Alij volunt nomine ſerpẽtis intelligi Diabolum, & ad eum ſolũ ſub ſerpẽtis vocabulo, & figura maledicta poſita pertinere: quæ ſententia inter Patres, & interpretes Sacræ Scripturæ eſt cõmunis: *ita Auguſt. lib. 2. de Geneſ. contra Mani. c. 17. & 18. & lib. 11. de Geneſ. ad lit.* 29. *An hæc verba dicta ſint ad ſerpentem i. Diabolũ* *Pereira.* *1. Opinio. Ephrem. Ioſephus. Didym. D. Thom. 2. Opinio.* *Auguſt.*

Gregor. Chryſoſt. Theodore. Beda. Rupert. Hugo. Gloſſa. Lyra. Caietan. Pereira.

c.36.*Gregor.lib.21.Moral.cap.2, & in 3.p. Curæ Paſtoralis admonitione 21. Chryſoſto. homil.17.in Geneſ. & author operis imperfecti apud eundem homil.45. Theodoretus, & Beda in eodem loco: Rupert.lib.3.de Trinit. cap.18.19.& 20.& lib.2. de Victoria Verbi Dei c.16.& 17.Hugo de S.Victore in c. 3.Geneſ.vbi Gloſſa Ordinaria, Lyra, & Caietanus.* Vtramque opinionem conciliat Pereira *vbi ſupra in 4.ſentent. pagin. 617.* vt maledictio ſerpentis ſecundum hiſtoricum ſenſum ad verum ſerpentem pertineat; ſecũdum autem ſenſum myſticũ, qui a Deo principaliter intẽditur, ad Diabolum referenda ſit. Quam ſententiam

30. *Abulenſ.*

ſatis ſignificauit *Abulenſis in d.cap.3. ſi expendantur, quæ ſcribit ibidem fol.21. col.4. §. Dicendum, quod verum eſt.* Nos dicimus primam ſententiã, ſi intelligatur, vt verba de ſolo vero ſerpente agant, omnino eſſe irrationalem, vt optimè aduertit Lyra: ſi vero cum tertia opinione verba illa admittant ſenſum myſticum, vt ſerpens verus myſticè ſignificet Diabolum; opinio poteſt admitti tanquam probabilis: quamuis ſecunda mihi ſit probabilior, & ideo amplectẽda, quia inter Patres, & interpretes eſt cõmunior: iuxta quam opinionẽ nomine ſerpentis in ſenſu literali intelligitur Diabolus: nam ad illum ſub nomine ſerpentis veri Deus maledictionẽ dirigebat, vt tertia opinio admittit.

31. *Quid intelligatur per mulierem.*

Eſt etiã dubitatio; quidnam per mulierẽ, ſit intelligendum, inter quam, & ſerpentem (Diabolũ .ſ.) promittit Deus ſe inimicitias poſiturũ? Cõmunis expoſitio per mulierem intelligit appetitũ ſenſitiuũ, & ea, quæ pertinent ad partẽ inferiorẽ: quæ licet, amiſſa originali iuſtitia, cũ Diabolo amicitiam inierit, dũ ſua pronitate in malũ aduerſus ſpiritũ concupiſcit, vt ait *Paulus ad Galat.5.* tamen adiuta Chriſti gratia inimicitiã gerit contra Diabolũ; cui⁹ caput, i. malã ſuggeſtionẽ, quam Diabolus initio ingerit, reſiſtendo conterit: quantumuis per latẽtes inſidias calcaneo poſitas illam vincere contẽdat; quæ eſt cõmunis explicatio, quã ex Auguſt. refert, & magis probat *Lyra in iiſdẽ verbis, & ad 1.c.Iob. ad illa verba ne forte peccauerint filij mei probat D.Gregor.lib.1. Moral.c.38.Chryſoſto.homil.40.in Matth. Beda in eodem loco, Lyra cũ alijs pluribus.*

2. Expoſitio. Galat.5. Lyra. Auguſt. D.Grego. Chryſoſt. Beda. Lyra.

Non deſunt qui per mulierẽ, intelligant omnes fœminas ſanctas: ſicut etiam non deſunt, qui per eam intelligant tã fœminas, quàm viros. Sed omiſſis his duabus poſterioribus explicationibus, quia non ſatis videntur accõmodatæ, quã plurimi ex Patribus per mulierẽ intelligunt B. Virginẽ, ita multos intellexiſſe teſtatur *Pereira in d.lib.6.in Geneſ.q.4.pag.616.& ſatis Abulenſ.in d.c.3.Geneſ.fol.21. col.2. & Lyra in eiſdem verbis: probant Ioannes Ferdinand.in ſuo Theſauro ſcriptur. verbo calcaneus, & Morales de Chriſto & Virgine lib.3.tract.1.pag.282.& eſt inter recẽtiores ſatis cõmunis: eam etiam confirmat Beda in quæſtionib.in Geneſ. ad præcitata verba to. 8.pag.164.& placuit D.Bernard.homil. 2. ſupra Miſſus eſt:* nec video cur non ſit admittenda, & cæteris anteponenda: nam præterquã, quod antiqua ſit. & pluribus probata tẽpore Bedæ, & D.Bernard, verba omnia facile illi accõmodãtur: etenim inter illam, & Diabolum maiorem Deus poſuit inimicitiã, quam inter quamcũq; aliam creaturã: vt omittamus, quod Eua, cuius occaſione Deus hæc verba contra Diabolum protulit, figura fuit B. Virginis, vt omnes agnoſcunt: ſatis igitur conſentaneũ eſt, vt in illis verbis per mulierẽ intelligamus Virginem Deiparam.

32. Verior explicatio. Pereira. Abulenſ. Lyra. Ioan.Fer. Beda. D. Bern.

33. *Ex hac deducitur immunitas B. Virginis.*

Qua ſuppoſita opinione, ex præcitatis verbis ſatis probabiliter deducitur immunitas B. Virginis à peccato originali: etenim illa verba, *Ipſa conteret caput tuum,* ſatis accommodatè intelliguntur de peccato originali: hoc enim accõmodatiſsime ſignificatur per caput Diaboli; cũ ab eo, tanquã à capite, & â prima origine incipiat Diaboli poteſtas. Hoc autẽ peccatũ B. Virgo contriuit, quia ab eo diuina gratia fuit præſeruata, & libera; vt vere dicamus inter illam, & Diabolum perpetuas fuiſſe inimicitias, vt quia nunquam fuerit ſub poteſtate, & vexillo illius; ſed ſemper ſub vexillo Chriſti, qui eſt verũ Virginis ſemen, inter quod, & Diabolũ inimicitiæ fuerũt perpetuæ, ſic perpetuũ bellũ. Et inde eſt, *vt Diabolus ſoli calcaneo B. Virginis fuerit inſidiatus:* quia exteriori, & vltimę illius parti per externas ſolũ, & extrinſecas tentationes inſidiabatur.

Nec

34. *Obiectioni occurritur.*

Nec obijcias, quod in aliquibus codicibus legitur: *ipſe conteret caput tuum*; quaſi illa verba non de B. Virgine dicantur, ſed de ſemine eius Chriſto: non obſtat, inquam, quoniam noſtra editio vulgata legit non *ipſe*, *ſed ipſa*, quæ lectio eſt amplectenda. Scio verba illa *& ipſa conteret caput tuum* à pleriſque explicari non de peccato originali, ſed de illecebra carnis, & ſuperbia mentis: & ab alijs de poteſtate Dœmonis. Primam expoſitionē probauit D. Bernardus in d. homil. 2. ita ſcribens: *Ipſa procul dubio contriuit caput venenatum, quæ omnimodam maligni ſerpentis ſuggeſtionē, tam de carnis illecebra, quam de mentis ſuperbia deduxit ad nihil.* Poſteriorem vero probarunt *Lyra in eiſdem verbis, & Abulenſis eodem loco fol. 21. col. 2. & Pereira in d. lib. 6. q. 4. pag. 616. litera C.* His duabus expoſitionibus addi poteſt tertia, quam probauit *Rupertus Abbas libro 3. de Trinit. in Geneſ. tom. 1. c. 19. pag. 59.* vbi B. Virgo ideo dicitur *caput Diaboli contriuiſſe*, quia filium ſuum ſine peccato mundo edidit. Sed quamuis ſciam verba illa tribus illis modis explicari poſſe: ſcio tamen ſatis accommodate explicari de peccato originali: quoniam nihil video, quo hæc expoſitio, vel apparenter impugnari valeat: imò video noſtram explicationem ipſis verbis eſſe cæteris omnibus conſonantiorem: etenim peccatum originale vere eſt caput, & initium totius dominij, quo Diabolus poſt primū Adami peccatum toti humano generi dominatur; cum ex eo, tāquam ex fonte, oriatur fomes peccati; & pronitas ad malum, qua Diabolo coniungimur, & veluti cōſociamur: cum tamen ratio capitis cæteris explicationibus non ſatis accommodetur: quod ſatis eſt, vt dicamus ſententiam, quæ B. Virginem à peccato originali liberat, præcitatis verbis eſſe ſatis conſonam.

Vera eſt editio vulgata.
Per caput ſerpentis quid intelligatur?
1. explic. D. Bern.
2. explic. Lyra. Abulenſis Pereira.
3. explic. Rupert.

Secundus locus ex Iob. 3.

35. *2. locus ex Iob. 3.*

Secūdo loco afferri poſſunt verba Iob. 3. *Expectet lucem & non videat nec ortum ſurgentis auroræ*: quæ ex ſententia Diui Thomæ intelliguntur de nocte originalis peccati, cui hoc imprecatur, vt *expectet lucem, & eam non videat, nec ortum ſurgentis auroræ.* Per lucem autem intelligit Chriſtum; per auroram vero B. Virginē: ita enim ſcribit 3. *p. q. 27. artic. 2. ad 2. & hoc ſignatur Iob. 3. vbi de nocte originalis peccati dicitur: expectet lucem. i. Chriſtum, & non videat (quia nihil inquinatum incurrit) vt dicitur Sapient. 7. nec ortum ſurgentis auroræ. i. B. Virginis, quæ in ſuo ortu à peccato originali fuit immunis.* Conſtat igitur D. Thomam expreſſe aſſerere noctē originalis peccati (quæ eſt nox, in qua in originali concipimur) expectare quidē Chriſtum, vt ſcilicet illum coinquinet: ſed tamen talem inquinationem in eo nō videre: expectare etiam ortum B. Virginis, vt etiam illum coinquinet: & tamen in eo non videre talem coinquinationē; quia à peccato originali eſt immunis. Igitur ex ſententia D. Thomæ, Iob in illis verbis agit de nocte originalis peccati; qui intellectus ex antecedentibus videtur colligi: quia Iob in illo cap. totus eſt in maledicendo nocti, in qua conceptus eſt: non alia ratione (ſi mens D. Thomæ inſpiciatur) niſi quia in illa cum originali peccato eſt conceptus. Huic autē nocti imprecatur, vt illius caligine ſtellæ cœli obtenebrentur, vt patet ex illis verbis: *Obtenebrentur ſtellæ caligine eius.* Per ſtellas autem communis expoſitio intelligit omnes Sanctos, quia omnes in peccato originali concipiuntur: ab hac autē imprecatione iuxta explicationem Diui Thomæ excipit & Chriſtum, & B. Virginem. Videtur igitur locus ſatis expreſſus.

Explicatio D. Thom.
36.
Quid per ſtellas?

37. *Solutio aduerſariorū*

Sed reſpondebunt aduerſarij D. Thomam agere, non de conceptione B. Virginis, ſed de eius ortu, id eſt natiuitate, quæ vere fuit ſine peccato originali: hanc igitur natiuitatem excipi à nocte originalis peccati. Sed ſuppoſito cum D. Thoma, quod per auroram intelligenda eſt B. Virgo; non video cur per ortum Virginis non ſit intelligendus primus illius conceptus in vtero matris: etenim ortus auroræ tunc datur cum in noſtro hemiſphęrio primum incipit apparere: cur igitur B. Virgo non dicetur orta, cum primum in rerum natura in ſui conceptione incipit eſſe? Nam & tunc ſatis proprie nata dici poteſt: ſicut & Chriſtus proprie dicitur natus, cum fuit conceptus, vt

Non recipitur.

Luc. 1, patet ex verbis Luc. 1: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Quare ſi per auroram intelligenda eſt B. Virgo, vt aduerſarij tenentur admittere, cum id admiſerit D. Thomas; non video cur verbis Iob non ſit conſonantius, per ortum Virginis intelligere eius conceptionem potius, quam natiuitatem.

38. *Vrget aduerſarios.* Suppoſita autem D. Thomæ explicatione, argumentum maxime vrget aduerſarios, quamuis in ſe vim non habeat: quia Iob ſuæ conceptioni imprecatur, ne perueniat ad natiuitatem ex vtero, quam ad literam intelligit per lucem diei, & ortum auroræ, vt ex antecedentibus, & conſequentibus facile patet. Non eſt tamen negandum locum iſtum poſſe etiã explicari in ſenſu myſtico, nam in eo explicatur à D. Gregorio lib. 4. moral. c. 14. longe tamen diuerſo à ſenſu D. Thomæ. Nec etiam negabo ſenſum D. Thomæ eſſe etiam ſatis accommodatum: vnde ab eo argumentum ſumi poteſt, non ineſficax contra aduerſarios, vt dicamus immunitatem B. Virginis ſacris literis eſſe maxime cõſonam: & ideo non immerito locum iſtum ad confirmandam noſtram ſententiam adducere *Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5. pag. 38. col. 2. C. & Valentiam 4. tom. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag. 406. & Morales de Chriſto, & Virgine lib. 3. tract. 1. pag. 278.* *Suarius. Valentia. Morales.*

§. 5.

Probatur idem ex pluribus locis Scripturæ, qui Virgini accommodantur.

39. *Alij loci in ſenſu ſpirituali.* Tertio loco in confirmationem noſtræ ſententię communiter adducuntur plures Scripturæ loci, qui in ſenſu ſpirituali accommodantur B. Virgini: nam ex his probabile argumentum ſumi poſſe non negauit Canus lib. 12. de loc. Theol. cap. 12.

40. *1. locus. Prouerb. 8 Galatinus.* Primus habetur Prouerb. 8. in illis verbis: *Dominus poſſedit me in initio viarũ ſuarum*: quæ verba licet de diuina ſapientia explicari poſſe fateatur *Galatinus lib. 7. de arcanis Cathol. verit. cap. 1. paulò ante finem*: ea tamen accommodatius explicari de B. Virgine probat ibidem: & affirmat hanc fuiſſe Rabbinorũ antiquorum ſententiam, quam ſatis amplectitur *Canniſius lib. 1. de Maria Deipara cap. 12. pag. 113. & poſt eum Morales de Chriſto, & Virgine lib. 3. tract. 1. pag. 284.* vbi pro eadem refert *Piſanum Theologum in lib. de Virgine in 7. fructu, latiſsimè Stephanus Mendez lib. 1. de la dignidad de la Virgen à cap. 14. cum ſequentibus.* Hoc autem ſuppoſito, *Canniſius. Morales. Piſanus. Stephanus Mendez.* Piſanus ille ita argumentatur: Dominus poſſedit Virginem ab initio viarum ſuarum: ergo Virgo non habet peccatum originale: ſed vim huius conſequentiæ deberet oſtendere, quod tamen nec ille facit, nec alij: poteſt tamen ex hoc habere probabilitatem; quia ſecundum hunc ſenſum allegoricum, ſiue myſticum viæ Domini, ſunt viæ illæ, & opera, quibus ſecundum æternam ſuam prædeſtinationẽ ſalutem humani generis operatus eſt. *Probatur illa conſeq.* Cũ verò Chriſtus Dominus, quatenus homo, horum operũ ſit principalis author, & ad illa operanda carnem ſumpſerit ex Virgine, eam ſumpſit, tanquam initium totius ſalutis: vnde decens erat, vt Virginem ab æterno ab omni peccato immunem prædeſtinaret; & vt illam ab æterno abſque vllo peccati vitio poſsideret.

41. *2. locus ex Pſalm. 45. Suarius.* Secundus locus ſumitur ex Pſal. 45: *Sanctificauit tabernaculum ſuũ Altiſsimus.* Quem locum pro aliquali noſtræ ſentẽtiæ confirmatione adducit *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5. pag. 38. col. 2*: etenim per hoc tabernaculum intelligi B. Virginem teſtatur *D. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. in argumento ſed contra, & Methodius in ſerm. de Purific. & Stephanus Mendez vbi ſupra lib. 7. cap. 45. §. 6.* *D. Thom. Methodi⁹. Mendez.* Ex his autem verbis Suarius infert immunitatem Virginis; quia verba iſta, non denotant quamcũq; ſanctificationem, ſed ſingularem aliquã, quæ ſoli Virgini conceſſa ſit, & quæ cõgrua ſit tabernaculo Dei: talis autem non fuit alia, niſi præſeruatio ab originali culpa. *Confirmatur.* Quæ explicatio non ſine probabilitate colligi poteſt ex verbis immediate ſequentibus: *Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo*: quæ verba accommodatiſsime ita explicari poſſunt, vt Deus B. Virginem ſanctificauerit *ſummo mane, & diluculo*, hoc eſt, ab ipſo conceptionis [p]rincipio; idque per gratiam præſeruantem eam ab omni originali labe. Cui expoſitioni concinit

illud

Pſal. 88. illud Pſalmi 88. *Thronus eius ſicut Sol*: quē
thronum eſſe B. Virginem communis
eſt explicatio, quæ placuit *Damaſceno*
Damaſc. *lib. 4. de Fide cap. 15. & Damiano ſerm. de*
Damian. *Aſſumptione Virginis, Suario, & alijs.*
Suarius. Quare cum Sol nunquam fuerit ſine lu-
ce; vtique thronus ille Dei, Beata. ſ. Vir-
go nunquam ſine luce extitit. Cum ve-
ro Deus tabernaculum ſuum ſanctifica-
ret ſanctificatione tabernaculo Dei con-
grua: & hæc fuerit ſanctificatio, quę illud
faceret lucem, & Solem: vtique taberna-
culum, id eſt, B. Virgo ſemper fuit Sol,
& nunquam tenebræ. Cui explicationi
maxime fauent Scripturæ, in quibus B.
Virgo comparatur luci, & Soli, vt patet
Apoc. 12. Apocal. 12. *Mulier amicta Sole,* & plures
aliæ.

Tertius locus ſatis conuenienter ad-
ducitur ex cap. 42. Eccleſiaſt. *Sol illumi-*
42. *nans per omnia reſpexit, & gloria Domini*
3. locus Eccleſiaſt. 42 *plenum eſt opus eius.* Quem locum de B.
Maria explicat *D. Bonauentura in ſpeculo*
Virginis cap. 3. & probat Morales vbi ſupra
Bonau. *pag. 294.* Sed non video quomodo poſſit
Morales. locus iſte accommodari B. Virgini: ſi ve-
ro accommodetur, per Solem illuminan-
tem non intelligerem B. Virginem, ſed
Chriſtum illius filium, vt explicat gloſſa
interliniaris cum nonnullis alijs: hic autē
Sol *per omnia reſpexit*, quæ. ſ. ſunt in Vir-
gine, quia illam reſpexit, non ſolum in
vita, ſed etiam vt erat in vtero, idque ſta-
tim à principio conceptionis; etenim qui
omnia dicit, nihil excludit. *Et gloria Do-*
mini plenum eſt opus eius, id eſt Maria (quę
eſt opus ipſius Chriſti) plena eſt gloria
Domini: plena, inquam, per omnia, vt ex
verbis præcedentibus patet: fuit igitur
plena gloria Domini ſtatim in ſua con-
ceptione.

43. Quarto ex eodem Bonauentura (quē
4. locus. probat Morales) accommodari poteſt il-
Sap. 7. lud Sapient. 7: *Eſt enim ſpecioſior Sole: &*
ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum; luci
comparata inuenitur prior: quem locum
Bonauentura, & Morales intelligunt de
D. Bonau. B. Virgine. *Per diſpoſitionem autem ſtella-*
Morales. *rum* intellige ſanctitatem, & gratiam om-
nium aliorum Sanctorum: Virgo enim
omnibus eſt prior in gratia, non ſolum
quia maiorem habet, quam cæteri; ſed
etiam quia eam habet ſublimiorē in or-
dine: quia fuit præſeruatiua omnis pec-
cati.

Quinto loco accōmodatur illud Pſal- 44.
mi 84: *Benedixiſti Domine terram tuam,* 5. locus.
auertiſti captiuitatem Iacob, quæ (vt Mo- Pſal. 84.
rales aduertit pag. 283.) ita explicantur,
vt *per terram tuam* intelligatur B. Virgo;
quæ fuit terra à Deo benedicta: & ita be-
nedicta, vt ab ea Deus *auerterit captiuita-*
tem Iacob: auertiſti, inquam; quia eam à
captiuitate totius generis humani ſub
peccato originali præſeruauit. Cui con-
cinit, quod in Ægypto terra ſacerdotalis
ſemper fuit libera ab omni tributo.

Sexto accōmodari poteſt illud Pſal- 45.
mi 120: *Dominus cuſtodit te ab omni malo:* 6. locus ex
cuſtodiat animam tuam Dominus; quę ver- Pſal. 120.
ba B. Virgini fuiſſe dicta plures volunt.
Vt vero hanc petitionem magis expo-
neret additur *Dominus cuſtodiat introitum*
tuum, & exitum tuum. Per introitum B.
Virginis intelligitur ipſius cōceptio, per
ingreſſum animæ in corpus: iſte autem
cuſtoditus fuit, diuina præueniente gra-
tia, ne cum anima primum informaret
corpus, labem originalis maculæ contra-
heret.

Septimo: accedant loci Scripturæ, qui 46.
agunt de fundamentis B. Virginis. ſ. lo- 7. locus de
cus Pſalmi 86. *Fundamenta eius in monti-* fundamēt.
bus ſanctis. Iſaiæ. 2. *& erit præparatus mons* Pſal. 86.
Domini in vertice montium, Apocalyp. 21. Iſai. 2.
Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pre- Apoc. 21.
tioſo ornata. Primum locum de B. Virgi-
ne explicant *D. Gregor. Pereira, & Suarius*
citati à Petro Morales vbi ſupra pag. 281.
Secundus vero locus de eadem explica-
tur à *D. Gregorio lib. 1. Reg. c. 1.* Tertium D. Greg.
locum eodem modo explicant plures
nouiorum, & inter eos *Barradas lib. 6.*
Concord. cap. 3. in principio. Fundamentum
autem alicuius ædificij eſt ipſum ædificij
initium: & ſubinde fundamentum ædi-
ficij virginalis eſt ipſa prima Virginis
cōceptio, quia illa tunc primum incœpit
viuere. Quare ſi fundamentum B. Vir-
ginis poſitum eſt in montibus ſanctis, vt
patet ex primo loco: & incœpit præpa-
rari in vertice montium, id eſt in ſumma
aliorum Sanctorum ſanctitate, vt dicitur
Iſaiæ. 2. & ſtatim cœpit ornari omni
lapi-

lapide pretioſo, vt ſcribitur Apocal. 21. profectò ſacris literis ſatis eſt conſentaneum conceptionem B. Virginis virtute præſeruantis gratiæ ſanctam fuiſſe, & liberam ab omni originali macula.

Vltimo loco adducamus quampluri-
47. *Plures loci ex Cantic.* ma teſtimonia ex lib. Canticorum, quæ ab Eccleſia, & à Patribus in ſenſu ſpirituali B. Virgini accommodantur. ¶ Nam Cantic. 2. dicitur: *Sicut lilium inter ſpinas,*
Cant. 2. *ſic amica mea inter filias.* Quem locũ pro confirmanda noſtra ſententia diligenter annotarunt *Bellarminus lib. 4. de amiſsione*
Bellarm. *gratiæ, & ſtatu peccati c. 15. pag. 322. litera*
Valentia. *A. & Valentia 4. p. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag.*
Suar. *410. B. & Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5.*
Morales. *pag. 38. col. 2. B. & Petrus Morales de Chri*
Mendez. *ſto, & Virgine lib. 3. tract. 1. pag. 287. & Stephanus Mendez lib. 4. de dignitate Virginis c. 58. §. 2. pag. 412.* Nec ſine fundamento: quoniam cum multi Patres de B. Virgine hæc verba expoſuerint; & Eccleſia Romana in officio Conceptionis in primis veſperis hæc verba formaliter recitet; negari non poteſt, illa B. Virgini aptiſsime accommodari, vt bene aduertit Bellarminus vbi ſuprà. Hac ſuppoſita explicatione multum vrget argumentum ex his verbis ſumptum, vt bene annotauit Suarius vbi ſuprà: etenim ſicut lilium ex eadem terra inter ſpinas ortum, ſine vlla ſpina naſcitur; ita etiam B. Virgo orta inter filias Adæ, vitio originali infe-
48. *Cant. 4.* ctas, nullo originali vitio inficitur. ¶ Inferius cap. 4. habetur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quæ etiam verba ad confirmationem noſtræ aſſertionis adducuntur à Bellarmino, Suario, Valentia, Canniſio, Morales, & ab alijs, qui omnes hæc verba explicant de Beata Virgine: & merito, quia Eccleſia in officio Conceptionis, atque in Miſſa eadem verba ſæpius accommodat Virgini, idq; vt conceptionem eius fuiſſe ſanctam oſtendat. Quo ſuppoſito, ad inſtitutum commodè explicari non poſſunt, niſi de pulchritudine omnem maculã originalẽ
49. *Cant. 4.* excludente. ¶ In eodem cap. 4. eadem Virgo à Patribus, interpretibus, & ab Eccleſia in officio eiuſdem feſti dicitur *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa; hortus concluſus.* Quæ verba cum adducantur ad denotandum conceptionem fuiſſe immaculatam, non poſſunt aliter explicari, quam de concluſione totius Virginis in circuitu, vt omnia ipſius Virginis in ſe contineat. ¶ Denique accedant cætera *Cant. 6.* omnia, quæ ex conſenſu Patrum, & accommodatione Eccleſiæ ex eodem Canticorum libro adducuntur. ſ. Cantic. 6. *Pulchra es amica mea ſuauis, & decora, ſicut Hieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata,* & in eodem cap. *Vna es columba mea, perfecta mea,* & iterum *viderunt eam filiæ Sion, & beatiſsimam prædicauerunt,* & iterum: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens.* Quæ omnia cum à Patribus, & ab Eccleſia B. Virgini accommodentur, negari non poteſt puritatem Conceptionis Mariæ Deiparæ eſſe omnibus illis locis ſatis conſentaneam.

§. 6.

Probatur hoc ipſum ex verbis Angeli Lucæ 1. & ex alijs locis ſpecialiter de Virgine.

VLtimo loco afferri ſolent nõnulla 50. ſacræ Scripturæ loca, quæ in ſpecie loquuntur de B. Virgine: ex quibus nõnullis adiunctis, deduci poteſt argumentum ſatis efficax ad probandam puritatem Conceptionis cum ſacris literis maxime conſentire. Alijs tamen relictis, vnum tantum locum afferemus ex *Luc. 1.* verbis Angeli Luc. 1. *Aue gratia plena;* ex quibus nouiores putant optimum ſumi argumentum, vt *Suar. 2. to. ad 3. p. diſp. 3.* *Suar.* *ſect. 5. pag. 38. col. 2. A. Valentia 4. p. diſp.* *Valent.* *2. q. 1. punct. 2. pag. 407: Morales de Chriſto* *Morales.* *& Virgine lib. 3. tract. 1. pag. 283. & ante* *Turrianus* *eos Franciſcus Turrianus in epiſt. de peccat.* *Salmer.* *original. & Salmeronius in epiſt. ad Rom. 5. diſp. 52. pag. 482.* Nec ſine fundamento: *Author apud* quoniam Author ſermonis 11. de natali *Aug.* Domini apud Auguſtinum tom. 10. qui erat de Tempore 15. & habetur in appẽdice ſerm. 24. qui tribuitur aut Seueriano, aut Fulgentio; ex his verbis noſtram ſententiam ſatis deducit, ita ſcribens: *Cum dixit gratia plena; oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam.* Iam verò ira primæ ſententiæ contra primos parentes latę includit culpam in omnes, qui in

Adamo peccauerunt, tranſfundendam. Ab hac igitur B. Maria fuit ex integro exempta, vt gratia benedictionis, quæ erat in ſtatu innocentiæ, ad plenum illi reſtitueretur.

51. *Athanaſ.*

Ex his etiam verbis noſtram iſtam veritatem deducit D. Athanaſius in epiſt. ad Epithectum pag. 659. ita ſcribens: *Maria, ſi gratia plena dicitur, quod in illa totius gratiæ theſaurus recondetur: quæ idcirco gratia plena denominata eſt, eo quod adimpletione Spiritus ſancti omnibus gratijs abundaret, & virtute Altiſsimi obumbraretur: quam virtutem per omnia tempora, etiam conceptus ſui habuiſſe confido: nec enim id temporarium in Virgine accediſſe opinor, ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe.* Ex his igitur verbis Angeli non inefficax argumẽtum ſumitur: nam cum verbum græcum κεχαριτωμένη in originali ponatur ſine articulo ἡ: iuxta Græcorum antiquorum receptam doctrinam idem eſt, quod ſingulariter, & modo inſolito gratioſa, vt cum Turriano nonnulli annotarunt ex Apollonio antiquiſsimo grãmmatico. Vnde apud Latinam verſionem *gratia plena* idem erit, quod modo quodam ſingulari, & inſolito præ cæteris omnibus Deo gratioſa: quomodo autem ſingulari modo & inſolito erit plena gratia; niſi ſit plena gratia eam ab omni vitio actuali, & originali præſeruante?

52. *D. Anſelmus.*

quod ſatis expreſsit Diuus Anſelmus, dum in ſerm. natalis Baptiſtæ ſcribit; *B. Virginem in vtero mundatã fuiſſe altiori ſanctificationis gratia, quam aut Ioãnes, aut Ieremias mundati ſunt:* altiori, inquam, quia gratia præſeruans ab aliquo vitio altioris eſt generis, quam gratia vitium emundans, quod exiſtit: nec poteſt B. Virgo non dici plena gratia modo inſolito, atque illi ſoli ſingulari:

Canticum Mariæ.

ſiquidem ipſamet in ſuo Cantico ideo exultat, *quia Deus illi fecit magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.* Ex quibus patet gratiã Virgini tributam non eſſe gratiam, quæ ſecundum legem ordinariam datur alijs; ſed gratiam ſecundum potentiam ordinariam illi conceſſam; quæ ſpeciali quodam modo potentiam diuinam poſtulat.

53. *Alia confirmatio.*

Hæc omnia inde etiam non inefficaciter confirmantur; quoniam ex his verbis colligitur B. Virginem præ omnibus alijs maiora gratiæ priuilegia accepiſſe, vt teſtatur *D. Thomas 3. p. q. 27. ar. 1.* imò ex illis omnes colligunt eam non ſolum accepiſſe omnia gratiæ priuilegia, quæ cæteris data ſunt; ſed etiam accepiſſe omnia, quæ decent matrem Dei, quæ longe ſunt maiora, & altiora: nec enim dici poſſet ſingulariter plena gratia, ſi aliquod priuilegium aut alijs conceſſum, aut ad dignitatem, & excellentiam matris pertinens illi fuiſſet denegatum: & inde inferunt B. Virginem fuiſſe in vtero matris ante natiuitatem ſanctificatam; non ſolum quia hæc gratia Ioanni, & Ieremię conceſſa fuit; ſed etiam quia illa maxime decebat matrem Dei. Iam vero cum dignitate matris Dei non minorem habet congruentiam, & decentiam ſanctificatio præſeruatiua à labe originali, quam deletiua illius: imò maiorem, quia magis decet Dei matrem nunquam fuiſſe ſub poteſtate Diaboli, quam exiſtentem ſub illius dominio à tali ſeruitute liberari, vt inferius latè dicemus. Ergo ſi ex plenitudine gratiæ (de qua Angelus Luc. 1.) bene infertur B. Virginem in vtero matris â peccato originali iam contracto ſanctificari: â fortiori ex eadem plenitudine inferetur eam fuiſſe præſeruatam, ne tale peccatum contraheret. Quæ ponderatio ex eo vehementer vrget; quia poſita præſeruatiua ſanctificatione, tantum abeſt, vt B. Virgo ad Chriſti redemptionem non pertineat, vt nobiliori modo pertineat ad eam, vt ſuo loco oſtendemus.

D. Thom.

54. *Vltima cõfirmatio.*

Et vt rem concludamus; cum aduerſarij omnem plenitudinẽ gratiæ B. Virgini libentiſsime concedant, quæ Chriſti redemptioni non repugnat: vtique cum non poſsint non fateri hanc præſeruationis gratiam redemptioni Chriſti non repugnare; ſed ad eius plenitudinem, & perfectionem pertinere, vt ſuo loco mõſtrabimus; non poſſunt non fateri Beatã Virginem ab omni originali labe eſſe præſeruatam, maxime conſentire cum plenitudine gratiæ, quam Angelus illi conceſſam prædicat: nec enim plenitudo illa poteſt eſſe ſingularis, & inſolita, ſi hanc præſeruationis gratiam non complectitur, vt initio dicebamus.

§. 7.

Explicantur loca in contrarium adducta:

55. NEc contra hanc noſtram reſolutionem faciunt, quę pro ſua confirmanda ſententia aduerſarij adducunt ſupra §. 1.

Ad 1. Ad ea, quæ primo loco afferuntur, patet ſolutio ex dictis *art.* 2. 3. *&* 4. vbi omiſsis alijs ſolutionibus, reſoluimus propoſitiones adductas, cum ſint vniuerſales vniuerſalitate legali, admittere diſpenſationem, & ſpecialem gratiam, quæ à Deo facta eſt Virgini: & ad hunc ſenſum eſſe intelligendas ſcribunt omnes nouiores, quos citauimus *art.* 4. §. 1. *prop.* 3. Quare explicandæ ſunt ſecundum legem ordinariam, quæ potentiam abſolutam legislatoris Dei non excludit. Et hanc explicationem non poſſunt non admittere aduerſarij, cum Eccleſia iam expreſſerit non eſſe ſuæ intentionis B. Virginem in illis generalibus propoſitionibus comprehendere. Quare ex illis non poteſt colligi, oppoſitam ſententiam eſſe magis conſonam ſacræ Scripturæ: quin potius magis erit illi conſonum Virginem in illis non comprehendi; cum talis exemptio figuris teſtaméti veteris, & alijs Scripturæ locis in ſenſu ſpirituali, & myſtico ſatis probabiliter ſignificetur, & ab Eccleſia, tanquam vere pia approbetur.

56. Ad 2. Ad ſecundum reſpondetur illa Scripturæ loca in hoc ſenſu eſſe explicanda, vt intelligantur iure ſuæ naturæ, & ex vi ſuæ generationis: nam in hoc ſenſu ſolus Chriſtus Dominus ſanctus dicitur, & omnino liber ab omni peccato actuali, & originali; de quo plura diximus *q.* 4. *art.* 2. §. 1. dum hanc propoſitionẽ excluſiuam à nõnullis Patrum allatam explicauimus: & hæc eſt communis omniũ
Salmer. explicatio, de qua vltra alios vide *Salmeronium in epiſt. ad Rom. c.* 5. *diſp.* 52. *pag.* 482. *col.* 2. *ad finem.* Quare ex illis propoſitionibus non bene infertur B. Virginẽ non fuiſſe liberam ab omni peccato actuali. & originali.

57. Ad 3. Ad tertium dicimus illa Scripturæ teſtimonia nihil nobis officere, quia libentiſsimè admittimus B. Virginem ad redemptionẽ Chriſti verè, & proprie pertinere, vt inferius in propria quæſtione demõſtrabimus: negamus tamẽ ad Chriſti redemptionem ſolos illos pertinere, qui in propria perſona ſunt peccatores: nam licet ad eam ſolum pertineant, qui in Adamo peccauerunt, & ideo quia ex vi ſuæ generationis habent debitum cõtrahendi peccatum originale; non tamen neceſſarium eſt vt maculam illius debiti in propria contrahant perſona: vnde cum B. Virgo in Adamo peccauerit, & ex vi ſuæ generationis traxerit debitum contrahendi peccatum originale, vere, & proprie pertinet ad redemptionem Chriſti, licet in ſe non contraxerit originalem maculam.

Quartum argumentum vix ad inſtitutum induci poteſt; tum, quia Salomon loquitur de viuentibus in hoc mundo viris, & mulieribus; nos autem loquimur de ijs, qui in vtero concipiuntur. Tum etiam, quia verba illa dicta ſunt per hyperbolem, vt ſit ſenſus, *Cum quærerem ex viris, & mulieribus, qui virtutem ſectaretur,* inter mille viros, vix vnum inueni, qui ſectaretur virtutem, idque reſpectu eorum, qui à virtute deficiunt: *ex mulieribus verò nullam inueni*, quia longe ſunt pauciores, quam viri: & hæc eſt communis explicatio Lyræ, & aliorum. Quomodo autem inde colligatur cum ſacris literis non conſentire B. Virginem ab originali peccato eſſe immunem? videat Bandellus huius argumenti author. 58. Ad 4.

Quod attinet ad quintum argumẽtũ; explicet nobis Bandellus quomodo ex verbis citatis inferatur, ſacras literas fauere ſuæ opinioni. Quod enim ait gloſsã in eodem loco per *argentum* intelligere B. Virginem, & per *rubiginem* peccatum originale; falſiſsimum eſt: gloſſa enim hæc verba non ſcribit: quin potius nullum interpretem dabit, qui ita verba illa explicet: falſitatis igitur damnandus eſt, vt in hac re eius teſtimonium nõ valeat. Et quãuis daretur talis explicatio adhuc explicari poſſet, de ablatione præſeruatiua, non vero de ablatiua: nam ex doctrina D. Thomæ ſæpe citata ſatis proprie dicitur remouere peccatum, qui impedit ne illud committatur. 59. Ad 5.

Ad poſtremum patet ſolutio ex ijs, 60.

quæ

Ad vlt. quæ diximus §.4.huius art.etenim ſi per
auroram intelligenda eſt B. Virgo, vt
explicat D. Thomas; negamus per ortũ
auroræ ſolum eſſe intelligendum ortum
ex vtero. Vide quæ ibi diximus.

QVÆSTIO VI.

Quid de vtraque ſententia ſentiendum ſit ex ijs, quæ ab Eccleſia communi fidelium conſenſu, reuelationibus, & miraculis colliguntur?

IVxta ordinẽ initio huius lib. tertij ſtatutum expendendũ eſt, quid de vtraque ſententia ſentiendum ſit, ſi expendantur ea, quæ ab Eccleſia hac de re ſunt tradita, pro cuius difficultatis maiori explicatione præmittimus, plura eſſe, ex quibus vnius vel alterius ſententiæ veritas poteſt confirmari. Primum eſt inſtitutio feſti Conceptionis B. Virginis. Secundum confirmatio Religionum ſub titulo immaculatæ Conceptionis eiuſdem Virginis. Tertium eſt communis fideliũ conſenſus. Quartum eſt, reuelatio diuina de veritate huius, vel illius opinionis. Quintum denique confirmatio miraculorum, quibus Deus vnius, vel alterius ſententiæ veritatem declarauit.

Articuli In hac igitur quæſtione quinque exci-
excitandi. tabimus articulos. Primus: an ex inſtitu-
1.art. tione feſti Conceptionis B. Virginis fir-
mum ſumatur argumentũ ad confirmã-
dam ſententiam, quæ cõceptionem Vir-
ginis ſanctam & immaculatam defendit?
Secundus erit, an ad eandẽ veritatem cõ-
2. firmandam efficax ſumatur argumentũ
ex eo, quod Sedes Apoſtolica approba-
uerit religionẽ monialium ſub titulo im-
3. maculatę Conceptionis? tertius inquiret;
an pro eadem veritate ſumatur argumẽ-
tum efficax ex cõmuni fideliũ conſenſu,
qui piè credunt B. Virginem ab omni la-
4. be originali fuiſſe immunem? quartus ar-
ticulus expendet; an ex reuelationibus
hac de re factis ſumi poſſit argumentum
5. & vlt. efficax? Quintus, & vltimus erit: an idem
argumentum ſumi poſſit ex aliquibus
miraculis, quæ in huius pietatis confir-
mationem edita circunferuntur?

ARTICVLVS I.

An ex inſtitutione, & publica celebratione feſti Conceptionis B. Virginis firmum ſumatur argumentum pro confirmanda illius puritate?

§. 1.

Refertur opinio negans.

DE hac dubitatione non poteſt nõ 1.
eſſe controuerſia inter vnius, & *Pars neg.*
alterius opinionis authores. Par-
tem negantem non poſſunt non probare
Doctores, qui conſtanter defendunt B.
Virginem peccatum originale actu con-
traxiſſe: nam cum inficiari nequeant hoc
feſtum Conceptionis à multis ante ſęcu-
lis in Eccleſia publicè celebrari, ad varias
ſolutiones cõfugiunt, vt patet ex ijs, quę
latè ſcribit *Bandellus in d. tract. contra im-* *Bandellus.*
maculatam Virginis conceptionẽ 2.p. in 10.
ratione, fol.80.pag.2. Nam quidam aſſe-
runt feſtum Conceptionis in Eccleſia ce- 1.opinio.
lebrari, nõ ſub titulo Conceptionis, quaſi
illa fuerit ſancta; ſed ſub titulo ſanctifica-
tionis: ita vt non celebretur conceptio
Virginis, ſed ſanctificatio illius in vtero
facta poſt conceptionem eius. Hæc eſt
prima Caietani ſolutio *in tract. de Concept.* *Caiet.*
Virginis c.5. §. Eccleſiaſticus deinde cultus, *D. Thom.*
& fuit D. Thomæ 3.p.q.27. art.2. ad 3. vbi
in hæc verba: nec tamen per hoc, quod feſtum
Conceptionis celebratur, datur intelligi, quod
in ſua conceptione fuerit ſancta: ſed quia quo
tempore fuerit ſanctificata, ignoratur; cele-
bratur feſtum Sãctificationis eius potius quã
Conceptionis, in die Conceptionis eius. Quod
antea dixerat in 3. diſt.3.q.1.art.1.q.1. & 2.
quodlib.6.ar.7. Eandem ſolutionem commu-
niter probãt Thomiſtæ: ita Capreol. in 3. diſt.
3.q.vnic.art.3.ad 7. Aureoli, fol.16.col.1. *Capreol.*
vbi refert Ioannem de Neapoli, idem ſentit *Ioan.Neapolitanus.*
Hiſpalenſ. ibidem q.vnic.art.4. ad 13. Au-
reoli, pag.18.col.4. in fine, & probat Bandel- *Hiſpalenſ.*
lus vbi ſupra. Eandem ſententiam approba- *Bandel.*
runt Richard. in 3. diſt.3. art.1. q.1. ad 3. *Richard.*
D.Bonau.ar.2.q.1.n.14. Durãd.q.1.n.14. *D.Bonau.*
& cõmuniter alij. Ad eandẽ opinionẽ accedit *Durand.*
Medina 3.p.q.27.art.2.§: Ad hoc dicendũ, *Medina.*
pag.506.col.2.& inferius ad 2.p.508.col.1.
quaten⁹ docet in celebrãdo feſto Cõcep-
tionis hãc eſſe celebrantium intentionẽ,

vt celebrẽt illud punctũ, in quo in vtero eſt ſanctificata abſtrahendo an ſit cõcepta cum peccato originali, an ſine illo? Fũdamentum illius eſt; quoniam qui in hoc ſenſu tale feſtum celebrat, nulli errandi periculo ſe exponit; cum certiſsimum ſit B. Virginem in vtero fuiſſe ſanctificatã: incertũ tamen an ab originali fuerit pręſeruata: hoc enim (vt ait) adhuc eſt ſub iudice. Addit deinde ad 2. in Breuiario Romano præcipi, vt aboleatur officium antiquum, in quo dicebatur B. Virginem fuiſſe à peccato originali pręſeruatam: & iuberi, vt officium celebretur inſtar natiuitatis Virginis, mutato nomine natiuitatis in nomen conceptionis; vt pręcitatę explicationi daretur locus, ita vt per cõceptionem intelligatur ſanctificatio, ſub quo titulo à pleriſq; Eccleſijs hoc feſtũ adhuc celebrari teſtatur *Caiet. vbi ſuprà.*

3. Fundamẽtum.

4. *2. ſententia.* Alij volunt in Eccleſia celebrari materialem conceptionem B. Virginis; non ratione ſãctitatis, quaſi illa ſancta fuerit: ſed in ordine ad futuram ſanctitatem, & excellentiã; ita vt dicamus hodie; B. Virgo concepta eſt ſecundum gratiam; referẽdo illud *hodie* ad diem ſanctificationis. Ita *Ægidius in d. quodlib. 6. q. 20. ad finem, §. Diſtinguemus ergo*: quæ expoſitio cum præcedente fere coincidit: eam *Ægidius* (*Ægidius.*) inde confirmat: quoniam per totam octauã natiuitatis Chriſti dicimus *Hodie Chriſtus natus eſt*, non quod Chriſtus in ſingulis illis diebus natus ſit, ſed referendo ad diem, in qua natus eſt. Nam ſi ſatis eſt illa relatio ad diem natiuitatis Chriſti, vt vere dici poſsit, hodie natus eſt Chriſtus; eodem modo ſatis erit relatio ad diem cõceptionis ſecundum gratiam, vt in primo die corporalis conceptionis celebremus diem conceptionis ſecundum gratiam: nam in eodẽ ſenſu quando depoſitio alicuius Sancti eſt incerta, vere illa poteſt celebrari in die aliquo certo, & determinato, quia. ſ. in illo celebratur cum relatione ad diem, in quo vere mortuus fuit, & in ſepulchro poſitus. Hæc ex Ægidio, quem in hoc approbat *Bandellus vbi ſupra fol. 81. col. 1.*

5. *3. ſententia. Ægidius.* Tertia explicatio eſt quorundam, quos refert, & probat *Ægidius loco citato*, vt dies materialis conceptionis vere celebrari poſsit; quia licet Virgo tunc non fuerit ſancta; futurum tamen erat, vt in vtero eſſet valde ſancta; ita vt dies illa materialis conceptionis celebretur ratione futuræ ſanctitatis, etenim (vt ait) primogenito Regis, antequam ſit Rex, exhibetur excellentior honor, & reuerentia, ideo præciſe, quia futurus eſt Rex: eodem igitur modo ipſe dies materialis conceptionis B. Virginis, licet in ſe ſanctus non fuerit, poteſt celebrari ex ratione excellentis ſanctitatis, quam aſſecutura erat: excellentia enim tam præſtantis ſanctitatis ex ſe poſtulat, vt primus dies ſui ortus ſit celebris. Quod etiam probat *Bandellus in d. fol. 81. pag. 1.* *Bandel.*

6. *4. ſentent.* Quarta explicatio eſt illorum, qui materialem B. Virginis conceptionem putant celebrari ab Eccleſia, non ratione ſanctitatis, quaſi illa ſancta fuerit, ſed in gratiarum actionem, quod iam concepta ſit, quæ futura erat mater Dei, & principium redemptionis generis humani; & totius Eccleſiæ vniuerſalis gaudij, ita vt feſtum Conceptionis, ſit feſtum exultationis, & gratiarum actionis, quod illa concipiatur, ex qua totius mundi remedium oriri debebat. In terminis ita docet *Capreol. in 3. diſt. 3. q. 1. art. 3. ad 7. Aureoli fol. 16. col. 1. eodem modo docuit Paludan. ibidem q. 1. & fuit ſententia Ioannis Neapolitani, quam refert, & probat D. Antoninus 1. p. tit. 8. cap. 2. ad 6. argum. & ex noſtris id probat Bellarminus tom. 2. lib. 3. de Sanctorum cultu cap. 16. ad 2. de feſto Conceptionis pag. 1123. & probauit Bandellus vbi ſupra fol. 84. pag. 1.* *Capreol. Neapol. Palud. D. Antoninus. Bellarm. Bandel.*

7. *5. opinio.* Quinta ſolutio eſt eorum, qui ante Sixtum IIII. ſcripſerunt: hi enim vim huius argumenti ex eo infringunt, quod Eccleſia Romana tale feſtum non celebret; licet ab aliquibus particularibus Eccleſijs celebretur: quę eſt reſponſio Turrecrematę in tract. de Conceptione Virginis c. 19. imò dicunt eas in hoc reprehendendas eſſe: in cuius confirmationem adducunt; quia *D. Bernard. epiſt. 174.* ad canonicos Lugdunẽſes eos redarguit, qđ ſine Romanæ Eccleſiæ conſenſu tale feſtum celebrarent: ita reſpondiſſe nonnullos refert *Capreolus vbi ſupra*, quos non reprobat. *D. Bern. Capreol.*

Sexta

8. 6. ſolutio. Sexta & poſtrema ſolutio ex eo ſumi poteſt: quoniam Eccleſia Romana ita celebrat feſtum conceptionis, vt permittat vnumquemque ſuo ſenſu abundare, & ideo adhuc permittit vt aliquæ Eccleſiæ illud feſtum celebrent, non ſub titulo cõceptionis, ſed ſub titulo ſanctificationis. Quod argumento eſt mentem Eccleſiæ Romanæ in hac celebranda ſolennitate non eſſe celebrare conceptionem tanquã certam, ſed tanquam probabilem, & cũ formidine oppoſiti: & ideo ex hac celebratione, etiam ſub titulo preſeruationis, non poteſt ſumi argumentum, niſi quod probabile ſit B. Virginem ſine peccato originali fuiſſe conceptam: quæ probabilitas ſatis eſt, vt tale feſtum celebrari poſſit, non excludendo probabilitatem illius opinionis, quæ illam non celebrat ſub titulo conceptionis, ſed ſanctificationis: ſolutio iſta ſatis colligitur ex *Caietano, & Medina locis citatis.* Caiet. Medina.

9. Reſolutio Bandelli. Ex his concludit Bandellus vbi ſupra ratione 9. fol. 84. pag. 2. quod, licet Beata Virgo ſit concepta in originali, potuit Eccleſia facere feſtum conceptionis, non quidem carnalis, ſed ſpiritualis: illius.ſ. diei, in qua fuit ſanctificata, quicumquẽ ille fuerit. Potuit etiam facere feſtum cõceptionis carnalis ratione ſanctificationis breuiſsimo tempore faciendę: vel etiã ad agendas gratias Deo, quod iam concepta ſit illa fœmina, quæ futura erat mater Dei, & principium noſtræ redẽptionis.

§. 2.

Refertur opinio affirmans.

10. Opinio affirmans. PArtem tamen affirmantem probãt omnes, qui defendunt B. Virginẽ ſine peccato conceptam eſſe: omnes enim hanc opinionem ex eo confirmant, quod & olim quamplurimæ Eccleſiæ particulares feſtum conceptionis ſub titulo immaculatæ celebrarunt, & à pluribus iam ſæculis Romana Eccleſia ſub eodem titulo celebrat, & celebrari præcipit donando indulgentias, vt patet ex 1. & 2. conſtitutione Sixti IIII. de quibus in Extrau. 1. & 2. de reliquijs, & venerat. Sanctorum inter communes. Ex hoc autem ad probandam veritatem immunitatis Virginis ferè omnes noſtri temporis Theologi ſumunt argumentũ non ineſſicax: ita *Cannisius lib. 1. de Maria Deipara c. 2. pag. 69. & 70. Cordubenſis lib. 1. q. 44. in 2. ratione, pag. 358. col. 2. in fine: Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5. §. Secundum fundamentum, pag. 39. col. 1. Valent. 4. p. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag. 410. §. Secundo probatur noſtra ſententia, Salmeron. in epiſt. ad Rom. c. 5. diſp. 52. in 6. ratione, pag. 477. col. 2. & 478. col. 1. late Vaſquez Bellomont. 2. tom. ad 3. p. q. 117. c. 5. per totum: Frater Franciſcus Petigianus in ſua Sũma Theologiæ ad 3. lib. diſt. 3. q. 1. art. 5. §. Huic accedit, pag. 39. col. 2. latiſsimè Luzero in 1. diſcurſu de Conceptione fol. 35. Vincẽtius Iuſtinianus in tract. de Conceptione §. 3. & ante omnes Catharinus in 2. tract. de Conceptione Virginis lib. 2. c. 6. pag. 55. & lib. 1. c. 1. in 5. teſtimonio pag. 63. in fine*, vt innumeros alios omittam, qui de Conceptionis feſto diſputant. Cannisius. Cordub. Suar. Valentia. Salmer. Bellom. Petigian. Luzero. Iuſtinian. Catharin.

§. 3.

Agitur de efficacia huius argumenti.

11. Quid ex feſto hoc concludatur? SEd inquiri poteſt, quantæ efficaciæ ſit argumentum ſumptũ ex hac Cõceptionis feſtiuitate? nec enim video omnes huius partis authores eodem modo loqui: etenim ſi verum eſt, quod ſcribit *Bellarminus in d. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 16. pag. 1123.* præcipuum huius feſti fundamentum ab Eccleſia intentum non fuit immaculata conceptio, ſed conceptio fœminæ, quæ futura erat mater Dei: cuius conceptio, licet maculata fuerit, magnam ingerit nobis lætitiæ materiam, & occaſionem, vt ob tale beneficiũ Deo gratias reddamus, cum in illa primũ & certum habuerimus pignus redemptionis: ſi (inquam) hoc verum eſt, profecto hæc feſtiuitas nullum poteſt nobis argumentum ſuppeditare ad confirmandam Virginis immunitatem; cum ob tale fundamẽtum aduerſarij in eodem ſenſu celebrent idem feſtum, imò & Eccleſia græca ob eandem rationem olim celebrauit conceptionem Ioannis Baptiſtæ die 23. Septembris, vt ex Kalendario græco idem Bellarminus refert: & tamen ex illa feſtiuitate nullum poterat Bellarm. Quod nullum ſumi poſſit arg.

ſumi argumentum, vt conceptio Baptiſtæ diceretur ſancta, & immaculata, & inde eſt, quod *idem Bellarminus lib. 4. de amiſſione gratiæ cap. 15. 16. & 17.* vbi defendit B. Virginem peccatum originale non contraxiſſe, nullum ex hoc feſto ſumpſerit argumentum. *Bellarm.*

12. *2. opinio.* Porrò, qui reiecta hac Bellarmini opinione verius docent, ſanctitatẽ conceptionis eſſe vnicum huius feſtiuitatis fundamentum, in ea ſunt ſententia, vt ex hoc feſto aliquod ſumatur argumẽtum, vt dicamus probabilem, imò probabiliorem eſſe ſententiam, quod Virgo originale non habuit; non tamen vt dicamus eam eſſe certam. Hanc reſolutionem ſatis ſignificat *Bellomont. in d. c. 5. n. 68. & 71. & 72.* In qua etiam ſententia videtur eſſe *Valent. 4. p. diſp. 2. q. 1. punct. 2. ſi expendantur; quæ ſcribit pag. 410. 411. 412.* vbi poſtquam docuit, quod Eccleſia Romana non diffinierit conceptionem eſſe immaculatam: tamen dum concedit feſtũ eius à fidelibus celebrari, & dum celebrantibus indulgentiam largitur; ſatis fidelibus ſuadet opinionem, quod conceptio Virginis fuit immaculata; diſſuadet vero oppoſitam: at tamen dum permittit & tollerat, vt hoc feſtum celebretur, non ſub titulo immaculatæ conceptionis, ſed ſub alijs ſupra explicatis, ſatis declarat ſe tale feſtum ſub illo titulo nõ ita celebrare, vt hoc tanquam certum teneat; ſed ſolum ſuadeat tanquam multo probabilius, & magis pium. In qua etiam ſententia videtur eſſe *Pitigianus loco citato, pag. 140. col. 1. in principio*, quatenus ex hoc feſto ſolum concludit, quod Eccleſia Romana credit hoc verius eſſe, quam oppoſitum. Et ita etiam ſentit *Canniſius in d. lib. 1. c. 7. pag. 69.* dum docet hanc ſentẽtiam velut piam magis, & probabiliorem obtinuiſſe palmam. *Bellom. Valent.* *Pitigian.* *Canniſius.*

13. *3. ſentent.* Tertia ſententia colligi poteſt ex ijs, quæ alij ſcribunt, ſ. argumentum ſumptum ex hoc feſto non conuincere eſſe de fide conceptionem fuiſſe immaculatam; conuincere tamen doctrinam illam ita eſſe certam, vt non ſit pium credere illã eſſe falſam. Hanc ſententiam colliges ex *Suario vbi ſupra §. Secundum fundamentũ, pag. 39. col. 2.* vbi ex hoc feſto authoritate Sedis Apoſtolicæ inſtituto concludit, *non eſſe pium credere Eccleſiam in re tam graui decipi, aut falſo niti fundamento*, quã ſententiam ſatis confirmat *Petrus Morales de Chriſto, & Virgine lib. 3. tract. 1. n. 40. pag. 288.* dum ex illo feſto affirmat *neminem poſſe recta ratione aliter de B. Virgine ſentire.* Et *Bellarminus (veluti ſui oblitus) vbi ſupra pag. 1124. §. Quod ſi ipſe quæreret*, dum ait: *Et nos ex eo, quod Eccleſia celebrat feſtum Conceptionis, nihil dubitamus conceptionem illam aliquo modo fuiſſe ſanctam.* Ex eadem feſtiuitate hanc certitudinem deducit *Fr. Vincentius Iuſtinianus in d. tract. de Conceptione §. 3.* Accedat etiam *Cordubenſis in d. q. 44. pag. 360. col. 2. cum ſequentibus*, vbi ſatis ſignificat ex hac celebritate inferri immunitatem B. Virginis ita eſſe certam, vt oppoſitum ſit erroneum. Vide quæ ſcribit *pag. 360. col. 2. & 361. col. 2. in principio, §. Reſpondetur tamen primo.* *Suarius.* *Morales.* *Bellarm.* *Iuſtinian.* *Cordub.*

§. 4.
Vera reſolutio.

14. *Sententia Authoris.* EXplicauimus varias de propoſita difficultate opiniones: reliquum eſt, vt explicemus, quid de hac re ſentiamus. Statuimus igitur hãc vniuerſalem reſolutionem: *quanuis ex inſtitutione feſti conceptionis non poſſit colligi eſſe de fide B. Virginem fuiſſe ab originali peccato immunem: ex ea tamen colligitur Eccleſiam non ſolum declaraſſe hanc opinionem longe veriorem, & probabiliorem eſſe; ſed etiam ſtatuiſſe eam ſimpliciter eſſe veram, ita vt falſa eſſe non poſſit.* Quæ reſolutio ſatis approbat tertiam ſententiam poſitam §. 2. Vt tamen huius reſolutionis veritas magis appareat, & firmius confirmetur, nonnullæ à nobis ſtatuendæ ſunt propoſitiones.

Prima propoſitio.

15. *1. propoſit.* Sit prima propoſitio: *Feſtum Conceptionis B. Virginis in Eccleſia, ſi non generaliter in omnibus Eccleſijs, in quamplurimis tamen eſt antiquiſſimum: in tota autem Eccleſia authoritate Sedis Apoſtolicæ incœpit à tempore Sixti Quarti ab anno 1480.* Hæc propoſitio ſtatuitur contra nõnullos aduerſariorum, qui dicunt Conceptionis feſtiuitatem nouã eſſe; cui opinioni ſub-

16. *Apud græcos.* ſcribunt nonnulli noſtri temporis hæretici. Probatur autem quoniam à Græcis olim celebrabatur, vt patet ex Martyrologio Græcorum, quod tranſtulit *Genebrardus in principio commentariorũ in Pſalmos*, vbi die 9. Decembris ponitur hoc feſtum. Hoc Martyrologium tribui Damaſceno anno 730. teſtatur *Galatinus lib. 7. contra Iudæos c. 8. & Canniſius lib. 1. de Maria Deipara c. 7. pag. 73. in fine: ſatis iuuat Baronius in Martyrologio Romano ad diem octauum Decembris.* Confirmatur ex quodam ſermone de Conceptione Virginis ſcripto manu Leonis III. Imperatoris, & reperto in Bibliotheca Sfortiana n. 63. vt refert Baronius in d. Martyrologio, pag. 672: Leo autem Imperator huius nominis tertius floruit in eadem 7. Centuria cum Damaſceno: idem Baronius loco citato refert alium ſermonẽ eiuſdem feſti authore Georgio Epiſcopo Nicomedienſi eiuſdem temporis: iam vero ſermones non niſi in feſtis publicè habebãtur. Cũ vero Damaſcenus & Leo Imperator floruerint in 7. Cẽturia paulò poſt principium, bene infertur hoc feſtum ſaltem in Eccleſia græca celebratũ fuiſſe ante annos mille & trecẽtos.

Genebrad. *Damaſc.* *Galatin.* *Canniſius.* *Baron.* *Leo 3. Imperator.*

17. *Celebratũ eſt in Anglia.* Quod ſi hoc proterue negetur; negandum non eſt illud in Anglia celebrari à tempore D. Anſelmi, qui floruit centuria milleſsima, circa annum eiuſdẽ centuriæ 60. aut 70. vt ſatis colliges ex Baronio vbi ſupra. Cui celebrationi principiũ fecit celebre quoddam miraculum ſimul cum quadã diuina reuelatione, de qua ex hiſtoria manu ſcripta agit Baronius. Nec deſunt qui velint hanc reuelationem factam eſſe D. Anſelmo, vt ex Petro in Catalogo lib. 1. c. 42. refert idem Baronius; vnde huius feſti inſtitutio in Anglia communiter tribuitur D. Anſelmo. Quare negandũ non eſt huius feſti inſtitutionem, & publicam celebrationẽ in Anglia viguiſſe ante 600. annos.

18. *Celebratũ eſt in Gallia.* In Gallia verò hoc idem feſtum publice celebrari in Eccleſia Lugdunẽſi tẽpore D. Bernardi 11. centuria circa annũ 1140. ſatis patet ex epiſt. 174. eiuſdẽ Bernardi, dum canonicos Lugdunenſes reprehẽdit, quod ſine authoritate Romanæ Eccleſię tale feſtũ celebrarẽt. Ex quo cõſtat hoc feſtũ in Gallia ante 500. annos celebratum fuiſſe; de quo etiam vide Baroniũ vbi ſupra.

19. *Et in Aragonia.* Quod autem celebratũ ſit in Aragonia, Valentia, Catalonia, & in prouincijs vicinis ante annos 200. ſatis conſtat ex decreto Sereniſsimi Ioannis regis Aragoniæ huius nominis primi: quod ad literam & refert, & doctiſsimis aduertentijs exornat Ioannes Pineda in ſpeciali huius decreti tractatu. In eo enim Rex Catholicus non ſolum præcipit, vt huius immaculatæ conceptionis feſtum ab illo anno 1390. in ſingulis ſuis regnis annuatim ſumma cũ deuotione perpetuo celebretur; ſed etiã teſtatur Reges ſuos prędeceſſores eiuſdem feſti memoriã recoluiſſe.

20. Eandẽ celebritatẽ in regno Nauarræ, & Cataloniæ in vſu fuiſſe ante annos 160. patet ex quadam cõſtitutione edita à Rege Ioãne eius nominis ſecundo anno 1451. quam etiã refert *Pineda ad finem præcitati tractatus.*

21. *Multo tẽpore ante Conc. Baſilienſe, authoritate Eccleſiæ Romanæ.* Quin potius hoc feſtũ ex conſenſu Eccleſiæ Romanę celebrari multo tempore ante Conciliũ Baſilienſe, patet ex verbis ipſius ſeſſ. 36. dum approbat, & renouat eiuſdem feſti inſtitutionem, *quod per Romanam, & alias Eccleſias antiqua, & laudabili conſuetudine celebratur.* Quibus verbis expreſſe teſtatur feſtũ iſtud antiqua cõſuetudine à Romana Eccleſia ante tale Conciliũ celebrari. Et quanuis pro illo tẽpore (anno. ſ. 1430.) Concilium illud iam fuerit illegitimũ: non tamẽ ita illegitimũ cenſendũ eſt, vt teſtimoniũ eius de aliqua re geſta ſit inualidũ. Quare cum affirmet Eccleſiã Romanã, & alias Eccleſias antiqua conſuetudine idem feſtũ celebrare; aſſerendum eſt hoc feſtum ex conſenſu Sedis Apoſtolicæ iam celebrari ante cõſtitutiones Sixti IIII. editas anno 1466. & 1484:

22. *A tempore Sixti 4. celebratur in tota Eccleſia.* ſed quia fortè non in omnibus Eccleſijs generaliter celebrabatur: ideo acceſsit decretum Sixti IIII. in Extrau. 1. edita anno 1466. & in 2. edita an. 1483. de reliquijs & veneratione Sanctorum inter communes: quo decreto non ſolum Romanæ Eccleſiæ authoritate præcipitur, vt dies cõceptionis B. Virginis in tota Eccleſia generaliter celebretur; ſed etiã vt omnes illũ celebrarẽt ſub officio ordinato per M. Leonardũ de Nogarolis, qđ authoritate Apoſtolica confirmauit, vt

patet ex quadam Bulla eiuſdem Sixti IIII. quæ habetur in mari magno, fol. 124. conceſſ. 272. expedita anno 1480. Et quauis in illo anno 1480. tale officiũ literarum expeditione confirmetur; antea tamen iam fuerat, à Sede Apoſtolica approbatum, vt patet ex 1. Extrau. ſupra relata, vbi Sixtus fatetur tale officium iam emanaſſe à Sede Apoſtolica ante annum 1466. Idem feſtum à Sixto toti Eccleſiæ præceptum confirmauit Alexander VI. anno 1502. 10. Kalendas Martij, vt patet ex Bulla poſita in mari magno fol. 158. pag. 2. & poſtea Tridentinum ſeſſ. 5. de peccato originali in fine: & tandem approbatur à Pio V. anno 1570. in Extrauag. *Super ſpeculam*, quæ habetur inter motus proprios huius Põtificis apud Petrum Matthęum in Summa conſtitutionum Summorum Pontificum cõſtitutione eiuſdem Pij. 45. pag. 639. Quare feſtum iſtud Conceptionis authoritate, & iuſſu Sedis Apoſtolicæ in tota Eccleſia celebratur abhinc annos cẽtum triginta ſex.

§. 5.

Secunda propoſitio.

23. *2. propoſit.* SIt ſecunda propoſitio: *Feſtum Conceptionis ab Eccleſia Romana celebratur ſub titulo immaculatæ, & ſanctæ ſanctitate præſeruatiua ab omni labe originali. Et in eodem ſenſu ſemper fuit celebratum à tempore, quo in Eccleſia primum celebrari cœpit.* Hæc propoſitio ſtatuitur, vt excludantur omnes explicationes, ſiue potius euaſiones, quibus aduerſarij eneruare conantur vim, & efficaciam argumenti, quod ex celebratione feſti Conceptionis deſumitur, quas adduximus ſupra §. 1: etenim ſi ſemel conſtiterit hoc feſtum ab Eccleſia Romana in toto terrarũ orbe celebrari ſub titulo immaculatæ, & ſanctæ ſanctitate præſeruante ipſam cõceptionem materialem, ne vllam originalem maculam contrahat, ſed pro primo inſtãti ſimul carnalis ſit, & ſpiritualis ſanctitate formali per gratiam Virgini infuſam; ſimul etiam conſtabit vanas eſſe, & inutiles explicationes adductas.

24. Quod feſtum illud authoritate, & iuſſu Romanæ Eccleſiæ celebretur ſub titulo immaculatæ, & præſeruationis ab omni macula originali, expreſſe patet ex officio Leonardi de Nogarolis, quod ab eadẽ Apoſtolica Sede emanaſſe expreſſe teſtatur Sixtus IIII. *in d. Extrau. 1. de Reliquijs, & veneratione Sanctorum inter cõmunes*, vt patet ex illis verbis: *Iuxta piam, deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magiſtri Leonardi de Nogarolis, quæ deſuper à nobis emanauit.* Et in Extrau. 2. eiuſdem tituli ita dicitur: *Cum ſancta & Romana Eccleſia ſpeciale ac proprium ſuper hoc officiũ ordinauerit.* In hoc autẽ officio hæc oratio habetur: *Deus, qui per immaculatã Virginis conceptionem dignum filio tuo habitaculum præparaſti; quæſumus, vt ſicut ex morte eiuſdem filij tui præuiſa eam ab omni labe præſeruaſti.* Quæ oratio ponitur tum in officio, tum in Miſſa; & publice ab Eccleſia decantatur. In ſecreta etiam eiuſdem Miſſæ ita habetur: *Vt ſicut ipſa tua gratia præueniente mundo hodie immunis apparuit.* In primis etiam veſperis 2. Antiphonæ ita canit: *Tota pulchra es: & macula originalis non eſt in te.* Quæ eadem verba ad finem octauæ lectionis nõ ſine tripudio, & exultatione à toto choro decantantur. In ſecundis etiam veſperis 5. Antiphona ita habet; *Hæc eſt virga in qua nec nodus originalis; nec cortex actualis culpæ fuit.* Vt omittamus in lectionibus verbis expreſſis non ſemel & iterum, ſed ſæpius affirmari *Virginem ſine vlla originali macula fuiſſe conceptam.*

Ab Eccleſia Romana celebratur ſub titulo immaculatæ. Sixtus 4.

25. *Solutio ex Medina.* At inquit Medina officium iſtud reiectum eſſe, abolitum, & antiquatũ editione noui Breuiarij, in quo feſtum Cõceptionis ſub officio natiuitatis celebrarĩ ſtatuitur. Ad hoc negandum eſt primò officium illud editione noui Breuiarij reiectum eſſe; & prohibitum: nam cum illud officium authoritate Sedis Apoſtolicæ inſtitutum fuerit; imò ab eadem Sede Apoſtolica inſtitutum dicatur â Sixto IIII. & ad diuinum cultum ab ipſa Sede Apoſtolica approbatum, & ordinatum: non potuit ab eadem Sede improbari, & vt improbatum prohiberi, aut reijci: quomodo enim improbari poteſt, reijci, & prohiberi, quod ab ipſa Sede Apoſtolica ad diuinũ cultum emanauit, & inſtitutum eſt? reprehendendus eſt

Non placet.

igitur

igitur Medina, dũ auſus eſt ſcribere Eccleſiam in ijs, quæ ad diuinum cultũ pertinent, reprobare, tanquam falſum, quod eadem Eccleſia vt pium, & verum approbauit. Quod inde, vel euidenter, confirmatur, quoniam Pius Quintus poſt noui Breuiarij editionem Ordini Minorũ iterum conceſſit, vt ſub eodem officio Leonardi feſtum Conceptionis in toto ordine publice celebraretur.

26. *Iterum impugnatur.*

Deinde dico præfatum officium nõ modo nõ fuiſſe improbatum, & reiectũ; ſed nec fuiſſe antiquatũ, ne poſſit in Eccleſia recitari; nam ſi expendamus Rubricas noui Breuiarij in cap. 1. de Officio duplici, non abolentur officia propria aliquorum feſtorum authoritate Romanæ Eccleſiæ approbata, dummodo ad normam noui Breuiarij reducantur: etenim in editione Breuiarij noui mens Summi Pontificis fuit diuinum officium reformare, atque reducere ad normam veteris Breuiarij olim à Gelaſio, & Gregorio inſtituti: vnde ſicut in Kalendario noui Breuiarij ea ſola feſta ponuntur, quæ in veteri reperiebantur; ita & illa annotantur feſtorum officia, quæ olim recitabãtur. Iam vero feſta B. Virginis, tribus exceptis, ſcilicet Purificationis, Annuciationis, & Aſſumptionis, ſub officio natiuitatis olim celebrabantur.

27. *Impugnatur tertio.*

Quibus addo, quia licet cõcederemũs officium illud per nouum Breuiarium antiquatum fuiſſe; inde tamen non bene infertur Eccleſiam Romanam nõ celebrare feſtum Conceptionis ſub eodem titulo, intentione, & ſenſu, quo antea illud celebrabat, imò adhuc idem Spiritus permanet, idem ſenſus, eadem intentio, etiã ſi ſub officio natiuitatis celebretur: nam cum Pius Quintus præcipit, vt nomen *Natiuitatis* in nomen *Conceptionis* mutetur, de eadem Conceptione id intelligit, de qua antea intelligebatur, vt bene aduertit *Bellomontanus in dicta diſp. 117. cap. 5. num. 70. & Valentia to. 4. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag. 493. & 494.* Hallucinatur igitur Medina dum ex mutatione officij in quo nomen *Natiuitatis* in nomen *Conceptionis* conuertitur, putat Pium Quintum mutaſſe feſtum Conceptionis in feſtum Sanctificationis, cui illud eſt argumento, quod idem Pius V. viua voce cõfirmauit officia propria Ordinis Minorum, vt patet ex proprijs officijs, inter quæ ponitur feſtum Conceptionis ſub proprio officio antiquo Nogarolis, mutatis ſolum lectionibus: quod ipſũ in ſingulis Sabbatis non impeditis Sũmi Pontificis authoritate celebratur; ex quo officio conſtat illud celebrari ſub titulo præſeruationis ab omni macula originali: adhuc enim in eo conceptio B. Virginis appellatur digniſſima, præſeruata, & immunis ab omni labe originali. Non eſt igitur dubitandum feſtum iſtud, Romana Eccleſia non ſolum approbante, ſed etiã inſtituente, & præcipiente, publice celebrari ſub titulo ab ipſo initio ſanctæ, immaculatæ, & ab omni labe præſeruatæ.

Bellomon. *Valentia.*

28. *Sub eodem titulo celebrabatur ante Sixtũ* 4.

Quod vero idem feſtum ſub eodem titulo, & in eodem ſenſu præſeruationis ab omni originali macula celebrauerit Eccleſia ante Sixtum Quartum, & generalem Eccleſiæ Romanæ approbationẽ, & inſtitutionem, euidenter patet ex verbis Concilij Baſilienſis in dicta ſeſſ. 36. quibus declarat Romanam Eccleſiam ab antiqua, & laudabili cõſuetudine feſtum Conceptionis inſtituiſſe ſub titulo præſeruationis ab originali peccato.

28. *Innocenti⁹* 7.

Patet etiam ex eo, quod Innocentius Septimus ãno 1403. puniuit quemdã prędicatorem Ordinis Dominicani, quod publice populo prędicauerit Conceptionem B. Virginis fuiſſe originali peccato immundam, iubens vt hanc aſſertionem publice retractaret, ex quodam *Ganguino Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Generali lib. 9: Hiſtoria Gallorum fol. 185. refert Gundiſaluus Sanches Luzero in ſuis diſcurſib. Theologicis de Conceptione Virginis in primo diſcurſu cap. 5. fol. 35. pagin. 1.* & ex decreto Ioannis primi Regis Aragoniæ edito anno Domini 1390. in quo præcepit, vt Cõceptionis feſtum in Aragonia ſub eadem immunitate cebraretur. Quod in Gallia hoc feſtum ſub eodem titulo coleretur anno 1140. euidenter docet *D. Bernardus epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunẽſes.* Denique ſub eodem ſenſu in Græcia hoc feſtum fuiſſe inſtitutum tempore D. Damaſceni anno 760. ſatis colliges ex Galatino, & Canniſio locis citatis, & ex

Ganguin. *Luzerus.*

30.

Genebrar. Genebrardo in Præfatione ad pſalmos in Kalendario Græco, vbi feſtũ intitulatur feſtũ Conceptionis B. Annæ auiæ Dei, & Chriſti.

§. 6.

Impugnãtur ſolutiones poſitæ. §. 1.

31. *Quod hoc feſtũ celebratur ſub titulo immaculatæ conceptionis.* EX hac veriſsima reſolutione infertur primo longe eſſe à mente, & ſenſu, tum Romanæ Eccleſiæ, tum aliarum Eccleſiarum, qui dicunt eam nõ celebrare feſtum Cõceptionis B. Viginis, ſed feſtum Sanctificationis eius in vtero, quandocunque illa facta fuerit; quod affirmat prima explicatio §. 1. adducta. Vel ſi conceptionem carnalem celebrat eam celebrare in ordine ad conceptionẽ ſecundum gratiam, quandocunque illa contigerit, quę fuit ſecunda explicatio: ad quam explicationẽ proximê accedit tertia, quæ affirmat ideo conceptionem celebrari, quia futurum erat, quod Virgo eſſet ſancta.

32. Omnes iſtæ tres explicationes quam longe ſint à mente, & intentione Romanæ Eccleſiæ in celebrando feſto Cõceptionis, ex dictis euidenter demonſtratur: etenim euidenter ex dictis conſtat Eccleſiam Romanam conceptionem ipſam carnalem B. Virginis ideo celebrare, quia præſeruata fuit, & prorſus immunis ab omni contractione originalis maculæ: quomodo igitur celebrat Conceptionẽ ſub titulo Sãctificationis in vtero abſtrahendo à tempore in quo facta fuit? etenim gratia, & ſanctificatio præſeruatiua ab omni macula originali materiali conceptioni conuenire non poteſt, niſi in primo eſſe infuſionis animæ, in quo B. Virgo primo fuit homo, & primo genita, ita vt primum eſſe Virginis fuerit primum eſſe Sanctificationis eius. Quomodo igitur, Eccleſia Romana in hac celebratione abſtrahit à contractione, vel nõ contractione originalis peccati? quare explicationes iſtas (omnes enim in idẽ coincidunt) merito reiecit *Suarius in d. diſp. 3. ſect. 5. pag. 39. col. 2. in fine, & Gandiſaluus Luzero in primo diſcurſu citato pagina 36.* Suar, Luzero.

33. Quod efficacius oſtenditur ex Bulla (non quidem Alexandri Sexti, vt male refert Cordubenſis) ſed Sixti Quarti, quæ incipit *graue nimis*: non illa, quæ eſt Extrauag. 2. ſub titulo de reliq. & veneration. Sanctorum expedita anno 1583. pridie nonas Septembris anno ſui Pontificatus 13. ſed alia, quæ eodem modo incipit, expedita anno 1482, anno ſui Põtificatus 11. cuius verba fideliter refert *Cordubenſis in dicta q. 44. pag. 360. colu. 2.* & ante eum eadem verba refert compendium priuiligiorum fratrum Mendicantium ad verbum conceptio Virginis nu. 6. Et quãuis illa verba nõ haberi in lib. qui monumenta ordinum inſcribitur affirmet *Bellomontanus in dicta diſpu. 117. cap. 5. num. 68.* vbi affirmat ſe illa verba non inueniſſe, vere tamen in eo libro habentur, & ea inueniret, ſi omnes Bullas Sixti Quarti diligenter euolueret: ego enim poſt longum laborem ea in præcitato libro inueni ſecundæ impreſsionis trac. 1. & eã ponit Emmanuel Rodrig. in lib. 1. Bullar. Bulla 17. inter Bullas Sixti 4. In ea igitur Bulla quæ incipit: *graue nimis*, idẽ Sixtus 4. inſurgens contra eos, qui non ignari, quod Sancta Romana Eccleſia celebrat B. Mariæ Conceptionem, & publicum officium de tali feſto instituerit, aſtante magna populi multitudine publice affirmarunt, eos eſſe hæreticos, qui tenebant, & affirmabant B. Virginem abſque originali macula fuiſſe, & inſuper dicebant Romanam Eccleſiam ſolã ſpiritualem Conceptionem eiuſdem B. Virginis celebrare: contra iſtos (inquã) ita ſcribit: *Nos igitur huiuſmodi temerarijs auſibus, & peruerſis à veritate penitus alienis aſſertionibus, & ſcandalis, quæ ex inde in Eccleſia Dei oriri poſſent, quantum nobis ex alto conceditur obuiare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiã, ſed de noſtra mera delibetione huiuſmodi aſſertiones prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent eandem Sanctam Romanam Eccleſiam de ſpirituali dũtaxat Conceptione, & Sanctificatione eiuſdem Virginis glorioſæ feſtum celebrare, & eos, qui crederent, & tenerẽt eandem Dei Genitricem ab originali peccati macula in ſua conceptione præſeruatam fuiſſe propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore; vtpote falſas.* Confirmatur ex quadam Bulla Sixti 4. Cordub. Bellom. 34. Verba bullæ Sixti 4.

& erroneas & à veritate alienas; editosq; deſuper libros prædictos id continentes authoritate Apoſtolica præſentium tenore reprobamus, & damnamus. Et inde ſententiã excommunicationis imponit eis, qui præcitatas damnatas, & reprobatas aſſertiones aſſeruerint. Ex quo Põtificis teſtimonio euidenter conſtat Eccleſiam Romanam in hoc Conceptionis feſto non celebrare Sanctificationẽ B. Virginis in vtero, abſtrahendo à tempore, quo illa facta fuit; & ſubinde abſtrahendo ab hoc quod fuerit vel non fuerit cõcepta in peccato originali, ſed celebrare ſanctificationẽ præſeruatiuam ab omni originali labe.

Celebratur ſub titulo immaculatæ.

35. Cũ vero hæc præſeruatiua ſanctificatio non potuerit conuenire, niſi in ipſo primo inſtanti materialis conceptionis; quando .ſ. anima primo infunditur; euidenter colligitur Eccleſiam Romanam formaliter celebrare materialem cõceptionem ſub titulo immaculatæ, & puræ ab omni originali macula. Et cum idem Sixtus 4. author fuerit talis celebrationis, ſimiliter & ordinationis officij à Leonardo de Nogoralis confecti; non eſt quod dubitemus Romanam Eccleſiam feſtum Conceptionis celebrare ſub titulo immaculatæ, & immunis ab omni originali culpa.

36. *Iterum cõfirmatur.*

Quodadeo verum eſt. vt idem Sixtus IIII. in prædicta Bulla damnet vt falſam, & erroneã, & à veritate alienam aſſertionem affirmantem *Romanam Eccleſiam feſtum Conceptionis celebrare de ſola ſpirituali Conceptione, & Sãctificatione.* Imo hanc aſſertionem notat eadem cenſura, & damnatione, qua notatur aſſertio, quæ affirmat hæreſim eſſe aſſerere B. Virginem à peccato originali fuiſſe immunẽ: & ſicut excommunicat, qui hanc poſteriorem affirmauerit; ita etiam excõmunicat eos, qui dixerint Romanam Eccleſiam in feſto Conceptionis ſolum celebrare Conceptionem ſpiritualem, & ſolam Sanctificationem. Hanc Sixti IIII. cõſtitutionem in ſuo permanere vigore nullus dubitare poterit; tum quia hactenus à nullo Summo Pontifice abrogata eſt: quin potius expreſſe & cõfirmatur, & renouatur à Concilio Tridentino ſeſſ. 5. de peccato origin. quatenus in vltimis verbis ſcribit: *Obſeruandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ Quarti ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas innouat,* ex quibus verbis patet Concilium approbare, & renouare non ſolũ illam conſtitutionem eiuſdẽ Sixti IIII. quæ ponitur in Extrauag. 2. de reliquijs, & veneratione Sanctorum inter communes; ſed iſtam alteram duobus ante hanc fere annis editam; ſiquem approbat, & ronouat Conſtitutiones Sixti Quarti in plurali, non quaſcumque, ſed illas, in quibus imponuntur pœnæ cõtra eos, qui dixerint hæreſim eſſe tenere, quod B. Virgo ſine originali concepta fuit, aut peccare mortaliter, qui feſtum Conceptionis celebrauerit. Iam vero in Extrauag. eiuſdem tit. quæ incipit *cum præexcelſa*, nihil agitur de hac controuerſia; nec vllæ imponuntur pœnæ citra explicatas aſſertiones; ſed ſolum conceduntur indulgentiæ celebrantibus tale feſtum. Nõ eſt igitur dubitandum Tridentinũ duas Sixti IIII. conſtitutiones & confirmare, & innouare ſub pœnis in vtraq; contẽtis. Quare opinio Caietani, & Medinæ, & aliorum, qui primam, ſecundam, & tertiã explicationem defendunt poſt præcitatam Sixti conſtitutionẽ, ab omnibus eſt reprobanda, vt falſa, erronea, & à veritate aliena, vt bene aduertit Cordubenſis in d. q. 44. pag. 360. col. 1. §. *Sed contra.* Nec cõtradiceret Bellomontanus, ſi præcitam conſtitutionem videret, & legeret. Vnde ſi D. Thomas, Ægidius, & cæteri poſt hanc Sixti conſtitutionem viuerẽt, talem explicationem non probaſſent. Quin potius idem facerent Caietanus, Medina, & alij ſi illam conſtitutionem legiſſent: vnde ab excommunicatione propter ignorantiam poſſunt excuſari: puto tamen talem aſſertionem, aut delẽdam ab eorum libris, aut in margine annotandam fore: quod iudicio Sedis Apoſtolicæ relinquo.

Non poteſt defendi explicatio Caietani, & Medinæ.

Secundo infertur quartam explicationem longiſsimê abeſſe ab intentione tum Romanæ Eccleſiæ, tũ aliarum: etenim Romana Eccleſia in Extrauag. 1. & 2. Sixti Quarti ſub titulo de reliq. & venerat. Sanctorum fatetur ſe feſtum Conceptionis B. Virginis intemeratæ publicé 37.

Nõ poteſt defendi 4. ſolutio.

blicè celebrare, & ad hoc proprium ordinaſſe officiū: cū vero in illo officio cōceptio, quæ celebratur, appelletur ſancta, ab omni originali vitio præſeruata, nō poteſt ſine temeritate dici Conceptionem B. Virginis non celebrari ratione ſanctitatis, ſed ſolum in gratiarum actionem,

38. *Alia impugnatio.* quod concepta ſit, quæ futura eſt Mater Dei: huic enim explicationi reſiſtit ſenſus omnium fidelium, qui conceptionem illam, vt penitus ſanctam, & immaculatā celebrant. Deinde euidenter reſiſtunt verba Sixti Quinti in prima Extrauag. dum explicans fundamentum Eccleſiæ ad celebrandum illud feſtū ita ait: *Dignum, quin potius debitum reputamus vniuerſos Chriſti fideles, vt omnipotenti Deo de ipſius immaculatæ Virginis mira conceptione gratias, & laudes referāt, & inſtitutā in Dei Eccleſia Miſſam, & alia officia dicant, & illis interſint.* Quæ verba explicationem illam directe impugnāt: etenim celebratio Conceptionis ideo ab Eccleſia inſtituta eſt, vt Chriſti fideles gratias, & laudes referamus de Conceptione B. Virginis, non ob eam rationem, quod cōcepta ſit illa, quæ futura eſt Mater Dei (vt authores illi errando dicunt) ſed ob hanc potius; *quia illa conceptio in ſe mira eſt, & Virginis immaculatæ.* Quam cauſam explicat Eccleſia tum in Miſſa eiuſdē feſti, tum in illius officio. Tertio accedat colle-

3. *Impugnatio.* cta, quę in omnibus fere Eccleſiis hoc feſtum celebrātibus habetur in hæc verba: *Cuius Sanctam Conceptionem te iubente celēbramus in terris*

4. *Impug.* Quarto accedat conſtitutio eiuſdem Sixti edita ante conſtitutionem ſecundam, quatenus damnat aſſertionem, *quod Eccleſia Romana ſolum celebrat Conceptionem ſpiritualem B. Virginis.*

39. Admittit igitur in hoc feſto celebrari ſpiritualem B. Virginis Conceptionem; non tamen ſolam, quia etiam celebratur ipſa materialis conceptio, non abſolute, ſed vt ſancta fuit. Cum vero hoc ipſum tanquam certum conſtituat, imò oppoſitum damnet; non poteſt non damnari aſſertio, quæ affirmauerit conceptionem

5. *Impug.* iſtam à Romana Eccleſia non celebrari ratione ſanctitatis. Accedat etiam; quia ex doctrina Sanctorum dies feſti non inſtituūtur in Eccleſia, niſi ratione alicuius ſanctitatis, quæ aliquo modo ſit in re, quę celebratur, ratione cuius Deo gratias agamus, & laudes offeram⁹, vt modo ſupponimus. Poſtremo accedit: quoniam

Poſtrema impugna. nullam legimus feſtiuitatem ab Eccleſia conſtitutam, ob ſolam officij futuri deſtinationem, vt contra eundem Bellarminum iam oſtendimus *lib.1.q.2. artic.3.§.5.num.30.* ¶ Quare hanc explicationē merito non admiſerunt *Suarius 2.tomo diſp.3.ſect.5.pag.39.colum.2.B. nec Cordubenſis in d.q.44.pag.361. colu.1.* vbi hanc expoſitionem nō ſolum appellat friuolam, ſed etiam erroneam, fundamentum ſumens ex verbis Sixti ſupra citatis. *Suarius. Corduben.*

Tertio infertur nullum iam relinqui locum quintæ ſolutioni, quæ ad hoc cōfugiebat, quod Eccleſia Romana feſtum Conceptionis celebrabat: conſtat enim Romanam Eccleſiam à tempore Sixti 4. non ſolum ſumma cum ſolennitate publice celebrare tale feſtū, ſed etiam præcipere, vt in tota Eccleſia ſolennitas celebretur, idque indulgentiarum largitione omnes fideles inuitandó, vt huic celebrationi interſint, vt patet ex Extrauag.1. de reliq.& veneration. Sanctorum, & ex Bullis Iulij ſecundi, & Leonis X. quas inuenies in compendio priuilegiorū verbō *Conceptio.* Vtrûm vero Eccleſiæ particulares poſſent inconſulta Apoſtolica Sede hoc feſtum celebrare? ſtatim expendemus in 6. & vltima propoſitione. 40. *Nō recipitur 5. Solutio.*

Sexta, & poſtrema ſolutio contra authores aliarum ſolutionum admittit Eccleſiam Romanam Conceptionem celebrare ſub titulo immaculatæ, & præſeruatiuę ab omni originali macula: negat tamen mentem Eccleſiæ eſſe hanc conceptionis præſeruationē celebrare tāquā certam, ſed ſolum tanquam probabilem: quod tamen eſſe falſum euidenter cōſtabit ex ſequenti tertia propoſitione. 41. *Nec ſolut. 6.*

§. 7.
Tertia propoſitio.

SIt tertia propoſitio: *Negari non poteſt Eccleſiam Romanam, dum feſtum Conceptionis celebrat ſub titulo immaculatæ, & dum pluribus conceſſis indulgentijs iubet, vt in tota Eccleſia celebretur, ſaltem* 42. 3. *Propoſitio.*

declarare

declarare longe veriorem, & probabiliorem eſſe opinionem, quæ aſſerit B. Virginem ſine peccato originali fuiſſe cõceptam. Diximus *ſaltem declarare, &c.* quia in propoſitione quinta oſtendemus prçcitatam opinionẽ authoritate Eccleſiæ habendam eſſe vt ſimpliciter veram, & certam, & nullo modo falſam: ſed vt gradatim procedamus pro improbanda aduerſariorum opinione, qui oppoſitum docent, modo in fauorem ſecundæ ſententiæ hanc propoſitionem tertiam ſtatuimus.

43. *Poſt Sixtũ non poteſt negari.* Hæc propoſitio poſt conſtitutionem Sixti Quarti, & approbationem Cõcilij Tridentini, Alex. 6, & Pij V. non poteſt ſine ingenti temeritate negari: etenim ſi poſt conſtitutionem Sixti editã anno 1482. anno 11. ſui Pontificatus ſine ingenti temeritate, & errore, imô ſine excommunicationis cenſura negari non poteſt Romanam Eccleſiam celebrare feſtũ Conceptionis, nõ tantum ſpiritualis; ſed etiam corporalis ſub titulo immaculatæ, vt in præcedẽti propoſitione corollario primo oſtendimus; quomodo non erit plusquam temerarium negare veriorem eſſe, & longe probabiliorẽ opinionẽ, quç B. Virginem à peccato originali liberat? Quis enim ſine ingenti, nõ dico temeritate, ſed audacia affirmabit maioris authoritatis eſſe Caietanũ, Medinã, cæterosq; aduerſarios, qui illi opinioni contradicũt, quam ſit authoritas Romanæ Eccleſiæ, non quidem diffinientis, ſed ſine diffinitione ſimpliciter affirmantis B. Virginẽ ab originali macula fuiſſe immunẽ? Etenim ex doctrina *D. Thomæ 2.2. q. 10. ar. 12. magis ſtandum eſt authoritati Eccleſiæ, quam authoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cuiuſcumque Doctoris.* (*D. Thom.*) Quæ doctrina non eſt intelligenda de authoritate Ecceleſiæ, quç rei diffinitionem continet (hæc enim non eſt comparanda cum authoritate, aut Auguſtini, aut Hieronymi, ſed ne cũ cõmuniori Patrũ ſententia, ſi forte oppoſitũ docerent) ſed eſt intelligenda de authoritate Eccleſiæ abſq; vlla diffinitione approbatiua alicuius veritatis, hæc enĩ etiã anteponẽda eſt authoritati Patrum, ſi fort (quod tamen nõ eſt ad mittendum) communiori calculo in oppoſitum cõuenirent: vnde Innocentius

44.

Primus in prima Epiſtola ad Decentium Epiſcopum ſatis eſſe cẽſuit certos quosdam ritus obſeruari in Romana Eccleſia, vt prædictus Epiſcopus ad eum modum & ritum ſuam Eccleſiam componeret. Quare cum Romana Eccleſia Cõceptionem corporalem B. Virginis tanquam ſanctam, & immaculatam celebret, & in toto orbe celebrandam prçcipiat; & omnes fideles ad illius celebrationem indulgentiarũ largitione alliciat, quis negabit Romanam Eccleſiam non ſolum declarare ſe illam veritatem, vt vere piam tenere, & vt ab omnibus pia teneatur, non ſolũ præcipere, ſed etiam omnibus eam, vt piè tenendam perſuaderet? etenim Romanã Eccleſiam Conceptionem ſub titulo ſãctæ & immaculatæ publice celebrare, quid aliud eſt, quam declarare ſe illã veritatem pie credere? quid aliud eſt Eccleſiã Romanã præcipere, vt illa conceptio ſub nomine ſanctæ in toto terrarũ orbe ſolẽniter celebretur, quã õnes fideles docere, vt illam veritatem tanquam vere pijſsimam credant? Denique quid aliud eſt Romanam Eccleſiam indulgentias concedere omnibus, qui diuinorum officiorum celebritati huius Conceptionis perſonaliter interfuerint, quam omnes fideles inuitare, & inuitando allicere, & alliciendo perſuadere, vt hanc veritatem toto corde amplectantur? Porrò ſi Eccleſia Romana (quæ eſt omniũ Eccleſiarum & fidelium magiſtra) hanc veritatẽ docet, & vt piam præcipit, atque perſuadet, qui fieri poteſt vt illa veritas non ſit lõgê verior, certior, & probabilior? quis enim erit, qui piam Eccleſiæ opinionem in re ad diuinum cultum ſpectante non anteponat opinioni Bandelli, Caietani, Medinæ, & aliorum, qui oppoſitum docent? Nam ſi authoritas Romanæ Eccleſiæ anteponenda eſt Auguſtino, Hieronymo, & alijs Patribus, vt D. Thomas docet, vtique ipſe D. Thomas, ſi hãc Eccleſiæ doctrinam videret, non ſolũ eam ſuæ anteponeret, vt longe probabiliorẽ, ſed etiam, ſua penitus relicta, huic toto corde pie adhæreret. Nam & *D. Bernardus in d. Epiſtola 174.* in hac controuerſia iudicio Eccleſiæ ſe ſubiecit: nam dum ingenue fatetur ſe approbare, & ſecurũ

Confirmatur. — 45. — 46. *Nota ex Bernardo.*

tenere

tenere omnes feſtiuitates, quas ab Eccleſia accepit, vtique hanc etiã indubitãter, & ſecure approbaret, & doceret, ſi videret eam ab Eccleſia Romana recipi, approbari, præcipi. Et hoc ſatis conuincit, quod ſanctiſsimus Pater Bernardus hãc Conceptionis celebritatem in Eccleſia Lugdunenſi receptam ideo non admiſit, quia non erat Romanæ Eccleſiæ authoritate approbata: *nulla* (inquit in dicta

D. Berna. Epiſtol. 174.) *ratione placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta nouitas: nam ſi ſic videbatur; conſulenda erat prius Apoſtolicæ Sedis authoritas, & non ita præcipitanter, atq; inconſulte paucorum ſequenda ſimplicitas, & imperitia.* Vnde in fine Epiſtolę ita concludit: *quæ autem dixi abſque præiudicio ſane dicta ſint ſanius ſapientis, Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati, atque examini totum hoc, ſicut, & cætera, quæ huiuſmodi ſunt vniuerſa reſeruo: ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus iudicio emendare.* Iam quæſo

47. *Mutarẽt ſẽtentiam.* pie Lector, expendas, quid faceret Sanctiſsimus Bernardus, ſi ſciret, & videret Conceptionis feſtiuitatẽ non modo authoritate Sedis Apoſtolicæ celebrari; ſed omnes ab eadem Sede ad eam celebrandam largitionibus indulgentiarum inuitari? vtique huius argumenti efficacia relicta priori ſententia, hanc veritatẽ toto animi conatu, & deuotione, non ſolum amplecteretur, ſed publicé, & indubitanter eam doceret.

48. *Similiter & D. Bonau,* Cũ D. Bernardo conſentit *D. Bonau. in 3. d. 3, ar. 1. q. 1. n. 13. ideò enim nõ audet approbare ſolennitatẽ Cõceptionis; quia S. Patres, qui alias eiuſdem B. Virginis feſtiuitates Spiritu Sancto docente ſtatuerunt, hanc illius feſtiuitatem non docuerunt.* Quibus verbis ſatis ſignificat ſe B. Virginis immunitatem libentiſsime prædicaturum, ſi Eccleſia Romana ſuo tempore ſub titulo immaculatæ inſtituiſſet illius feſtum, & approbaſſet; quia ſciebat Eccleſiam Romanam Sanctorum feſtiuitates, niſi Spiritu Sancto docente, non inſtituere. Cum D. Bernardo, D. Thoma, & D. Bonauentura omnes illi Scholaſtici conueniunt, qui ideo contrariæ opinioni adhæſerũt, quia Conceptionis feſtum non dum Romana habebat Eccleſia; quod ſi haberet; vtique tantæ authoritati cederent: ſcribũt enim eam non poſſe celebrare, niſi quod pietati Chriſtianæ conſonum eſt.

Hæc tam late diximus, vt oſtẽderemus ſuppoſita Sixti IIII. declaratione, quod Romana Eccleſia in die Cõceptionis non ſolum celebrat conceptionẽ ſpiritualem ſecundum gratiam, ſed materialem, & corporalem ſub titulo immaculatæ: ſuppoſito etiam quod idem Sixtus reprobat & damnat, imò etiam excommunicat, qui oppoſitum affirmauerit: nõ ſolum negari non poſſe opinionem, quæ B. Virginem à peccato originali facit immunẽ, ipſius Eccleſiæ authoritate eſſe certiorem, & longe probabiliorem, quã oppoſitam, vt late oſtendimus: ſed nullo modo oppoſitum defendi poſſe: quomodo enim dici poteſt magis probabile, cuius oppoſitum Romana Eccleſia (quæ eſt omnium magiſtra) tanquam pium cultum fouet, tenet, docet, & perſuadet? Nam cum probabilitas opinionum maximè pendeat ex authoritate aſſerentiũ, vt notiſsimum eſt in philoſophia; vtique illa opinio erit probabilior, quæ aſſertorem habet ſummæ & indubitatæ authoritatis: quare cum opinio, quæ Conceptionem, vt vere immaculatam defẽdit, authoritate Romanæ Eccleſiæ abſque dubio nitatur, vt ex dictis patet, quæ aliarũ Eccleſiarum, & omnium Doctorum eſt magiſtra; vtique ex hoc ſolo capite longe probabilior, & certior cenſenda eſt, quam oppoſita; maximè in rebus ad diuinum cultum pertinentibus, in quibus omnes ab ea edocemur, & illa à Spiritu Sancto. Sed de hoc iterum in quinta propoſitione §. 10. 49. *Negari nõ poteſt noſtram ſentẽtiam eſſe lõge probabiliorẽ.*

50. *Nõ admittuntur aduerſarij.* Quod noſtrũ fundamentum ſatis eſſe deberet Caietano, Medinæ, & reliquis aduerſarijs, vt dicerent noſtram ſententiam longe eſſe ſua certiorem, veriorem, & probabiliorem: Nam ſi teſte eodem *Caietano 3. p. q. 74. ar. 3.* Theologi venerabiliter, & cum ſumma obſeruantia recipiunt & defendunt particulares aliquarũ Eccleſiarum conſuetudines, & obſeruantias (quæ videntur à via cõmuni deflectere) propter Spiritus Sancti aſsiſtentiã, qua Eccleſijs adeſt; perfecto dignũ erat; imò & debitum, vt Caietanus, Medina, & aduerſarij Eccleſiæ Romanæ obſeruãtiam Caietan.

D.Thom. tiam,& cultũ Conceptionis immaculatæ
defenderẽt:cũ teſte *D.Thom.3.p.q.93.ar.*
1.ad 3. nulla Eccleſiæ Romanę obſeruã-
tia veritati repugnet, vt in 5.propoſitio-
ne oſtendemus. Quomodo igitur Caieta-
51. nus in d.trac. de Cõceptione Virgin. ad
finẽ §. *Ex omnibus autẽ dictis* auſus eſt ſcri-
bere probabilẽ eſſe opinionẽ, quæ docet
B. Virginem peccatũ originale habuiſſe,
Reprehenditur Caietani audacia. tolerabilẽ vero, quę docet illã ab eo fuiſ-
ſe præſeruatã? Quomodo enim ſolũ tol-
lerabilis eſt doctrina, quã Romana Eccle-
ſia, vt vere piã tenet, docet, & perſuadet?
Sed audacius loquitur Caietan. eodẽ lo-
co, dũ aſſerit opinionẽ, quæ B. Virginẽ
facit immaculatã, ſolũ eſſe ꝓbabilẽ apud
eos, qui Theologiæ Sanctorũ Patrũ nihil
habẽt: nam cũ Eccleſia opinionem illam
teneat & doceat, quis, niſi temerarius di-
cet Eccleſiam Romanam parum habere
de Patrum Theologia? ſed non mirum,
quod audaciæ damnetur, qui falſitatis
iam damnatus eſt, dum affirmat immu-
nitatẽ B. Virginis nullũ ex Patribus ha-
bere; ſed omnes eſſe pro ſe: hoc enim fal-
ſiſsimũ eſſe late oſtẽdimus ſupra q.4. per
omnes articulos, præſertim in 5. art. De-
52. Dici nõ poteſt noſtrã ſentẽtiam non continere verã pietatem. niq; reprehendendi ſunt, imò aliqua dã-
nandi cenſura, qui poſt publicã feſti Con-
ceptionis authoritate Romanæ Eccleſiæ
inſtitutionẽ ſcripſerunt ſententiam, quæ
immunitatẽ B. Virginis defendit, non cõ-
tinere veram pietatẽ, ſed exiſtimatã: ad
quos videtur accedere Caietan. loc. citat:
dũ ait pietatẽ huius opinionis, pietatem
quidẽ eſſe, ſed ñ ſecundũ ſcientiã, ſed ſolũ
ſecundũ vocatã pietatẽ: quis enim, niſi in
meridie cæcutiat, negabit in hac re potius
ſtandum eſſe iudicio Eccleſiæ Romanæ,
quæ omniũ Eccleſiarũ eſt mater, & om-
niũ magiſtrorũ magiſtra, quã iudicio Ca-
ietani, Medinæ, & Bãdelli? enim vero ex
D.Thom. *D.Tho.2.2.q.10.ar.12.* Eccleſię cõſuetu-
do, & authoritas ęmulãda eſt, & ſequẽda;
imò etiã prępõnenda authoritati, & iudi-
cio Auguſt. Hieron. & aliorũ Patrũ: quę
doctrina nõ ſolũ vera eſt in ijs, quæ Eccle
ſia Romana ſimpliciter, & abſolute docet
(in his enim eſt colũna veritatis, cui om-
nes adhærere tenemur) ſed etiã in ijs, quę
piè tantum veneratur & colit, vt dicemus
in quinta propoſitione.

§. 8.

Quarta propoſitio.

SIt 4.propoſitio: *Romana Eccleſia, dũ* 53. Non diffinitur de fide.
celebrat B.Virginis Cõceptionẽ ſub titulo
immaculatæ, non diffinit, tanquã de fide
eã fuiſſe immaculatã, & abſq; omni peccati
originalis labe, Hæc propoſitio eſt indu-
bitata: quoniã eadẽ Romana Eccleſiã, quę
talẽ celebrationẽ ſub illo titulo inſtituit,
expreſſe declarat neutrã illius cõtroueſię
partẽ à Romana Eccleſia de fide eſſe dif-
finitã, vt patet ex conſtitutione Sixti 4.
ſupra citata in Extrau. *Graue nimis* de re-
liq. & venerat. Sanctorũ inter cõmunes.
Idẽ ſatis declarauit Alexand.6. in Bulla, Alexd.6.
quæ incipit *illius qui ſe*, quæ cõſtitutionẽ
Sixti 4. cõfirmat, dũ prohibet nonnullas
propoſitiones, donec per Sedẽ Apoſtoli-
cã aliter deciſum fuerit, & ordinatũ. Idẽ Pius.5.
declarat Pius 5. in Bulla, quæ incipit *Su-*
per ſpeculã, in illis verbis *cæterũ quãdiu per*
Apoſtolicã Sedem altera pars diffinita non
fuerit, & oppoſita ſentẽtia condẽnata. Vnde
liberam cuiq; facit facultatẽ opinãdi hu-
ius controuerſiæ quamlibet partẽ, prout
vel magis piam, vel magis probabilẽ eſſe
iudicauerit. Idẽ ſatis expreſsit Trid. ſeſſ. Trident.
5. de peccato originali, dũ in propoſitio-
nibus vniuerſalibus fidei de propagatio-
ne peccati originalis in õnes Adami po-
ſteros nõ vult Virginẽ cõprehendere: ita
ſignificãs, non dũ hoc ab Eccleſia diffini-
tũ eſſe. Quare cũ Romana Eccleſia ex-
preſſe declaret neutrã controuerſiæ par-
tẽ ab Eccleſia diffinitam eſſe de fide, ſatis
conuincitur eandẽ Eccleſiã, dũ Concep-
tionis feſtiuitatẽ inſtituit, nõ diffinire tã-
quã de fide eã fuiſſe ſanctã, & immacula-
tam. In hac igitur propoſitione omnes
ſine vlla dubitatione conueniunt.

§. 9. *Quinta propoſitio.*

SIt 5.propoſitio; *Eccleſia Romana dũ* 54. Eſt certa, & nullomodo falſa.
ex certa ſcientia Cõceptionẽ B.Virginis
ſub titulo immaculatæ, & ab omni labe
originali immunem celebrat: ſtatuit, & de-
clarat ſententiã, quæ tenet B. Virginem ſi-
ne originali fuiſſe conceptam non ſolum ſim-
pliciter eſſe veram; ſed ita eſſe certam,
vt à parte rei nullo modo ſit falſa. Hanc
propoſitionem ſtatuimus pro 3. ſen-
tentia poſita §.2, quã in terminis probat
Suarius ibi citatus, dũ ex eo, quod Roma-

na Eccleſia B. Virginis Cōceptionē ſub
titulo immaculatæ celebrat, concludit *nō*
Suar. *eſſe piū credere Eccleſiā in re tā graui decipi,*
aut falſo niti fundamēto. Porrò ſi nō eſt piū
credere Romanā Eccleſiā in hoc decipi, &
falſo fundamēto niti; vtiq; ex p̄citata cele
britate bene infert, a parte rei certū eſſe,
& nullo modo falsū, cōceptionē B. Virg.
Corduben. fuiſſe ōni ex parte mūdā. *Cordu. etiā ibid.*
citat⁹ expreſſe ꝓbat noſtrā ꝓpoſitionē,
dū ex præcitata Cōceptionis celebritate
infert, immunitatē illius ita eſſe certā, vt
oppoſitū ſit erroneum, & impia blaſphe-
mia, vt patet *ex d. q. 44. pag. 360. col. 2. &*
Morales. *pag. 359. pag. 2.* Satis ad eā accedit *Petrus*
Moral. dum ex eadē feſtiuitate affirmat
neminē poſſe recta ratione aliter ſentire:
Bellarm. deniq; ad hanc propoſitionē ſatis accedit
Bellarm. dū ex illa celebritate affirmat ſe
nihil dubitare conceptionē fuiſſe ſanctā.

Prima Confirmatio.

55. 1. Cōfirmatio. ¶Hęc propoſitio ex eo primū cōfirmari
poteſt, quoniā ex feſto natiuitatis B. Vir-
ginis ab Eccleſia Romana inſtituto, &
celebrato omnes tam Patres, quā Theo-
logi efficaciter deduxerūt, veriſsimū eſſe
& certiſsimū, & nullo modo negandū, B.
Virginē ex vtero matris ſine originali
natā eſſe. Ergo ex feſto Cōceptionis inſ-
tituto, & celebrato authoritate Eccleſiæ
Romanę efficaciter deducetur, veriſsimū
eſſe, & certiſsimū, & nullo modo negan-
dū, B. Virginē ſine originali fuiſſe in vte-
ro conceptā. Huius argumēti antecedēs
Probatur antecedēs. euidenter probatur ex Patribus, & Scho-
S. Ildephōſus. laſticis: nā *Ildephonſ. Toletan. in lib. de per-*
petua virginitate Virginis to. 9. bibliot. Pa-
trū pag. 681. ex publica celebritate autho
ritate Eccleſię facta infert, veriſsimū eſſe,
B. Virginē ſine peccato originali natam
eſſe; ita enim ſcribit: *ſed quia eius natiuitas*
tam ſolēniter colitur; conſtat ex authoritate
Ecleſiæ, quod nullis, quādo nata eſt, ſubiacuit
delictis: quæ verba ſunt diligenter expē-
denda: fatetur enim immunitatem Na-
tiuitatis B. Virginis conſtare, non quo-
cumq; modo, ſed ex Eccleſiæ authorita-
te, quia authoritate eiuſdē Eccleſiæ eius
56. natiuitas ſolēniter colitur. Idē etiā ante-
D. Berna. cedēs ſatis confirmat *D. Bernard. in Epiſt.*
174. ad Canonicos Lugdunenſes 2. to. pag.
206. ita inquiens: *ego quod ab Eccleſia ac-*
cepi ſecurus & teneo, & trado: accepi ſane ab
Eccleſia, illū diem cum ſumma veneratione
colendū, quo aſſumpta eſt de ſæculo nequam:
ſed & ortū Virginis didici in Eccleſia, & ab
Eccleſia indubitāter haberi feſtiuū ac ſanctū,
firmiſsime cū Eccleſia ſentiens, in vtero eam
accepiſſe, vt ſancta prodiret: quæ etiā verba
euidenter declarāt, D. Bernard. ideo fir-
miſsime ſentire, quod B. Virgo ex vtero
ſancta prodiuit, q̄a indubitāter agnouit,
Eecleſiā diem illū habere feſtiuū. Et in-
ferius agens de eadē Virginis natiuitate,
addit: *Nec fallitur omnino Sancta Eccleſia*
ſanctū reputans ipsū natiuitatis eius diē, &
omni anno cū exultatione vniuerſæ terræ vo-
tiua celebritate ſuſcipiens. Si Eccleſia non
fallitur (vt vere nō fallitur) celebrando
natiuitatē Virginis, vtiq; ex ipſa celebri-
tate efficaciter colligitur, veriſsimū eſſe,
& omnino certū, quod B. Virgo ſine vllo
originali peccato orta eſt. Hoc ipſū ſatis
colligitur ex *D. Thom. 3. p. q. 27. art, 1. in* D. Thom.
argum. ſed contra; vbi ex eo quod Eccleſia
natiuitatē B. Virginis celebrat, infert cer-
tū eſſe natiuitatē illius fuiſſe ſanctā. In quo
conueniunt fere omnes Theologi, ſaltē
nouiores. Patet igitur antecedens noſtri
argumēti eſſe veriſsimū. ¶ Cōſequentia
vero ſatis videtur nota, quia nulla ratio
diſcriminis aſsignari poteſt, cur ex feſto
natiuitatis B. Virginis efficaciter deduca-
tur immunitas natiuitatis ex vtero; ex
feſto autē Cōceptionis efficaciter nō de-
ducatur īmunitas cōceptionis in vtero; in
hoc ſenſu, vt eā fuiſſe ſine originali, non
ſolū ſit magis probabile, ſed a parte rei
certiſsimum ſit, & omnino tenendum.

Huic tn̄ argumento poſſunt aduerſa- 57.
rij occurrere cū *Bellomont. 2. to. ad 3. p. d.* Refertur
117. c. 5. n. 57. §. Primo autē: & ad finē c. n. ſolutio ad-
72. non valere cōſequentiā à feſto natiui- ſariorum.
tatis ad feſtum cōceptionis: & ratio eſt: Bellomon.
quoniā Eccleſia Romana feſtū natiuita-
tis inſtituit ſimpliciter, & citra vllā con-
trouerſiā credens, & docens B. Virginē
in vtero ſanctificatā ſine peccato origina-
li natā fuiſſe ex vtero. Iā vero in feſtiui-
tate iſto modo iſtituta ſimpliciter, & abſo
lutę infertur natiuitatē ipsā fuiſſe ſanctā
& immaculatā. At vero Eccleſia Roma-
na, ſicut non ſimpliciter credit, aut do-
cet, Cōceptionē B. Virginis fuiſſe ſanctā

cum

cum id non dū de fide diffiniret; ita etiā Cōceptionis feſtū inſtituit non tanquam indubitatū, & de fide certū, ſed vt magis piū, magisq; probabile: & inde eſt vt à celebritate natiuitatis certo & infallibiliter colligatur eā ſine originali natā; ex celebritate vero Cōceptionis nō infallibilis certitudo inferatur, quod fuerit Sācta, & immaculata; ſed ſolū, quod hoc magis ſit pium magiſq; probabile, quā oppoſitū: & in hoc cōuenire debent authores 2. ſententiæ, quam §. 3. retulimus. ¶ Hæc ſolutio in ſe ipſa ſatis videtur apparens; ineſficacia tamen illius apparebit ex ijs, quæ in ſequenti argumento dicemus.

58. 2. Cōfirmatio. *Secunda confirmatio efficacior.*

¶ Vt igitur præcitatę ſolutionis inefficacia appareat ſecundā confirmationē ſumemus ex eo, quod Eccleſia Romana in celebrandis Sāctorū feſtiuitatibus errare nō poteſt: ſed Eccleſia Romana non ſolū publice celebrat feſtū Cōceptionis B. Virginis, & præcipit vt publice celebretur ſub titulo īmaculatæ, & immunis ab omni originali labe, ſed etiā ad illud celebrādū indulgētiarū largione, & priuilegiorū conceſsione omnes fideles allicit, & inuitat. Ergo in celebratione Cōceptionis B. Virginis ſub titulo immaculatæ errare non poteſt. Porrò ſi in hoc non poteſt errare, vtiq; à parte rei veriſsimū eſt, & certiſsimū, Cōceptionē B. Virginis fuiſſe ſānctam, & ab originali immunē. Huius diſcurſus tam prima, quā 2. conſequētia eſt euidens. Minorē autē negari nō poſſe late oſtendimus ſupra in 2. propoſitione, vbi adduximus Sixtū 4. declaraſſe falſū & erroneum eſſe negare hanc minorem. Sola igitur ſupereſt probatio maioris.

59. Probatio maioris. Pro illius euidenti probatione illud tāquā certiſsimū ſupponimus, Eccleſiam in ijs, quæ pertinent ad diuinū cultum, & ad Chriſtianā obſeruantiā errare non poſſe: & ſubinde id, quod colit, & in diuinū cultū obſeruat, à parte rei eſſe verum, & ita certū, vt nullo modo ſit falſum: quā veritatē alio in loco diligentius confirmauimus: nunc vero eā primū probamus authoritate S. Leonis Papæ epiſt. 4. c. 2. ad finē, vbi hæc ſcribit verba: *Verū quia Spiritus ſapientiæ & intellectus ita Apoſtolos, & totius Eccleſiæ erudiuit magiſtros, vt in* (Leo Papa) *Chriſtiana obſeruantia nihil inordinatū, nihil pateretur eſſe confuſū; diſcernendæ ſūt cauſæ ſolēnitatū, &c.* Idē ſatis docet *D. Thom.* 2, 2. *q.* 93. *ar.* 1. *ad* 3. dū ait: *conſuetudines Eccleſiæ in diuino cultu nihil veritati repugnare:* (D. Thom.) etenim ſicut Eccleſia à Spiritu Sācto dirigitur, ne erret in ijs, quæ ad fidem & mores pertinēt, vt contra hæreticos catholice ſupponimus; ita etiā diuina eiuſdē Spiritus aſsiſtētia, & ductu gubernatur ne erret in ijs, quę pertinēt ad diuinū cultū: etenim hæc ōnia ſuo modo, & ad mores pertinēt, & ad fidē; ita vt in illis Eccleſia etiā habeat Spiritus Sācti aſsiſtentiam: vnde ſicut fieri nō poteſt vt Eccleſia cultū tribuat, cui nō debetur; ita nec fieri poteſt, vt Deo tribuat cultum eo modo, & ea de cauſa, qua nō debet, vt expreſſe ait *D. Thomas in d. q.* 92. *ar.* 1. *in fine. & ad* 3. (D. Thom.) etenim talis cultus ſicut eſſet cōtra virtutē religionis per exceſsū ex D. Thoma ibidē; ita etiā ratione mendacij eſſet pernicioſus, & verè ſuperſtitioſus, vt idem D. Thom. oſtēdit *ibidē q.* 93. *ar.* 1. ſtatuendū eſt igitur Eccleſiā propter diuinā aſsiſtētiā à Deo illi promiſsā errare nō poſſe in ijs, quæ ad diuinū cultum pertinent. Cui (60.) veritati ſi addamus aliā veritatē; celebationes. ſ. feſtorū ad diuinū cultū pertinere (pertinent enim ad 3. præceptū Decalogi) vt docet D. Thom. communiter receptus, dum ait; *Populus Chriſtianus memorias martyrū religioſa ſolēnitate concelebrat:* (D. Thom.) religioſa, inquā, ſolēnitate, quę ad religionis virtutē in exhibendo Deo cultū ſpectat: quod etiam ſatis colliges ex verbis Leonis Papę ſupra adductis, vbi ſolēnitates feſtorū ad Chriſtianā obſeruantiā reducit: (Leo Papa) deniq; eſt veritas à Patrib⁹, & Scholaſticis recepta: ſi (inquā) ad eā veritatē, quod Eccleſia errare nō poteſt in ijs, quæ ad diuinū cultū ſpectant, addamus, celebrationes feſtorū ad diuinū cultū pertinere, neceſſario infertur, Eccleſiā in celebratione feſtorū errare nō poſſe, vtpote, quæ in hoc diuinā habeat aſsiſtentiā, ne erret, & per cōſequēs ne aliquid ſupſtitioſū ap̄pbet, aliquidue inordinatū, & incertū colat: quod ſatis ſignificat *Caſtro aduerſus hæreſes lib.* 3. *verbo ſācti*, (Caſtro.) & expreſſe Leo Papa in p̄citatis verbis, dū ex eo qđ *Spiritus Sāctus Eccleſ. magiſtros ita erudiuit,*

vt inChriſtiana obſeruantia nihil inordinatũ;
nihil pateretur confuſum intulit *diſcernẽdas*
eſſe cauſas ſolẽnitatum quibus ſatis ſignifi-
cat in inſtituendis,& celebrãdis feſtis ab
Eccleſia inſtitutis dari diuinã aſsiſtentiã:
Leo Papa ob quam rationẽ idem Leo Papa ideo im
mediatè præcipit,*vt in ipſis feſtorũ inſtitu-*
tionibus Patrũ principũq; Eccleſiæ rationalis
ſeruetur diſcretio; quia. ſ. ob aſsiſtentiam
Spiritus Sanct in illis non errabunt.

Quod etiã ſatis expreſſe docet D.Ber
62. nardus *in epiſt.174.ad canonicos Lugdunen*
D. Berna. *ſes*,dũ ait:*Ego quod ab Eccleſia accepi ſecu-*
rus & teneo, & trado:accepi ſane ab Eccle-
ſia illũ diem cũ ſũma veneratione colendum,
qua aſſũpta eſt de ſæculo nequã:ſed & ortum
Virginis didici in Eccleſia , & ab Eccleſia
indubitanter haberi feſtiuũ atq; ſanctum, fir-
miſsimè cũ Eccleſia ſentiens in vtero eã acce
piſſe vt ſancta prodiret. Ecce S. Doctor
ideo diẽ natalẽ B. Virginis vt ſanctũ ſe-
curus,&cũ ſumma firmitate recipit;quia
Eccleſia illũ vt ſanctũ,& colit,& colen-
dũ fidelibus proponit:quæ verba abſque
dubio probant eũ ſentire Eccleſiã in fe-
ſtis celebrandis nõ errare:& vt nullus du
bitationi relinquatur locus ita addit,*nec*
fallitur omnino Sancta Eccleſia ſanctum re-
putans ipſum natiuitatis eius diem, & omni
anno cũ exultatione vniuerſæ terræ votiua
celebritate ſuſcipiens. Quare nõ eſt dubiũ
S,Bernardũ expreſſe docuiſſe Eccleſiam
in celebrandis feſtis nõ errare. Quod etiã
S.Ildephõ. docuit S.Ildephõſus in lib. de virginita-
te Virginis to. 9.bibliot.Patrũ pag.681.
vbi ex publica celebritate natiuitatis B-
Virginis infert certiſsimũ eſſe eam ſine
peccato originali natã: ita ſcribẽs:*ſed quia*
eius natiuitas ſolenniter colitur, conſtat ex
authoritate Eccleſiæ,quod nullis,quãdo nata
eſt,ſubiacuit delictis: fatetur igitur ſancti-
tatẽ natiuitatis ex eo certiſsime conſtarè,
quia Eccleſię authoritate publice celebra
63. tur: quæ verba certitudinem in feſtorũ
Confirma- inſtitutione ſatis confirmant.
tur eadẽ ve Eandem veritatẽ efficaciter confirma
ritas. bimus, ſi in hac materia duo tanquã cer-
1.præmiſſũ tiſsima ſupponamus. Vnũ eſt Eccleſiam
Eccleſia nõ Romanam in Sanctorum canonizatione
errat in ca errare non poſſe; & per conſequens id,
nonizatio- quod canonizat,verè eſſe ſanctũ : ita ab-
ne ſãctorũ. ſolutè docent *Ioannes de Neapoli quodlib.*
11.Catharinus in trac.de canonizatione Sa *Neapol.*
ctorum: Aragonius 2.2.q.1.ar.10.in trac.de *Catharin.*
Sũmmo Pontif.in dubio de canonizatione Sã *Aragon.*
ctorũ:Bañes in d.ar.10.dub.7.concl.2.Bel- Bañes.
larmin.to.2.contron.lib.1.de Sanctorũ Bea- *Bellarm.*
titudine c.9.Cordub.lib.4.quæſtionar.q.12. *Cordub.*
Valẽt.to.3.ad 2.2.diſp.1.q.1.pũct.7.§.41. *Valentia.*
pag.253.lit.C.Viguerius in inſtitut. Theol. *Viguerius.*
c.10.verſ.13.pag.114. Ex Thomiſtis Syl- *Sylueſt.*
ueſter verb,canonizat.n.2.Tabiena n.4. Co- *Turrecre.*
uas Rub.lib.1.variar.c.10.nu.12. Azorius *Azorius.*
inſtitut.Moralium p.2. lib.5.c.6.per totum
Penha ad 2.p.directorij q.17.com.42.ad fin.
pag.322.& ſine dubio ita cenſuit D. Thom. *D. Thom.*
quodlib.9.ar.vlt.quem in omnibus ſequitur *D. Anton.*
D.Antonin.3.p.tit.12.c.8.§.2.Turrecre- *Vualdenſ.*
mata in ſũma de Eccleſia lib.1.q.51.& 73.
& lib.2.q.110.& ſatis Vualdenſis 2. to.de
Sacramentalib.c.14.per totũ:& hãc ſentẽt.
probant fere omnes noſtri tẽporis Theo
ligi: & eã ita indubitãter docent,vt dicãt
oppoſitã eſſe erroneã; & deferẽdum eſſe 64.
ad Tribunal S.officij,qui oppoſitũ defẽ-
deret:ita vidi grauiſsimos ſenſiſſe Theolo
gos; eſſe temerariũ affirmat Aragonius:
ſapere hæreſim ſcribit B[illegible]es: eſſe teme-
rariũ & impiũ, & probabiliter hæreticũ
docet Cordubẽſis.Id certa fide credendũ
eſſe teſtatur Valent.tanquã pium iudicat
D.Thom, D.Antonin. Turrecremata,
Sylueſter,&Tabiena; quorũ ſẽtentiã ego
maximè probo,ſi intelligatur de pietate,
quæ ita ad fidẽ pertinet,vt ſit actus pro-
feſsionis fidei,qua Sanctorũ gloriã credi
mus nobis ab Eccleſia propoſitã. Cuius
doctrinæ fundamentũ eſt; quia Eccleſia
in Sanctorũ canonizatione cõiunctam
habet Spiritus Sancti aſsiſtẽtiã, & proui
dentiã,vt vt fatetur D.Thom. in d.art.
vlt.ad 1.& 2.& ſatis probãt omnes Theo
logi,inter quos eſt Cordubenſ. de pote-
ſtate Papæ q.12.Cũ vero Eccleſia in hoc
habeat coniunctã diuinam prouidentiã,
& inſtinctum Spiritus Sancti,nõ poterit
errare: quia Spiritus Sánctus non patie-
tur Eccleſiã per teſtimonia fallibilia mo-
ueri,vt ſatis explicat D.Thom.loco cit. *Reſolutio.*
ad 1.& 2.& iam oſtendimus ex D.Leo-
ne Papa. Ob hoc igitur certiſsimum fun
damentum ſine ingenti temeritate, & im
pietate dubitari non poteſt Eccleſiam nõ
poſſè errare in aſſerendis, nõ ſolum,quæ

ad

ad fidẽ pertinent,ſed etiã in ijs, quæ ſpectant ad pietatẽ,& totius Eccleſiæ ędificationẽ,atq; augmentũ,vt ex eodẽ fundamento aduertit Valentia.Iam vero Sanctorũ canonizationẽ ad fidẽ, pietatem,& augmentũ pertinere,ſatis probãt verba, quibus Eccleſia vtitur in canonizandis ſanctis,ita enim inquit: *ad honorẽ ſanctæ ac indiuiduæ Trinitatis,& exaltationẽ fidei Catholicæ,& Chriſtianæ religionis augmentũ authoritate eiuſdem Dei decernimus, & diffinimus talem virũ (verbi gratia Petrũ) bonæ memoriæ bonũ eſſe, & Sanctorũ Catalogo adſcribendũ.* Non eſt igitur negandũ canonizationẽ Sanctorum fieri inſtinctu Spiritus Sancti ipſi Eccleſiæ aſsiſtentis: & qui de hoc dubitaret, vt temerarius,& in fide impius cenſendus erit.

Verba canonizationis.

66\. *Reijcitur opinio Caietani.*

Ex qua veriſsima reſolutione infertur nõ eſſe admittendã,ſed potius relegandã opinionem *Caietani,to.1.Opuſc.trac.15.c.8.* dũ paulò ante finẽ ſcribit, Eccleſiã quidẽ in Sanctorũ canonizatione nõ errare, ſi canonizatio legitime fiat, i. per veras informationes: quia vero eas, vt legitimas ſupponit, ideo canonizando virum non ſanctũ,non errat:à parte tñ rei probationes poſſe eſſe falſas,&ideo poſſe dari errorem,ita vt canonizetur vt ſanctus, qui verè in inferno dãnatus iacet. Quæ opinio prius fuit *Auguſt. de Anchona de poteſtate Eccleſiaſtica q.14.ar.4.* vbi aſſerit Eccleſiam canonizando ideo non errare, quia canonizat per probationes, quæ ſibi videntur verę,cum tñ à parte rei ſint falſæ; & per conſequẽs canonizat nõ abſolutè,ſed ſecundũ præſentem iuſtitiam,in quo cum Caietano conſentit. In eadem etiã opinione videtur eſſe *Ioann. Driedo lib.4.de dogmatibus c.1.fol.207.pag.2.* vbi licet doceat temerariũ eſſe dubitare,an Eccleſia in canonizandis Sanctis erret, ſupponit tñ in Sanctorum canonizatione dari poſſe errorem. Et addit eũ, qui Eccleſiæ credens, piè coleret canonizatũ. qui eſt in infernõ,pernitioſe non errare;

Anchona. *Driedo.*

67\. quia Deus ad fidem reſpicit orantis. Has igitur opiniones relegãdas eſſe nõ tãquã hæreticas, ſed tanquam verè temerarias, impias, & errori proximas ex præiacto fundamento euidẽter demõſtratur: nam ſi verè piũ eſt, credere in canonizatione Sanctorũ Eccleſiã habere Spiritus Sãcti aſsiſtentiam,& eam facere inſtinctu Spiritus Sancti,vt ait *D.Thom.ab omnibus receptus,& docet Leo Papa in d.epiſt.4.* dum ait *Spiritum Sanctum magiſtros Eccleſiæ in Chriſtiana obſeruantia erudire vt oſtẽdimus;* vtiq; impium erit,& contra pietatẽ fidei aut negare,aut dubitare de aſsiſtentia Spiritus Sancti in canonizatione Sanctorũ. Hac autem admiſſa, admiſſo etiã quod Eccleſia inſtinctu Spiritus Sancti ad canonizandũ mouetur,qui fieri poteſt , vt canonizatio non ſit abſoluta , ſed ex hypotheſi,ſi probationes ſint verę & legitimæ? etenim, quod ſub cõditione fit, cũ abſolutè non fiat , ſed ſolũ ſuppoſita hypotheſi;vtiq; ſi de hypotheſi non cõſtat, ſemper incertum eſt,& ſuſpẽſum manet, vt docet Philoſophia Ariſtotelis,& vtriuſque iuris ſcientia:imò ſi à parte rei non adeſt cõditio,actus manet infectus, & nõ voluntarius,cũ ſublata conditione intẽtio agentis ſit actum non agere.

At quis dicet id, quod ex Spiritus Sancti inſtinctu fit, ex ſe incertum eſſe; 68.
oppoſitum docet Leo Papa dum ait *Spiritum Sanctũ ita Eccleſiæ magiſtros in Chriſtiana obſeruantia erudire* (agit. de inſtituendis ſolẽnitatibus) *vt nihil inordinatum patiatur,nihil etiam confuſum.* At quid magis inordinatũ magiſq; confuſum eſſet, quam canonizare aliquem vt Sanctum ſub conditione, ſi probationes ſunt legitimæ, & veræ? Etenim ſi ipſa Eccleſiæ authoritas adiucta Spiritus Sancti aſsiſtẽtia non ſatis eſt ad certificandos fideles de Sancti canonizati gloria, ſemper fideles manerent de illa incerti. Porrò ſi ipſa canonizatione ſimpliciter,& abſolutè ſunt certi,vtique ipſa canonizatio facta inſtinctu Spiritus Sancti ſatis, ſuperq; erit, vt probationes, quibus ad canonizandũ vtitur, in ſe ipſis ſint certæ, & infallibiles: nã probationes illæ,licet in ſe ipſis ſũptę, & in ſenſu diuiſo (vt dici ſolet) ex ſua natura ſint fallibiles,ideo quia ſunt humanæ,in ſenſu tñ compoſito .i. prout coniunctæ ſunt cum diuina aſsiſtẽtia in mouendo Eccleſiam , nullo modo fallibiles ſunt,ſed infallibiliter certæ;quod ſatis eſt vt Eccleſia nõ cõditionate, ſed abſolute diffiniat virũ illũ eſſe Sãctũ,& diffiniẽdo

Leo Papa.

Reijcitur opinio Caietan.

cũ abſolute canonizat, vt vere beatũ. Relegetur igitur opinio Caiet. dũ ait, Eccleſiã in canonizandis ſanctis non errare, ſi canonizatio ſit legitima, ideſt, facta per legitimas, & veras atteſtationes: errare tamẽ ſi probationes falſæ fuerint: quaſi ſupponens Eccleſiam inſtinctu Spiritus Sancti motam, & eius diuina prouidentia directam poſſe ad canonizandum moueri ex probationibus illegitimis. Et eodem fũdamento releganda eſt opinio Auguſtini de Anchana, dum affirmat Eccleſiam ad canonizandum moueri ꝑ probationes, quæ videntur veræ, quamuis à parte rei ſint falſæ: nam ſi Eccleſia ductu Sancti Spiritus ad hoc mouetur, qui omnia perſcrutatur, vt ait D. Thomas, quomodo mouetur per probationes, quæ ſolum videntur veræ, cum tamẽ ſint falſæ? Eodem etiam modo impugnanda eſt opinio Driedonis, dum ſupponit, in canonizatione Sanctorũ dari poſſe errorem, quãuis temerarium ſit aut credere errorem interfuiſſe, aut de eo dubitare. Nam quo modo admitti poteſt error in re, quæ fit Spiritus Sancti ductu? Imò non ſimul conſtant, eſſe temerarium in fide, dubitare de certitudine ſanctitatis, & gloriæ canonizati; & à parte rei canonizatum non eſſe ſanctum, ſed damnatum: nam temeritas in fide dari non poteſt, niſi ex parte oppoſiti detur certa veritas, vt inferius dicemus.

69. *Reijcitur opinio Anchanæ.*

Reijcitur opinio Driedonis.

70. *Reijcitur opinio Cani.*

Denique ex eodem fundamento infertur improbandam eſſe opinionẽ *Cani lib. 5. de locis cap. penult. concl.* 3. dum affirmat, decretum Eccleſię de canonizatione Sanctorum non eſſe certum, ſed incertũ, quanuis temerarium, & irreligioſum ſit non adhibere fidem Eccleſiæ canonizãti. Hoc enim poſterius continet in ſe pugnantia, vt contra Driedonem oſtẽdimus. Quod vero illud prius ſit omnino reprobandum, ex eo euidenter patet: quoniam abſolute repugnat decretum canonizationis factũ eſſe inſtinctu, & ductu Spiritus Sancti; & tamen in veritate eſſe incertum: nam decretum illud, vel eſt incertum in ordine ad gloriam canonizati, quaſi poſſit non eſſe ſanctus, ſed damnatus: vel in ordine ad nos, quaſi nos adhuc ſimus incerti de veritate ipſius decreti.

Priori modo non poteſt dici incertũ ſine errore in fide: quomodo enim, aut falſũ erit, aut incertum id, quod Spiritus Sãcti ductu diffinitur? quare aut neganda eſt aſsiſtentia Spiritus Sancti in canonizãdis ſanctis, (quæ tñ ſine impietate negari nõ poteſt) aut ſi illa admittatur, nõ poteſt ſine errore admitti falſitas in tali decreto: Sed nec poteſt dici incertum poſteriori modo, niſi omne id dicatur incertũ, quod non eſt diffinitũ tanquã de fide: quod nõ eſt dicendũ: etenim ingens eſt ſtultitia nihil velle admittere, niſi quod eſt de fide: omne autẽ, quod tale nõ eſt, vt incertũ tenere, vt magnos Theologos affirmaſſe vidi. Et merito: quoniã in Theologia ſtultus eſt cenſendus, qui in ijs, quæ ad fidẽ aliquo modo pertinent, ſolã veritatem de fide diffinitã admittit; cæteras vero veritates vt incertas tenet, conſtat enim inter omnes, quã plurimas eſſe veritates, quæ licet non ſint de fide diffinitæ; ita tñ ſunt cum veritate fidei cõſentientes, vt oppoſita nõ modo ſint temeraria in fide, & impia, ſed etiã errori proxima: talis eſt veritas, quod B. Virgo in vtero fuerit ſanctificata, *vt diximus lib. 1. q. 2. ar. 6. n.* 3. Talis etiã eſt veritas, quod B. Virgo corpore, & animo fuit in cœlum aſſumpta: nam licet hæc veritas non ſit diffinita vt de fide, vt contra Catharinũ fere omnes docent, quos refert, & probat *Suar. 2. to. ad 3. p. diſp. 21. ſect. 2. dub. 1. pag. 347. col. 1. in fin. §. Sed quæres*: ita tñ hæc veritas eſt pia, & in fide certa, vt à nullo Catholico ſine ingenti temeritate, & errori proxima, aut negari poſsit, aut in dubium reuocari, vt cũ eodẽ Suario ſupponimus: quare non poteſt non haberi vt ſtultus, qui omnem veritatẽ, quæ formaliter nõ eſt de fide vt incertam tenet: etenim apud omnes iam eſt indubitatum, in veritatibus, quæ ad fidẽ aliquo modo pertinent, dari plures gradus, & eoſdem dari in erroribus, qui fidei aliquo modo repugnãt, vt ſtatim dicemus. ¶ Ex quibus omnibus iam colligitur, veriſsimum eſſe id, quod primo lo[co] præmiſimus, ſ. Eccleſiam Romanam [in] canonizatione Sanctorum errare non poſſe: & per cõſequens vere eſſe ſanctum, quod illa vt ſanctum canonizat.

71. *Suar.*

72. 2. *ſuppoſit.* Secundo ſupponendũ eſt Eccleſiam Romanam, dum alicui ſancto, aut alicui myſterio diem feſtum inſtituit, & toti Eccleſię celebrandum proponit, vere canonizare ſanctitatẽ illius diei & myſterij. v. g. quando Romana Eccleſia diem B. Laurentij, Stephani, aut alterius ſancti tanquam feſtum proponit celebrandũ; aut inſtituit, vt ſolẽniter celebretur dies Natiuitatis Virginis, Præſẽtationis illius in Templo, Viſitationis B. Eliſabetæ, cõuerſionis D. Pauli, aut Patris Auguſtini, denique translationis alicuius Sancti, eo ipſo diem illum, vt vere ſanctum canonizat. Hanc opinionem vt certiſsimam ſemper probaui, quam eſſe de mẽte Suarij poſtea inueni, dum ait, Eccleſiam Romanam, dum celebritatem Conceptionis generaliter amplexa eſt, & celebrantibus illam gratias impertiuit, quodãmodo eã canonizaſſe, vt ſcribit *2. to. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 4. pag. 39. col. 2. lit. A. quod etiam ſignificat ſect. 6. in princ.* & dum hæc ſcriberẽ gauiſus ſum, quod hanc opinionem nouiſsime ſcripſerunt *Frater Franciſcus de Sancto Ioſeph. ordinis Minorum in quadam propoſitione, quam hac de re Sanctiſsimo Domino noſtro Paulo Papæ V. nouiſsime his diebus dedicauit.*

Suar.

Fr. Franc. de S. Ioſeph.

73. Quæ opinio ex eo efficaciter confirmatur; quoniã canonizatio abſolute ſumpta nihil eſt aliud, quam publicum Romanæ Eccleſię iudicium, teſtimonium, atq; ſententia, qua aliquid decernitur ſanctũ & veneratione dignũ, & vt tale catalogo Sanctorum adſcribitur: nam quanuis canonizari principaliter conueniat viris ſanctis, vt patet ex diffinitione, quæ cõmuniter affertur ex *Innocentio, Panormitano, & cæteris in cap. de reliq. & venerat. Sanctorum, & ex Bellarmino lib. 1. de Sanctorum beatitudine c. 7. in principio:* non eſt tamen negandum vere & proprie poſſe etiam canonizari quamplurima myſteria: etenim myſterio Sanctiſsimæ Trinitatis canonizatus eſt certus, & determinatus dies: ſimili modo canonizatus eſt & conſecratus certus dies in veneratione Spiritus ſancti: conſecratus eſt etiam dies myſterijs Incarnationis Verbi diuini: canonizata eſt etiam annunciatio Angeli ad Virginem, dies natiuitatis Chriſti, reſurrectionis, & aſcenſionis; & in laudem B. Virginis canonizatus eſt dies natiuitatis eius, Expectationis, Viſitationis, & deſcenſionis Niuis: denique canonizatus eſt dies conuerſionis Pauli, & Auguſtini, Cathedra D. Petri, & dies Stigmatum B. Franciſci. Et præter hæc myſteria canonizantur dies natales plurimorũ Sanctorum, canonizatione diſtincta ab abſoluta eorundem canonizatione: quod ex eo euidenter conſtat: quoniam quamplurimi Sanctorum canonizati ſunt ab Eccleſia, quorum dies natalis publicè non colitur; vnde quando alicuius natalis dies vt feſtiuus ab Eccleſia inſtituitur, talis inſtitutio dicitur canonizatio non quidem ipſius Sancti (quia iam canonizatus eſt) ſed ipſius diei propter myſterium translationis illius de hoc exilio ad patriam.

Innocent. Panormit. Bellarm.

Conſtat igitur canonizationem etiã propriè ſumptam non ſolum cõuenire perſonæ ſanctæ, vt iudicio Eccleſię pronuncietur ſancta, ſed etiam alicui myſterio; 74. ita vt eius ſanctitas iudicio Eccleſiæ ab omnibus veneranda decernatur: ob quã rationem ad iudicium Eccleſiæ in publicam illius vtilitatem pertinet, vt non ſolum colantur perſonæ, ſed etiam myſteria diuina. Quare vt rem concludamus canonizatio abſolute ſumpta non eſt aliud, quam publicum Romanæ Eccleſiæ iudicium, teſtimonium, & ſententia, qua aliquid decernitur ſanctum, & veneratione dignũ, ſiue ſit perſona, ſiue aliquod myſterium: & inde eſt, vt ſicut canonizatio perſonæ ad ſolum Summum Pontificem ſpectat; ita etiam ad eum ſolum pertineat canonizare aliqua myſteria, & in illorum venerationem diem feſtum inſtituere, vt euidenter colligitur *ex cap. vnic. de reliq. & venerat. Sanctorum in 6. vbi communiter Canoniſtæ, & aduertit Suarius tom. 1. de Religione lib. 2. de diebus feſtis c. 3. n. 2. pag. 274 col. 2.* Inde etiam eſt, vt ſicut in canonizatione alicuius Sancti nomen illius catalogo Sanctorum abſcribitur: ita etiam eidem catalogo aſcribitur inſtitutio feſtorum pro tota Eccleſia inſtitutorũ. Denique vt ad canonizandum Sanctum ſumuntur teſtimonia de ſanctitate vitæ, & de veritate miraculorum; ita etiam hæc obſeruantur in canonizando

75. *Quid ſit canonizatio?*

Cap. de reliq. & vener. Sanct. Suar.

aliquo myſterio. ¶ Concludendum eſt igitur inſtitutionem alicuius feſti in Eccleſia ſolenniter celebrãdi factam authoritate Eccleſiæ Romanæ eſſe veram, & propriam illius feſti canonizationẽ, qua decernitur illius publica celebratio, & diffinitur vera illius myſterij ſanctitas, & proponitur à fidelibus veneranda ad exaltationem fidei Catholicæ, & Chriſtianæ religionis augmentum.

76. *Probatur maior ſuperioris aſſũpti.* ¶ Ex his, quæ tam late ſuppoſuimus, efficaciter deducitur Eccleſiam Romanam in celebrandis Sanctorum feſtiuitatibus errare non poſſe: quæ fuit maior propoſitio, quam ad confirmãdam conceptionis ſanctitatem, & immunitatem ab originali culpa ſumpſimus ſupra in ſecunda huius veritatis confirmatione: etenim ex primo præſuppoſito conſtat certiſsimũ eſſe, Eccleſiam Romanam in Sanctorum canonizatione errare non poſſe: & hanc veritatem ita eſſe certam, vt oppoſitum aſſerere non ſolum temerarium ſit in fide, ſed etiam vere impium, & errori proximum.

77. Ex ſecundo verò præſuppoſito etiam conſtat inſtitutionem feſtorum factam ab Eccleſia Romana eſſe veram & formalẽ canonizationem ſanctitatis, aut diei, in quo Sanctus in gloriam cœleſtẽ tranſlatus eſt, aut myſterij, quod tãquam ſanctum, & à fidelibus colendum proponitur: verbi gratia myſteriũ Natiuitatis B. Virginis, Præſentationis, &c. Ex vtroq; autem præſuppoſito hæc colligitur efficax argumentatio: Eccleſia Romana in canonizatione eorum, quæ vt ſancta, & colenda fidelibus proponit, errare non poteſt, vt patet ex primo præſuppoſito. Ergo, quod vt ſanctum canonizat, ita eſt certiſsimæ ſanctitatis, vt nõ poſsit in hoc dari falſitas: quæ conſequentia ex antecedente eſt nota: ſed Eccleſia Romana inſtituendo aliquod feſtum illud canonizat, & toti Eccleſię proponit, tanquam vere colendum ratione alicuius ſanctitatis, quam canonizat, vt conſtat ex præſuppoſito ſecundo. Ergo Eccleſia Romana in inſtituendis feſtis errare nõ poteſt; & per conſequens ita certum eſt tale feſtum, & illius myſterium eſſe ſanctum, vt illius ſanctitas, nequeat eſſe falſa. Sed ex dictis euidenter conſtat Romanam Eccleſiam inſtituiſſe feſtum Conceptionis ſub titulo immaculatæ, & ab originali immunis: quod adeo verum eſt, vt Sixtus IIII. oppoſitam aſſertionem damnauerit vt falſam, erroneam, & à veritate alienam, vt patet ex conſtitutione poſita *ſupra art. 1. §. 6.* Ergo Eccleſia Romana in celebratione, atque canonizatione talis feſti ſub titulo Conceptionis immaculatæ errare non potuit: & per conſequens ex tali celebratione efficaciter infertur certiſsimum eſſe Conceptionem B. Virginis fuiſſe ſanctam certitudine, quę omnem falſitatis formidinem excludit.

§. 10.

Expenditur ſolutio huius argumenti, & explicatur fundamentum, ne datæ reſolutioni obſtet.

VTriq; huius propoſitionis quintę confirmationi occurrunt aduerſarij admittentes Eccleſiam in feſtorum celebratione errare non poſſe, 78. *Solutio aduerſariorũ. Ad 2. confirmationẽ 5. propoſit.* quando ſimpliciter & abſolute illa feſta inſtituit; quia tũc illius celebrationis ſanctitatem iudicat, & decernit tanquam indubitatam: ſecus vero, ſi illa feſta, & eorũ ſanctitatem ſolum inſtituit tanquam aliquid magis pium, magiſque probabile; quia tunc ex tali celebratione non infertur indubitata certitudo, ſed ſolum certitudo quædam pia, & probabilis, cui falſitas non repugnat. Et addunt Romanam Eccleſiam feſtum Conceptionis ſub titulo immaculatæ non inſtituiſſe tanquã veritatem indubitatam, & abſolute tenẽdam, ſed ſolum vt magis piam, magiſque probabilem: ita colliges ex *Suario 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 6. §. Dico ſecundo, pag. 51. col. 1. & ex Vaſquez Bellomontano 2. tom. ad 3. p. diſp. 117. c. 5. n. 57*: *Suarius. Bellom.* in qua ſolutione conuenire debent Theologi, qui cum ſecunda ſententia poſita ſupra §. 2. docent èx celebratione huius feſti ſolum poſſe ſumi argumentum, quod magis ſit probabile B. Virginẽ ab originali fuiſſe immunem. Quæ reſolutio ex eo confirmari poteſt: quoniam Romana Eccleſia, quæ illud feſtum ſub præcitato titulo inſtituit, contrariam permiſit teneri ſen-

Pius V. tentiam, vt patet (inquiunt) ex Extrau. *Graue nimis* Sixti IIII. de reliq. & venerat. Sanctorum; & ex conſtitutione Pij V. in conſtitutione *Super ſpeculam*, vbi expreſſe liberam cuique facultatem relinquit opinandi huius cõtrouerſiæ quãlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile iudicauerit; dummodo oppoſitam ſententiam non damnet. Ex quo inferri poteſt Eccleſiam Romanam inſtituendo feſtum Conceptionis abſolute non canonizaſſe illius ſanctitatem, ſed ſolum vt magis piam, & magis probabilem: & per conſequens ex illa celebritate non deduci abſolutam certitudinem, qualis infertur ex abſoluta canonizatione alicuius feſti: nam certitudo abſoluta nõ infertur ex canonizatione, quę ſolum feſtum canonizat, vt magis pium, & magis probabile.

80. Solutio ad 1. confirm. huius quintæ propoſitionis. Ex eadem doctrina non valet huius quintæ propoſitionis prima confirmatio ſumpta ex inſtitutione feſti natiuitatis: etenim (vt aduertit Bellomontanus) non datur eadem ratio in celebratione natiuitatis, & cõceptionis: quoniam Eccleſia Romana feſtiuitatem natiuitatis inſtituit, vt ſimpliciter, & abſolute ſanctã, & ideo illius ſanctitatem abſolute canonizauit: feſtum vero conceptionis ſolum inſtituit, vt magis pium, magisq; probabile, & cum facultate contrarium opinandi: vnde in eodem ſenſu illud canonizauit: & ideo canonizationis illius effectus eſt, vt veriſsimum ſit, & non negandum magis pium eſſe, magisque probabile B. Virginem ſine originali culpa eſſe conceptam. Ex quo infertur non eſſe audiendos, qui auſu temerario ſcribunt poſt huius feſti inſtitutionem, & celebrationem authoritate Romanæ Eccleſię defendi poſſe magis pium eſſe, & magis probabile B. Virginem in originali conceptam fuiſſe: quomodo enim magis piũ erit, aut magis probabile quod negat id, quod Romana Eccleſia, vt vere pium canonizat? ſed de hoc latius egimus ſupra prop. 3.

Non recipitur hæc ſolutio.

81. Reijcitur ſolutio. ¶ His tamen non obſtantibus in ea perſiſto opinione, & ſententia, vt ex celebratione feſti Conceptionis authoritate Romanæ Eccleſiæ inſtituta efficaciter inferatur certitudo ſanctitatis eius; non quidem de fide, ſed vt conſentanea fidei, quæ omnem excludat falſitatis formidinem, & ſubinde omnem probabilitatem, cui non repugnat falſitas. Et gauiſus ſum cum inueni nobiſcum conſentire Fratrẽ Franciſcum â Sancto Ioſeph in concluſ. ſuperius citata, & nuper in lucem edita §. 4. & 5.

Sed antequam huius noſtri iudicij vera fundamenta iaciamus, ex quibus allata ſolutio impugnetur, illud aduerſarijs negandum eſt (quod etiam ille negat) Summum Pontificem, qui hoc feſtum approbauit, declaraſſe ſe ſolum probare ſententiam immaculatæ conceptionis, vt piam, magisq; probabilem: quantumuis cum aduerſarijs hoc affirmet *Suarius in d. ſect. 6. loco citato*: etenim Sixtus IIII. primus huius celebritatis in tota Eccleſia inſtitutor, in nulla ſuarum conſtitutionũ declarauit ſe opinionem de B. Virginis immunitate ſolum approbaſſe vt piam & magis probabilem: etenim in illis conſtitutionibus ſolum reprehendit eos, qui ſcientes Eccleſiam Romanam hoc feſtũ publicè celebrare, auſi ſunt aſſerere hæreticum eſſe, qui tenet B. Virginem ab originali fuiſſe immunem, & mortaliter peccare, qui huic celebrationi interſunt. Has aſſertiones damnat vt falſas, & erroneas, & eas ſub pœna excommunicationis prohibet: & ſimili modo excommunicat eos, qui vt hæreticos damnauerint affirmantes B. Virginem in originali eſſe conceptam: nec aliud in Sixti cõſtitutionibus reperies: vnde ſolum docet hanc opinionem non eſſe erroneam, nec eſſe peccatum mortale illam aſſerere, vt fatetur *Suarius loco citato litera C*: imò nec apud Alexandrum VI. & Pium V. aliud reperies: ſolus autem Pius V. liberam cuique facultatem fecit opinandi quamlibet huius quæſtionis partem: ex his autem verbis colligi non poteſt Pium V. declaraſſe Eccleſiam B. Virginis immunitatem, vt magis probabilẽ approbaſſe: nam aliud eſt Eccleſiam dare liberam facultatem, vt quiſque quam voluerit partem eligat; & aliud Eccleſiam declarare

82. *Eccleſia non declarauit ſe opinionem noſtrã approbaſſe ſolum vt piam & magis probabilem.*

Suarius.

ſe

ſe immunitatem B. Virginis approbare ſolum vt magis probabilem.

Expenditur ſolutio aduerſariorum.

83. *Inſtantia aduerſariorum.*

¶ At inquies; quanuis Eccleſia Romana expreſſe non declarauerit, ſe inſtituendo feſtum Conceptionis ſolum approbare B. Virginis immunitatem, vt magis probabilem; ſatis tamen id ſignificaſſe, dum liberam cuique facultatem fecit opinandi quam voluerit partem: etenim ſi celebrando immunitatem B. Virginis eam non vt probabilẽ, ſed vt certam, & nullo modo falſam iudicaſſet, nullo modo liberum cuique reliquiſſet, vt quam vellet partem eligeret.

84. *Solutio argumenti.*

Hoc argumentum pluribus videtur adeo efficax, vt inſolubile videatur: vere tamen nec olim mihi inſolubile viſum eſt, nec modo videtur, ſi ſermo ſit de probabilitate, cui falſitas non repugnat; hanc enim ſolam negamus ſtare poſſe cum celebritate conceptionis ab Eccleſia Romana inſtituta; nam ſi ſermo ſit de probabilitate fidei conſona; cum illa omnino excludat poſſe eſſe falſam; eã admittimus, & dicimus illam ſatis eſſe, vt feſtum Conceptionis authoritate Romanæ Eccleſiæ celebrari poſſit: priorem autem non eſſe ſatis, quantumuis Suario, & alijs ſatis eſſe videatur.

85. *Præmittũtur nonnulla.*

Sed vt videamus, quomodo libera illa facultas à Pio V. cuique facta, vt poſsit quam vellet partem vt probabilem defẽdere, non impediat, quominus ex celebritate conceptionis inferatur certitudo immaculatæ Conceptionis excludens omnino ab ea omnem falſitatem, prẽmittenda ſunt nonnulla, ex quibus clara huius difficultatis ſolutio dependet.

86. *1. præmiſſ.*

¶ Illud igitur primum eſt aduertendum; expreſsis Philoſophiæ principijs diſtinguendum eſſe inter id, quod in ſe eſt certum, & id, quod ſolum eſt probabile: nam id, quod à parte rei ex ſe eſt verum, & certum, ita certum eſt, vt falſum eſſe nequeat: cuius oppoſitum reperitur in veritate probabili: hęc enim licet poſsit eſſe magis vel minus probabilis; quandiu tamen intra terminos probabilitatis continetur, ita indifferens eſt ad verum & falſum, vt falſitas illi non repugnet. Quare quæ ex ſe ſuaq; natura ſunt vera, ex ſua natura non poſſunt eſſe probabilia: & inde eſt, vt quæ per veram ſcientiam demonſtrantur, probabilia nunquam dici poſsint.

87. *2. præmiſſ.*

¶ Aduertendum ſecundò hoc intereſſe inter vera, quæ naturaliter ſunt vera, & ea, quorum veritas eſt ſupra naturam; quod priora poſsint naturali lumine à nobis intelligi; cuius oppoſitum reperitur in illis, quæ vera ſunt poſteriori modo: hæc enim à nobis intelligi non poſſunt, niſi lumine aliquo ſupernaturali, quod aliquo modo ad fidem pertineat & reducatur. Iam vero lumen, quod aliquo modo ad fidem pertinet, eius eſt naturæ, vt non poſsit illuminare, niſi quæ in ſe ipſis ſunt vera & certa: nam cum tale lumen à ſolo Deo datum ſit, & nitatur diuina authoritate, & reuelatione, nullo modo poteſt illuminare tanquam verũ, quod in ſe eſt falſum; quia Deus non poteſt eſſe author alicuius falſitatis aut mẽdacij. Inde fit, vt ea, quæ ſunt ſupernaturalia, nullo modo poſsint nobis immediate reuelari tanquam probabilia, ſed neceſſario reuelari debent vt certa & vera. Hæc enim eſt excellentia luminis ſupernaturalis & diuini, vt nihil, niſi ſub ratione veri reuelet. Poſſumus nos ex ijs, quæ à Deo ſunt reuelata, aliqua probabiliter inferre; quia ſub illis reuelatis poſſumus ſumere aliqua principia ſolum probabilia: attamen non poſſumus ſub lumine ſupernaturali cognoſcere id, qđ ex reuelatis ſolum probabiliter infertur.

88. *3. præmiſſ.*

¶ Aduertendum tertiò, quod ſicut in naturali veritate dantur diuerſi gradus, ita vt vna naturalis veritas ſit alia euidẽtior & certior; quia vnius lumen eſt euidentius alio (vnde veritas metaphyſica maiorem habet certitudinem, quam phyſica; & veritas mathematica, quam phyſica, aut metaphyſica, vt ex Philoſophia ſuppono) ita etiam in veritate ſupernaturali dantur gradus, ita vt vna ſit certior alia.

Varij gradus certitudinis fidei.

Quod non ſolum verum eſt in veritatibus ſupernaturalibꝰ diuerſi generis (qualis eſt veritas viſionis beatæ, & veritas fidei, quarum prima certior eſt, quàm ſecunda, vt oſtendimus infra 2. tom. de Beatitudine lib. 11. q. 5. art. 3. §. 7. n. 30. & 31.) ſed etiam in veritatibus eiuſdem generis,

quales ſunt quæ aliquo modo ad fidem pertinent: in his enim dari plures gradus, ita ſe habentes, vt vnus ſit altioris certitudinis, quam alter, euidenter patet ex diuerſis gradibus veritatis, quos Theologi diſtinguunt in propoſitionibus ad fidẽ pertinentibus: in his enim, quædam eſt veritas fidei ab Eccleſia diffinita, quæ ita eſt certa, vt oppoſita ſit falſitas hæretica. Alia eſt veritas proxima fidei; quę ita eſt certa, vt oppoſitum, licet formaliter non ſit hæreticum, ſit tamen hæreſi proximum. Alia veritas dicitur veritas cõſentanea fidei, & in ſe pia, cuius oppoſitum in ſe eſt temerarium, periculoſum, & non ſatis pium in fide.

89. *Diſcrimen inter hos veritatis gradus.*

Inter hos gradus ſupernaturalis veritatis hoc intereſt, quod veritas primi generis traditur ab Eccleſia tanquam prima regula, in materia fidei: vnde eſt veritas ad ſalutem neceſſaria; quia omnes fideles tenentur explicite, vel implicite illam credere; & ideo oppoſitum non ſolum ſimpliicter damnatur vt hæreticum, ſed etiam punitur excommunicatione, & alijs pœnis: & ob hanc rationẽ alię ſupernaturales veritates ab hâc, tanquã â prima regula, regulantur; ita vt quo magis ad eam accedunt, eo magis ſint â fidelibus credẽdæ. Veritas autem ſecundę ſpeciei, cum proxime ad primam regulam accedat, ita certa eſt, vt oppoſitum ſimpliciter ſit error in fide, & hæreſi proximum: & quanuis ab Eccleſia excommunicatione non puniatur, non permittitur tamen ab aliquo affirmari. Veritas porrò tertiæ ſpeciei (ſub qua plures continentur) habet quidem certitudinem, cum ſit fidei conſona; non tamen ita euidenter, vt oppoſitum ſimpliciter non toleretur, vt ſatis ſignificat *Cordubenſ. lib. 1. q. 17. pag. 150. col. 2. §. Mihi vero*: & inde eſt, vt aſſertio oppoſita, quanuis cenſeatur falſa, ob aliquas tamen iuſtas circumſtantias ſimpliciter non prohibeatur, ſed ſeruatis quibuſdam conditionibus permittatur. Hoc autem non ſatis eſt, vt talis veritas intra terminos probabilitatis includatur, & ſit eius naturæ, vt falſitas illi non repugnet: nam cum aliquo modo ad fidem pertineat, nec cognoſci valeat lumine naturali, ſed ſolo ſupernaturali; talis veritas

Corduben.

ita eſt certa, vt falſa eſſe non poſsit.

Ex quibus infertur non ſolum eſſe infallibiliter vera, quæ ab Eccleſia diffiniuntur de fide, & vt ſimpliciter credenda fidelibus proponuntur, ſed etiam ea, quæ abſque fidei diffinitione ab Eccleſia iudicantur aut fidei proxima, aut illi maxime conſona, vt iam ſupra aduertimus q. 2. art. 1. n. 14: nam (vt ibi dicebamus) hæc eſt fidei excellentia, vt non ſolum nihil falſi poſsit diffinire tanquam de fide; ſed nec poſsit alicui falſo adhærere ſub ratione fidei, & ſub ordine ad illam; quoniam ad hæc omnia habet Spiritus Sancti aſsiſtentiam, maxime ad ea, quæ pertinent ad diuinum cultum, virtutẽq; religionis, vt ſupra oſtendimus. Ex quo inferebamus, omnem propoſitionum cẽſuram in materia fidei ſupponere veritatem in propoſitione, quam vel vt de fide, vel vt ad fidem aliquo modo pertinentẽ admittit: falſitatem autem in omni propoſitione, quam iudicat aliquo modo à fide diſſonare: quomodo enim falſum erit, quod fidei conſonat? aut quomodo erit verum quod iudicatur diſſonare à fide? ob quod fundamentum in d. q. 2. dicebamus, nullam propoſitionem probabilem poſſe aliquo modo pertinere ad fidem, contineríque ſub aliquo gradu veritatis fidei: & hoc eſſe de fide oſtendimus ibidem concl. 2. à n. 12. ¶ Non negamus dari inter Theologos opiniones probabiles, an aliqua propoſitio ſit diffinita de fide nec ne? hæc enim controuerſia datur in dubio, an Papa poſsit errare in rebus fidei? & in pluribus alijs: negamus tamen, propoſitionem aliquam in ſe probabilem, & indifferentem ad verum & falſum poſſe pertinere ad fidem, aut cõtineri ſub aliquo gradu veritatis fidei. 90. *Nota corollarium.*

Occurritur allatæ ſolutioni.

Ex ijs, quæ præmiſimus infertur, non eſſe admittendam ſolutionem ſuperius ab aduerſarijs adductam: quoniam ex eo, quod Pius V. liberam cuique tribuit facultatem opinandi vnam vel alteram huius controuerſię partem, non bene infertur, Eccleſiam Romanam celebrando feſtum Conceptionis, ſolum approbaſſe illius 91. *Non recipitur fundamentum aduerſariorum.*

illius immunitatem, vt probabilem, non vero vt infallibiliter certam. Quod ex
Probatio. eo facile oſtendi poteſt; quoniam negari non poteſt Eccleſiam Romanam Conceptionis feſtum inſtituiſſe, & illius ſolennem celebrationem præcipiſſe gratia diuini cultus; vt. ſ. hac pia celebratione coleretur Deus, & laudaretur B. Virgo: id enim expreſſe ſignificant verba Sixti IIII. in Extrau. 1. de reliq. & venerat. Sanctorum inter communes: *Dignum, quin potius debitum reputamus, vt omnes Chriſti fideles omnipotenti Deo de ipſius immaculatæ Virginis mira conceptione gratias & laudes referant: & inſtitutas propterea in Dei Eccleſia Miſſas, & alia diuina officia dicant, & vt illis interſint indulgẽtijs, & peccatorum remiſſionibus inuitare, vt exinde fiant Virginis meritis, & interceſſione gratiæ aptiores.* Quæ verba expreſſe ſignificant inſtitutum eſſe hoc Conceptionis feſtum, vt fideles de mira B. Virginis conceptione gratias, & laudes Deo offerant.
92. Porrò ſi tale feſtum inſtitutum eſt in diuinum cultum; quomodo poteſt nõ eſſe certum, ſed incertum B. Virginis cõceptionem fuiſſe immaculatam: etenim Eccleſia inſtinctu Spiritus ſancti ducta nihil poteſt facere aut falſum, aut incertum: & proinde non poteſt vt ſanctum colere id, quod ſolum eſſe ſanctum probabile eſt, & incertum: etenim veritas fidei conſona ita certitudinem includit, vt omnino excludat falſitatem, & ſubinde probabilitatem, vt ex dictis iam patet.

93. *Falſum eſt fundamentum.* Falſum eſt igitur aduerſariorũ fundamẽtum, dũ aſſerũt ſatis eſſe opinionem immunitatis Virginis eſſe piam & ꝓbabilẽ, vt conceptio illius poſſit ab Eccleſia publicè celebrari: nam ſi Eccleſia Romana ſanctitatem conceptionis celebrat (vt vere celebrat) neceſſario fatendum eſt illius ſanctitatem eſſe piam, non quacunque pietate, ſed pietate ad fidem pertinente; orta ex authoritate Eccleſiæ, quæ ex inſtinctu Spiritus ſancti talem celebrationem ad cultum diuinũm inſtituit: hæc autem ex ſe ita includit certitudinem, vt omnino excludat falſitatem, & ſubinde
94. *Ratio deceptionis.* veritatẽ ſolum probabilẽ, vt iam oſtendimus. ¶ Aduerſarij autẽ ideo decepti ſũt; quia duplicem pietatem non diſtinguũt:

vnam ſolum probabilem: alteram omnino certam, & infallibilem. Pietas prioris *Duplex diſtinguenda eſt pietas.* generis eius eſt naturæ, vt à ſe falſitatem non excludat: qualis eſt illa, qua grauiſſimi authores putant B. Virginem in via diuinam eſſentiam vidiſſe, nunquam habuiſſe fomitem peccati, & alia huius generis priuilegia, quæ B. Virgini fuiſſe conceſſa piè creditur; pietate tamen, quę ſolum includit probabilitatem, non vero certitudinem: ob quam rationem pietas illa non pertinet ad fidem: quia non deſumitur ex aliquo principio infallibili. Secus dicendum eſt in pietate generis poſterioris, qualis eſt, quę ex aliquo principio infallibili ad fidem aliquo modo pertinente deſumitur, ſicut eſt authoritas Eccleſiæ in illis, quæ ad cultum diuinum ſpectant: cum enim fidei ſit maxime conſonum Eccleſiam in his errare non poſſe, vtique talis pietas aliquo modo pertinet ad fidem: huius generis eſt pietas, qua credimus B. Virginem ſine originali peccato fuiſſe natam, & ſanctificatam in vtero: præſentatam in Templo: denique in corpore, & anima in cœlum fuiſſe aſſũptam: hæc enim priuilegia illi fuiſſe conceſſa piè credimus pietate ad fidem pertinente, ex eo præciſe, quia ab Eccleſia ſolemniter coluntur: & ductu Spiritus Sancti celebrantur ad gratias, & laudes Deo reddendas. Dicimus igitur dari qui- 95.
dem pietatẽ, quæ in ſe ipſa eſt probabilis *Nota.* cui falſitas non repugnat: negamus tamẽ ex celebratione alicuius feſtiuitatis ſolũ inferri pietatem probabilem: nam pietas ex ſolenni feſtiuitate deducta, cum ſit pietas pertinens ad diuinum cultum, eſt pietas deducta ex inſtinctu Spiritus ſancti Eccleſiam dirigentis ad talem cultum: cum vero ſit pietas ex principio veritatis infallibili deſumpta, ex ſe eſt pietas aliquo modo pertinens ad fidem: cuius nulla veritas eſt ſolum probabilis, ſed omnis certa, & infallibilis. Implicat igitur veritatem Conceptionis ſumptam ex celebritate authoritate Romanæ Eccleſiæ inſtituta in Dei cultum, eſſe veritatem piam, pietate ſolum probabili; cum ex dictis conſtet eam eſſe veritatem piam pietate ad fidem pertinẽte, cui repugnat quod ſit ſolum probabilis.

Nec

96. *Solvitur obiectio.*

Nec huic reſolutioni obſtat, quod Eccleſia ita feſtũ Conceptionis celebret, vt cuique faciat liberam facultatẽ oppoſitũ opinandi: quoniam cum certitudine infallibili immunitatis huius Conceptionis ſimul ſtare poteſt, quod Eccleſia ita hanc immunitatẽ amplectatur, & colat, vt in hoc ſenſu liberã det facultatem opinandi oppoſitum; quia non prohibet oppoſitũ opinari, nec oppoſitũ opinantẽ punit, vt in 3. præmiſſo oſtendimus: nam cum veritas iſta (vt ibidẽ dicebamus) ſolũ habeat euidentiam fidei conſonam; licet habeat infallibilem certitudinẽ, non tamen illam habet ita euidentem, vt oppoſitum non toleret: & inde eſt, vt illud ſeruatis quibuſdam circunſtantijs permittat, donec ſucceſſu temporis creſcente fidelium applauſu, deuotione, & cõſenſu, veritas magis confirmetur, & talis appareat, vt oppoſitum dignũ ſit prohibitione, vt inferius latius oſtendemus. Quę doctrina nõnullis poteſt confirmari exẽplis:

97. *Exemplũ ex veritate Aſſumptionis. Suar.*

etenim conſtat feſtũ Aſſumptionis B. Virginis eſſe antiquiſsimũ, & ante tẽpora Mauritij Imperatoris, vt ex *D. Athanaſio, Andræa Cretenſi, Sophronio, & alijs refert Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 21. ſect. 2. pag. 346. col. 1. B.* & tamen tempore D. Hieronymi, & Auguſtini (qui poſt illius feſti inſtitutionem ſcripſere) de hac veritate plures dubitarunt, vt patet ex Authore libri de Aſſumptione B Virginis, nomine D. Hieronymi: & ex authore libri eiuſdem nominis; qui inter opera Auguſtini reperitur, imò id patet ex *Auguſtino ſerm. 134. de Sanctis.* (*Auguſt.*) Cum quo tamen ſimul ſtetit hanc veritatem ab Eccleſia celebratam, ita eſſe certam, vt omnem falſitatem excluderet, omnemque probabilitatem, cuì non repugnet falſitas: vt eſt communis Theologorum ſententia, ſcilicet *Catharini lib. 4. contra Caietanum, & in opuſculo de Conceptione B. Virginis, Cordubenſis libro primo, quæſtione 17. pag. 150. colum. 2. Cani de locis libr. 12. cap. 11. Suarij 2. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 2. dub. 1. pag. 347. col. 2. A. B. quidquid Abulenſis in cap. 22. Matthæi q. 230. & Caietanus in tract. de Conceptione Virginis cum Soto in 4. diſt. 43.* doceant veritatem Aſſumptionis ſolum eſſe magis piam, magiſq; probabilem: quorum ſententia à multo iam tempore non toleratur.

Catharin. Cordub. Suarius. Abulenſis Caietan. Sotus.

98. *Exemplũ ex veritate Natiuitatis. Baron.*

Simili etiam modo feſtum Natiuitatis B. Virginis inſtitutum fuit ante mille trecentos annos, longo tempore ante Auguſtinum, vt probat *Baronius in martyrologio Romano* ad diem octauum Septembris: & tamen non deſunt, qui ſcribant (falſo tamen) D. Auguſtinum dubitaſſe de ſanctitate talis natiuitatis, ex eo fundamento, quia ſanctificatio non eſt, niſi renatorum, vt ſcribit epiſt. 57. ad Dardanum tom. 2. pag. 108. col. 1. Quare non eſt dubitandum cum certitudine ad fidem ſpectante, ſimul ſtare poſſe, quod Eccleſia ita huius veritatis certitudinem probet, vt oppoſitum non prohibeat, ſed aliquo modo toleret; non quidem approbando illud, tanquam poſsibiliter verum; ſed illud non prohibendo, nec puniendo, ex eo quod certitudo veritatis, quam probat, adhuc non ita eſt in fide euidens, vt oppoſitum non toleretur. Et gauiſus ſum, cum vidi *Fratrem Franciſcum à Sancto Ioſeph. in ſua, quam de hac controuerſia edidit concluſione, §. 5. & 6.* in hoc nobiſcum conſentire.

Fr. Franc. à S. Ioſep.

99. Ex quo iam patet ſolutio difficultatis ſumptæ ex eo, quod Pius V. liberam fecit facultatem opinandi oppoſitum: quoniam (vt ſupra dicebamus) non proinde infertur, Eccleſiam veritatem Cõceptionis non colere tanquam certiſsimam, certitudine ad fidem pertinente; ſed ſolum vt abſolute piam, & ita probabilem, vt falſitas illi non repugnet: etenim cũ certitudine ad fidem pertinente orta ex celebratione huius Conceptionis, bene conſtat, quod ſanctitatem huius Concepnis ita diffiniat, vt oppoſitũ aſſeri, ſublato ſcandalo abſolute non prohibeat, ſed toleret, & permittat. Et hęc eſt facilis huius difficultatis explicatio, non aliena â doctrina, quæ inter veritates ad fidem pertinentes varios gradus euidentioris, vel minus euidentis certitudinis diſtinguit.

100. Inter quos vltimus eſt ille, qui authoritate Eccleſiæ â Spiritu Sancto gubernatæ ita decernitur, vt quandiu maiori lumine non illuſtratur, oppoſitum nõ prohibeat, ſed permittendo toleret. Etenim ex doctrina *Diui Gregorij communi-* *D. Greg.*

ter recepta homil.16. in Ezechielem fol.83. col.3. litera H. habemus *per incrementa tẽporum creſcere ſcientiam ſpiritualium Patrũ,* & poſt longam huius doctrinæ cõfirmationem ita concludit: *Quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ ſcientiæ additus largius aperitur.* Accedat etiam eiuſdem doctrina homil.15. in *eũdem Ezechielem fol.80.col.3. litera H.* vbi ita ſcribit: *Sine enim in cognitione mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti, ſeu in ſciẽtia diuini alloquij, ſeu in ipſa fide, quam de ipſo accepimus, quibuſdam gradibus ad altiora incrementa peruenimus:* quẽ gradualẽ aſcenſum in his, quæ ad fidem pertinent, Eccleſia quotidie experitur: etenim plura, quæ olim Patribus fuerunt dubia, nũc iam ſunt certa: plura, quæ inter doctores erant controuerſa, & incerta, modo ſunt de fide: quod in vno tempore ſolum erat probabile probabilitate cuiuſdam decẽtis pietatis, nunc iam ſunt certa certitudine pietatis, quæ ad fidem ſpectat; ita vt oppoſitum iam ſit improbabile. Denique quod Eccleſia olim proponebat vt certũ, ita vt oppoſitum toleraret, modo creſcẽte illuminatione Eccleſię, & fidelium deuotione, ab eadem Eccleſia iam proponitur in eodem gradu certitudinis fidei, vt oppoſitum prohibeat, ſicut de feſto Natiuitatis B. Virginis, & de eius Aſſumptione ſuprà diximus. Et hæc de quinta propoſitione dixiſſe ſit ſatis.

D. Greg.

101. *Eccleſia quottidie proficit.*

§. 11.

Sexta & vltima propoſitio.

102. *Vltima ꝓpoſitio.*

SIt ſexta & vltima propoſitio: *Veritas immunitatis Conceptionis B. Virginis ſatis confirmata erat ex eo, quod ab Eccleſijs particularibus in varijs Eccleſiæ prouincijs feſtũ Conceptionis celebrabatur.* Hãc propoſitionem ſtatuimus, vt oſtendamus veritatem & infallibilem certitudinem, quod Conceptio B. Virginis fuerit ſine originali macula, certiſsimam fuiſſe, etiã antequam Romana Eccleſia Conceptionis feſtiuitatem generaliter vbique celebrandam inſtitueret.

103. *1. præmiſſ.*

Pro illius cõfirmatione illud primum præmittimus, feſtum Conceptionis B. Virginis, ſi non generaliter in omnibus Eccleſijs, in quamplurimis tamẽ eſſe antiquiſsimum, vt oſtendimus in hoc art. §.4. prop. 1: etenim in Gręcia celebratũ fuit ante annos mille trecentos; in Anglia autẽ ante ſexcentos annos: in Gallia verò ante annos quingentos: in Aragonia, Valentia, & Catalonia ante annos ducentos. Quod verò in his prouincijs celebratum ſit ſub titulo immaculatæ & immunis ab omni macula originali, iam oſtendimus ſupra §.4. huius articuli, n.28.

Secundo præmittimus Epiſcopos olim ante Alexandrum III. & Innocentium III. in ſuis diœceſibus potuiſſe Sanctos canonizare, & illis feſta inſtituere, & celebranda proponere, vt expreſſe docet *Thomas Vualdenſis in lib. de Sacramentalib. tit.14.c.122. ex quo idem docet Bellarmin. 2.to. lib.1. de Sanctorum beatitudine c.8. & Suarius to.1. de Religione lib.2. de Sanctorũ feſtis c.11.p.322.col.1.C.* Quod expreſſe probatur ex verbis Cypriani lib.3. epiſt. 6. vbi iubet ad ſe ſcribi, *Cum aliquis Martyr de vita exit, vt ſtatim poſsit eius memoriam ſacrificijs celebrare; & illi diem talem ſingulis annis celebrandum inſtituere:* probatur etiam ex c.1. de conſecr. diſt.1. in illis verbis: *Et illæ feſtiuitates, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis epiſcopatibus cum p pulo collaudauere.* Ex quo textu Bernard. citatus à gloſſa ad verbum *feſtiuitates* abſolutè docet Epiſcopũ in ſua diœceſi poſſe Sanctum canonizare: quem plures ex Canoniſtis ſequuntur: & quãuis eadem gloſſa oppoſitum doceat, mota ex c.1. de reliq. & venerat. Sanctorũ: tamen opinio Bernardi omnino tenenda eſt, ſi ſermo ſit de temporibus Alexandri III. in quo ſenſu præcitatos doctores intelligẽdos eſſe, putat Suarius vbi ſupra. Quare ſtatuendum eſt poſt Alex.III. hãc poteſtatem iuſtis de cauſis ſoli Sedi Apoſtolicæ eſſe reſeruatã, vt teſtatur *idem Alex.3. in d.c.1. de reliq. & vener. Sanct. & ſatis ex Innoc.3. in c.2. eiuſdẽ tituli.* Vnde poſt conſtitutionẽ Alexandri 3. (qui floruit anno 1160. vel circa) Epiſcopi nõ poſſunt aliquẽ Sanctũ etiam pro ſua diœceſi canonizare; & per conſequens nec poſſunt de nouo feſtum illi inſtituere, niſi à Sede Apoſtolica iam ſit canonizatus: quod tamen ante Alexandrum III. poterant.

104. *2. præmiſſ.*

Vualdenſ. Bellarm. Suarius.

D. Cyprianus.

Cap. 1. de conſecr. d. 1.

Gloſſa Bernardi.

Cap. 1. de reliq. & venerat. Sanctorum. Cap. 2. eodem tit.

Ex

105. *Epiſcopi ante Alex. 3. legitimê inſtituerũt feſtum Cõceptionis.*

Ex his ita præmiſsis neceſſario infertur Epiſcopos, qui tot ſæculis ante Alexandrum III. feſtum Conceptionis in ſuis diœceſibus inſtituerunt, & ſolemniter celebrauerunt, potuiſſe de iure hoc feſtum inſtituere: nec ſane abſque Romanæ Eccleſiæ conſenſu tacita approbatione: videns enim Romana Eccleſia in omnibus fere Eccleſiæ partibus plures Sanctos ab Epiſcopis canonizari, & illis feſtorum celebrationes inſtitui; dum eas non prohibebat, eaſdem tacite approbabat: & ita talis canonizandi Sanctos Epiſcoporum poteſtas fuit conſuetudine introducta, idq; ex tacita, vel expreſſa Sũmi Pontificis approbatione, vt bene annotauit *Bellarminus in d. c. 8. in fine.* Pro qua etiã ſententia facit vulgare axioma: *quidquid poteſt Papa in tota Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi, niſi prohibeatur*: quod axioma licet abſolute non ſit verũ in ijs, quę ad iuriſdictionem pertinent, vt bene docet *Suarius tom. 5. de Cenſuris diſp. 7. ſect. 4. pag. 206. col. 1. & 2.* Eodem tamẽ teſte *ibidem pag. 207. col. 1. §. Quapropter,* veriſsimum eſt, & admittendum in ijs, quæ ad ordinariam, & communem animarum gubernationem pertinent, & moraliter ſunt neceſſaria. Nullus autem dudubitabit Sanctorum canonizationem, & inſtitutionem feſtorum pertinere ad cõmunem animarum gubernationem, & ad eam moraliter eſſe neceſſariam. Quare cũ ante Alexandrum III. & ante annum 1160. non fuerit Epiſcopis prohibitum canonizare Sanctos, & in illorum honorẽ dies feſtos inſtituere, vt diximus; euidenter cõuincitur feſtum Conceptionis B. Virginis legitimè fuiſſe in Græcia inſtitutum ante annos mille trecentos: & in Anglia ante ſexcẽtos annos: & in Gallia ante annos quingentos; cum talis inſtitutio Alexandrum III. longo tempore anteceſſerit. Cum vero inſtitutio illius feſti, ſicut & cæterorum, ex conſenſu Romanæ Eccleſiæ tacito, vel expreſſo facta ſit, vt diximus, non video quomodo illæ Eccleſiæ, licet particulares eſſent, potuerint in hoc errare: etenim accedente conſenſu Eccleſiæ Romanæ ſaltem tacito, habebant aſsiſtentiam Spiritus Sancti.

Bellarm. — *Axioma.* — *Suarius.*

106. *Occurritur obiectioni.*

Si verò obijcias D. Bernardum in d. epiſt. 174. Lugdunẽſes canonicos reprehendiſſe, quod ſine Eccleſię Romanę authoritate feſtum Conceptionis celebraſſent; reſpondebo mihi probabiliſsimum eſſe, iam pro illo tempore adfuiſſe prohibitionem, ne Epiſcopi in ſuis diœceſibus Sanctum aliquẽ de nouo canonizaſſent; aut feſtum aliquod de nouo inſtituiſſent inconſulta Sede Apoſtolica: etenim ex *Alexandro III. in c. 1. de reliq. & venerat. Sanctorum* conſtat tẽpore illius iam adeſſe talem prohibitionẽ: non tamen quod ille fuerit primus illius author: imò in d. c. 1. ſupponit id iam antea Epiſcopis interdictũ eſſe, vt bene aduertit *Suarius vbi ſup.* dicimus igitur Eccleſiam Lugdunẽſem, ideo forte feſtũ illud, Summo Pontifice inconſulto, inſtituiſſe; quia viderat tale Virginis feſtũ iam in alijs Eccleſijs ante præcitatã prohibitionẽ inſtitutũ eſſe: cõtra quos Bernardus ſe oppoſuit, cõtendẽs id incõſulta Sede Apoſtolica non licere.

Alex. in c. 1. de reliq. & vener. Sanctorũ.

107. *Concluditur ſolutio.*

Sed quidquid de hoc ſit, ad noſtrũ inſtitutũ ſatis eſt hoc feſtũ in Grçcia, Anglia, Gallia, & forte in Aragonia fuiſſe in pluribus Eccleſijs ab Epiſcopis inſtitutũ, ante vllam aut Alexandri III. aut alterius Summi Pontificis expreſſam prohibitionem: cui argumento eſt, quod nec Damaſcenus, nec Anſelmus illius celebrationem prohibuerunt, imò pótius maximè approbarunt, vt ex dictis patet: quod non facerent, ſi aliqua Sedis Apoſtolicæ prohibitio extaret.

§. 12.

Reſolutio totius Quæſtionis.

108. *Reſolutio vltima.*

EX ijs, quæ in confirmandis propoſitionibus à nobis ſtatutis tam latè diximus, euidenter patet, non eſſe negandum Eccleſiam Romanam feſtum Conceptionis inſtituiſſe, & in tota Eccleſia celebrari præcipiſſe ſub titulo immaculatæ, & immunis ab omni originali labe: etenim ſub hoc titulo, & in hoc ſenſu, & non ſub alio Romanam Eccleſiam Cõceptionem B. Virginis celebrare, non ſolum docuit *Sixtus IIII. in conſtitutione, quam ſuprà retulimus, edita anno 1482. & ſui Pontificatus 11.* ante aliam, quæ ponitur in Extrau. 2. de reliq. & veneratione

Sixtus 4.

Sanctorum inter communes; ſed etiam damnat vt falſam, erroneam, & à veritate penitus alienam oppoſitam aſſertionem: imò excommunicat oppoſitum aſſerentes, vt diximus ſupra in 2. propoſitione §. 5. per totum. Quare admonendi ſunt, qui hac de controuerſia ſcripſerint, eos incurrere, ſi negauerint Romanam Eccleſiam feſtum Conceptionis celebrare ſub titulo immaculatæ: quam excommunicationem contra id aſſerentes ego pro parte B. Virginis, & eorum, qui illius immunitatem defendũt, publicè denuncio, ne illius ignorantiam prætendant: nam Caietanum, Medinam, & alios, qui poſt illam conſtitutionem aliter ſcripſerunt ſolius ignorantiæ ratione ab excõmunicatione libero; quin potius vellem, vt doctiſsimus *Suarius explicaret opinionem, quam ſcripſit 1. tomo de Religione lib. 2. de diebus feſtis cap. 11. pag. 322. col. 2.* feſtiuitatem Cõceptionis potuiſſe in alio fundari, quam in præſeruatione à peccato originali, vt ſcilicet hoc intelligat non poſt Sixtum IIII. ſed pro tempore D. Bernardi. Imò non poſſum non aduertere ſuppoſita illa Sixti conſtitutione, qua mentem Romanæ Eccleſiæ in celebranda B. Virginis Conceptione explicat; non poſſe ſine cenſura defendi opinionem *Bellarmini lib. 3. de cultu Sanctorũ c. 16. pag. 1123. quatenus docet præcipuum huius feſti fundamentum ab Eccleſia intentũ non fuiſſe Conceptionem eſſe immaculatam; ſed conceptam fuiſſe fœminam, quæ futura erat mater Dei*: oppoſitum enim euidenter docet Sixtus IIII. in præcitata conſtitutione, & ſatis patet ex ijs, quæ diximus ſupra propoſitione 2. §. 5. & 6.

209. *Publicatur excõmunicatio Sixti 4. cõtranegantes Eccleſiam Romanam Cõceptionem celebrare ſub tit. immaculatæ.*

Aduerſarij ex ignorantia liberantur ab excõmunic.

210.

Contra Bellarminum.

211. *Nota hanc illationem.*

Hac veritate ſuppoſita, iam patet, quod licet ex celebratione Conceptionis, authoritate Eccleſiæ Romanæ inſtituta non inferatur puritatem Conceptionis eſſe de fide: quia eadem Romana Eccleſia explicauit ſe neutram partem de fide hactenus diffinijſſe: ex eadem tamen deduci efficaciſsimum argumentum Eccleſiam Romanam, non ſolum declaraſſe opinionem, quæ B. Virginem ab originali liberat, eſſe longe veriorem, quam oppoſitam; ſed eam ita eſſe certam, vt falſa eſſe non poſsit. Prima huius reſolutionis pars iam patet ex prima propoſitione, & ex quarta: ſecunda verò pars euidens eſt ex propoſitione tertia poſita §. 7. n. 42: tertia denique pars ſatis eſt cõfirmata ex quinta propoſitione: nam cũ Eccleſia in ijs, quæ ad cultum diuinum pertinent, & ad canonizationem tum Sanctorum, tum feſtorum errare non poſsit, vt oſtendimus: vtique id, quod illa colit, & canonizat, certum erit certitudine, quæ aliquo modo pertinet ad fidem: cuius hæc eſt excellentia, vt illi falſum ſubeſſe nequeat.

Quare dicendum eſt Eccleſiam, licet certitudine fidei adhuc nõ ſit certa, quod B. Virgo fuerit ab originali immunis: adeo tamen de hac veritate eſſe certam, vt nullam de oppoſito habeat formidinem: quod ſatis oſtendit modus orandi, quem in præfato officio ſeruat: poſtulat enim à Deo, *vt ſicut Virginem ab omni labe præſeruauit, ita nos mũdos ad ſe perducat.* Quæ poſtulatio omnem prorſus ab Eccleſia formidinem excludit: aliàs exponeret ſe periculo dira ſibi precandi. In alia etiam oratione alloquens Deum, affirmat, *ſe illo iubente conceptionem B. Virginis vt ſanctam celebrare*: quod non diceret, niſi de diuina iuſsione certa eſſet: etenim Deus id, quod falſum eſt, iubere non poteſt. 212. *Eccleſia certa eſt certitudine quæ falſitatem excludit.*

Si verò quis obijciens, dicat formidinem de oppoſito tolli non poſſe, niſi per certitudinem fidei. Hoc omnino eſt illi inficiandum: etenim in concluſionibus theologicis in materia, quæ ad fidem aliquo modo pertinet, formido de oppoſito non ſolum tollitur per certitudinem fidei; ſed per certitudinem eorum, quę aut propter affinitatem, quam habent ad fidem; aut propter ordinem & conſonantiam, quæ in illis ad fidem datur, dicuntur eſſe ipſius fidei appendicia. Dari autem veritates huius generis habes apud *Canum 12. de locis cap. 5. ad finem, & apud Cordubenſem libro primo quæſtionar. q. 17. §. 9. poſt principium, pag. 150. col. 1.* Nec de hoc dubitari poteſt, quia dantur plures propoſitiones, quæ licet non ſint de fide, ſapiunt tamen fidem; & ad illius cõſeruationem, & veluti ſanitatem ſpectãt 213. *Occurritur obiectioni.* *Canus. Cordub.*

magis

magis & minus, iuxta maiorem certitudinem, quam accipiunt ab ijs, quæ ſunt de fide: & ideo in propoſitionibus oppoſitis varij ſunt gradus falſitatis, vt in ſuperioribus latè oſtendimus.

214. In his igitur nulla ineſt formido de oppoſito, vt palam eſt. Igitur veritates huius generis, quæ dicuntur appendices fidei, enumerari debent veritates, quę ſumuntur ex aſsiſtentia diuina, quam Eccleſia Romana habet non ſolum in diffiniendo expreſſe, vel tacite ea, quæ ſunt fidei: ſed etiam in eligendo illa, quæ in materia ad fidem aliquo modo pertinente cum Chriſtiana pietate congrua ſunt: hæc enim ſi non dum ad fidem ſimpliciter pertinent: quoquo tamen modo ſpectant ad fidei ſanitatem, vt phraſi vtamur Cani. His igitur veritatibus ſine vlla formidine aſſentiendum eſſe, nullus dubitabit. Quare non debet mirum videri, ſi Eccleſia non dum habens certitudinē fidei, *quod B. Virgo fuerit concepta ſine originali peccato*, de hac veritate ſit certa certitudine excludente omnem formidinē: quod in ſuperioribus latiùs oſtendimus.

§. 13.
De antiquitate feſti Conceptionis.

215. *De antiquitate feſti.* QVanuis de antiquitate feſti Conceptionis nonnulla dixerimus ar. 1. huius quæſt. §. 4. oportet tamen diligentius expendere â quonam tēpore hoc feſtum celebrari cœpit. In qua quæſtione certiſsimum eſt illud in tota Eccleſia incœpiſſe celebrari â tēpore Sixti IIII. ab anno 1480: etenim licet ante illum in Romana Eccleſia, & in pluribus alijs illius authoritate, ſaltem tacita, celebraretur, vt ex dicendis patebit. Quod tamen ante Sixtum in tota Eccleſia celebraretur, non egimus. Verum à quo tempore celebrari cœperit? nonnulla eſt dubitatio. Pro illius explicatione aliqua dicemus.

216. *Eſt antiquius Sixti 4.* *Conc. Baſilien.* Primum eſt feſtum Conceptionis eſt Sixto IIII. longe antiquius. Et quidem quod in Eccleſia Romana à Sixto quarto primum celebrari non cœperit, euidēter probatur ex verbis *Concilij Baſilienſis ſeſſ.* 36. dum approbat, & renouat eiuſdē feſti inſtitutionem, *quod* (vt ait) *per Romanam & alias Eccleſias antiqua, & laudabili conſuetudine celebratur*: quæ verba conuincunt hoc feſtum longo tempore anteceſſiſſe Concilium Baſilienſe, quod pluſquā 30. annis Sixtum anteceſsit.

Deinde dico feſtum Conceptionis tēpore Sancti Anſelmi publicè celebratū fuiſſe ſaltem ab anno 1060. vel circa: etenim non deſunt, qui dicant Anſelmum hanc celebritatem in Anglia primum inſtituiſſe, vt teſtatur Concilium Cantuarienſe anno 1328. teſte *Bachonio quodlib.* 3. *q.* 13: agens enim Concilium de hac feſtiuitate, ita ſcribit: *Creditur eam inueniſſe venerabilem Anſelmum*: inueniſſe, inquā, quia primus ordinauit, vt in Anglia celebraretur: forte motus ex quadam reuelatione facta â B. Virgine de celebranda in Anglia ſuæ Conceptionis celebritate: idque tempore Guillermi Normanorū ducis. Quæ vel facta fuit ipſi Anſelmo, vt ſcribit *Petrus in ſuo catalogo lib.* 1. *c.* 42. aut cuidam Elpino abbati Anglo in mari periclitanti, vt ex quodam antiquo codice refert *Baronius in Kalendario ad diem* 8. *Decēbris*: & colligitur ex epiſtola eiuſdem Anſelmi ad Epiſcopos Angliæ, quā eſſe legitimam illius, plures affirmant, vt videre eſt apud Ojedam in ſua informatione pro Conceptione c. 12. fol. 41. Nō eſt igitur negandum in Anglia feſtum Conceptionis tempore D. Anſelmi celebrari. Hanc celebrationem per multas annorum centurias in Anglia permanſiſſe patet ex Concilio Oxonienſi anno 1200. annis 100. poſt Anſelmum, vbi canone 1. inter alia feſta hoc enumeratur, vt patet ex Creſpetio, quem refert Ojeda vbi ſupra.

217. Celebrabatur tempore Anſelmi. Bachonius. Petrus. Baronius. Ojeda.

Tertio affirmo feſtum Conceptionis longe eſſe antiquius D. Anſelmo, & in pluribus Eccleſijs fuiſſe celebratum ante centuriam 1000. vt patet ex martyrologio Bedæ qui floruit anno 730. in quo inuenitur annotatum hoc feſtum, quod arguit hoc feſtum ſtatim celebrari cœpiſſe, cum in Anglia fides ſuſcepta eſt, id etiam patet ex Kalendario græco, quod tribuitur Damaſceno eiuſdem temporis cum Beda: quod kalendarium Damaſceno â pluribus tribuitur. 218. *Eſt antiquius Anſelmo.*

219. *Eſt antiquius Beda & Damaſceno.* Quarto addo hoc feſtum longo tempore ante Bedam, & Damaſcenum in Hiſpania celebratum fuiſſe, vt conſtat ex Kalendario Sancti Iſidori, quod ex commiſsione Concilij quarti Toletani compoſuit, reformans Miſſale, & Breuiarium Hiſpaniæ, quod appellatur Moſarabe, vt colliges ex Ambroſio de Morales lib. 12. c. 19. Mariana lib.6. cap.5. Loaiſa in annotationibus ad dictum Cōcilium c.3.& Baronio tom.8. anno 673. floruit autem Iſidorus circa annum 630. Concilium autem celebratum fuit anno 643. In hoc Kalendario ponitur feſtum Conceptionis tanquam celebrari ſolitũ, & in Miſſali plura reperiuntur in fauorem immaculatæ Conceptionis, quæ vide apud Ojedam vbi ſupra cap.5. fol.12. vbi fol. 13. ſcribit Miſſale illud (in quo continetur Miſſa Conceptionis) à pluribus Summis Pontificibus fuiſſe approbatum, & vſque in hodiernam diem in Hiſpania ſemper permanſiſſẽ.

220. *Eſt antiquius Iſidoro.* Quinto dico hoc feſtum longo tempore ante Iſidorũ celebrari ſolitũ. Quod confirmo teſtimonio Oroſij (qui floruit anno 400.) in epiſtola ad Euſtochiũ: èx quo hæc verba refert Ojeda in d. c.5. fol.11.pag.2: *Coram Deo noui, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, ſuper quam deuote Mariæ gratia imploratur, & dies conceptionis celebratur.* Confirmatur etiam, quoniam viri doctiſſimi teſtantur D.Hieronymum compoſuiſſe quoddam Martyrologium; ita Caſſiodorus in lib. de Inſtitutione diuinarũ lectionum c.32. Beda in retractationibus ad cap.1. Actuum Apoſtolorum, & c.6. in Euangelium Marci, Caliſtus 2. in prologo libri de tranſlatione Iacobi. Mollanus in annotationibus ad Martyrologiũ Vſuardi, denique Baronius in ſuo Martyrologio in Præfatione cap. 9. In hoc Martyrologio annotari feſtum Conceptionis plures affirmant; & nonnullis rationibus id probat Ojeda vbi ſupra c.13. fol.48.pag.2.

221. *Incœpit à tẽpore Apoſtolorũ.* Tandem hanc immaculatę conceptionis feſtiuitatem à tempore Apoſtolorũ incœpiſſe non ſine vrgentiſsimis fundamentis probat Ojeda in ſua informatione pro conceptione nouiſsime edita. Quod ſatis mihi probant verba Liturgiæ Sancti Iacobi minoris lingua Syriaca ab eodem compoſita, vbi poſt conſecrationem Sacerdos alta voce dicit: *Memento præcipuè ſanctiſsimæ, immaculatæ, & ſuper omnes benedictæ glorioſæ Dominæ noſtræ Deiparæ ſemper Virginis Mariæ.* Et à choro reſpondetur: *dignum eſt, vt te vere beatam dicamus, Deiparam, ſemper beatam, & omnibus modis irreprehenſam matrem Dei noſtri.* Ex quo conſtat Eccleſiam authoritate Iacobi Apoſtoli publicè confiteri in Miſſa B. Virginem omnibus modis fuiſſe irreprehenſam; & ſubinde conceptionẽ eius ab omni peccati labe purã. *Liturgia Iacobi minoris.*

Accedat ſecundò; quod Eccleſia Ægypti ex traditione Sancti Marci Euangeliſtæ in nouo teſtamento lingua Syriaca ab eodem ſcripto inter Epiſtolas, & Euangelia, quæ in ſingulis feſtiuitatibus cantanda ſunt, reperitur quod in conceptione B. Virginis legatur Euangelium Lucæ 11. *Beatus venter, qui te portauit*: ita enim habet illius feſti titulus: *Lectio in Conceptione Deiparæ Mariæ*, de quo videndi ſunt *Fabritius Boderianus in epiſtola proœmij aduerſionem Syriacam*: *Genebrardus libro 4. Chronicor. Serarius in prologomenis Bibliæ cap. 15.q.4.& 5. quos refert Ojeda vbi ſupra cap.2.fol.5. pag. 1.* Quæ tituli verba euidenter probant hanc conceptionis feſtiuitatem fuiſſe receptam ab Eccleſijs à beato Marco fundatis. Vnde in kalendario Alexandrino (quod ſeruari in Collegio Societatis Hiſpali affirmat Ojeda) hoc Conceptionis feſtum reperitur annotatum. Ex quibus efficaciter conuincitur illud ab Apoſtolis acceptum fuiſſe, quod plurimarum Eccleſiarum teſtimonijs confirmat Fabritius vbi ſupra. 222. *2. ratio.* *Fabritius. Genebrad. Serarius. Ojeda.*

Cui etiã euidenti eſt argumento, quod Eremitæ, qui in monte Carmelo regulã Eliæ vſque ad Chriſti aduentum ſunt ſecuti, hanc ab Elia traditionẽ declararunt; & ab Apoſtolis in ea confirmati anno à natiuitate 83. ſacellum, ſiue capellam in honorem B. Virginis, & in confirmationem ſuæ traditionis ædificarunt, vt ex Ioãne Patriarcha Antiocheno, & ex alijs citauimus ſupra q.4.ar.1.§.1. in princip. Et hæc ſatis dicta ſint pro confirmanda antiquitate feſti Conceptionis. 223. *Aliud argumentũ.*

ARTI-

ARTICVLVS II.

An ad confirmandã immunitatem Cõceptionis ſumatur argumentum efficax ex eo, quod Sedes Apoſtolica cõfirmauit Religionem Monialium ſub titulo Cõceptionis immaculatæ.

1. *Argumẽtum ſumptum ex religione cõceptionis.* NEminem ex aduerſarijs legi, qui de hac quæſtione egerit; forte, quia noua eſt inſtitutio Religionis Monialium de Conceptione; vel forte, quia non fuit generalis in Eccleſia. At tamẽ ex huius Religionis inſtitutione omnes fere noſtri temporis Theologi argumentũ ſumũt ad immunitatem, & puritatem Conceptionis B. Virginis confirmandam. Eo vtuntur *Bellarminus tom. 4. lib. 4. de Amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati c. 15. pag. 324. D. Suar. 2. to. ad 3. p. diſpu. 3. ſect. 5. pag. 40. col. 2. in princ. Valentia 4. tom. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag. 412. A. Cordubenſis lib. 1. quæſtionar. q. 44. in 3. probatione ſextæ concluſionis pag. 361, colu. 2. §. Tertio principaliter: Fr. Franciſcus de Pitigianis in Summa Theologiæ ad 3. diſt. 3. q. 1. art. 5. §. Secundo arguitur pag. 139. col. 1. Vincentius Iuſtinianus in tract. de Cõceptione Virginis §. Quarto Gundiſaluus Sanches Luzero in eodem tract. in primo diſcurſu fol. 38. pag. 2. vt alios omittamus.* *Bellarm. Suarius. Valentia. Cordub. Pitigian. Vincent. Iuſtinian. Luzero.*

2. *Iulius 2.* Hi omnes affirmant Iulium Secundũ anno 1511. die decimo Septembris inſtituiſſe Religionem Monialium ſub titulo immaculatæ Conceptionis. Cui Religioni regulam inſtituit propriam; in cuius c. 1. declarat ſe illam Religionem inſtituiſſe in honorem immaculatæ Conceptionis B. Virginis: & præcipit vt Moniales, dum habitũ ſuſcipiunt, expreſſe profiteãtur ſe illum ſuſcipere, vt eiuſdẽ genitricis Dei Conceptionem venerentur, vt patet ex illis verbis: *eiuſdem genitricis Dei Conceptionem venerantes, & cætera.* Et ſtatuit in capit. 2. vt Moniales his verbis profeſſionem emittant: *Ego Soror. N. ob amorem, & ſeruitium Domini noſtri: & immaculatæ Conceptionis eiuſdem Genitricis voueo, &c.* c. item 3. ita ſcribitur *vt palliũ ſit hyacinthini coloris propter myſticã ſignificationem, quod ſcilicet glorioſæ Virginis anima à creatione ſua tota ſancta fuit, cæleſtis, & ſingularis Regis æterni thalamus.* Item cap. 4. ita habetur: *vt autem diuinũ ſeruitium ſemper creſcat, & glorioſæ Virginis pijs in cordibus puriſsimæ Cõceptionis deuotio augeatur* in cap. 14. præcipit idem Põtifex, vt in ſingulis feſtibus ſimplicibus, & ſemiduplicibus, Dominicisque recitẽt Moniales Officium Conceptionis illis inſtitutum, in quo B. Virginis cõceptio ſæpius dicitur ſancta, & immaculata.

Denique ſtatuit idem Iulius Secũdus vt quamuis huius religionis Moniales regulam Sanctæ Claræ non profiteantur, ſed propriam à ſe illis datam; tñ ſubiectæ ſint Fratribus Minoribus, ideo quia tam indefeſſo ſtudio, & vigilantia puritatis, & innocentiæ Dei genitricis defenſores exiſtunt. Quem ordinem à Iulio Secũdo inſtitutum poſtea approbauit & confirmauit Leo Decimus, cui cõmunicauit omnia priuilegia, & indulgentias Monialibus Sanctæ Claræ conceſſas, eaſdem Moniales nominans ſub titulo ſanctę & immaculatæ Cõceptionis, vt patet ex cõpendio priuilegiorum ordinum Mendicantium verbo *Communicatio priuilegiorum* §. 18. 3. *Leo 10.*

Hoc ſuppoſito authores præcitati ad confirmandam B. Virginis immunitatẽ ita argumentantur: Summus Pontifex non poteſt errare in inſtituendis, approbandis, & confirmandis Religionibus, ſaltem quoad ea, quę ad veritatem doctrinę & inſtituti pertinent, & ad cultum diuinum. Sed Iulius Secundus inſtituit, approbauit, & confirmauit religionem Monialium Conceptionis, quæ in Hiſpania hodie viget, ſub titulo ſanctæ & imaculatæ, & eundem ordinem poſtea confirmarunt, & approbarunt Leo Decimus, & Alexander Sextus. Ergo veriſsimum eſt, & certiſsimum certitudine, quæ omnem errorem, & falſitatem excludit, primam B. Virginis Conceptionem vere fuiſſe ſanctam; & ab omni originali labe immunem. Conſequentia huius diſcurſus eſt legitima: minor euidenter probatur, tum ex titulo ipſius Religionis: tũ ex verbis profeſsionis, quam emittunt: tũ deniq; ex alijs regulæ teſtimonijs, quæ adduximus. 4. *Argum. inde ſumptum* *Alex. 6.*

Maior vero à Theologis cõmuniter recipi- 5.

Bañes. recipitur etiam ab ijs, qui oppoſitam ſententiam probant: vt patet ex Dominico Bañes *ad 2.2.q.1.art.10.dub.8.concl.3.&* 4. qui licet contra immunitatem Virginis ſcribat, maiorem tamen illam vt veriſsimam probat. Eandem probat noſter
Aragon. *Aragonius, in eodem art. 10.§. Eſt aliud du*
Valentia. *bium pag.100.col.2.in fine, Valentia 3. to.*
Azorius. *diſp.1. q.1.punct.7. pagin.253.in fine:* late
Vincent: *Azorius to.2.inſtitut. Moral.lib.5.cap. 7,*
Bellarm. *q.2. Vincentius Iuſtinianus in d.tract.de Cõ-*
Suar. *ceptione Virginis §.4. ſatis conſentit Bellarminus vbi ſupra, cum Suar. loco citato, ſed expreſsius in ſua lectura ad 2.2.q.1. artic. 10. diſp.5. ſect. 8.* Quam opinionem ita eſſe certam, vt oppoſita ſit hæretica, affirmat Bañes vbi ſupra: eam eſſe temerariam, & erroneam teſtatur Azorius: errare, qui eam aſſerunt, affirmat Valentia, ad quod iudiciũ ſatis videtur accedere Aragonius.

6. Propria ſẽtentia. Ego puto oppoſitum eſſe impium, & errori proximum: etenim, quæ conuincunt damnari debere aſſerentem poſſe Summum Pontificem errare in canonizatione Sanctorum, eadem conuincunt damnandum eſſe, qui diceret Papam in approbandis, confirmandiſq; Religionibus errare poſſe. Quam reſolutionem præcitati authores intelligunt de ijs, quæ pertinent ad veritatem doctrinæ, & diuini cultus, ſub quo inſtituuntur. Nam cũ Summus Pontifex, dum Religionem aliquam approbat, & confirmat ſub aliquo titulo, & cultu ad Deum, virtutemq; ſpectante, eandem ſub illo cultu pie, & religioſe ſeruandam publice proponat tanquam bonam, & ſalutarem vitæ regulã, & normam, vt patet; quĩ fieri poteſt, vt erret, aut in veritate doctrinę, aut in morum rectitudine? vide quæ de hoc latius ſcribunt præcitati Theologi; & ſane intelliges Eccleſiam in hoc etiam habere Spiritus Sancti aſsiſtentiam, & eandem, quam habet in canonizandis Sanctis.

Quare meritò omnes citati Doctores arguunt, & reprehendunt Canum, quod oppoſitum docuerit, lib. 3. de locis cap. 5. prope finem §. *Nunc illud breuiter dici poteſt*, vt bene aduertit Valentia vbi ſupra, & illius argumenta facile ſoluit Azorius, quem vide.

7. Ex quibus iam patet vis, & efficacia argumenti ſumpti ex eo quod Eccleſia Ordinem Conceptionis B. Virginis ſub titulo immaculatæ, & ab originali immunis approbauit, & confirmauit ea intentione, & fine, vt Deus in ipſa B. Virginis puritate coleretur, & huius veritatis deuotio in populo fideli magis, ac magis creſceret, & augeretur: nam cũ Eccleſia expreſſe aſſerat ſe talem Ordinem inſtituiſſe & approbaſſe in honorem, & laudẽ B. Virginis, & approbet, vt ipſi Moniales in ipſa habitus ſuſceptione expreſſe dicant ſe habitum ſuſcipere in veneratiõe Cõceptionis immaculatæ: & in ipſa profeſsione expreſſe declarent ſe vota ſolenniter vouere in honorem & ſeruitiũ immaculatæ Conceptionis, cum cæteris, quæ ſupra adduximus; dubium non eſt Romanam Eccleſiam ſentire, & docere Conceptionem B. Virginis ſanctam eſſe, & ab originali immunem, & puram: quibus ſi addas Eccleſiam illa Religionis inſtituta Spiritu Sancto dirigente approbare, & cõfirmare, & fidelibus proponere vt ſupra oſtendimus; neceſſario fatendũ eſt argumentum adeo eſſe efficax, vt à viro catholico, nec apparẽter ſolui poſsit, vt bene annotauit Cordubenſis in d. q. 44. pag. 361. col. 2. ad finem, quem ad literam ſequitur Franciſcus de Pitigianis in 3. diſt. 3. q. 1. art. 5. §. *Secundo arguitur*, pag. 139. col. 2. Concluſio argum.

ARTICVLVS III.

An ad eandem veritatem confirmandam ſumi poſsit argumentum efficax ex communi fidelium conſenſu?

TErtium argumentum fere omnẽs Theologi, maximè nouiores, ſumműt ex vniuerſali, & vnanimi fere totius Catholicæ Eccleſiæ conſenſu, & deuotione, quæ ſucceſſu temporis, & aliquorũ (licet paucorũ) repugnãtia, & cõtradictione in dies magis ac magis augeſcit, & creſcit; imò eo firmior fit & vniuerſalior, quo maiores in aliquibus dãtur contradictiones. Ex hoc communi, & fere vniuerſali totius Eccleſiæ conſenſu ad immunitatem B. Virginis corroborãdam argumentum ſumpſerunt *Suar. 2. to.* 1. Argumentũ ex cõmuni conſenſu fidelium. Suarius.

Cordub. *ad 3.p.diſp.3.ſect,5.pag.39.col.1.§.Secundum fundamentum:Cordubenſis lib.1.q.44.arg.8.§. Octauo tandem,& §. ad idem etiã*
Valentia, *valde: Valentia tom.4.diſp.2.q.1. punct.2. §.412.§.6. idem patet: Petrus Morales lib.*
Morales. *3.de Chriſto & B.Virgine trac.1.n.53.pag.*
Canniſius. *295.Canniſius de Maria Deipara lib.1.c.7.*
Bellom. *pag.69. Vaſquez Bellomontanus 2. tom. ad*
Salmeron. *3.p.diſp.117.n.80.Salmeronins in epiſt. ad*
Catharin. *Rom.cap.5.diſp.52.§.4. & pro hac ſenten-*
Bellarm. *tia pag.477.col.2.Catharinus lib.3.de Conceptione B. Virginis poſt princ. §.atteſtatur & quarto:Bellarminus to.4.lib.4.de Amiſſione gratiæ cap.15.pag.325.in principio §. Adde vltimo,* Ex eodem fundamẽto no-
Vincent. Iuſtin. ſtris his tẽporibus plerique Theologorũ pro ſedanda aliquorum ſeditione hãc veritatem confirmarunt: ita *Vincentius Iuſtinianus in ſpeciali Conceptionis tractatu à §.9.cum ſequentibus: Ioannes Pineda in ſer. de immaculata Virgine à §.7,* cum ſequẽtibus,vt innumeros alios omittamus,qui hoc argumento vtuntur:quod ego puto ad confirmandam B. Virginis immunitatem eſſe efficaciſsimum, & vt vniuerſalis iſte totius fere Eccleſiæ conſenſus fiat euidentior, à Summis Pontificibus, qui vniuerſalis Eccleſiæ capita fuerunt, incipiemus.

§. 1.

Hanc opinionem à multis ſæculis omnes Sũmi Pontifices,vt vere piam,amplectuntur fouent, & fidelibus ſuadent,

2. Probata eſt Summis Pontificibus.

QVod Sedes Apoſtolica,& Sũmi Pontifices immunitatem Conceptionis B. Virginis non diffiniendo,ſed vt certiſsimam & vere piam, pietate non quidem probabili, ſed fidei conſona amplexi ſint,fouerint,& fidelibus ſumma cum deuotione ſuaſerint,dubitari non poteſt,ſi ſingulos Sũmos Põtifices a Sixto 4.vſque ad noſtra tempora
Sixtus 4. percurramus. Quanta cum deuotione Chriſtiano zelo, & certitudine Sixtus 4. hanc veritatem fouerit; expreſſe conuincunt plures illius conſtitutiones; etenim feſtum Cõceptionis ab Eccleſia Romana ſolenniter celebrari ſub titulo immaculatæ, expreſſe ſupponit in duabus conſtitutionibus, quæ incipiunt *Graue nimis*; quarum vna expedita fuit anno 1482.Pontificatus autem 11,altera vero anno 1483.& ſui Pontificatus 13:quę eſt Extraua.2.de reliq.& venerat. Sãctorũ inter communes. Idem etiam ſupponit in Extrauagan.1.eodem titulo expedita anno 1466. vbi dignum, imo debitum reputat, vt vniuerſi fideles Omnipotẽti Deo de immaculata Virginis mira Conceptione laudes, & gratias referant: & de facto plurimis indulgentijs illos inuitat & allicit,vt diuinis Officijs,& Miſsis in die,& per octauas interſint, vt diuinæ gratiæ de ipſius B. Virginis mira Cõceptione fiant Deo gratiores: idem Sixtus Quartus præcepit,vt fieret octaua ſolennis de feſto Conceptionis,ita vt feſtiuitates Sãctorum, quæ infra illam venerint, poſt octauam celebrentur: cõſtituit etiã, vt ſi feſtũ Cõceptionis in Dominica venerit,Dominica transferatur,vt habetur in mari magno fol.68.conceſ. 134. anno 1488.conceſsit etiam,vt Officiũ Cõceptionis cõpilatum per Fratrem Bernardinũ de Buſtis celebrari poſsit,vt hoc modo deuotionis illius feſti fieret incrementũ. Vide in mari magno fol. 114.pag.2.Iuſſit etiam,vt feſtum Conceptionis, quod Eccleſia Romana celebrabat, in tota Eccleſia ſolenniter celebraretur in laudem B. Virginis: Romæ in Eccleſia Sancti Petri in Vaticano Capellam ædificauit, vt in ea Conceptio immaculata Virginis celebraretur. Denique in tribus citatis cõſtitutionibus Conceptionem B. Virginis intemeratam ſemper, & immaculatam appellat. Non eſt igitur dubitandũ, Sixtum Quartum ſumma cum deuotione, & pietate Conceptionẽ B. Virginis, vt vere ſemper immaculatam amplexatum & veneratum fuiſſe. 3. Omnes poſt Sixtum 4.

Poſt Sixtum Quartum omnes Summi Pontifices in eadem fuerunt ſententia: nam cum ſcirent,& viderent, feſtum Cõceptionis in tota Eccleſia vſque ad noſtra tempora ab omnibus fidelibus ſolenniter ſumma cum deuotione celebrari; abſque dubio idem, quod Sixtus 4. approbarũt; nec aliquis ex Summis Pontificibus inuentus eſt,qui huic deuotioni, vel apparenter cõtradixerit: imò omnes, qui vſq; ad noſtra tempora Romanam adminiſtrauerunt

uerunt Eccleſiam, conſtitutioni Sixti 4. non ſolum conſtanter adhæſerunt, ſed indulgentijs, & priuilegijs in fauorem, & augmentum deuotionis huius feſti conceſsis, ſumma cum deuotione auxerunt: & in ſedandis, qui fere ſingulis ſæculis cõtra hanc B. Virginis puritatem excitãtur, tumultibus, eam ſemper magis cõfirmant, & augent. Poſt Sixtum quartum

Innoc. 8. Innocentius Octauus illius ſucceſſor principium dedit Ordini Monialium immaculatæ Conceptionis, vt refert Vincẽtius Iuſtinianus in tract. de Conceptione §.4. cuius tempore, nullo hac de re excitato tumultu, fidelibus pace, & quiete ſuę deuotionis, & pietatis fruentibus; nonnulli, vel ignorantes effectum literarum Sixti 4. vel illas temerariis auſibus contemnentes, per diuerſas ciuitates, & terras contra B. Virginis immunitatem ſurre-

Alex: 6. xerunt, & nõ paruos excitarunt tumultus, quibus occurrens Alexãder Sextus anno Domini 1502. cõſtitutiones Sixti 4. renouauit, vt patet in mari magno impreſsionis ſecundæ fol. 158. imò in honorem Conceptionis plures inſtituit confraternitates, vt refert Vincentius vbi ſupra §.2.

4. *Pius 5.* Poſt Alexandrum Sextum ſucceſsit Pius Tertius, qui ſolum ſedit dies 26. cui ſuccedens Iulius Secundus anno 1503. maxima affectus pietate erga Virginem, inſtituit, & approbauit Ordinem Monialium ſub titulo immaculatæ Conceptionis, & regulam illi dedit, in qua multis declarauit, qua deuotione Conceptionem B. Virginis coleret, & veneraretur: vt patet ex ijs, quę præcedenti articulo de eo diximus. Ex quibus illud eſt maximè notandũ, quod hui⁹ Ordinis curã Fratribus Minoribus conceſsit, vt illis indefeſſum laborem, & diligentiam in defendẽda hac B. Virginis innocentia remuneraret. Imò plures indulgentias conceſsit, illis, qui in Regno Caſtellæ Imaginem Cõceptionis immaculatæ, quam præfatæ Moniales portant, ſecum portarent. Quod etiam fecit Leo Decimus illi immediate ſuccedens anno 1513. qui ob huius myſterij deuotionem eaſdem indulgẽtias portantibus præfatam Imaginem cõfirmauit; & Patribus Minoribus, qui Miſſam eiuſdẽ Conceptionis, aut deuote celebrauerint, aut audierint, plenariã largitus eſt indulgentiam, vt patet ex compendio Patrum Mẽdicantiũ, verbo *Indulgentiæ plenariæ* §.17. & 18.

Ab anno 1522. in quo creat⁹ eſt Adria- 5. *Pius 4.*
nus Sextus vſque ad Pium Quartum, fideles ſine vllo tumultu ſumma quiete, ac pace fruiti ſunt, & in Cõceptionis honorem plures inſtitutę ſunt cõfraternitates; ſub quo Pontifice concluſum eſt Con- *Trident,*
ciliũ Tridentinum anno Domini 1563. in quo cum ſumma omnium fidelium gratulatione Eccleſia declarauit, non eſſe ſuæ intẽtionis B. Virginem ſub generali peccati originalis regula comprehẽdere; eam immaculatam appellans; & pro hac veritate fouenda, & amplianda innouat omnes Sixti 4. conſtitutiones; & præcipit vt ſub pœnis in eiſdem ſtatutis obſeruentur. Poſt Concilium Tridentinum Pio quarto ſucceſsit Pius 5. Ordi- *Pius 5.*
nis Prædicatorum anno 1566, qui non ſine dolore audiens ſuo tempore ab aliquibus de eadem B. Virginis immunitate & puritate contẽtiones excitari, inhærẽs ſuorum prædeceſſorum decretis, eaſdem Sixti 4. cõſtitutiones confirmat, & modum inſtituit publicis hac de re diſputationibus, vt inferius oſtendemus. Sedatis iſto modo in fauorem B. Virginis tumultibus, hæc immaculatæ Cõceptionis pietas tãquam palmam obtinuit; ac mirabili populorum concurſu corroboratur, & augetur, idque Sũmorum Pontificum applauſu, vt inferius oſtendemus.

Ex hoc patet à tempore Sixti quarti 6.
vſque ad noſtra tempora omnes Sũmos Pontifices hanc Conceptionis puritatem ſẽp amplexos fuiſſe, & vniuerſos fideles ad illius deuotionẽ, & celebrationem ſub titulo immaculatæ incitaſſe. Quod vero Summi Pontifices, qui Sixtum quartũ præceſſerunt, eandẽ veritatem fouerint, & vt certã, non diffiniendo, ſed ſub fidei pietate illi adhærendo, amplexati ſint, ex eo probari poteſt, quod feſtum hoc Conceptionis authoritate Romanæ Eccleſiæ multo tempore ante Concilium Baſiliẽ- *Ante Baſilienſe.*
ſe (celebratum circa annum 1430. vel circa) publicè celebraretur, vt euidenter patet ex verbis illius ſeſ. 36. dũ approbat,

&

& renouat eiuſdem feſti inſtitutionem; *Quod per Romanam , & alias Eccleſias antiqua, & laudabili conſuetudine celebratur.* Cuius teſtimonium admittendum eſt, licet pro illo tẽpore iam fuerit illegitimũ: tale enim non fuit, vt teſtimonium eius de eo, quod geſtum erat, fuerit inualidũ. Quare cum affirmet Eccleſiam Romanã, & alias Eccleſias antiqua conſuetudine feſtiuitatem Conceptionis ſub titulo immaculatæ celebrare (nam ſub eodem titulo idem Concilium , vt celebraretur, inſtituit) negandum non eſt, Summos Pontifices , qui pro toto illo tẽpore fuerunt, approbaſſe Conceptionis illius puritatem , & immunitatem ab omni labe
7. originali. Idem etiam colligitur ex duabus conſtitutionibus eiuſdem Sixti 4. nã in vtraque ſupponitur feſtum Conceptionis in Romana Eccleſia iam celebrari: vnde dici non poteſt Sixtum quartum tale feſtum primùm inſtituiſſe, & præcepiſſe: nam ex eo, quod à Romana Eccleſia iam celebrabatur , ſumit fundamentũ reprehenſionis , & damnationis eorum, qui aſſerebant, tale feſtum ſine hæreſi, & peccato mortali celebrari non poſſe. Imò etiam id manifeſte probatur ex eo, quod idẽ Sixtus anno 1466. 3. Kalendas Martij , & ſui Pontificatus anno 6. plures indulgentias conceſsit celebrantibus hoc feſtum, vt patet ex Extrauag. 1. de reliq. & venerat. Sanctorum inter cõmunes: cũ tamen primam conſtitutionem, quæ incipit *Graue nimis* expedierit anno 1482. Põtificatus ſui anno 11. ſecundam vero, quę eodem modo incipit (& eſt Extrauag. 2. eodem titulo) expedierit anno 1483. Pontificatus anno 13. Idem etiam cõfirmatur ex eo, quod idem Sixtus cõfirmat Officium Conceptionis cõpilatũ per Fratrẽ Bernardinum de Buſtis anno 1480. & Põtificatus 10. Ex quibus euidenter patet hoc feſtum nõ fuiſſe à Sixto 4. primũ inſtitutum: cum in Eccleſia Romana iam celebraretur ante annum 1466. & ante eiuſdem Sixti electionẽ.

8. *Alii Pontifices fone-r...*

Cum vero teſtimonium Concilij Baſilienſis triginta annis & amplius Sixtũ quartum anteceſſerit: certiſsimũ eſt celebrationem huius feſti authoritate Romanæ Eccleſiæ Sixtũ quartum anteceſsiſſe.

Ex quo infertur Romanos Pontifices multis annis ante Sixtum quartum, imò & ante Eugenium quartum hanc Conceptionis immaculatæ celebritatem , & approbaſſe, & celebraſſe. Quibus accedat Innocẽtius 7. electus anno 1404. is enim grauiter puniuit quendã Fratrem Ioãnẽ de Sono Ordinis Prædicatorum, quia publice prædicauit B. Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam, & oppoſitam ſentẽtiam falſam eſſe, & temerariã: & iuſsit vt hanc opinionẽ publice corã populo retractaret, vt ſcribit *Ganguinus* *Ganguin.* *Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis olim Generalis, & rerũ Gallicarũ Chronograph' lib. 9. ſuæ Chronicæ fol. 185. quem refert Gundiſaluus* *Luzerus.* *Santius Luzero in diſcurſu primo de Conceptione B. Virginis fol. 35. pag. 1.* Poteſt etiã accedere Alexander quintus anno 1409. *Alex. 5.* qui non ſolum antequam electus fuerit ad Summum Pontificatum in ſuis Cõmentarijs ad 3. ſententiarum diſt. 3. ſed etiam poſtquam ſedit in Cathedra Petri, hanc opinionem approbauit, & fouit, vt teſtantur *Bernardinus de Buſtis in ſuo Mariali ſerm. 4. de Conceptione pagin. 3. & Ioannes Barzo in 3. diſtinct. 3.* *Bernardin* ex quibus idem teſtatur Luzero, vbi ſupra fol. 34. *Barzo.* pag. 2.

His accedit; quòniam tempore Ioãnis Bachonis Carmelitani (qui floruit anno 9. 1350.) longa, & diuturna cõſuetudine feſtum Conceptionis in Curia Romana publice celebrabatur , etiam à Dominis Cardinalibus in Monaſterio Fratrũ Carmelitarum in præſentia Summorum Põtificum, vt idem Bachonius affirmat *lib. 4. diſt. 2. q. 4. art. 3.* Cum vero illud feſtũ *Bachonius* in Monaſterio Carmelitarum pro illo tẽpore Romæ celebraretur, facile credi poteſt à tempore Alexandri Tertij, hoc feſtũ iam celebrari anno 1200. vel circiter. De Clemente Septimo anno 1523. idem poteſt affirmari: approbauit enim Officium Leonardi de Nagarolis, & Hymnos ab Epiſcopo Guardienſi compoſitos. Accedant Pius 5. & Gregorius 13. qui nõ- *Pius 5.* nullos errores Michaelis Baij damnarũt, vt patet ex breui relato à *Lorca 2. tom. ad* *Gregor.* *1. 2. in fine.* Nõ eſt ſilentio prætereundũ, quod *Clemens Octauus ſuo breui Ferrariæ dato decimo quinto Iulij anno 1598. ſui Põ-*

tificatus

tiſicatus anno 7. approbauit compēdium doctrinæ Chriſtianæ (de quo inferius §. 5.) in cuius cap. 5. docetur, nullum in B. Virgine fuiſſe originale peccatum.

10. *Nulli S. Pontifi. oppoſitam fouēt.*

Et vt rem concludamus, omnes Sūmi Pontifices multis annis ante Concilium Baſilienſe anno 1430. hanc opinionem ſumma cum deuotione amplexati ſunt: cum tamen nullus ex Summis Pontificibus inueniatur, qui vel apparenter oppoſitam opinionem fouerit, vt optimè aduertit Vincentius Iuſtinianus in tract. de Conceptione Virginis §. 2. poſt principium; vbi illud etiā prudenter aduertit, Summos Pontifices in veritatem immaculatæ Conceptionis adeo inclinaſſe, vt feſtiuitatem illius maximè extulerint, & priuilegijs fouerint: concedētes, vt interdictum ſuſpendatur non ſolum in feſto Conceptionis, ſed etiam pro tota octaua, vt patet ex Bulla Leonis decimi, quod priuilegiū ſoli feſtiuitati Corporis Chriſti conceſſum reperitur.

11. *Cæteræ Eccleſiæ Romanā imitantur.*

Cæteræ omnes Eccleſiæ particulares in vniuerſo Chriſtiano Orbe Romanam Eccleſiam omnium aliarum matrem, & magiſtram imitantes, Conceptionem B. Virginis ſub titulo immaculatæ, ſumma cum exultatione, & deuotione celebrāt: in quibus populus fidelis in honorem huius immunitatis confraternitates inſtituit, quas varijs â Sede Apoſtolica obtentis indulgentijs auget, & amplificat. De quo vide quæ de antiquitate feſti Conceptionis ſupra diximus.

§. 2.

Omnes Eccleſiæ Vniuerſitates hanc veritatem amplectuntur.

12. *Amplectūtur. Academiæ omnes*

QVāntæ in Eccleſia generales Academiæ, & Vniuerſitates ſint authoritatis in ijs, quæ ad fidem, & diuinum cultum pertinent, nullus nō videt: & inde eſt vt Summi Pontifices, in decernendis dubijs, non ſolū peritiſsimos Theologos conſulant; ſed etiam Academias generales, & Vniuerſitates, vt quotidiana docet experientia. Quanti eas faciant vniuerſi Epiſcopi, manifeſtum eſt. Denique omnes ad celebres Doctorum Vniuerſitates pro dubiorū explicatione tanquā ad oracula conueniunt, & merito; quoniam in illis res dubiæ, ſi non authoritatiue, & iudicialiter; doctrinaliter tamē docentur. Non eſt igitur dubium in hac, de qua agimus, controuerſia, generales Academias vt vera Eccleſiæ lumina habendas eſſe. Conſtat autem euidenter omnes totius Eccleſiæ Vniuerſitates Catholicas in Italia, Gallia, Germania, Hiſpania, & in noſtra Luſitania huic veritati ita cōſtanter adhæſiſſe, vt nulla ſit, quæ & publicè, & priuatim eam non profiteatur. Nec ego in hac noſtra florentiſsima Conimbricēſi Academia per annos pluſquam 60. aliquem vidi, qui oppoſitā ſententiam, non dico publicè in Scholis, ſed nec priuatim defenderit. Et idē teſtimonium de alijs generalibus Academijs fere omnes noſtri temporis ſcriptores ferunt, affirmantes abhinc ducentis annis hanc eſſe omnium Vniuerſitatum, non ſolum conſtantem, ſed etiam vnanimem doctrinam: vt omittamus antiquiſsimā, & celeberrimam Vniuerſitatem Pariſienſium, quæ neminem ad gradus Doctoratus in Theologia admittit, niſi prius ſub iuramento promittat, ſe hanc veritatem ſemper defenſurum; imò vt periuros damdat, & punit huius iuramenti violatores: anno Domini 1497. lata ſententia puniuit quendam Ioannem Veri de Ordine Prædicatorum, quia contra immaculatā hanc Conceptionē publicè prędicauit, vt communiter refertur, & videre eſt apud *Cordubenſem lib. 1. quæſtiouar. q. 44. pagin.* 368. *col.* 2. Quomodo autem Pariſienſes poſsint graduatos iureiurādo obligare, vt hanc opinionem ſemper defendant, & nunquam oppugnent? imò quomodo poſsint de peccato, & de doctrina diſſona fidei damnare, & punire, qui immunitatē B. Virginis impugnauerit? alterius eſt quæſtionis: de qua late *Cordubenſis in d. q.* 44. *pag.* 370. *col.* 2. *notabil.* 2. Ego puto Sixtum quartum in d. Extrau. 2. *Graue nimis* ſolum excommunicaſſe eos, qui dicerent hæreſim eſſe affirmare B. Virginem in originali conceptam fuiſſe; aut eſſe peccatū mortale illud aſſerere, quaſi dictum talis aſſertionis ex ſuo obiecto ſit malum, & peccatum mortale; cum nec Eccleſia hactenus diffinierit illā veritatē

13. *Conimbricenſis Academia.*

14. *Academia Pariſienſis*

Cordubenſ.

Cordub.

tanquã de fide; nec diffinierit illius propoſitionis obiectum eſſe malum. Pariſienſes autem non ideo puniunt, qui contra iuramentum B. Virginis veritatem impugnauerint, quaſi hæreſim dixerint: nam & ipſi fatentur veritatem illam, nec à Concilio Baſilienſi, nec ab aliquo Summo Potnifice diffinitam eſſe de fide. Nec etiam illos puniunt, quaſi affirmẽt aliquid ex obiecto malum; ſed quia affirmant, quod ſe non affirmaturos iurauerunt. Et ad hunc ſenſum explicabis, & intelliges ea, quæ in hac difficultate explicanda, late ſcribit Cordubenſis.

§. 3.

Omnes Eccleſiæ Religiones huic veritati ſubſcribunt.

16. *Omnes Religiones cõſentiunt.* HIs omnibus addimus omnes Catholicæ Eccleſiæ Religiones, vna Prædicatorum excepta, ab nanis hinc pluſquam ducentis, vnanimi cõſenſu non minori ſtudio, & diligentia, quam deuotione, & piiſsimo in Virginẽ zelo immunitatem Conceptionis eius amplecti, defendere, & vt Sanctiſsimam colere: hanc enim piam, veram, & certã opinionem, amplexati ſunt Ordines Camulduſenſis, Carthuſianus, Cluniacenſis, Siſtircenſis, Præmonſtraſenſis, Eremitarum Sancti Patris Auguſtini, Carmelitarum, Minorum, Seruitarum, Minimorum, Societatis IESV, deniq; omnes Ordines, tam Mendicantes, quàm nõ Mendicantes, atque Militares hanc veritatem colunt, & amplectuntur, vt experientia docet, & omnes huius temporis ſcriptores aduertunt.

17. *Laudatur Ordo Minorum.* Et inter omnes in hoc laudandus eſt Sanctiſsimus Ordo Minorũ Sancti Franciſci, cuius omnes Theologi cũ ſuo duce doctiſsimo Scoto hanc immunitatem, & B. Virginis innocentiam eo ſtudio, & vigilantia defendunt, vt Iulius ſecundus in gratificationem huic Ordini cõmendauerit curam Ordinis Monialium, quem ſub titulo immaculatæ Cõceptionis ſub propria regula, & habitu inſtituerat: quod mihi argumento eſt, huius familiæ Theologos non tam ducis ſui amore, & Scholæ Scoticæ contentione, quam zelo honoris B. Virginis in hac veritatis defenſione indefeſſo labore inſudare,

In hoc etiam laudãdus eſt noſter Eremitarum Ordo, qui cum doctiſsimi Ægidij Romani doctrinã ſumme veneretur & colat; in hac tamen cõtrouerſia zelo B. Virginis iam annis abhinc pluſquam trecentis eum nõ probat: etenim noſter Thomas de Argentina eiuſdem Aegidij accerrimus defenſor, duce ſuo relicto, Cõceptionis puritatem cõſtanter defendit, qui poſt Aegidiũ (qui obijt anno 1280) annis fere ſeptuagĩta ſcripſit anno 1350. & poſt eum Paulus Venetus (qui floruit anno 1400) annis quinquaginta poſt Argentinam eandem probauit ſententiam: poſt quos eandem opinionem ſecuti ſunt omnes eiuſdem Ordinis innumeri Theologi, quorum opera temporum incuria ſepulta fuerunt: nec aliquis ex noſtris poſt Aegidium, & Gregorium Arimineſem reperitur, qui hanc B. Virginis puritatem impugnauerit; imò à pluribus annis in omnibus Vniuerſitatibus, Italię, Galliæ, Hiſpaniæ, & Luſitaniæ noſtri Theologi ſemper approbauerunt hanc piam ſententiam, & in hac celeberrima Conimbricenſi Academia eam defenderunt, imprimis doctiſsimus Frater Ludouicus Montoia huius noſtræ Luſitanæ Prouinciæ olim Vicarius generalis, & huius noſtri Collegij Virginis de Gratia fũdator, & in eo primus Theologiæ Magiſter, qui, & publicè legẽdo, & prędicãdo hãc B. Virginis puritatẽ cõſtanter amplexatus fuit in pluribꝰ eiuſdẽ Cõceptionis ſermonibꝰ, qui in hac collegij bibliotheca ſũma cũ veneratione ſeruantur, propter viri ſanctitatem pluribus miraculis confirmatam: Poſt illum in eadem Conimbricenſi Vniuerſitate floruit Præceptor Frater Franciſcus à Chriſto in eadem Academia Veſperarius emeritus: cui ſucceſsit Doctiſsimus Præceptor Frater Auguſtinus de Trinitate in Cathedra Scoti publicus profeſſor, & poſt eum Doctor ſatis laudatus, & notus Frater Antonius Galuão in eadẽ Vniuerſiate Sacrę Scripturę publicus profeſſor: vt omitamus cęteros noſtri ſacri Ordinis Theologos, qui in eadẽ Academia Conimbricẽſi ſumma cũ laude ſunt Theologiæ

18. *Noſter Eremitarũ Ordo.*

Thomas de Argent.

Paulus Venetus.

Greg. Ariminen.

19. *L. Mõtoia*

Fr. Frãciſcus à Chriſto.

Fr. Aug. de Trinit.

Fr. Antonius Galu.

profeſſores: & eos, qui non minori laude in celeberrima Salmanticenſi Academia multis abhinc annis publicas Cathedras adminiſtrant, & regunt. Ex ijs Ordinibus ſunt innumeri, qui & ante Scotum, & poſt Scotum de hac Beatæ Virginis puritate ſcripſerunt, quos citare longũ eſſet. His omnibus noſtro iſto ſæculo addenda eſt Religio Societatis IESV, non ſolum Sanctitate, ſed etiam eruditione inſignis: quæ, & verbo in ſuis prædicationibus, & ſcripto in ſuis prælectionibus, & libris, quos non ſine magna eruditione, & vtilitate quotidie edit, hanc Beatæ Virginis immunitatem, & puritatem acerrimè defendit: illius Religionis Authores refert Ioannes de Pineda in ſermone de Conceptione §.9.

Religio Societatis.

21. *Notatur Pineda.*

Hoc loco non prætermittam, quod idem Pineda dixit notatu dignũ: is poſtquam pro noſtra concluſione ſuæ Societatis teſtes dedit fere quadragita; mox ſibi, & Societati arrogans glorianter adiecit; omnes Societatis authores in hanc vnam ſententiam conſpiraſſe, nullumque ex ſuis Doctoribus extitiſſe, cui oppoſitum placeret: cum tamen in aliarũ omnium Religionum Doctoribus diuerſa aliquando fuerint circa Beatæ Virginis Conceptionem placita. Sed quam ſolido ſe iactet fundamento, ille non videbit ſolus, qui cæcus fuerit. Quomodo enim in his octoginta annis à Societatis inſtitutione aliud liceret opinari cuiquam eorum, cum ducentis abhinc, & amplius annis nullus in Religione aliqua (vnam excipio) Doctor fuerit, qui noſtram ſententiam non profiteatur? Vnde ſi ex Societate quiſpiam noſtro hoc æuo in oppoſitam vergeret opinionem, non ſolũ à ſua diſſociaretur Societate, verum & à communi totius ferme Eccleſiæ diſſideret aſſenſu. Quod vero in omnibus Religionibus aliquando ab aliquibus aliter opinatum fuerit; hoc fuit duntaxat priſco illo ſæculo ante Sixtum Quartum, & ante vniuerſalem in tota Eccleſia authoritate Sedis Apoſtolicæ inſtitutionem feſti Conceptionis, & ante generalem omnium fidelium in huius feſti celebratione applauſum. In quo ſæculo ſi eſſe ſancta iſta Societas, hanc ſibi fortaſſe gloriam non vendicaret Pineda. Quare quod Societas vniuerſa noſtram tueatur ſententiam, licet ſtudio ac pietati in Beatam Virginem tribuendum ſit, temporum tamen felicitati non poteſt etiam nõ tribui.

22. *Ex Dominicanis qui ſtent pro B. Virgine?*

Et vt iſtum articulum de Religionibus concludamus; illud non eſt prætermittendum, ex illuſtri Prædicatorum familia non defuiſſe quam plurimos viros, & ſanctitate, & literis præſtantiſſimos, qui non modo in ſæculis prætetitis, ſed in iſto noſtro, puritatem Conceptionis ſumma cum deuotione, & diligentia defenderint: eam enim probauerunt Hugo Cardinalis ex anno. 1240. Ioannes Taulerus anno 1250. & eiuſdem temporis Rupertus Holcoth: Leonardus de Vtino anno 1440: ex noſtro ſæculo Guillermus Pipinus: Ioannes Viguerius: Sancius de Porta: Vincentius Iuſtinianus: Stephanus Mendes: quos omnes retulimus ſupra quæſtione prima, articulo primo, §. ſecundo, num. 23. Referuntur etiam Frater Ludouicus de Granada vir noſtro ſæculo ſanctitate, & verbi Dei prædicatione inſignis: Frater Ioãnes de la Penha primarius dignißimus in celebri Salmãticenſi Vniuerſitate. Quibus omnibus accedat grauiſſimum teſtimonium Fratris Vincentij Iuſtiniani inter Magiſtros Dominicanç familiæ non infimi nominis, & authoritatis: *Is enim in tractatu de Conceptione B. Virginis §. decimo octauo*, in fine teſtatur, Ordinem Prædicatorum in Prouincia Bætica feſtum Conceptionis cum octaua ſolenniter celebraſſe ſub titulo immunis ab omni originali labe, et in pleriſque alijs eiuſdem Ordinis Monaſterijs: quod argumento eſt non omnes Scholæ Thomiſticæ Magiſtros noſtris his temporibus opinioni Diui Thomæ adhærere.

Hugo Car. Taulerus. Holcoth. Pipinus. Viguerius. Sancius. Stephanus. Ludouicus Ioannes de la Penha.

Ordo Prædicatorum in Bætica Conceptionẽ cũ octaua celebrauit.

23. Et vt de illuſtri Ordine Prædicatorũ rem concludamus; duo teſtimonia omni exceptione maiora afferamus, vnũ ex Sãctiſsimo Fratre Ludouico Beltran, alterũ vero ex libro quodam, qui Manuale Prædicatorum inſcribitur. Primum igitur teſtimoniũ eſt Sanctiſsimi Ludouici

Beltran Dñicanæ familiæ gloriæ: is enim & B. Virgini, & immaculatæ illius Conceptioni ab omni originali macula im̃uni, incredibili deuotione affectus, hanc opinionem ſemper amplexus fuit, & veneratus: & adeo firmiter illi adhæſit, vt ſæpius dixerit, *omnes antiquos Doctores, qui oppoſitam ſententiam probauerunt, ſuam opinionem abſque dubio mutaturos, & noſtræ adhæſuros, ſi hoc noſtro tempore vixiſſent.* Hoc teſtimonium de viro ſanctiſsimo refert Vincentius Iuſtinianus vir in Ordine Prædicatorum ſummæ authoritatis, & Religionis, Sanctiſsimo Beltranio cõtẽporaneus, & valde familiaris, *in vltimo cap. additionũ ad hiſtoriam eiuſdem*, vt patet ex tract. quem pro immaculata B. Virginis Conceptione lingua Hiſpana ſcripſit.

24. *Manuale Prædicatorum.* Secundum, & grauiſsimum teſtimonium ſumitur ex libro, qui Manuale Fratrum Prædicatorum inſcribitur, & apparuit Toleti Menſe Maij anno 1614. ex ruina parietis in Monaſterio Sãcti Dominici el Real, vt patet ex quadam Epiſtola poſita poſt tractatum Vincẽtij Iuſtiniani, in quo inter alia hæc ſunt verba: *Quia Ordo Prædicatorũ ſolitus eſt Sãctorum doctrinæ adhærere, ſuſtinuit hucuſq; opinionẽ, quod Beata Virgo fuit concepta in originali: ſed iam de hoc non eſt curandum, cum ſit materia nullius vtilitatis, & valde ſcandaloſa: præſertim cum tota fere Eccleſia, cuius vſus, & authoritas ſecundum Beatum Thomam præualet dicto Hieronymi, & cuiuſcumque alterius Doctoris, iam aſſerat, quod fuit præſeruata. & cæt.* Quare non omnes Prædicatorij Ordinis Theologi in opinionẽ Diui Thomæ vnanimi eunt conſenſu, ſed plures, & grauiſsimi ex illis conſtanter oppoſitum defendunt: & alij nolunt ſuam de hac re ſententiam explicare, inter quos eſt Sotus lib. 1. de natura, & gratia cap. 7.

25. *Ordo S. Iacobi.* Et vt hunc de Religionum applauſu articulum concludamus, non poſſum ſilentio præterire, quod inter Ordines Militares Ordo Sancti Iacobi inſtitutus anno 830. à prima ſua inſtitutione celebrat hoc Conceptionis feſtum cum Octaua, vt late probat Petrus Ojeda in ſua informatione pro immaculata Beatę Virginis Conceptione, capite ſexto fol. 15. vbi vide antiquitatem Imaginis Conceptionis Beatæ Virginis in parietibus poſitæ.

§. 4.

Confirmatur ex ſummo omnium Catholicorum Regum applauſu.

In huius etiam veritatis cõfirmationẽ merito afferendi ſunt Reges Catholici, qui eam ſumma cum deuotione, & zelo à multis ante ſæculis ſunt amplexati. De hoc multa ſcribit *Pineda in aduertentijs ad priuilegium Ioannis primi Regis Aragoniæ, & Ojeda in ſua informatione pro Conceptione Beatæ Virginis capite octauo*, breuiter nonnullos adducemus. Primus ſit Rex Hiſpaniæ Siſenandus, qui regnauit anno 630. tempore Sancti Iſidori. Quanta Rex iſte cum deuotione hanc Beatæ Virginis immunitatem fouerit, teſtimonium reddit Concilium Toletanum quartum, vbi agens de decreto huius feſti, ita ſcribit, agens de hoc Rege: *Cuius deuotio nos ad hoc decretum ſalutiferum euocauit.* Poſt eum Sindaſuindus præcepit, vt quæ ab Iſidoro de hac feſtiuitate inſtituta ſunt, ſumma cum deuotione obſeruarentur. Dominus Rodericus Archiepiſcopus Hiſpalenſis *libro ſecundo capite 21. anno 670.* ſcribit, quod famoſus Rex Bamba huius deuotionis, & feſtiuitatis fuit obſeruantiſsimus: & non ſolum defenſor, ſed etiam reparator, vt de eo teſtatur Concilium Toletanum vndecimum *capite ſexto ab anno* 1180. Imperator Emmanuel Conceptionis feſtiuitatem maximè fouit, vt de eo refert Theodorus Balſamus Patriarcha Antiochenus in ſuis Commentariis titulo ſeptimo capite primo, quem refert, & probat Petrus Ojeda vbi ſupra capite quarto fol. nono §. ſecundo. In Hiſpania eãdem maximè auxit Rex Dom Iames anno 1200. vel circa. Succeſsit in Hiſpania Rex Aragoniæ Ioannes primus anno 1386. vt patet ex lege ab eo lata anno 1394. de qua late Pineda in aduertentijs ad talem legem. Similem legem in fauorem eiuſdem feſtiuitatis edidit Rex Ioannes Aragoniæ

Cõfirmatur ex applauſu fideliũ. 26.

Pineda. Ojeda.

Conc. Toletan.

27. *Conc. Toletan.*

ſecundus anno 1451. in qua expreſſe declarat, Reges Aragoniæ à Regibus ſuis maioribus à multis ſæculis iure hæreditario hanc deuotionem accepiſſe.

28. *Ferdinandus, & Eliſabetha Reges.* Quanta autẽ deuotione Reges Catholici in Hiſpania Ferdinandus, & Eliſabetha hanc feſtiuitatem fouerint, & auxerint, facilè colliges *ex Ojeda vbi ſupra capit.* 8. quem vide: nam in recenſendis hiſtorijs breuitati ſtudemus. Apud eundem cap. nono vide, quæ in amplianda confraternitate de immaculata Conceptione egerit Imperator Carolus quintus: & multa, quæ de regali illa cõfraternitate ſcribit in dicto cap. nono cum nonnullis ſequentibus. *Carolus. 5. Imperator*

29. *Concluſio.* Rem iſtam concludam cum Pineda in ſuis aduertentijs ad priuilegium Ioannis Regis Aragoniæ, aduertentia 17. in fine: quoniam à primis Eccleſiæ ſæculis nullus fuit Imperator, nullus Rex, nullus Princeps, nullus vir ſanguine, & ſtatu illuſtris, qui hanc Conceptionis feſtiuitatem magna cum deuotione, obſeruãtia, & pietate publicè non profiteatur.

§. 5.

Confirmatur ex vniuerſali fidelium deuotione, & zelo.

30. *Confirmatio ab vniuerſali fidelium conſenſu.* QVanti faciendus ſit generalis, & fere communis fidelis populi applauſus ad recipienda, & approbanda, quæ ad Dei cultum pertinent, & ad alia diuina myſteria, nullus non videt: ſicut etiam nullus ignorat, quanta cum deuotione, & zelo vniuerſus fidelis populus hanc opinionem vt verè piam amplectatur: & quanto cum ſcandalo audiat ſententiam oppoſitam, aut in Eccleſijs, aut in alijs locis publicè, aut priuatim prædicari, & approbari; quod ſatis confirmat ſcandalum, quod in Hiſpania, Gallia, & pleriſque alijs Regnis, & Prouincijs in vniuerſo fideli populo excitatum eſt, non ſolum noſtris temporibus Hiſpali, & in pleriſque alijs Hiſpaniæ locis cõtra eos, qui oppoſitã ſententiam ſũma cũ temeritate publicè prædicarunt; ſed in ſæculis præteritis, non ſemel, ſed iterũ & iterum, vt patet ex teſtimonijs Sixti Quarti in vtraque conſtitutione, quæ incipiũt *Graue nimis*: & Alexandri Sixti ac Pij Quinti, in conſtitutionibus, quas hac de re ediderunt: & nouiſsimè ex cõnſtitutione Sanctiſsimi Pauli quinti in Eccleſia Dei modo præſidentis. Quare negari non poteſt quanta cum deuotione, & fidei pietate hæc B. Virginis Cõceptionis feſtiuitas ab vniuerſo fideli populo vbique recepta ſit:

§. 6.

Caietanus reprehenditur in ſua ſolutione.

HVic tamen argumento ad veritatem noſtræ opinionis confirmandam deſumpto ex communi applauſu fere omnium cuiuſcumque ſtatus fidelium, reſpondet Caietanus in d. trac. de Conceptione B. Virginis capit. 5. per totum: cuius ſolutiones oportet adducere, vt facilè appareat, quam dignæ ſint reprehenſione. 31. *Reprehenditur Caie.*

Quod attinet ad primum fundamentum ſumptum ex Summis Pontificibus feſtiuitatem Conceptionis inſtituentibus, & indulgentijs fidelem populũ ad illius celebrationem allicientibus, reſpondet in dicto c. 5. §. *Eccleſiaſticus deinde cultus*: Et §. *Indulgentiæ vero conceſſæ*, & ait, vbicumque hoc feſtum celebratur, celebrari ratione Sanctificationis B. Virginis in vtero, ſiue illa fuerit mundatiua originalis culpæ iam contractæ, ſiue pręſeruatiua, ne illa contraheretur. 32. *Solutio Caieta. ad 1. fundamentum.*

Sed quantum in hac ſolutione fallatur Caietanus, late oſtendimus artic. 1. huius ſextæ quæſtionis prop. 2. non ſolum ex eo, quod Summi Pontifices approbantes officia Conceptionis, in quibus Conceptio illa ſub titulo immaculatæ, & purę ab omni originali labe colitur; ex certa ſcientia celebritatem illam approbarũt, non ſub titulo Sãctificationis, abſtrahendo ad hoc, vel illo ſanctificãdi modo; ſed etiam ex eo, quod Sixtus quartus in quadam Extrauaganti, quæ incipit *Graue nimis* (expedita anno 1482. & Pontificatus ſui anno vndecimo; ante aliã, quæ eodem modo incipiens refertur in *Extrauagant. 2. de reliquiis, & veneratione Sanctorum*, inter *Communes*, quæ edita fuit anno 1483. & Pontificatus anno 13.) 33. *Fallitur Caieta*

hanc

hanc ſolutionē dānauit, & ſub pæna excōmunicationis latæ ſententiæ prohibuit, ne quis aſſereret Romanam Eccleſiam feſtum Conceptionis celebrare de ſola ſpirituali Conceptione, & Sanctificatione: quare mirū eſt, quod Caietanus poſt illam Sixti prohibitionem, ſolutionem præcitatam probet, cum falſa, erronea, & à veritate aliena à Sixto quarto ſit reprobata, vt late dixi in d. art. 1. pag. 2. §. 6. Quare in hoc Caietanus incuriæ, & negligentiæ redarguendus eſt, quod hanc Sixti quarti conſtitutionem non legerit.

Reprehenditur Caie.

34. *Occurritur obiectioni.* Nec illum iuuat, quod idem Sixtus, & plures alij Summi Pontifices cum Tridentino permittant vnumquemque in hoc ſuo ſenſu abundare: quoniam hoc ſolum intelligitur, vt vnuſquiſque poſsit vnam, vel alteram opinionem ſine nota hæreſis amplecti: non vero vt poſsit aſſerere Romanam Eccleſiam Conceptionis feſtiuitatem approbare ſub titulo Sanctificationis, abſtrahēdo ab hoc, vel illo modo ſanctificandi; cum Romana Eccleſia ſatis ſuperque explicatum habeat, ſe feſtiuitatem illam inſtituiſſe, & fidelibus celebrandam propoſuiſſe ſub titulo ab omni labe immaculatæ: cum quo optimè cōſtat, quod Eccleſia neutram cōtrouerſiæ partem, tanquam de fide diffiniuerit, *vt in d. ar. 1. aduertimus*: quare non erit excommunicatus, qui dixerit B. Virginē peccatū originale contraxiſſe; incurret tamen excōmunicationē, qui aſſeruerit Romanam Eccleſiam ſolum celebrare Sanctificationem in vtero, & ſpiritualem Conceptionem; non vero illius puritatem ab omni macula. Quod in hac materia eſt diligenter aduertendum, vt intelligamus Romanam Eccleſiam pro noſtra pietate indubitanter ſtare.

35. *Non percipit mentē Eccleſiæ.* ¶ Ex quo etiam patet Caietanum non ſatis percepiſſe intentionem Romanæ Eccleſię in conceſsione indulgentiarum: etenim Pontificum conſtitutiones, in quibus celebrantibus Conceptionis feſtum indulgentiæ largiūtur, euidēter explicant, illas elargitas eſſe pro celebranda mira, & imaculata Conceptione in ſenſu cōtēto in officijs, quæ ad feſti celebrationem approbantur: quare reprehendendus eſt Caietanus, quod innouet ſolutionem à Sixto damnatam.

36. *Solutio Caietan. ad ſū damentum 2.* Quod attinet ad fundamētum ſumptum ex omnibus Eccleſiæ Vniuerſitatibus, & Religionibus, & ex cōmuni conſenſu fere omnium Theologorum, reſpondet *Caietanus in dicto cap. 5. poſt princ.* & admittit infinitos eſſe Doctores, qui B. Virginem à peccato originali liberāt: & tamen addit hanc probabilitatem eſſe exiguam: quia illa opinio ſolum viget inter Modernos; apud antiquos à paucis probatur; inter ſanctos vero (vt ait) nullus datur pro noſtra opinione, nec aliquis antiquus Doctor illuſtris, niſi à falſarijs citetur: & inde infert hoc fundamentum apud Patres nihil habere probabilitatis. Denique Vniuerſitates, quæ noſtrā opinionem amplectuntur, præſumptuoſas appellat, in dicto capite 5. §. Quia ſcandaloſa.

37. *Caietanus decipitur.* ¶ Sed quantum Caietanus in hoc deliret, & ſit non ſolum præſumptuoſus, ſed etiam falſarius, euidenter patet ex ijs, quæ ſuperius diximus. Quod Caietanus delirando, ſit falſarius, dum affirmat nullum Sanctum reperiri, aut illuſtrem Doctorem, qui in terminis B. Virginem liberet ab originali macula, euidenter patebit ex ijs, quę de Patribus diximus ſupra quęſt. 4. vt in illius initio aduertimus vbi §. 1. citauimus 29. Patres, qui in terminis ab originali macula eam liberant: & §. ſecundo, ex Sanctis, & antiquis Patribus nouem adduximus, è quorum doctrina neceſſario infertur eos eandem docuiſſe veritatem. §. tertio retulimus pluſquam duodecim, qui eidem veritati maximè fauent: §. autem quarto late oſtēdimus Auguſtinum pro eadem ſtare veritate: & tandem §. quinto, nonnullos non admiſimus, quamuis à grauiſsimis Theologis pro noſtra adducantur opinione, vt ita monſtraremus nos veritatis eſſe amatores: ob quā rationem ſingulorum verba adduximus, vt ipſi etiam aduerſarij videāt, quam longe ſimus à ſectanda falſitate. Et vt Caietanus tāquam verè falſarius ab vnoquoque iudicetur, in dicta quæſt. 4. artic. 2. §. 1. adduxim⁹ omnes Patres, quos Caietan. & ſequaces cōtra Cōceptionis puritatem

ritatem adducunt;& oſtendimus nullum eorum contra illam ſtare:& §.2.eiuſdem articuli concluſimus,ex Patribus, & Sanctis quatuor ſolum ſtare pro opinione, quod B.Virgo peccatum originale contraxit : vide quæ in illo loco ſcripſimus. Ex quo euidenter infertur Caietanum falſitatis damnandum eſſe. Tandē in dicta q. 4. artic.3. monſtrauimus noſtrā ſententiam inter Patres eſſe magis communem,& antiquam. Deſtructo autem Caietani fundamento, facilè patet maiori cum ratione eum tanquam præſumptuoſum eſſe reprehendendum, cū ſua Academia, dum contra communem, & antiquam fere omnium Patrum doctrinam contra Conceptionis puritatem ſcribit,& contra omnes generales Academias.

Caietanus vt falſarius reijcitur.

39. *Reſponſio Caieta. ad applauſum fidelium.*

Deniq; quod attinet ad applauſum,& deuotionem omnium Catholicorū Regum, & totius populi fidelis,qua puritas B. Virginis iam hodie in tota Eccleſia, non ſolum communis facta eſt; ſed ita recepta,vt oppoſita ſit ſcandaloſa: reſpōdet Caietanus hanc probabilitatem non excedere vulgarem authoritatem; quia eſt hominum imperitorum: ſcandalum autem non actiuum eſſe,ſed paſsiuum,& cum ſit inſipientium, potius eſt ſcandalū Phariſæorum, quam piarum aurium offenſiuum. Vnde quæ appellatur pietas non innititur zelo ſcientiæ, ex qua (vt multis probare nititur) plura inferrētur erronea.

40. *Reprehenditur Caietan.*

¶ Sed quantum in hoc deliret Caietanus,nullus nō videbit,qui aduerterit populum fidelem à Romana Eccleſia ad hāc pietatem allici, & vehementer inuitari, dum Conceptionem B. Virginis ſub titulo immaculatæ, & ab omni originali macula liberę publica celebritate colendam omnibus fidelibus proponit: ac etiā dum vniuerſos fideles ad illius celebritatem allicit, indulgentias largiendo,& gratias, vt diximus *art.1. huius quæſtionis, & dicemus quæſt.8.& 9.* Nunc pro conuincendis delirijs à Caietano adductis,& pro arguēda illius temeritate, ſatis ſit adducere compendium doctrinę Chriſtianæ cum declarationibus doctiſsimi Cardinalis Bellarmini, iuſſu, & authoritate Clement.8. approbatum à congregatione reformationis doctrinæ Chriſtianæ,ad pueros in Italia edocendos, quod Sanctiſsimus Clemens Octauus non ſolum approbauit, ſed etiam præcepit, vt ſolo illo compendio in Italia vterentur, qui ex congregatione reformationis pueros in doctrina fidei inſtituunt, vt patet ex Bulla eiuſdem Ferrariæ 15. Iulij data anno 1598. in hoc autem compendio capite quinto, in declaratione *Aue Maria* docentur pueri, *vt Beatā Virginem gratia plenam appellent; quia illa per gratiam, nec originalem culpam vnquam habuit, nec actualem, mortalem, aut venialem,*

41. *Compēdiū Doctrinæ Chriſtianæ*

Hoc compendium refert *Pineda aduertentia 20. ad priuilegium Ioānis primi Aragoniæ Regis fol. 44. pagina ſecunda.* Iam igitur zelo Catholicæ fidei Caietanum compello; an ex hac doctrina, & puerorum inſtitutionis pietate inferri poſſint deliria, quę ex pietate fidelium poſſe inferri, delirando affirmat Caietanus? rurſus inquiro, an pietas, qua Sanctiſsimus Clemens Octauus iubet, vt pueri de immunitate, & omnimoda puritate Beatæ Virginis ab omni originali labe inſtituantur, ſit ſecundum ſcientiam Chriſtianæ doctrinæ; an non ſit? non dicet non eſſe: quod ſi eſt, negare non poterit pietatem iſtam de omnimoda immunitate Conceptionis Beatę Virginis eſſe ſecundum ſcientiam, vt quia à ſummo Eccleſiæ capite emanauerit; iuſſit enim vt pueri ſecundum Chriſtianam doctrinam inſtituendi, in hac Chriſtiana pietate inſtituantur. Cur igitur populus fidelis in hac pietate enutritus,& edoctus, non ſcandalizabitur, cum audit prædicari hanc doctrinam falſam eſſe? Num ſcandalum iſtud Phariſæorum erit? an vere fidelium? Quare iterum dicā, & ſemper dicam quod doctiſsimus Caietanus in illis verbis omnino delirauit; ne dicam verba illa digna eſſe, quæ ab illo tractatu deleantur. Et hęc de iſto articulo dicta ſint.

42. *Pineda. Arguitur Caietan.*

.*.

ARTICVLVS IIII.

An ex reuelationibus hac de re factis ſumi poſsit efficax argumentum?

§. 1.

Referuntur opiniones.

1. *An ſint admittẽdæ reuelationes?* CONſequenter expendendum eſt, quam diligentiſsimè, an ex reuelationibus, quæ multis ante ſæculis pleriſque Sanctorum factæ ſunt, poſsit ſumi argumentum efficax ad confirmãdam Conceptionis B. Virginis omnimodam puritatem? partem negantem ſatis *Pars neg. Caiet.* confirmat *Caietanus in tract. de Conceptione Virginis c. 5.* vbi in principio §. *Sed hæc probabilitas,* ſatis declarat probabilitatem ſumptam ex reuelationibus eſſe valde exiguam. Et ad finem capitis §. *Nouæ autem reuelationes,* aſſerit reuelationes in hac materia, cum ſint contra tot Sanctos, & antiquos Doctores, aut factas eſſe per Angelum Satanę in Angelum lucis trãsformatum: aut eſſe phantaſias, aut figmẽta; & proinde adducendas eſſe mulierculis, non verò ſapientibus: denique dignas non eſſe, de quibus verba fiant. Eandem ſententiam ante Caietanum probauit S. *D. Antoninus.* Antoninus 1. *p. ſuæ Summæ titulo* 8. §. 4. *in fine*: fundamentum inde ſumit: quoniã pro vtraque parte referuntur reuelationes contrariæ: etenim B. Brigittæ fertur reuelatum fuiſſe B. Virginem peccatum originale non contraxiſſe: cuius oppoſitum refertur de B. Catharina Senenſi, & inde concludit, nullum eſſe inconueniẽs, ſi dicamus haſce reuelationes à Deo non fuiſſe, ſed ſomnia humana: quod etiam fuit fundamentum Caietani probatum à *Medina.* *Medina 3. p. q. 27. art. 2. ad 5. in fine commenti.*

2. *Tenẽda eſt pars affirmans.* Sententia tamen affirmans veriſsima eſt, & omnino tenenda; & cum Cordubenſi, & Bellomontano dicendum, reſpõſionem Caietani, eo modo, quo ab illo explicatur, & temerariam eſſe, & ſpeciẽ impietatis habere. ¶ Et vt iſta cenſura *Fundamẽtum.* magis confirmetur, illud pro certiſsimo fundamento ſ[illegible]imus, reuelationes, ſi debitas habeant circũſtantias à Patribus, & Theologis annotatas, non eſſe ſpernẽdas, ſed magnifaciendas; imò etiam approbandas, maximè ſi authoritate Sedis Apoſtolicæ fuerint qualificatæ, & approbatæ; & oppoſitum aſſerere abſque dubio habere ſpeciem impietatis, & ſuo modo conſentire cum Kemniſio hæretico, & alijs, qui illius doctrinam ſectantur, reuelationes, vt inſulſa quædam deridẽtes; de quibus D. Cyprianus olim conqueritur; vnde antiquas, & quæ ſuo ſæculo factæ fuerunt, reuelationes libentiſſime affert; vt de eo teſtatur *Canniſius lib. 1. de Maria Deipara cap. 8. pag. 84. A.* & videre eſt apud eundem Cyprianum in lib. de Lapſis c. 10. Refert etiam Canniſius in eodem loco litera B. Sanctiſsimũ Epiſcopum Amadæum *lib. 4. epiſt. 9.* ita ſcribentem: *Sciendum certiſsime, quod creberrima miracula, ſpirituales viſiones, cæleſtes reuelationes, ſublimes conſolationes almæ parentis Domini, orbi terrarum aſsidue coruſcabunt, donec finem mundus iſte ſeneſcens inueniat.* Quod euidenter confirmat ſingulorum ſæculorum experientia, in ſingulis enim à viris ſuo tempore illuſtribus, quamplurimas reuelationes accipimus: & ne in re iſta notiſsima longius abeamus, illud tanquam certiſsimum eſt hoc loco conſtituendum; nec laudandos eſſe, qui reuelationes quaſlibet improuide amplectuntur, nec approbandos, imò reprehendendos eſſe, qui quaſcumque præcipitanter, non ſolum non recipiũt, ſed damnant: etenim ſicut apud Eccleſiaſticum c. 19. dicitur, *Qui cito credit, leuis eſt corde*: & Ioannis 1. c. 4. *Nolite omni ſpiritui credere*: ita etiam Paulus 1. Theſſalonis. 5. ait: *Spiritum nolite extinguere: prophetias nolite ſpernere: omnia autem probate: quod bonum eſt, tenete*: agit autem de dono tum ſapientiæ, tum prophetiæ, quod in Eccleſia pluribus datur, vt patet 1. Cor. 12. in quo ſenſu hæc verba explicant D. Chryſoſtomus, & D. Anſelmus ibidem, & eſt ſatis recepta explicatio. Quare ſenſus eſt, vt non aſpernamus, quę in Eccleſia aliquibus reuelantur, in eiuſdem Eccleſiæ ædificationem; ſed probemus, an illa ſint ex Deo, vt Paulus ſuadet in illis verbis: *Omnia autem probate*: & Ioannis 1. c. 4. *Probate an ſpiritus ex Deo ſit.* Ex quibus locis cõmunis Theologorum docet

Cyprian. *Canniſius.* *S. Amad.* 3. *1. Theſſal. 5.* *1. Cor. 12.*

nec reuelationes, quæ in Eccleſia pluribus fiunt, præcipitanter damnemus, nec imprudenter illas recipiamus; ſed probemus, an ſint ex Deo, an ex Dæmone, an
4. *Cannisius. Cordub.* ex vano ſomnio? De quo vide *Cannisium* 1. *de Maria Deipara c.8. pag. 84. & latius lib.5.c.2. per totum: Cordubenſem lib.1. q. 44. in quarta probatione, pag. 362. cum ſequentibus: latiſsime Petrum Morales lib.4. de Deipara, & Sancto Ioſeph tract. 8. pag. 722: Ioannem Turrecremata in Prologo ad reuelationes B.Brigittæ, & Solitarium in epiſt. poſita in eodem reuelationum libro ante librū octauum, pag. 576: Gundiſaluum Durantum à S. Angelo in annotationibus ad eundem librum: Gerſonem in 1.p. alphabeto 16. litera L.M. & alphab. 17. litera R.S.T. & alphab. 19. litera N. cum pluribus ſequentibus, tandem alphab. 20. litera B. Addimus D.Bonauenturam in opuſculo de proceſſu religionis c.18. & Bernardinum Senenſem to.3. ſerm. 3. de inſpirationum diſcretione c. 4. in principio, Henricum Suſon ſerm.3. pag. 201. Ioānem de Auila in lib. audi filia c. 50: & Seraphinum Firmianum in ſpeculo interno c. 11. per totum, vt innumeros alios ommittamus.* Ex quibus omnibus ad comprobā-
5. das, & venerandas reuelationes, has regulas tanquam principales colliges. Prima eſt, vt expendatur; an id, quod reuelatur, conforme ſit, & conſentiens cum diuina Scriptura, cum Eccleſiæ traditione, ſiue ordinatione? Secunda eſt; an reuelatio illa ſit vtilis ad aliquam ſpiritualem ædificationem, & deuotionem? Tertia; cuinam illa fiat? Quarta denique, an illa iudicio magnorum virorum approbetur? his omnibus concurrentibus, reuelatio vt authentica recipienda eſt, & veneranda: maximè ſi aſſenſu Sedis Apoſtolicæ cōprobatur: nec Caietanus (ni fallor) huic reſolutioni reſiſtet, cum ea ab omnibus Theologis approbetur.

Morales. Turrecr. Solitarius. Durantus. Gerson. D.Bonau. Bernardinus Senen. Suson. Auila. Firmian.

§. 2.

Reuelatio facta B.Brigittæ.

SVpereſt, vt reuelationes referamus,
6. *B. Brigitta.* & ſingulas examinemus. Primo loco referemus reuelationes, quæ B. Brigittæ de immunitate Conceptionis B.Virginis, & à Chriſto, & ab illa factæ fuerunt. Prima habetur lib.1. cap.9. n.5. pag.14. col.2. vbi B. Virgo affirmat, *animam cum corpore in ipſa Conceptione fuiſſe ſanctificatam.* Et lib. 5. in fine pag. 409. Deus Pater affirmat *Mariam ex peccatoribus quidem natam, attamen ſine peccato conceptam.* lib.6.c.9 pag.470. ipſa B.Virgo hæc profert verba: *Veritas eſt, quod ego concepta fui ſine peccato originali, & non in peccato*, quæ verba omnem prorſus tollunt dubitationem.

At, inquit Caietanus, oppoſitum fuit reuelatum B. Catharinæ Senenſi, vt refert B.Antoninus 1.p. Summæ titulo 7. 7. *Reſponſio Caietani.* c.2. ad finem: vnde infert cum eodem D. Antonino has reuelationes non fuiſſe à Deo. Et addit; ſi alicui ſtandum foret, potius ſtandum eſſet reuelationi S. Catharinæ; quia vere eſt canonizata; cum tamē B. Brigitta canonizata ſit tempore ſchiſmatis, quando nullus habebatur certus, & indubitatus Papa.

Sed in his, quæ ſcribit, turpiter hallucinatus eſt Caietanus, & falſitatis conuincitur, 8. *Reprehenditur Caietanus.* dum ait B.Brigittam non fuiſſe legitime canonizatam, vt quæ canonizata ſit tempore ſchiſmatis à Bonifacio IX. qui non fuit indubitatus Papa: nam licet ab eo canonizata ſit anno 2. ſui Pontificatus nonis Octobris, qui fuit an. 1491. vt patet ex Bulla canonizationis, quam refert Cardinalis Turrecremata in Prologo poſito in lib. reuelationum eiuſdem Sanctæ Brigittæ: tamen ex eadem Bulla, & ex regiſtro Gregorij XI. & Vrbani VI. conſtat præcitatos Pontifices, qui fuerunt ante pręcitatum ſchiſma, & ante Bonifacium IX. de huius Sanctæ canonizatione plura egiſſe, & vtrumque eam incepiſſe, licet neuter eam perfecerit, vt patet ex eodem Turrecremata in præcitato Prologo c.1. poſt medium; & tandē eam perfeciſſe Bonifacium IX. & hanc canonizationem Martinus V. legitimus Pontifex approbauit, & confirmauit Kalendis Iulij anno Pontificatus 2. qui fuit Chriſti 1419. vt patet ex Bulla, quam idem Cardinalis Turrecremata refert loco citato. Et quia Caietanus hanc Bullam videre noluit; ideo ignorantia deceptus (craſſa tamē) de legitima Sanctæ Brigittę canonizatione dubitauit. Quare quoad

S.Brigitta vere canonizata eſt. *Greg. 11. Vrban. 6.*

hoc canonizatio illius æqualis eſt authoritatis cum canonizatione Beatę Catharinæ Senenſis.

9. *Reuelationes B.Brigittæ à Sede Apoſtolica approbatæ. Turrecremata.*

Supereſt expendere; an vtriuſque reuelationes æqualis ſint authoritatis, & fidei? & quod attinet ad reuelationes B. Brigittæ, de illarum fide, & authoritate nullus dubitare poteſt: etenim ex ijs, quę dictus Cardinalis Turrecremata ſcribit in d. Prologo cap. 1. patet, has reuelationes non ſolum in vita illius à Prælatis, viriſq; doctiſsimis accurate examinatas, & approbatas fuiſſe; ſed etiam poſt illius mortem à Summis Pontificibus accuratiſsimo per Cardinales Sanctæ Eccleſiæ, & Theologos doctiſsimos examine præmiſſo receptas, & cõfirmatas eſſe: nã Gregorius XI. poſt obitum B.Brigittæ anno 1377. eas ſibi pręſentatas tribus Cardinalibus, & quatuor peritiſsimis Theologis tradidit reuidendas, & expendendas, qui
10. de communi conſenſu iudicarunt: *Totũ, quod in illis continebatur, & veritate conſpicuum eſſe, & ſanctitate plenum, perlucidum, atque perfectum*: illis autem ab eodẽ Gregorio vndecimo approbatis (quia eiuſdẽ Sanctæ canonizationem perficere non potuit) rurſus præſentatæ fuerunt Vrbano VI. qui Gregorio XI. immediate ſucceſsit anno Domini 1478: à quo quinque doctiſsimis Cardinalibus, & ſeptem Theologis, & iure peritis ſecundo loco fuerunt commiſſæ, qui omnes diligenti examinatione præmiſſa, & vera relatione de earum veritate, & ſanctitate ad eũ-
Approbãtur ab Vrbano 6. dem Vrbanum delata, idem Vrbanus *eas vt authẽticas, & veritate plenas, & à Dei Spiritu veraciter traditas; & ad vtilitatem legentium, & audientium pro ſaluberrimo fidelium dogmate in Dei Eccleſia in perpetuum cum deuotione, & reuerentia ſtudioſius*
11. *obſeruandas approbauit.* Quorum veſtigia imitatus Bonifacius IX. eaſdem reuelationes tertio examinandas viris doctiſsimis propoſuit, & eaſdem approbans cum B. Brigitta loquens illa dixit verba, quæ Ozias cum presbyteris ad Iudith locuti ſunt: *Omnia, quæ locuta es, vera ſunt*: illa item, quæ ſcribuntur 3. Reg. 17: *Verbum quidem Domini in ore tuo verum eſt*: & quanuis non fuerit indubitatus Papa, tamen dum iudicium Gregorij vndecimi, & Vrbani ſexti ſecutus eſt, in hoc errare non potuit: vnde illius etiam approbatio magni facienda eſt. Ex quibus euidenter 12. *Approbatio Bonifacij 9. magni eſt faciẽda.*
conſtat reuelationes B.Brigittæ nõ poſſe non cenſeri authenticas: & ſubinde in magna habendas eſſe veneratione: cum à duobus indubitatis Summis Pontificibus probatæ fuerint, & confirmatæ; & à Bonifacio IX. qui licet indubitatus non fuerit Papa; tamen illius iudicium magni faciendum eſt, cum iudicio indubitatorum Pontificum fuerit conforme: maxime quoniam in eodem iudicio perſtitit, in quo fuit, quando ex commiſsione Concilij Baſilienſis adhuc legitimi ſub obedientia Eugenij quarti permanentis, eaſdem reuelationes, vt veras, & authenticas approbauit, anno 1435. cum adhuc officio magiſtri Sacri Palatij fungeretur: ex quo colligitur ipſum Baſilienſe Conciliũ adhuc legitimum eaſdem reuelationes approbaſſe: non eſt igitur dubitandum de fide, & authoritate harum reuelationum.

An verò reuelationes Sanctæ Catharinæ Senenſis habeant authoritatem? mihi non conſtat: nam licet peritorum iu- 13. *De fide & authoritate reuelationum S. Catharinæ Senenſis.*
dicio forte ſint approbatæ; non conſtat tamen, an à Sede Apoſtolica approbatæ fuerint, & confirmatæ. Deinde licet quo ad alias reuelationes verè ſint authenticę: non conſtat tamen authenticam eſſe, quę negat B. Virginem ſine originali peccato fuiſſe conceptam: de hoc enim grauiſsimi Theologi dubitant, aſſerentes hanc reuelationem poſt obitum Sanctæ Catharinæ à quibuſdam indiſcreto quodã zelo fuiſſe confictam, & alijs ſuperadditam ad infirmandam fidem reuelationũ, quę puritatem Conceptionis confirmãt. Hoc fuit iudicium *Catharini, quem in hoc ſequuntur Suarius 2. tom. ad 3 p. diſp. 3. ſect. 5. §. Tertio augetur, pag. 40. col. 1. & Vaſq. Bellomontanus 2. tom. ad eandem 3. p. diſp. 117. n. 79. pag. 47: nec omnino hoc reijcit Lezana in ſuo apologetico c. 14. fol. 67. pag.* 1. nec ſine fundamento: quoniã nec Frater Raymundus, nec Stephanus Carthuſienſis, nec Frater Thomas Senenſis, nec D. Antoninus, nec vllus alius, qui B. Catharinæ vitam ſcripſit, aut reuelationes eius collegit, huius reuelationis mentionẽ

Catharin. Suarius. Bellomon. Lezana.

facit:

facit: cui fundamēto Lezana aliud addit, quod in opuſculis eiuſdem Sanctæ nihil huius reuelationis reperitur, cum tamen publica notariorum fide conſtet, reuelationem, quod B. Virgo ab originali fuerit immunis in libro reuelationum à Sede Apoſtolica approbato contineri, vt videre eſt in Prologo Cardinalis Turrecrematæ ad reuelationes B. Brigittæ.

14. *Occurritur ſolutioni.* Si verò reſpondeas in reuelationibus hanc non haberi, ſed in lib. orationum, & locutionum, quibus in raptu ad ſponſum locuta eſt; in quo libro orat. 16. alloquens ſponſum *fatetur B. Virginem ſtatim poſt animæ infuſionem fuiſſe à macula originali purgatam.* Huic ſolutioni illud primo reſpondebo, me hunc librum non vidiſſe, & cum oratio illa ab vno ſolo Bandello in ſuo tract. contra B. Virginem fol. 39. pag. 2. referatur, non firmum haberi teſtimonium; cum Bandellus ſæpius falſitatis conuincatur. Deinde reſpondeo probabiliſsimam eſſe Lezanæ reſponſionem, non omnia, quæ in orationibus Sāctorum dicūtur, dicta cenſeri ex ſpeciali aliqua reuelatione, ſed plerumque dicta eſſe ex propria ſententia. Potuit igitur B. Catharina ab aliquo ſui ordinis edocta, hanc ſententiam veriſsimam putare, & eam tanquam certiſsimam cum Deo loquendo tractare. *Verba S. Catharinæ non continent reuelationem.* Et quidem quod Beata Catharina verba illa non dixerit ex reuelatione, ſatis indicant illa alia, quæ poſt orationem adiunguntur: *Tu ſcis Domine, quia iſta eſt veritas*: etenim qui alicuius myſterij reuelationem accipit, de veritate rei reuelatæ diuino teſtimonio interne certificatur, vt non pendeat ab extrinſeco diuinæ ſcientiæ teſtimonio, vt illud ad confirmandam veritatem eius rei, de qua loquitur, imploret. Niſi dicas cum Martino Delrio, quē refert, & probat Lezana, verba illa ab aliquo fuiſſe ſuperaddita.

15. *Nō admititur Caietanus.* ¶ Valeat igitur Caietanus, dum ait maiori fide dignam eſſe Sanctam Catharinam Senenſem, quam B. Brigittam: etenim ſi ſermo ſit de vtriuſque reuelationibus in genere, quæ ſunt B. Brigittæ, à Sede Apoſtolica ſuam habent authoritatem; quam tamen non habent, quæ ſunt B. Catharinæ Senenſis: ſi vero ſermo ſit de hac ſpeciali reuelatione immunitatis Virginis glorioſæ, non ſolum indubitatum eſt hanc reuelationem inter alias B. Brigittę contineri; ſed etiam à Sede Apoſtolica ter, vel quater eſſe approbatam: cum tamen non ſine fundamento dubitetur, an quæ ex B. Catharina adducitur, vere illi ſit facta? vt ex dictis patet.

¶ *Aliæ reuelationes.*

Secundo loco adducemus reuelatiōnē de hac veritate factam B. Amadęo, quam ſcribit in libro Apocalypſis nouæ, qui aſſeruatur in Regali Bibliotheca Sancti Laurentij el Real, in quo ſcribuntur nonnullæ reuelationes factæ à Sancto Gabriele, in quarum octaua referuntur quę ab Apoſtolis geſta ſunt in tranſitu Beatę Virginis, & quæ in laudem eius ſinguli dixerunt. Inter alia referuntur teſtimonia B. Andreæ, Sancti Thomæ, Sancti Matthæi, & Beati Matthiæ: quibus euidēter probatur B. Virginem ſine vllo originali peccato fuiſſe conceptam; vt patet ex verbis, quæ ad literam adduximus ſuprà lib. 2. q. 4. ar. 7. §. 4. 16. *Reuelatio S. Amad.*

Tertio loco afferamus celebrem reuelationem, quæ tempore D. Anſelmi vel circa, facta eſt Elpino abbati; cui in mari periclitanti apparuit B. Virgo, & eum admonuit, vt de celebrando ſuę Conceptionis feſto votum emitteret, quo emiſſo maris tempeſtas ſubito ſedata eſt. Quam reuelationem huic Abbati factam, vt authenticam refert Baronius in annotationibus ad martyrologium Romanum ad octauum diem Decembris, vbi teſtatur eam reperiri ſcriptam in quodam libro manu ſcripto. Eandem reuelationem refert D. Anſelmus in quadam epiſtola ad Epiſcopos Angliæ, quam ad verbum refert Ojeda in ſua informatione pro B. Virginis Conceptione c. 12. & oſtendit eam à viris grauiſsimis tribui D. Anſelmo, & haberi inſertam in antiquiſsimis Breuiarijs; & noſtris temporibus rēperiri Cordubæ in Bibliotheca Eccleſiæ maioris, & Collegij ſuæ Societatis. Quam etiā refert *Bachonius in 2. diſt. 2. q. 4. ar. 2. & in quodlibetis q. 13. & Petrus Epiſcopus lib. 1. ſui cathalogi c. 52. & lib. 6. c. 56. & Gerſon in ſerm. de Conceptione, Boſius lib. 9. de ſignis* 17. *Reuelatio facta Elpino abbati.* *Anſelm.* *Ojeda.* *Bachonius* *Petr. Epiſcopus.* *Gerſon.* *Boſius*

nis Eccleſiæ cap. 8. *& Maſſæus cap.* 16. *ſuæ chronicæ*. In qua epiſtola duæ aliæ referuntur reuelationes, de quibus etiã ſcri-
18. *Marſilius.* bit *Marſilius in* 2.*q.*20.*art.*1. §.*Qua proteſtatione præmiſſa*, *fol.*315.*col.*1. His autem reuelationibus motus D. Anſelmus feſtũ Conceptionis in Anglia ſumma cum celebritate inſtituit: quam Eccleſia Lugdunenſis accepit. Nec obſtat, quod D.
Occurritur obiectioni. Bernardus in epiſt. 174. ad Lugdunenſes, vt parum authẽticam non recipiat: quoniam epiſtola illa non cenſetur D. Bernardi legitima, vt multis fundamentis probat Ojeda vbi ſuprà c 14. per totum: vel ſi vere illius eſt, ſanctiſsimus Bernardus de illius veritate non dum ſufficiẽter erat informatus: cum tñ ſucceſſu tẽporis veritas illa ita confirmata ſit, vt à tota Anglia, & Gallia, tãquã vere authentica fuerit recepta: authores enim grauiſsimi de illa, vt vere authentica faciunt mentionem: quod ſatis eſt, vt ab omnibus pro authentica habenda ſit. Antiqua enim nullo alio modo probari poſſunt, niſi Scriptorum teſtimonijs, vt probant Iureperiti.

19. *Reuelatio ex D. Thoma.* Quarto & poſtremo loco adducemus grauiſsimum D. Thomæ teſtimonium, dum enim Epiſcopus Fantinus in admirationem duceretur, quod D. Thomas ſcripſiſſet B. Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam: D. Thomas illi apparuit, & mentem ſuam explicans, affirmauit eam à macula originali præſeruatam fuiſſe; qua facta reuelatione Epiſcopus ille feſtum Conceptionis in ſuo epiſcopatu celebrare fecit. Hanc reuela-
Bernardinus de Buſtis. tionem refert *Bernardinus de Buſtis in* 1.*p. ſermonum, in ſermone* 7. *de Conceptione in prima illius parte, fol.*27.*col.*1. *in fine*, vbi teſtificatur Fratrem Nicolaum de Padua ordinis Minorum (qui fuit Vicarius generalis eiuſdem Epiſcopi) publico teſtimonio aſſeruiſſe ſe ab eodem Epiſcopo proprijs auribus audiuiſſe hanc reuelationem ſibi factam fuiſſe. Hanc B. Thomæ reuelationem ex eodem Bernardino tanquam veram, & authenticam refert Ojeda in d. informatione cap. 4. fol. 57. pag. 2. & refert Ioannem Vitalem in tract. de Conceptione aſſerentem ſe ſuis oculis vidiſſe librum huius reuelationis: quare puto hanc reuelationem ſatis habere authoritatis, vt tanquam vera recipiatur.

Hæc reuelatio ſatis confirmatur ex 20. *Confirmatur ex D. Beltrano.*
dicto Sanctiſsimi Fratris Ludouici Beltrani ordinis Prædicatorum affirmantis, quod ſi Sancti, & Theologi antiqui, qui docuerunt B. Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam, hodie viuerent abſque dubio nobiſcum ſentirent; quia viderent hanc immunitatem ab Eccleſia Romana populis fidelibus celebrandam proponi. Hoc fuiſſe huius Sancti iudiciũ teſtatur *Vincentius Iuſtinianus eiuſdẽ Ordinis grauiſsimus Doctor, & Sancti familiariſsimus, vt patet ex tractatu de immaculata Conceptione* §.1.*&* 15: quid enim mirum ſi B. Thomas in diuina eſſentia hanc veritatem cernens, ſuam retractationẽ reuelet: nam eandem probaret, ſi videret celebre Romanæ Eccleſiæ teſtimonium in hoc feſto celebrando: etenim D. Bernardus *in d. epiſt.*174. (ſi illi eſt tribuẽda) in fine ſatis explicat ſe paratum eſſe ſententiam iudicio Eccleſiæ emendare: vnde ſolum requirebat Eccleſiæ Romanæ authoritatem de feſto Conceptionis celebrando: vnde abſque dubio ſententiam mutaret, ſi noſtris his temporibus viueret, quia videret feſtum Conceptionis non ſolum authoritate Sedis Apoſtolicę vbique celebrari, ſed etiam celebrari ſub titulo immaculatæ, & puræ ab omni originali labe. Diuus etiam Bonauentura *in* 3. *diſt.* 3. licet docuerit B. Virginem in originali conceptam; eo tamen modo id docuit, vt ſignificet ſe mutaturum ſententiam, ſi ſciret Eccleſiam Romanam puritatem Beatę Virginis celebrare: imò abſque dubio mutauit ſententiam *in* 2. *ſermone de B. Virgine*, qui vt illius legitimus inter alios enumeratur; vbi expreſſe docet *B. Virginem fuiſſe plenam gratia praueniente, & præſeruante à fœditate originalis culpæ, quam contraxiſſet, niſi ſpeciali gratia præſeruata fuiſſet.* Alexandrum etiã Alenſem, & Albertum Magnũ mutaſſe ſententiam, referunt plures authores fide digniſsimi, apud *Ojedam in d. ſua informatione c.*15.§.2.*&* 3. Aſſerendum eſt igitur, & conſtanter affirmandum, quod antiqui Doctores, qui ante Sixtum quartũ

Antiqui mutarent ſententiam ſi nunc eſſent.

Vinc. Iuſtinianus.

21. *D. Bern. mutauit.*

Mutauit D. Bonau.

22. *Mutauerunt Alẽſis, & Alber. magn. Ojeda.*

contra puritatem B. Virginis ſcripſerũt, ſuam opinionem libentiſsime retractarent, ſi noſtro iſto tempore vixiſſent, vt Sanctiſsimus Bertramus tam conſtanter affirmauit. Cuius ſolius authoritas ſatis eſſe debuerat, ne Caietanus hanc aſſertionem appellaret ſtultitiam *in d. tractatu de Conceptione B. Virginis c. 4. ad finem.* Sed illius errorem alio peiori Deus puniuit, dum permiſit, vt ſcriberet *ſe hanc gloſſam & doctrinam ita veram putare, quemadmodum verum putat, quod Chriſtus, ſi nunc in terris conuerſaretur, mutaret doctrinam fidei ſuæ, vt conformaret ſe populis.* Quæ verba euidentem denotant impietatem, dum certitudinem infallibilem, & veritatem fidei Chriſtianæ ęquat certitudini, & firmitati opinionis, quæ aſſerit B. Virginẽ in originali fuiſſe cõceptã. Quo quid magis impiũ? ita enim fieret, vt ſicut nõ eſſet credendum Angelo de cœlo, ſi contra fidem Chriſti prædicaret, vt ait Paulus: ita etiam non eſſet credendum illi, ſi B. Virginis immunitatem pro confirmanda Cõceptionis feſtiuitate, & pietate Romanæ Eccleſiæ ex parte Dei nobis reuelaret. Quo nihil abſurdius; nihil magis impiũ; nihil denique ſtultius. Sed de hoc latius inferius q. 8.

Confirmatur opinio Bertrami.

Reprehenditur Caietanus.

Habet ſpeciem impietatis.

23. Et vt ad inſtitutum redeamus; veriſſimum eſt iudicium Sanctiſsimi Ludouici Bertrami, quo iudicat Doctores antiquos, qui aſſeruerunt B. Virginem peccatum originale contraxiſſe, ſuam retractaturos ſententiam, ſi nunc viuerent: etenim abſque dubio ſe conformarent iudicio Eccleſiæ Romanæ, quæ, ſi non diffiniendo, piè tamen approbando hanc veritatem tradit, & populo fideli celebrandam proponit: in quo errare non poteſt, vt in ſuperioribus latè oſtendimus. Quod verò D. Thomas, ſi nũc eſſet, ſententiam mutaret, non ſolum perſuadet reuelatio adducta, quæ magnam habet probabilitatem; ſed etiam ſolutio, qua 3. *p. q. 27. artic. 2. ad 3.* ſoluit argumentum ſumptum ex feſto Conceptionis, non dum authoritate Romanæ Eccleſiæ celebrato: etenim recurrit ad celebrationẽ Sanctificationis, abſtrahendo â tempore, quo fuit ſanctificata: & inde infert celebrari feſtum Sanctificationis, non verò Conceptionis: ad quam ſolutionem non recurreret, ſi vidiſſet Sixtum IIII. expreſſe declaraſſe Romanam Eccleſiam ipſam Conceptionem materialem celebrare, vt omnino puram, & â labe originali liberam; & oppoſitam aſſertionem damnare, vt falſam, & erroneam, eamq; ſub pœna excõmunicationis prohibere; vnde ſi cognoſceret Romanæ Eccleſiæ doctrinã de puritate Conceptionis; abſq; dubio cum eâdem omnimodam puritatẽ Conceptionis amplecteretur, ſicut nunc in cœlo beatus amplectitur, vt ex illius reuelatione ſuprà relata, patet: maximè; quia ſciret argumentum, quo *in d. art. 2.* vtitur, non ſatis rem conuincere, quia licet ante animæ infuſionem ſanctificari non potuit; potuit tamen in eodem infuſionis inſtanti, vt inferius dicemus q. 10. & hæc de reuelationibus.

D. Thom. mutauit ſẽtentiam.

ARTICVLVS V. & Vltimus.

An efficax argumentum ſumatur ex miraculis, quæ in huius veritatis confirmationem afferuntur?

§. I.

Refertur, & impugnatur opinio Caietani.

Caietanus in ſuo tract. *de Conceptione Virginis c. 15. in fine,* aſſirmat miracula, quæ in confirmationem puritatis Virgineæ aſſeruntur, indigna eſſe, vt de illis verba fiant; & ideo mulierculis potius afferenda eſſe, quàm ſapientibus; & ſcribit illa vera non eſſe, ſed apparentia. Fundamentum eſt; quia non ſunt admittenda vera miracula contra Doctores ſanctos, & antiquos. 1.

Opinio Caietani.

Sed non debet eſſe mirum, ſi qui fundamento euidenter falſo nititur, ędificiũ conſtruat ab ſpecie impietatis non longe alienum: etenim quam falſarius ſit Caietanus, dum affirmat omnes Sanctos, & antiquos Doctores aſſerere B. Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam, euidenter patet ex ijs, quæ diximus q. 4. art. 1. vbi oſtendimus fere omnes Patres (tribus vel quatuor exceptis) immunitatem Conceptionis Virginis Deiparæ 2.

Reijcitur vt habens ſpeciem impietatis.

&

& docere, & confirmare. Quare cũ fundamentum de euidenti falſitate notetur, non erit mirum, ſi illatio ex illo deducta aliquam habeat impietatis ſpeciem, dum aſſerit miracula, quæ in confirmationem pietatis, quam Romana Eccleſia colit, docet, & celebrari præcipit, non eſſe vera, ſed ficta, & indigna, quæ ad illam piam veritatem confirmandã afferantur. Quæ aſſertio an in aliquo cum aſſertione Porphyrij, & Eraſmi conſentiat? aliorum ſit iudicium: etenim aliquã impietatis ſpeciẽ ſecum ferre expreſſe ſcribit *Cordubenſis lib. 1. q. 44. in 4. arg. principali, §. Sed certe hæc euaſio, pag. 36 2. col. 1. & ſatis conſentit Bellomont. 2. to. ad 3. p. diſp. 117. c. 6. n. 76.*

3. *Cordubēn. Bellomon.* Nec ſine fũdamento: etenim cõfirmatio & corroboratio piæ credulitatis, ſumpta ex reuelationibus, & miraculis cõmuni fideliũ cõſenſu approbatis ad vltimũ ſpectat gradũ veritatũ Catholicarum, vt idẽ Cordubenſis aduertit *vbi ſupra pag. 365. col. 1. in medio.* Quare miracula, quæ tanquam vera & ſupernaturaliter facta cõmuni conſenſu iudicantur magni ſunt facienda: maximè quando fiunt ad confirmandã aliquam piam Romanæ Eccleſiæ doctrinam; & ad augendã populi fidelis

4. deuotionem. Huius autem generis eſſe, quæ fiunt ad confirmandam puritatem Conceptionis Virginis Deiparæ, nullus ſine ingenti temeritate negare poteſt; cũ fiant in confirmationem veritatis, quam Romana Eccleſia colit, docet, & celebrãdam colendamq; proponit. Vnde vt authentica cenſeantur, ſatis eſt, quod in officio Conceptionis à Romana Eccleſia approbato, legantur. Et hæc contra ingentem Caietani temeritatẽ dixiſſe ſufficiat. Vide Cordubenſem contra eundem loco citato latè diſputantem.

§. 2.

Referuntur authores, qui ad confirmationem propoſitæ veritatis varia miracula referũt.

5. *Authores qui referũt miracula.* SVpererat varia referre miracula, quę in confirmationem puritatis Virgineæ Conceptionis à varijs adducũtur: ſed hoc labore ſuperſedemus, quia breuitati ſtudemus: & ideo ſatis erit authores referre, qui ea ex profeſſo colligunt. Inter eos enumerandus eſt *Bernardinus de Buſtis in ſerm. 7. de Conceptione B. Virginis in 2. illius parte: & poſt eum Frater Ioannes Baptiſta de Lezana in ſuo apologetico pro immaculata Mariæ Concept. c. 15. vbi ex D. Anſelmo, Bachonio, Mayronio, Perbalto, Carthagena, Luzero, Pineda, Penha, Vincentio Iuſtiniano, & alijs quamplurima miracula ſcribit.*

Hoc loco vnũ referam, quod anno pręterito Hiſpali nõ ſine omniũ admiratione cõtigit, & ego typis excuſũ vidi: nã mulier quædã audiẽs cãtilenas in laudẽ Conceptionis B. Virginis à pueris publicẽ decantari, ducta zelo huius myſterij filio infãti quatuordecim menſiũ vix adhuc verba promenti, quẽ vbera ſugentẽ habebat, præcepit, vt in laudẽ Cõceptionis immaculatæ B. Virginis, candẽ cantilenã decãtaret; quod infãs fecit cantilenã diſtincte proferẽs, & alte decantãs. Quo miraculo omnes vrbis incolæ excitati in publicas B. Virginis laudes proruperunt puritatẽ Conceptionis eius deuotius decantantes. ¶ Et hęc de hoc vltimo articulo, & de argumentis deſumptis ex ijs, quę ab Eccleſia traduntur, de quibus egit 6. quæſtio. 6. *Miraculũ magnum.*

QVÆSTIO VII.

De rationibus, quæ ad confirmandam eandem veritatem ſumuntur ex Theologia, & Philoſophia.

ARTICVLVS VNICVS.

§. 1.

POſt ea argumenta, quæ ex Patribus, Theologis, ſacra Scriptura, Eccleſia, Concilijs, Summis Pontificibus, Academijs, Religionibus, Regibus, & tandem ex communi fere omnium fidelium conſenſu deſumuntur; agendum erit de rationibus congruẽtiæ, quæ tum ex Theologia, tum ex naturali lumine fide eleuato deſumuntur, vt puritas Conceptionis B. Virginis omni ex parte cõfirmetur. Verum quia argumẽta iſta congruentiã potiùs ſuadent, & decẽtiam, quã efficaciter demonſtrãt; & accõmodatiora ſunt, vt populus fidelis in ſua deuotionẽ, & pietate cõfirmetur, quã vt cõtumaces cõuincantur; & ideo ad conciones potius pertinent, quam ad diſputationes; hoc ſuperſedemus labore: tum, quia contra contumaces agimus, qui non 1. *Rationes congruentiæ.*

congruentijs conuincuntur: tum etiam; quia tẽpus eſt, vt vela cõtrahamus. Quare officio noſtro ſatis nos feciſſe putamus, ſi primo loco Theologos annotemus, qui rationes congruẽtiæ multiplici ex capite petitas, ad concionandum aptiſsimas latiſsime adducunt, & explicant: deinde vnam rationem afferamus, ad quam fere omnes, quæ adduci ſolent facile reducũtur.

§. 2.

2. *Authores qui has rationes afferunt.*

Quod igitur attinet ad Theologos, qui hac de re accurate ſcribunt; incipiemus ab illis, qui noſtro iſto tempore, occurrentes tempeſtati Hiſpali excitatæ, varios tractatus in defenſionem immaculatæ Conceptionis ſcripſerunt. Primo loco in lucem exiuit tractatus immaculatæ Conceptionis à multis annis editus *à Ioanne Vincentio Iuſtiniano ordinis Prædicatorum. Deinde ſcripſerunt Pater Ioannes Pineda in ſerm. Conceptionis, & in aduertẽtijs ad edictum Ioannis primi Aragoniæ Regis, vbi ab aduertentia ſexta vſque ad 14. nouem affert rationes. Gundiſaluus Sanches Luzero in ſuis diſcurſibus theologicis in defenſionem immaculatæ Cõceptionis lingua Hiſpana editis in primo diſcurſu à cap. 1. vſque ad 4. & in cap. 9. vſque ad finem. Aluarus Picaña de Palatios in diſcurſibus pro eadem conceptione, Frater Ioãnes Baptiſta Lezana in ſuo apologetico pro eadem conceptione à c. 24. vſque ad 27. & ante eos plures ſcripſit Frater Stephanus Mendez lib. 3. de la dignidad de la Virgen, à c. 30. cum ſequentibus. Aliquas rationes colliges ex Canniſio lib. 1. de Maria Deipara c. 6. & ex Cordubenſi lib. 1. q. 44 in 6. ratione, pag. 365. col. 2: duodecim rationes affert Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5. §. Vltimo loco, pag. 45. col. 2: tres adducit Vaſquez Bellomontanus 2. to. ad 3. p. diſp. 117. cap. 7. quinque vtitur Bellarminus 4. p. & lib. 4. de amiſsione gratiæ & ſtatu peccati c. 15. pag. 326. Nouẽ rationes latè refert Valentia 4. p. diſp. 2. q. 1. punct. 2. pag. 417. cum ſeqq. vt alios omittamus.*

Ioan. Vincent. Iuſtinianus. Pineda. Luzero. Picaña. Lezana. Stephanus Mendez. Canniſius. Cordub. Suarius. Bellomon. Bellarm. Valentia.

§. 3.

3. *Vnica rat. ad quã cæteræ reducuntur.*

Ex omnibus rationibus, quas præcitati Doctores latè adducunt, vnam adducemus, ad quam fere omnes facile reduci poſſunt. Ea autem ſumitur ex naturali decentia, ſeu cõuenientia, quæ dictat, vt filius omni, quo potuerit, honore parẽtes afficiat: tũ, quia filius eſt, & ſubinde ſubiectus naturali præcepto de parentibus honorãdis: tum etiam, quia gloria, & nobilitas parentũ in gloriam filiorum cedit, iuxta illud Prouerb. 17. *Gloria filiorũ parentes eorum*: vnde ſi is, qui futurus eſt filius, poſſet non ſolũ ſibi parentes eligere, ſed etiam eos, quo vellet honore, & excellentia nobilitare; naturali ratione obligaretur, vt quos ſibi in parẽtes eligeret, eos õni, quo poſſet, honore afficeret. Quare cum filius Dei, homines ab æterno ita dilexerit, vt ad redimendos eos à iugo peccati voluerit fieri filius hominis; & Mariam in matrẽ ſibi elegerit, eo ipſo quod ab æterno voluit, & decreuit fieri filius eius, ipſo ſuo decreto ſe ipſum ſubiecit naturalibus decentiæ legibus: etenim ex *Auguſtino lib. 3. de liber. arbit. c. 5: Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id ſcias feciſſe Deum.* Quare cum Verbum diuinũ B. Virginem ab æterno ſibi elegerit in matrem. ſuo ſe ipſum decreto obligauit, vt illi concederet omnia nobilitatis, & excellentiæ priuilegia, quæ matrem Dei decent, & quæ neque cum ſacris literis pugnant, nec cũ traditione Eccleſiæ, nec deniq; cũ dignitate filij, quatenus eſt omnium Redemptor. Quæ Theologia veriſſima eſt in priuilegijs, & excellẽtijs, quæ ad puritatem ſanctitatis pertinent: nam cum filius Dei ſe fecerit filium B. Virginis, vt ſua incarnatione ab impuritate peccati homines liberaret, & eos infuſa gratia ſanctificaret; decuit vt matrẽ ſpecialibus ſanctitatis priuilegijs eam ſibi ſimillimam redderet, & Angelis puriorẽ. Quare cum inter omnes, etiam aduerſarios, conſtet immunitatẽ à peccato orig. inter ſanctitatis, & puritatis excellentias, quæ naturæ humanæ ab Adamo propagatæ conferri poſſunt, eſſe ſupremam; & ſubinde debitam matri Dei, ſi illa nec ſacræ Scripturæ repugnet, nec traditioni Eccleſię, nec deniq; dignitati filij Redẽptoris; vtique maximẽ fuit decẽs, vt filius Dei eam concederet B. Virgini, quam in matrẽ elegit. Quod ſi decẽs fuit, & rectæ rationi conſonum; vtique filius Dei hanc ſanctitatis excellentiam, & nobilitatem abſque dubio ſuæ matri conceſsit, iuxta doctrinam Auguſtini ſuperius poſitam.

Prou. 17. Auguſt. 4.

Quod

5. *Fuit poſſibilis.* Quod vero hæc immunitas fuerit poſſibilis, indubitatū eſt etiã apud aduerſarios. Quod ſacris literis nõ repugnet, latè oſtẽdimus q.5. huius libri. Quod nec repugnet traditioni Eccleſię, patet ex dictis ſupra q.2.&6. Deniq; quod nõ repugnet dignitati Redemptoris, latè mõſtrabimus inferius q.vlt. Quin potius ex ijs, quæ in præcitatis quæſtionibus ſcripſimus, ſatis patet hãc immunitatẽ & ſacris literis eſſe conſonam, & traditionibus Eccleſiæ: & in magnã cedere excellẽtiã redẽptionis, quæ facta eſt per Chriſtũ. Cur igitur hęc immunitas B. Virgini denegabitur? etenim omnimoda immunitas ab omni labe actualis peccati ideo à Patribus, & ab Eccleſia B. Virgini tribuitur, quia talis immunitas ſecundum rectã rationẽ lumine fidei illuſtratam, decebat dignitatẽ matris Dei, vt lib.4.q.1. latius oſtẽdemus. Imò ob eandem decentiã ibidẽ monſtrabimus in B. Virgine nec fuiſſe fomitẽ peccati, nec potentiã peccãdi. Vide in confirmationem huius rationis, quæ latè ſcribunt *Suarius, Bellomont. Iuſtinianus, Pineda, Luzero, Picaña, Lezana, Stephanus Mendez in locis ſupra citatis*: & de efficacia argumẽti ſumpti ex decẽtia, vide *Cordubẽſem lib. 1.q.44.ad 1.arg.contra 6.§. Secunda autem ratio*: nam cum hęc ad concionatores potius pertineãt, quã ad ſpeculatiuã diſputationẽ, ſatis ſint quæ de hac q.diximus.

Suarius. Bellom. Iuſtinian. Pineda. Luzero. Piçaña. Lezana. Stephanus Mendez. Cordub.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm, ſi hæc controuerſia aliquando foret diffinienda, diffinienda ſit ſententia, quæ B. Virginem à macula originali liberat?

ARTICVLVS VNICVS.

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

1. *Variæ ſententiæ.* HVnc articulum q.4. art. 5. huius libri ſolum excitauimus, expendendo dũtaxat Patrum tam antiquiorum, quàm iuniorum iudicium: hoc loco generaliter eam excitamus, & inquirimus; vtrùm abſolute loquendo, ſi hæc controuerſia ſit diffinienda, diffiniri debeat pars, quæ B. Virginem à macula originali liberat? de quo variæ ſunt Theologorum ſententiæ.

2. *1.opinio.* Prima opinio affirmat neutram huius controuerſiæ partem poſſe vnquam ab Eccleſia diffiniri de fide; & ideo non admittit ſuppoſitionem in titulo prçſuppoſitam. Hanc opinionẽ probauit *Melchior Canus lib.4. de loc.theol. c.4. & lib.7. c.3. concl.4.& lib.12.c.11.* Fundamentum ex eo ſumit, quia iſta quæſtio ad fidem non ſpectat: & inde infert omnium Patrum conſenſum, quo docent B. Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam, ideo hanc partem non cõſtituiſſe de fide; quia res, de qua controuertitur, ad fidem non pertinet. *Canus.*

3. *2.opinio.* Secũda opinio nõ ſolum docet, ſi aliqua ex duabus oppoſitis ſentẽtijs aliquãdo de fide diffiniẽda veniat, illam fore diffiniẽdam, quæ affirmat B. Virginem peccatũ originale cõtraxiſſe; ſed etiã addit ſententiam, quæ eam ab originali liberat, nunquam poſſe diffiniri de fide. Ita expreſſe colliges ex *Medina 3.p.q.27.ar.2. cõcl.2. §. Sed circa hãc concluſionẽ*, vbi pro ea citat *Caietanum in d.tract.de Concep.B.Virginis*, ſed ibi non dicit noſtram ſententiam nõ poſſe diffiniri; ſed ſuam diffiniendã fore, ſi ad diffinitionem veniatur. Et in hoc ſenſu hanc opinionem probarunt plures ex aduerſarijs, qui ante Sixtum IIII. ſcripſerunt: inter quos eſt Bandellus. Huius opinionis fundamentum inde ſumunt; quoniam omnes Sancti antiquæ Eccleſiæ in priori ſententia conueniunt: iam vero non poſſunt Patres vnanimi conſenſu in aliquam ire ſententiam, quę à parte rei ſit fidei cõtraria. Quomodo igitur poterit Eccleſia diffinire de fide B. Virginẽ peccatũ originale nõ cõtraxiſſe? etenim hanc ſententiã diffiniẽdo, condẽnaret omnes Sanctos antiquæ Eccleſiæ, quod fieri nõ poteſt. Accedit (inquit Medina) quoniã opinio, quæ B. Virginem ab originali liberat, nullas pro ſe habet Scripturas authenticas, nullas antiquas reuelationes: cũ tamen Eccleſia in diffiniendis rebus fidei nõ vtatur nouis reuelationib⁹, ſed teſtimonijs ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrũ. Facit adhuc (inquit Medina) quoniam cũ tali conſenſu orbis, nec Sixtus 4. illam partẽ voluit determinare, nec Concilium Trid. nec aliqui noſtrorum temporum Summi Pontifices. *1.fundam* *Secundum* *Tertium.*

4. 3. opinio. Tertia opinio vni, & alteri opinioni ex diametro contradicit: contradicit primę; quia admittit materiã huius controuerſię ad fidem pertinere, ac proinde poſſe per Eccleſiam diffiniri de fide: & in hoc cum illa conſentit opinio ſecũda. Contradicit ſecundæ opinioni; quia nõ ſolum aſſerit, ſi Eccleſia aliquãdo ad huius controuerſię diffinitionem accedat, illam eſſẽ diffiniẽdam, quæ B. Virginis Conceptionem ab originali liberat; ſed conſtanter defendit oppoſitam ſententiam diffiniri non poſſe: in quo ſecundæ opinioni repugnat.

3. opinio vera. ¶ Ego hanc tertiam ſententiam, vt veriſſimam & certiſsimam ſemper amplexus ſum; & nunc eam cõſtantius amplector. Cuius veritatem confirmabimus, ſi tamẽ prius cõfirmemus ſuppoſitionem, quam contra Canum ſupponimus.

§. 2.

Alteram huius controuerſiæ partem poſſe ab Eccleſia diffiniri de fide.

5. Altera pars poteſt diffiniri cõtra Canum. Suar. Bellom. Ojeda. Pitigian. QVod igitur attinet ad id, quod ſupponitur, ſtatuimus hãc cõcluſionẽ contra Canum *alteram huius controuerſiæ partem poſſe de fide diffiniri.* Hanc concluſionẽ expreſſe defendunt *Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 6. §. Dico tñ primo, pag. 50. col. 1. Bellomont. 2. to. ad eandẽ 3. p. diſp. 117. c. 14. §. Hæc vero primum n. 148. ſatis Ojeda in ſua informatione pro immaculata Conceptione cap. vlt. fol. 53. pag. 1. expreſſe Franciſcus de Pitigianis ad 3. Scoti q. 1. ar. 6. cõcl. 1. pag. 147.* Pro eadẽ opinione citatur *Abulenſis paradoxo 1. c. 21.* ſed ibi nec verbũ de hoc agit: eã tamen ſatis ſupponũt authores 2. opinionis. ſ. *Caietanus, Medina. Bañes, & alij*: quã opinionem vt indubitatam nos etiã comprobamus: nec enim poteſt nõ pertinere ad fidẽ quęſtio, cuius altera pars ex teſtimonio S. Cecilij ab Apoſtolis iã fuit diffinita, vt oſtẽdim⁹ *ſupra q. 5. ar. 3. ſec. 4. per totã.* Secũdo; quia illa quæſtio ad fidẽ pertinet, quæ facit ad verũ & genuinũ ſacræ Scripturę intellectũ: iam vero hæc quæſtio plurimũ conducit ad verã explicationẽ multarũ propoſitionũ, quæ in ſacra Scriptura tanquã regulæ fidei proponuntur: ex illius enim reſolutione colligitur, vniuerſalitatẽ illarum propoſitionũ nõ eſſe logicam; ita vt nullã patiatur exceptionem; ſed eſſe vniuerſalitatẽ legalẽ, quæ Principis ſpecialia priuilegia nõ tollit, vt oſtẽdimus *ſup. q. 1. ar. 2. 4. & 5.* ob quã rationẽ B. Virginem natã fuiſſe ex vtero ſine peccato originali, eſt veritas ad fidẽ pertinẽs: quod Canus nõ negabit. Cur igitur ad fidẽ nõ pertinebit, an B. Virgo in vtero ſine peccato originali cõcepta fuerit? Accedit 3. quoniã id ſatis ſupponitur â *Sixto 4. Alexand. 6. Pio 5. & nouiſsime à Paulo 5. Dño noſtro*; quatenus iubet, *vt nullus alteram harũ opinionum hæreſis damnet, donec à Romana, & Apoſtolica Sede altera fuerit diffinita.* Quę verba ſatis denotant hanc litẽ ab Eccleſia diffiniri poſſe. Satis etiã hoc conuincit, quoniam (vt doctè aduertit Suarius) hæc veritas eſt ſupernaturalis plurimum referẽs ad Chriſtianã pietatẽ: imò pertinet ad diuinũ cultũ, vt patet ex celebratione feſti Cõceptionis authoritate Romanę Eccleſię, nõ ſolum inſtituta, ſed etiã confirmata; quã etiam ipſamet Eccleſia populo fideli perſuadet; imò etiam damnat, & punit, qui aſſeruerit celebritatẽ iſtã ſub tit. immaculatæ celebrari nõ poſſe: quod nõ faceret, ſi hæc veritas ad fidem quoquo modo nõ pertineret: nam ob hanc rationem Eccleſia poſt longam controuerſiã definiuit B. Virginẽ omni actuali culpa caruiſſe, vt dicemus lib. 4: & eam ſine peccato originali ex vtero fuiſſe natam; & iam à mortuis reſurrexiſſe; & in cœlum in corpore ſuo iam aſſumptam fuiſſe; ita ſua authoritate cõfirmauit, vt ſine errore oppoſitum affirmari non poſsit: idq; inſtituẽdo, vt & dies Natiuitatis, & Aſsũptionis in tota Eccleſia publicẽ celebraretur. Quare ſi nullus dubitare poteſt duas illas veritates, olim in Eccleſia dubias, & controuerſas, quæ non dum de fide ſunt diffinitæ, poſſe ab Eccleſia diffiniri de fide; cur veritas immaculatæ Cõceptionis non poterit de fide diffiniri? etenim (vt doctiſsimẽ aduertit Suarius) hæc veritas ſatis eſt conformis ſacris literis; & à Patribus tam antiquiſsimis, quâm nouioribus fere communi conſenſu eſt probata (vt contra aduerſarios in hoc 3. libro iam oſtendimus) ab vniuerſali Eccleſiæ conſenſione ita paulatim recepta, & aucta, vt dubitandum nõn ſit, hoc pietatis in hanc veritatem augmentum eſſe à motione Spiri-

Falſo citatur Abul.

1. ratio.

6. 2. ratio.

7. 3. ratio.

Suarius.

Alia rat.

Suar.

Spiritus Sancti, maximè cum fiat authoritate, & perſuaſione Romanæ Eccleſiæ. Quis igitur dubitabit Spiritum Sanctum ſenſim Eccleſiam docere, vt plenitudo gratiæ, quæ B. Virgini de fide tribuitur, ita ſit intelligenda, vt à primo ſuæ Conceptionis inſtanti ſtatim plena fuerit? etenim Spiritus Sanctus, ipſo communi Eccleſiæ, & fidelium conſenſu, ſæpe explicat non ſolum traditiones ab Apoſtolis acceptas; ſed ipſam etiam Scripturam ſacram.

9. *Reijcitur Canus.* Relegetur igitur Cani opinio; qui in hoc turpiter errat, quod putat Sixtum quartum, Leonem decimum in Concilio Lateranenſi, & Concilium Tridentinum, ideo hanc quæſtionem definire noluiſſe, quia materia huius controuerſiæ ad fidē non pertinebat: oppoſitum enim ex dictis ſatis conuincitur. Cur autem Deus noluerit eam de fide tunc diffiniri? ſolus Deus ſcit: ſatis nobis erit Deum ideo nō mouiſſe Eccleſiam ad huius veritatis diffinitionem; quia nondum expediens iudicauit, id diffiniri; quanuis ad id diffiniendum ſufficiens fundamentum non defuerit. *Paulus.* Dicamus igitur cum Paulo: *O altitudo diuitiarum, ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.*

§. 3.

Quæſtio optima. *Sententiam, quæ aſſerit B. Virginem contraxiſſe peccatum originale, non poſſe diffiniri de fide: noſtram autem diffiniendam eſſe, ſi hæc quæſtio aliquando diffinienda veniat.*

10. SVppoſita præcedente veritate, quod controuerſia iſta poteſt diffiniri de fide; expendendum eſt, quęnam diffinienda erit, ſi ad diffinitionem aliquando deuentum fuerit? *Opinio Medinæ.* Huic dubitationi Medina conſtanter reſpondit, ſententiā, quæ B. Virginem ab originali præſeruat, non poſſe de fide diffiniri; & ſubinde diffiniendam fore, quæ docet, eam contraxiſſe originale. Et putat hanc opinionem probaſſe Caietanum. Sed Caietanus expreſſe non dixit noſtram ſententiam non poſſe diffiniri; quāuis eam inſinuet.

11. *Vera concluſio.* Nos hanc ſtatuimus concluſionem: *B. Virginem contraxiſſe peccatum originale, non poteſt de fide diſſiniri: quare ſi ad diſſinitionem aliquando deueniatur, abſque dubio diffinietur, eam ab omni originali labe fuiſſe præſeruatam.* Hanc concluſionem in his terminis ſtatuimus, quanuis *Suarius, & Bellomontanus ſuperius citati* mitius loquantur, & ſolum aſſerant difficilius fore, vt Eccleſia vnquam iudicet, & tanquam dogma fidei definiat B. Virginem in peccato originali conceptam eſſe: facilius tamen fore, vt definiat eam ab originali fuiſſe præſeruatam. *Suarius, et Bellomōt. mitius loquuntur.* Ego tamen olim conſtanter affirmaui, & modo affirmo contrariam diffiniri non poſſe: noſtram autem abſque dubio diffiniendam fore, ſi ad diffinitionem aliquando accedatur. *Propria & conſtās authoris ſententia.* Quæ opinio placuit *Fr. Franciſco Pitigiano vbi ſupra.* *Pitigianus 1. fund.* Fundamentum primum huius opinionis ſumitur ex eo, quod ex grauiſsimo S. Cecilij teſtimonio conſtat, hanc controuerſiam pro immunitate B. Virginis ab Apoſtolis iam fuiſſe de fide diffinitam; quanuis temporum iniuria talis diffinitio ex hominū memoria deciderit. Fieri igitur non poteſt, vt oppoſita ſententia aliquando diffiniatur: quod enim ſemel de fide diffinitum eſt, ita certum eſt, vt oppoſitum in ſe à parte rei ſemper ſit falſum: fidei autem falſum ſubeſſe non poteſt.

Deinde hoc ipſum efficaciter probatur ex ijs, quæ ſcripſimus ſupra q. 6. ar. 1. prop. 4. & 5. vbi latè oſtendimus ſententiam, quæ B. Virginem ab originali liberat, ita ſimpliciter eſſe veram, vt falſa eſſe non poſsit: quo ſuppoſito fundamento, vtraque pars noſtræ aſſertionis euidēter demonſtratur: nam quod de fide ab Eccleſia diffinitur, infallibilē habet veritatē: & quanuis ante diffinitionem hæc infallibilitas non appareat; in ſe tamē ita ſemper fuit verum, vt nunquā aut fuerit, aut potuerit eſſe falſum, vt ex materia de fide ſupponimus. Quare B. Virginē à peccato originali fuiſſe præſeruatā ita ſemper fuit verū, vt nunquam potuerit eſſe falſum; & eam contraxiſſe originale peccatum, ita fuit falſum, vt ſuppoſito decreto diuino nunquam potuerit eſſe verum: quare nec hoc poſterius poterit de fide diffiniri; ſed ſi ad diffinitionē veniēdū ſit, illud prius neceſſario diffinietur. 12. *2. fundam.*

13. *3. fundam.* Tertio eadem veritas ſatis efficaciter colligitur ex conſtitutione Sixti quarti in Extrauag. *Graue nimis*, de reliq. & venerat. Sanctorum: quatenus damnat vt falſam, temerariam, & erroneam aſſertionem, quæ aſſerit hæreticum eſſe B. Virginem non contraxiſſe peccatum originale: non ob aliam rationem, niſi quia affirmat, eſſe hæreticum id, quod Romana Eccleſia celebrat, vt patet ex illis verbis: *Sane cum Sancta Romana Eccleſia*
Sixtus 4. *intemeratæ, ſemperq́; Virginis Mariæ Conceptionem ſolenniter celebret, nonnulli, &c.* Quibus verbis ſatis ſignificat aſſertionẽ illam de hæreſi aliquando damnari non poſſe: quomodo enim de hæreſi damnari poterit, quod Romana Eccleſia ſolenni celebritate colit? etenim in cultu diuino Eccleſia errare non poteſt, vt in ſuperioribus oſtendimus. Porrò ſi illa ſententia non poteſt de hæreſi vnquam damnari; vtique oppoſita ſententia non poterit vnquam diffiniri de fide: bene tamen poterit de fide diffiniri, quod B. Virgo fuit â peccato originali præſeruata: quoniam Sixtus IIII. quando prohibet aſſertionem, quæ aſſerit B. Virginem in peccato fuiſſe conceptam, de hęreſi damnari; eam non prohibet, vt falſam, temerariam, & erroneam, ſed ex eo ſolum, quia aſſerit damnatum eſſe de hæreſi, quod Eccleſia non dum damnauit. Vide quæ diximus *ſuprâ q 2. art. 2.*

14. *4. fundamentum.* Quarto loco eadem veritas eodem argumẽto confirmari poteſt, quo Caietan⁹ ſuã opinionẽ cõfirmat: etenĩ vt ex Conc. Vienenſi ſub Clemente V. habemus, quãdo aliqua controuerſia inter Theologos agitata de fide ab Eccleſia diffinienda venit, illa pars abſque dubio diffinietur, quę & in ſe probabilior fuerit, & dictis Sanctorum magis conſona; quia (vt ait Caietanus) à Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei omnes; & ſubinde contraria illis ſentẽtia de fide prodire nequit: ſed B. Virginem fuiſſe à peccato originali præſeruatã, eſt ſententia longe probabilior, & doctrinæ Sanctorum magis conſona. Ergo illa abſque dubio diffiniẽda erit, ſi Eccleſia ad diffinitionem accedat. Conſequentia huius diſcurſus eſt legitima: maior eſt fundamentũ Caietani. Minor autẽ, quod attinet ad Patres euidenter demõſtrata eſt ſupra q. 4. per totam, vbi oſtendimus Caietanũ (qui alios falſarios appellat) falſitatis euidenter cõuinci, dum aſſerit, ſuam ſententiã in ſinu Patrum ſecuram requieſcere, cum omnes pro ſe habeat; noſtrã autem nullum aut Sanctum, aut inſignem Doctorem: quod eſſe falſiſsimum euidenter conſtat: ſiquidem omnes Patres pro nobis ſtant, ſi tres vel quatuor excipias: *ſ. Erardum, ex anno 1147: D. Bernardum (cum dubio tamen) ex anno 1140: Innocentium 3. ex anno 1200: & Clementem ſextũ ex anno 1330.* Ex quo patet ante centuriam milleſimã nullum Sanctorum, aut Doctorem illuſtrem pro contraria opinione ſtetiſſe: & tamen ante illam, & poſt illam centuriã, innumeros pro noſtra ſtare ſententia.

Falſitatis arguitur Caiet.

Quatuor tãtum Patres pro cõtraria opinione.

Quin potius, licet daremus omnes fere Patres antiquos pro cõtraria ſtetiſſe opinione (quod non damus) adhuc tamen, vt noſtra ſententia poſſet, & deberet diffiniri, ſatis ſuperq; eſſet, quod Doctores Eccleſiæ iunionis, noſtram amplecterentur ſententiam, vt patet ex dictis *ſupra q. 4. art. 5. §. 4. concl. 3. n. 17.* vbi vide, ne iterum eadem repetamus, quando ad inſtitutum id multum non referat, ideo quia aduerſarij falſa ſuppoſitione nituntur. Quare quod attinet ad Patres, minor noſtri argumenti eſt veriſsima. Quæ etiã veriſsima eſt, quod attinet ad illius probabilitatem: etenim *ex q. 6. artic. 1. §. 7. prop. 3. n. 42.* euidenter patet, noſtram ſententiam longe eſſe probabiliorem: etenim id clare demonſtrat feſtum Conceptionis authoritate Romanæ Eccleſiæ inſtitutum, ſub titulo immaculatæ, & immunis à labe originali: quod ſub eodem titulo in toto orbe Chriſtiano celebrari præcepit Eccleſia Romana, & conceſsis indulgentijs ad illius celebrationem omnes fideles allicit. Quare ſi Romana Eccleſia hoc non diffinit de fide; ſaltem declarat ſententiam illam longe eſſe veriorem, & probabiliorem, vt in dicto art. 5. latè oſtendimus. Quomodo enim Eccleſia Catholica poterit diffinire contra id, quod tanta cum deuotione coluit, vt orando ſub ea certitudine peteret, & gratiam, & gloriam ſibi donari, ſub qua

15. *Nec diffiniretur etiamſi omnes fere Patres pro illa ſtent.*

Eſt probabilior.

Beatæ

Beatæ Virginis immunitatem celebrat, vt diximus in dicto artic. 5. §. 5. num. 24. Denique, vt rem concludamus, quomodo poterit diffinire de fide contra doctrinam, de qua populum Chriſtianum ab ipſa pueritia iubet edoceri? Etenim in his Eccleſia errare non poteſt, quamuis non diffiniendo illa doceat, ſed vt pie tenenda, vt oſtendimus in d. q. 6. articu. 1. prop. 4. & 5. n. 53. & 54.

§. 4.

Quod vere eſſet martyr, qui pro hac immunitate mortem ſubiret.

16. *Qui pro hac veritate moreretur, eſſet vere martyr.*

EX hac veriſsima reſolutione infertur ita certam eſſe ſententiam, quæ docet B. Virginem ab omni originali macula fuiſſe præſeruatam, vt qui p illius defenſione moreretur, veram obtineret martyrij palmam. Hāc reſolutionē vt veriſsimam ſemper approbaui, & modo etiam approbo: quam in terminis nouiſsimè approbauit *Aluarus Piſaña de Palatios in ſuis diſcurſibus pro immaculata Conceptione diſcurſu 2. pūct. 2. in fine fol. 8. pag. 2.* & ſatis euidenter demōſtratur ex ijs, quæ diximus, & ex ijs, quæ de cauſa martyrij docent Theologi *in 4. diſt. 47. & D. Thomas 2. 2. q. 124. art. 5.* vbi reſoluit non ſolum eſſe martyrem, qui propter confeſsionem fidei mortem ſubit, ſed etiam qui pro bono alicuius virtutis eam patitur, dummodo eam in Chriſtum referat. Quare cum hęc veritas (ſcilicet *quod B. Virgo ab originali fuit præſeruata*) ſit quædam veritas pia, cum ab Eccleſia Romana in gloriā Chriſti & Dei, & Virginis honorē, non ſolū celebretur, & colatur; ſed etiā fidelibus celebranda proponatur, & præcipiatur; nulli dubiū, quin meritorium ſit, illam amplecti, & pro tanto beneficio Deū laudare, vt ait Sixtus quartus in Extrauag. 1. de reliq. & veneratione Sanctorum: quod ſatis eſt, vt qui pro hac veritate mortem ſubierit, vere eam ſubeat pro opere virtutis ad pietatem pertinente, imò etiam pertinente ad pietatem fidei, ad quam Eccleſia allicit: & ſubinde ſatis ſuperquè eſt, vt verè ſit, & dicatur martyr. Et cum hoc ſit indubitatum, ſatis ſit de hac quæſtione hæc dixiſſe.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm ſola ſententia, quæ B. Virginem ab originali liberat, ſit populo publicè proponenda, & prædicanda?

ARTICVLVS Vnicus.

1. *Quæſtio neceſſaria.*

1 SI vero inquiras quomodo aut Theologi, aut Prædicatores Verbi Dei, de hac cōtrouerſia loqui debeant? ſit primum aſſertum. *In ſcribendo, aut diſputādo in Scholis, publicisq́, & Scholaſticis concertationibus, vel alias coram doctis viris, & vbi nulla ſcandali ſubeſt occaſio, vtraque pars libere defendi poteſt, vt Pius Quintus declarauit in Bulla, quæ incipit ſuper ſpeculam in hæc verba: Cæterum quādiù per Apoſtolicam Sedem altera pars diffinita non fuerit, oppoſitaque ſententia condēnata; liceat viris doctis in Academicis diſputationib⁹, ſiue Generaliū, aut Prouincialiū Capitulorum, vel vbi alias interſunt, qui rē capere poſſunt, nec ſcādali vlla ſubeſt occaſio, de illa quæſtione diſſerere, & argumentis vtramque partem vel aſſerere, vel impugnare: dumtamen neutra, veluti erronea prædicetur; ſeruenturque illa omnia, quæ à Sixto prædeceſſore noſtro ſcripta ſunt.* Quæ omnia eiſdem verbis confirmat, & innouat Dominus ñoſter Paulus V. in ſua conſtitutione edita die vltima Iulij anno 1616. Pontificatus vero anno 12. Quare aduertendum eſt an diſputationibus capitulorum, ſiue Generalium, ſiue Prouincialiū interſit populus rudis, & ſimplices mulieres; ita vt probabilis immineat ratio ſcandali: ſi enim vlla ſcandali ratio immineat; non poterit hac de re publicè diſputari: ſecus vero ſi nulla immineat; vt verè non imminet, quando defenditur immuntias B. Virginis, quam Eccleſia celebrat, & auditores intelligunt eam ſolum impugnari arguendo, non decidendo.

1. *Aſſertio.*

Pius 5.

Paulus 5. Dominus noſter.

2. 2. *Aſſertio*

Secundum aſſertum: *Si coram populo, aut pro concionibus, aut alio quouis modo affirmetur, aut defendatur B. Virginem contraxiſſe peccatum originale, ſi immineat occaſio ſcandali, graue erit peccatum hoc defendere:*

vnde talis aſſertio, ſi non ratione rei aſſertæ; tamen ratione circunſtantiæ erit ſcandaloſa. Hæc aſſertio viris doctiſsimis probatur, & ſatis cõfirmatur; quoniam, aduerſarijs etiam teſtibus, iam illa aſſertio abſq; odio populi fidelis, & illius ſcandalo publicè affirmari non poteſt, & per conſequens nec pro cõcione doceri, vt fatetur Sotus ad Rom. 4. ad illa verba: *Per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum*: & experientia docet à multis iam ſæculis habita, ex illa propoſitione publicè prolata, grauiſſimos excitatos fuiſſe tumultus, non ſine ingenti fidelium ſcandalo, vt varij referũt hiſtoriarũ annales; & ſatis declarant conſtitutiones *Sixti 4. Alexandri Sexti, Pij 5. & Sanctiſsimi Pauli 5. Domini noſtri.* Qui ad ſedandas ſeditiones, anno pręterito tãto cum fidelium ſcandalo Hiſpali excitatas, cõſtitutionẽ edidit, qua prędeceſſorũ conſtitutiones renouat, & confirmat. Cũ vero hæc Eccleſiæ Romanæ, & vniuerſorum fere fidelium pietas eò magis augeatur, & creſcat, quò importunius, & imprudentius ſingulis fere ſæculis impugnatur; ſperamus fore, vt ipſa generali fidelium deuotione, perſuaſu, & fauore Sedis Apoſtolicę fota, & protecta, ab ipſa Sede Apoſtolica quamcitiſsimè de fide diſfiniatur: id enim petit fidelium ſcãdalum, aduerſariorum imprudenti impugnatione excitatum: ad quod tollendum Chriſtiana pietas Catholici Hiſpaniarũ Regis Philippi Tertij Domini noſtri, vt ſperamus, Sedem Apoſtolicam excitabit; etenim id poſtulat Caietani audacia, ne dicam temeritas, qua aſſerit hunc fideliũ ſcandalũ non eſſe actiuũ, ſed ſolum paſſiuum populi inſipientis, vt patet ex ijs, quæ ſcribit in d. trac. de Conceptione B. Virginis cap. 5. quomodo enim ſcandalũ non erit actiuum, ſed ſolum paſsiuum, quod tot Romani Pontifices in ſuis Cõſtitutionibus damnãt, & pœnis impoſitis ſedare conantur? quomodo non erit actiuum; ſi ex tali prædicatione, & publica aſſertione authoritas Romanæ Eccleſiæ in celebrãdis feſtis apud rudem, ſed bene inſtructum populum, plurimum diminui poteſt? inde enim poſſunt rudes, non ſine fundamento, anſam ſumere, & non leue motiuum, vt credant Eccleſiam Romanã in celebrandis feſtis errare, & decipi; & inde inferre eam ſimiliter errare poſſe in canonizatione Sanctorum; cum ipſa feſtorum inſtitutio vera ſit quædam illorum canonizatio. Quomodo nõ erit ſcandalum actiuum, in cõcionibus docere populum, cõtra id, quod Eccleſia publicè celebrando religioſe colit, colẽdo docet, & docẽdo fauoribus, & indulgentijs perſuadet? quare cum populus fidelis ipſa Conceptionis celebritate ſub titulo omnibus modis immaculatæ, ab Eccleſia inſtruatur de illius puritate; vtique ſi pro concionibus, & alijs publicis aſſertionibusde oppoſitò doceatur, abſq; vlla culpa arripiet rationem dubitandi de veritate, & certitudine aliarum feſtiuitatum.

3. *Pietas Philippi 3. Regis noſtri*

Scãdalum eſt actiuum

Denique non poteſt negari hoc ſcandalum actiuum eſſe; cum talis publica prędicatio, & aſſertio ab Eccleſia ꝓhibeatur, vbi adeſt occaſio ſcandali: nec enim tales publicas aſſertiones Eccleſia, vt ſcandaloſas prohiberet, niſi illæ populo propoſitæ, eſſent generatiuæ ſcandali. ¶ Nõ puto tamen concionatorem, & aſſerto rẽ aſſertionis, quod B. Virgo originale peccatum contraxit, pœnas à Pio quinto, & Sanctiſsimo Domino Paulo quinto ſtatutas incurſurum; ſi talis aſſertio ſimpliciter aſſeratur, & doceatur abſq; impugnatione aſſertionis cõtrarię: etenim pœnæ illæ imponuntur ijs, qui in popularibus concionibus de hac controuerſia diſputant, aſſerendo propriam ſententiã, & contrariam refellendo, & impugnãdo: Quare ad incurrẽdum illas pœnas vtrũq; requiritur, vt ex iuris principijs ſatis notum eſt. 4.

Tertium aſſertum: *B. Virginem fuiſſe ab originali in ſua Conceptione præſeruatam, poteſt, & debet in concionibus, & in locis publicis populo proponi.* Hæc aſſertio ex eo euidenter demonſtratur; quoniam quod Romana, & Apoſtolica Eccleſia publicè celebrat, & celebrando toti Eccleſiæ proponit, poteſt, & debet à Prædicatoribus atque Doctoribus publicè doceri, & prędicari: nam cum feſtorum inſtitutiones, & celebrationes inſtitutę ſint ab Eccleſia, tum ad populi inſtructionem; tum etiam ad augẽdam fidelium deuotionem; vtiq, abſque dubio, non ſolum licitum, ſed etiã 5. *3. Aſſertũ.*

meritorium erit Doctoribus, & concionatoribus hanc Eccleſiæ inſtructionem, & doctrinam populo exponere, & eundem ad illius cultum allicere, eam confirmando ex ſacris literis, & Patrum teſtimonijs.

7. ¶ Aduertendum tamen eſt, hanc aſſertionem, & veritatem ita eſſe populo prędicandam, vt non proponatur tanquam dogma fidei, myſteriumque ad ſalutem neceſſarium; ſed vt aſſertio quędam certa quidem, certitudine tamen pia, & ab Eccleſia inſtinctu Spiritus Sancti probata; ne populus, dum eam audit, eam accipiat tanquam de fide, vt ſcandalizetur, ſi audierit oppoſitam ſententiam in Scholis poſſe defendi.

8. 4. *Aſſertũ.* Quartum aſſertum: *Licitum eſt prædicatoribus, dum concionantur, rationibus, & argumentis confirmare, B. Virginẽm ſine originali fuiſſe conceptam; dummodo oppoſitã ſententiam rationibus non impugnent, aut refellant.* Hæc aſſertio viris doctiſsimis probatur, & vſu â multis ſæculis iam recepto videtur indubitata: etenim Pius quintus in præcitata Bulla â Sanctiſsimo Paulo 5. nouiſsimè approbata, & innouata, non ſimpliciter prohibet alterã partem rationibus confirmare; ſed ita eam confirmare, vt argumentis altera refellatur, & impugnetur, vt patet ex illis verbis: *Rationibus, & Doctorum authoritate aſſerendo propriam ſententiam, & contrariã refellendo, aut impugnando.* Quæ verba vtramque coniunctiuam requirunt, vt prohibitioni contraueniatur. Quare ille dicetur propriam ſentẽtiam aſſerere, cõtrariam refellendo, qui ſuam ſententiam ita argumentis confirmat, vt contrariam poſitiuè impugnet, & illius argumenta diſſoluat: etenim formalis diſputatio in hoc eſt poſita, vt argumẽta afferantur in propriæ ſententiæ confirmationem, & alia ad contrariæ impugnationem, cum ſolutione argumentorum. Quare qui immunitatem B. Virginis ab originali peccato rationibus, & authoritatibus ſimpliciter cõfirmat, nihil de aduerſaria curando; quanuis aduerſariã tacite refellat;
8. eam tamen expreſſe, & formaliter nõ refellit; nec ita ſuam confirmat, vt cũ aduerſario diſputet. Et hãc ſententiam iam admiſit antiqua à multis ſæculis concionatorum conſuetudo: ſolent enim hanc B. Virginis prærogatiuam pijs, & probabilibus rationibus, petitis tum ex ſacris literis, tum ex Patrum teſtimonijs confirmare: nec ſane ſine fundamento: nam Eccleſia ex eo, quod feſtum Conceptionis celebrat, facultatem facit concionatoribus, vt eandem publicê confirment: & hæc immunitas in ipſis Eccleſiæ Officijs, Patrũ teſtimonijs, & rationibus expreſſe confirmatur: eandẽ igitur concionatoribus facultatem facit: & merito; quoniam in ijs, quæ ad fidem, vel ad diuinum cultũ, vel ad Religionis pietatẽ ſpectant *parati eſſe debemus, rationem reddere omni poſcenti nos*, vt patet ex D. Petro. 1. cap. 3. Quare non fuit mens Summorũ Pontificum prohibere huiuſmodi ſimplices abſque vlla ſpecie concertationis, & diſputationis confirmationes; ſed eas ſolum, quæ (vt teſtatur Gerſon) olim in concionibus fiebant: ita enim concionatores concionabantur, vt ſuam opinionem confirmarẽt, & contrariam nõ ſolũ impugnarent, ſed etiam reprehenderẽt. Cui abuſui tanquam cauſatiuo ſeditionũ, & tumultuum Summi Pontifices ſapientiſsime obuiarunt.

Non damnabo, ſi quis cõcionando aliquam adducat rationem, & reſpondeat ſolutioni, qua ſolui poſſet; dum tamen nõ explicet ſolutionem eſſe aduerſariorum; ſed ſimpliciter dicat; *Non eſt quod dicatis, &c.* Similiter non dãnabo, vt pœnas ſtatutas incurrat, ſiquis in diſcurſu cõcionis aliquod aduerſariæ ſententiæ fundamentum ſimpliciter ſoluat; dummodo non explicet illud ab aduerſarijs adduci: quia in hoc non reperitur aliqua impugnationis ſpecies. 9.

QVÆSTIO X.

Quomodo B. Virgo ab originali macula fuerit præſeruata?

¶ *Annotatio pro explicatione quæſtionis.*

1. *Præfatio ad totam quæſtionẽ.* IN ſuperioribus quęſtionibus latiſsimè diſputauimus, an B. Virgo contraxerit maculam originalis peccati? an vero fuerit ab ea diuinitus præſeruata? Et vniuerſalem ferè totius Eccleſiæ pietatem toto conatu defendimus, & oſtendimus B. Virginem à peccati originalis labe diuinitus fuiſſe præſeruatam. Et hoc pro conuincenda aduerſariorum contumacia diligenter confirmauimus tum Patrum ferẽ omnium teſtimonijs, tum locis Sacre Scripturæ, quibus illa ſatis conſonat: tum tertio Eccleſiæ, & Summorum Pōtificum decretis: tum denique communi omnium fidelium conſenſu. Supereſt vt pro perfecta difficultatis reſolutione explicemus modum, quo Deus ab originali macula eam præſeruauit. Quæ iuxta ordinem poſitum in præfatione huius libri eſt illius pars ſecunda: nec in hoc articulo omnes conueniunt, qui B. Virginem ab originali nobiſcum liberant.

2. *Sub quadruplici ſtatu poteſt B. Virgo conſiderari.* Pro huius difficultatis clariori explicatione, præmittimus B. Virginem ſub quadruplici ſtatu conſiderari poſſe. Primus eſt, quando nobiſcum fuit in lumbis Adę pro ſtatu innocentiæ ante peccatū. Secundus eſt; quando poſt peccatum, quod in Adamo cōmiſit, fuit in lumbis Adami, & cæterorum parentum, á quibus ſeminaliter deſcendit: in quo ſtatu ſolum fuit in potentia generatiua ſuorū parētum, atque in ſeminali ratione eorū. Tertius ſtatus fuit, quando poſita extra generatiuā parentum virtutem, fuit primum concepta ex cōmiſtione ſeminis vtriuſque parentis, in quo permāſit vſq; ad inſtans generationis, in quo anima rationalis fuit corpori infuſa. Quart⁹ denique ſtatus fuit, in quo infuſa anima rationali complete fuit concepta in propria perſona.

3. *Varij modi dicendi.* Iuxta varios iſtos ſtatus, varij fuerūt dicendi modi: etenim quidam conſiderantes B. Virginem pro illo primo ſtatu, in quo ante peccatum nobiſcum fuit in lumbis Adami, docent eam maculam originalē ideo non contraxiſſe, quādo concepta fuit, quia pro illo ſtatu fuit à Deo exempta, ne peccaret in Adamo; ex hac enim exemptione habuit, vt nec culpę actuali Adami ſubiaceret, quando in Adamo originaliter erat, nec maculæ illius peccati, cum in propria perſona cōcepta fuit. Alij docent B. Virginem in Adamo quidem peccaſſe, maculam tamē in propria perſona ideo non contraxiſſe, quia in lumbis parentum ipſa culpa, quā in Adamo cōmiſit, fuit illi remiſſa per nō imputationem eius. Tertiò loco fuerūt nonnulli, qui B. Virginem ideo liberant à contractione originalis maculæ, quia non fuit concepta per cōmiſtionem carnis Ioachimi, & Annæ, ſed ex amplexibus, dum ad portam ferreā ſe ſe amplexati ſunt. Quarto loco accedūt, qui aſſerūt B. Virginem ex cōmiſtione carnali parētum fuiſſe cōceptam; ideo tamen in propria perſona originalem maculam non contraxiſſe; quia Deus ante infuſionem animæ rationalis carnem mundauit, ne animam inficeret, dum illi infunderetur. Quinto loco accedunt alij, & docent B. Virginem ideo originalem maculam nō contraxiſſe, quia Deus animam illius impleuit gratia, antequam vniretur carni, quæ iam ſanctificata non potuit infici à carne infecta. Vltimo loco alij hanc difficultatē explicant, vt B. Virgo à macula præſeruata fuerit, quia Deus in ipſo primo inſtāti generationis prius natura perſonam illam ſanctificauit, quam labes originalis reſultaret.

In hac igitur quęſtione totidem excitabimus articulos, quot de modo præſeruationis fuerunt opiniones, & ideo ſex erunt articuli. In primo inquiretur, an B. Virgo ideo à macula fuerit præſeruata, quia in Adamo nō peccauit? Secundus inquiret, an ideo in propria perſona fuerit libera à macula, quia in lumbis Adami culpa in eo cōmiſſa ſtatim illi fuit remiſſa? Tertius expendet, an ideo maculā nō cōtraxerit, quia ex cōmiſtione carnali parentū nō fuit concepta? Quartus interrogabit, an ideo liberata fuerit, qa De⁹ ante infuſionē animæ rationalis carnē mundauit, ne animā inficeret? Quintus diſputabit, an fuerit libera, qa anima prius natura fuit à Deo per gratiam ſanctificata, quā carni vnita? Sextus tandem, & vltimus inquiret, vtrùm præſeruata fuerit, quia in ipſo generationis inſtanti gra- 4. *Art. excitandi.*

tia

tia prius natura fuit illi infuſa, quam macula reſultaret?

ARTICVLVS I.

Vtrùm B. Virgo ideo maculam originalem non contraxerit, quia in Adamo non peccauit?

1. *Pars affirmans.* PArtem affirmantẽ probarunt omnes, qui docuerunt B. Virginem in Adamo non peccaſſe: & ob id ad contrahendã maculam peccati in Adamo cõmiſsi obnoxiam non fuiſſe. Ita enim in hac materia theologizant, vt B. Virgo exiſtens in lumbis Adami habuiſſet quidem debitum peccandi, peccante Adamo; & ſubinde contrahendi maculam Adami: at tamen ab illa lege ſpeciali priuilegio fuiſſe exemptam, ne Adamo peccante in eo peccaret, & ex cõſequenti ne maculam contraheret illius peccati, cum illud in Adamo non cõmiſerit. Ita hanc difficultatem explicant *Catharin.* Catharinus, quem ſequũtur omnes, qui putant B. Virginem in Adamo nõ peccaſſe, quos citauimus ſupra lib. 2. q. 3. ar. 1. & q. 4. art. 3.

2. *Reiicitur opinio.* Hic tamen dicendi modus non eſt admittẽdus, ſed reijciendus, tanquam parũ tutus in fide: quia parum tutum eſt aſſerere, B. Virginem in Adamo nõ peccaſſe, nec ex culpa Adami habuiſſe debitum contrahendi maculam originalem, vt in duobus citatis locis late demõſtrauimus.

ARTICVLVS II.

An B. Virgo originalem maculam non contraxerit; quia culpa, quam in Adamo commiſit, in lumbis Adami, & aliorum parentũ fuit illi remiſſa?

§. 1.

Argumenta partis affirmantis.

1. *Arg. partis affirmãtis.* QVi partem affirmantem huius quęſtionis probauerit, inueni neminem; pro illa tamen poſſunt *1. Arg.* adduci nonnullã argumenta. Primum eſt quia iſto modo facilè intelligitur, quomodo B. Virgo à contrahenda macula originali præſeruata ſit, idque meritis Chriſti: quod exemplo declaratur: etenim poteſt quis filios ſuæ captiuæ adhuc exiſtentes in pura illius potentia à ſeruitute liberare, ſi illos libertate donet, matre adhuc in captiuitate permanente: hac enim datã libertate, filij nondum concepti, ſed concipiendi, non ſolum liberi naſcentur, ſed etiam ab omni iugo ſeruitutis ab ipſa captiua liberi concipientur. Potuit igitur Deus B. Virginem adhuc virtualiter exiſtẽtem, vel in Adamo, vel in quocumque alio parente hac donare libertate, vt nõ ſubiaceret ſeruituti cõtrahẽdæ maculę, cũ cõcepta fuerit: quid enĩ hoc implicat? nam Deum filios non dũ conceptos in parentibus ſanctificare, vt poſsibile admittit D. Thomas in 3. diſt. 3. q. 1. art. 1. q. 1. ad 1. & ſatis admittunt Theologi, inter quos eſt Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 3. pagin. 33. col. 2. & potuit eam hac donare libertate ex meritis paſsionis Chriſti præuiſis; cum hoc nullam contradictionem implicet. Cur igitur non dicemus Deum B. Virginem à cõtractione originalis maculæ hoc modo liberaſſe?

Secundo confirmatur: quoniam licet B. Virgo, aut quiuis alius Adami filius nõ potuerit in parentibus à culpa in Adamo cõmiſſa mundari per infuſionem gratiæ ſanctificatis; potuit tamen ab ea mundari per legem, & decretum Dei extrinſecũ, quo ſtatueret vt à ſuis parẽtib⁹ abſq; originali culpa cõciperetur: quid enim hoc implicat? 2. *2. Argum.*

Tertio, & vrgentius corroboratur: quoniam licet B. Virgo in parentibus à peccato Adami liberari non potuerit per gratiam ſanctificantem; nihil tamen impedit, quo minus ab eo liberari potuerit per puram, & ſimplicem illius culpæ remiſsionem; quæ, vt veriſsima habet opinio, per potentiam abſolutam remitti poteſt ſine vlla gratiæ infuſione, per ſolã non imputationem illius: hæc autem nõ imputatio, non ſolum fieri poteſt in perſona in ſe actu exiſtente; ſed etiã in perſona exiſtente in parentibus ſolum potentialiter; quia in illis, perſona ex illis futura, & nota eſt Deo, & illius imperio 3. *3. Argum.*

ſubie-

ſubiecta, vt patet. Iam vero hæc remiſsio culpæ, & non imputatio illius non ſolū faceret, vt Beata Virgo ab illo tempore iam non eſſet inimica; ſed etiam vt inimica non foret, cum in vtero matris conciperetur, & ſubinde, vt conciperetur ſine macula originali, quia cum tali macula concipi non poteſt, niſi ſimul cōcipiatur, cū imputatione peccati in Adamo commiſsi. Nec videtur aſsignanda ratio, cur Deus potuerit B. Virginem in Adamo obligare, vt illo peccante, ita ipſa peccaret, vt culpa illa ei imputaretur adhuc potentialiter exiſtenti, & ita ſubiecta eſſet, & obnoxia cōtrahendę maculę, cum in propria perſona conciperetur; nō potuerit autem in eiſdem parentibus illi condonare culpam, eamque ei nō imputare, vt concepta iam eſſet libera à contractione illius maculæ. Hæc ſunt huius opinionis fundamenta.

§. 2.

Argumenta partis negantis.

4. *Argumenta partis negantis,* HÆc tamen opinio, nec à Theologis recipitur, nec verè recipienda eſt; difficultas tamen poſita eſt in excogitāda vera, & efficaci illius impugnatione. Quod hæc opinio non recipiatur, patet, quoniam Theologi non recipiunt B. Virginem in parētibus liberam fuiſſe à contrahēda macula peccati, quod in Adamo commiſit. Ita *D. Thomas in 3. diſt. 3. q. 1. art. 1. q. 1. in corp. & ad 1. & 3. p. q. 27. art. 2. Alenſis 3. p. q. 9. memb. 2. art. 3. Richard. in 3. diſt. 3. art. 1. q. 1. ex Recentioribus Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 3. qui omnes in hoc conueniunt*, quod B. Virgo ante infuſionem animæ non potuit à peccato originali liberari, & per conſequens, nec potuit ab eo liberari in ipſis parentibus.

Authores huius partis. D. Thom. Alenſ. Richard. Suarius.

5. *1. Arg.* Hanc opinionem probant: quoniam Deus non potuit ſanctificare B. Virginē in parentibus, niſi vel ſanctificando illos ſanctificatione perſonali; vel in illis mūdando, & ſanando naturam. Priori modo B. Virgo non potuit ſanctificari in parētibus; quia ſanctificatio perſonalis non tranſit ad filios, vt patet: nec poſteriori modo, quoniam etſi Deus poſsit de potentia abſoluta ſanare naturam, vel totam in omnibus hominibus; vel in aliquibus ſolum, vt in illorum poſteros natura iam non transfundatur cum originali culpa: tamen id nō decuit fieri à Deo; vnde nec factum eſt, vt aduertit D. Thomas in 3. loco citato. Quod etiam ex eo probatur: quoniam ſi B. Virgo cōmuni via aliquē filium generaſſet, vtique in illum naturam transfudiſſet culpa originali infectam. Quod argumento eſt, Deum in parentibus naturam non ſanaſſe.

Secundo; quoniam B. Virgo in ſuis parentibus non erat capax ſanctificationis, quæ fit per gratiam: quia gratia recipi non poteſt, niſi in creatura rationali in propria perſona iam exiſtente. Iam vero à peccato originali nullus niſi per gratiā ſanctificantem liberatur. 6. *2. Arg.*

Tertio; quoniam cum ſola creatura rationalis ſit ſuſceptiua culpæ, nulla ante infuſionem animæ rationalis erit culpæ obnoxia. Ergo B. Virgo ſi ante infuſionem rationalis animę fuiſſet ſanctificata, nunquam fuiſſet obnoxia culpæ: & per conſequens non indiguiſſet redemptione Chriſti. 7. *3. Arg.*

§. 3.

Hæc argumenta non ſunt efficacia.

CÆterum hæc argumenta non videntur ſatis efficacia, vt illam opinionem falſitatis cōuincant. Nam ad primum poſſet vno modo reſpōderi, potuiſſe Deum B. Virginem in ſuis parentibus mundare per gratiam perſonalē intrinſecè illos ſanctificantem, quæ eius eſſet rationis, & efficaciæ, vt illi deberetur prolis futuræ prſeruatio, & ſanctificatio: hanc enim gratiam eſſe poſsibilem probat *Suar. loco citato col. 2. litera B.* Sed quia forte talis gratia non eſt poſsibilis, ſecundo loco reſponderi poteſt, argumētum quidem probare B. Virginem à culpa commiſſa in Adamo nō potuiſſe mūdari per gratiam intrinſecè ſanctificantē: non tamen probare eam in parentibus emundari non potuiſſe per ſimplicem illius culpæ remiſsionem, quæ fit per nō imputationē illius: quæ eſt quædam gratia extrinſeca. Et hoc eſt opinionis affirmantis fundamentum in Theologia non 8. *Ad 1.* *1. Solutio.* *2. Solutio.*

impoſsibile. In hoc igitur deficit argumẽtũ, quod ſupponit nõ potuiſſe B. Virginẽ liberari à macula culpæ actualis cõmiſſæ in Adamo, niſi per gratiam, quæ aut naturam ſanaret, vt poſſet ſine macula trãſfundi; aut ſanctificaret perſonã ſanctificatione intrinſeca, cum tamen detur 3. modus liberandi per remiſsionem illius factam per nõ imputationem: quem modũ eſſe poſsibilem ſupponit opinio affirmans.

9. *Ad 2.* Ex hac doctrina patet ſolutio ad 2. argumentũ: concedimus enim B. Virginẽ in ſuis parentibus non fuiſſe capacẽ ſanctificationis, quę fit per gratiam formaliter ſanctificantẽ, & in anima intrinſecè inhærentẽ: etenim cũ talis gratia ex ſua natura ſit forma intrinſecè denominans, nullo modo poteſt denominare ſubiectũ, & illud formaliter ſanctum reddere, niſi per intrinſecam inhærentiã: ſicut etiam albedo non poteſt formaliter reddere albũ, niſi ſubiectũ, in quo intrinſecè ineſt. Quare ſicut decretũ Dei, quo ſtatueret Petrũ cras dealbare, non ſtatim eum redderet albũ; ſed ſolum in potentia pro die craſtino: ità etiam decretum, quo Deus ſtatueret B. Virginem adhuc exiſtentem in parentibus tunc ſanctificare, cũ in vtero conciperetur, non ſatis eſſet, vt à tempore illius decreti B. Virginẽ denominaret ſanctã, & ſine peccato: alioquin B. Virgo ab æterno poſſet dici formaliter ſancta, cũ ab æterno Deus decreuerit eã ſanctificare, pro inſtãti ſuæ generationis, vt dicemus. Quare argumentũ ſatis probat B. Virginẽ in ſuis parentibus non fuiſſe capacẽ ſanctificationis, quæ fit per gratiã intrinſecè ſanctificantẽ: nõ probat tamẽ eam in parentibus nõ fuiſſe capacẽ, vt illi nõ imputaretur culpa in Adamo cõmiſſa, vt in 3. argumento probat affirmãs opinio: quæ non imputatio licet non ſanctificet intrinſecè, & liberet à peccato, liberat tamen extrinſecè.

10. *Ad 3.* Ad 3. reſpondetur creaturam rationalem ante infuſionẽ animæ rationalis capacẽ non eſſe, vt actu, & realiter, aut cõmittat, aut habeat culpã: cum tñ in Adamo originaliter fuerit capax culpæ, quæ originaliter eſſet ſua, & B. Virgo cum de facto in Adamo originaliter culpam cõmiſerit, & habuerit, vtiq; poſt culpam cõmiſſam capax fuit debiti ad contrahendã illius maculam, tum in Adamo, tũ in parẽtibus: non ob aliam rationẽ, niſi quia in illis capax fuit, vt Deus illi culpam commiſſam imputaret, ſicut de facto ſemper imputauit vſque ad primum Conceptionis inſtans excluſiuè. Ex quo non benè infertur B. Virginem non indiguiſſe redemptione, vt in vltima quæſtione demonſtrabimus.

§. 4.

Vera partis affirmans impugnatio.

EX dictis iam patet ſtatum difficultatis in hoc eſſe poſitum, vt oſtendatur B. Virginẽ in parẽtibus, nec potuiſſe ſanctificari per gratiam intrinſecè ſanctificantem illius perſonam; nec per remiſsionẽ culpæ, & per non imputationẽ eius. 11. *Vera impugnatio.* Hoc autem facilè demõſtrabimus, ſi pręmittamus poſſe quidẽ Deũ de potentia abſoluta remittere peccatum ſine infuſione gratiæ, quæ eſt qualitas: id tamen non poſſe ſecundum potentiam ordinariam. Primum patet: quia id nullã contradictionem includit, vnde cõmuniter à Theologis admittitur. Secundum autẽ ex eo oſtenditur; quia fides docet à Deo eſſe ſtatutam legem, vt nullum peccatũ remittatur, niſi per infuſionem gratiæ reconciliatiuæ, vt patet ex Paulo ad Roman. 5. multis in locis. Cui veritati ſi adiungas, fidem docere, Deum neminem ab aliquo peccato actuali, vel originali iuſtificare per ſolam peccatorum remiſsionem, ſed per gratiam realiter infuſam, & in peccatore inhærentem, vt patet ex Tridentino ſeſsione ſexta cap. tertio de iuſtificatione, & Canon. 11. neceſſario infertur neminem vnquam ab aliquo peccato fuiſſe liberatum, niſi per gratiam in ipſo receptam, & in eo perſonaliter inhærentem: cuius receptionis, & inhærentiæ Beata Virgo capax non fuit, quandiù fuit in potentia generatiua parentum.

Ex hac Catholica reſolutione colligitur 12. *Vera demonſtratio cuiuſdã aſſertionis.*
vera confirmatio alterius Catholicę concluſionis. ſ. omnes ex Adamo naturaliter propagatos, ex vi ſuę generationis obno-

xios eſſe ad contrahendam originalẽ maculã in propria perſona, niſi gratia iuſtificante, & recõciliante in propria perſona præueniantur. Ob hanc fidei veritatẽ fateri cogimur primã B. Virginis cõceptionẽ, qua caro illius in vtero matris primũ cõcepta fuit, fuiſſe immundã, & corruptã, & ſubinde transfuſiuam originalis maculæ; & ex conſequenti carnẽ B. Virginis in vtero ante infuſionẽ animæ verè fuiſſe carnem peccati: quod multis in locis docuiſſe Auguſtinũ, & Anſelmũ diximus libr. 2. in q. *Vtrùm illa in Adamo peccauerit, & habuerit debitum contrahendi maculã*: quare B. Virginem in ſua generatione fuiſſe cõprehenſam ſub generali regula, quæ docet cuiuſque hominis generationẽ, vno excepto Chriſto, eſſe obnoxiam peccato, oportet ab omnibus cõcedi, vt ex Auguſtino, Ambroſio, & cæteris Patribus lib. 2. ſæpe demõſtrauimus. Vtrùm vero illa prima generatio fuerit immunda vſque ad primum inſtans infuſionis animæ? videbimus art. 4.

13. *Impugnatur opinio affirmans.* Ex his patet impugnatio opinionis affirmãtis; quoniã de fide eſt, Deũ à nullo peccato actuali, aut originali aliquem iuſtificare, niſi per gratiam reconciliatiuam formaliter receptam in ipſo iuſtificato, vt patet ex dictis, & ſatis colligitur ex *Trident.* *Tridentino ſeſſ. 6. cap. 3. de iuſtificatione, & clarius Can. 11.* Sed B. Virgo in parẽtibus non fuit capax, vt aliqua illi gratia infunderetur, quę in ea realiter inhæreret: quia talis inhærentia per ſe ſupponit realem ſubiecti exiſtentiam. Ergo ſecundũ legẽ ordinariam fieri nõ potuit, vt B. Virgini in parentibus remitteretur culpa originalis, quam in Adamo commiſit.

14. *2. Impugnatio.* 2. Confirmatur: quoniam ſi culpa originalis in Adamo cõmiſſa B. Virgini remitteretur in ipſis parentibus: vtiq; prima illius generatio non fuiſſet immũda, nec ex ſe trãsfuſiua maculæ in illius perſonam, ſi gratia non præſeruaretur: & ſubinde non eſſet obnoxia ad cõtrahendam maculam talis culpæ. Conſequens tamen, ſalua fide, admitti non poteſt. Ergo nec admitti poteſt antecedens. Quod conſequens admitti nequeat, communis eſt doctrina; etenim ſecundum fidem B. Virgo contraheret originalem maculam, niſi per gratiam præſeruaretur; vnde ex vi ſuæ generationis illi erat obnoxia. Sequela vero euidenter oſtenditur: quoniam prima cuiuſque noſtrum conceptio ideo ex ſe dicitur immunda, & transfuſiua culpæ; quia perſonæ generãdæ adhuc imputatur culpa Adami: quia caro illa genita nullam aliam habere poteſt immunditiam, vt ſæpe diximus. Ergo ſi B. Virgini in parẽtibus remiſſa fuit culpa, quam in Adamo commiſit, nec amplius illi imputata eſt: vtique prima carnis cõceptio, nec fuiſſet immunda, nec trãsfuſiua peccati, quãuis illi nulla daretur gratia: q̃a culpa ſemel remiſſa iam ñ indiget gratia, vt macula eius non conſequatur: & ex conſequente B. Virgo non eſſet obnoxia maculæ culpæ; cùm illa in parentibus iam fuerit remiſſa.

Accedit 3. quia remiſsio culpæ in parẽtibus licet ſatis ſit, vt macula illius non reſultet in perſona, cui culpa remiſſa eſt: non tñ ſatis eſt, vt ſit cauſatiua gratiæ iuſtificantis, & transferentis perſonam de ſtatu filij Adæ, ad ſtatu filiorum Dei, vt patet: ſed vt quis liberetur à peccato originali, neceſſariũ eſt, vt de ſtatu filij Adæ, ad ſtatum filij Dei transferatur. Ergo remiſsio illa culpæ facta in parentibus, non ſatis eſſet, vt B. Virgo fieret filia Dei. 15. *3. Impug.*

§. 5.

Soluuntur argumenta.

EX his iã patet ſolutio ad argumẽta, quæ §. 1. ſunt adducta: nam primũ ſumptũ ab exẽplo eius, qui donat libertate filios ancillæ nondũ conceptos; dicimus dari diuerſam rationem in libertate ſeruitutis ciuilis, & in libertate à ſeruitute peccati per Chriſti redemptionẽ: quoniam vt filij in parentibus libertatem ciuilẽ aſſequantur, cum concipiuntur, & naſcuntur, ſatis eſt ſimplex remiſsio ſeruitutis ciuilis: iam vero ad aſſequendam libertatem à ſtatu culpæ, nõ ſatis eſt ſimplex remiſsio ſeruitutis culpæ; ſed adhuc requiritur gratia, quę ex ſe ſit translatiua perſonæ à ſtatu filij Adami, ad ſtatũ filij Dei: adhoc enim neceſſario requiritur, & remiſsio culpæ, & ſanctificatio poſitiua perſonæ, quæ duo ſolum reperiuntur in gratia ex ſe iuſtificatiua, vt ſępe dixim⁹. 16. *Ad 1. arg.*

Ad

17. *Ad 2.* Ad 2. admittimus B. Virginem de potentia abſoluta potuiſſe illo modo liberari à macula; non tñ de potentia ordinaria, qua ſtatutũ eſt, vt nullus à culpa cõmiſſa in Adamo mundetur, niſi per gratiam recõciliatiuã, & iuſtificatiuam, quę ſimul includit & remiſsionem culpæ, & ſanctificationem perſonæ.

18. *Ad 3.* Eodẽ modo ſoluitur tertiũ argument. ſolũ enim probat modũ illum fuiſſe poſſibilem ſecundũ abſolutam Dei potentiã. Quod non negamus: non probat autem illũ fuiſſe poſsibilem ſecundũ potentiam ordinariam: in quo ſenſu negamus talem liberandi modũ, vt ex dictis patet.

ARTICVLVS III.

An B. Virgo ideo maculam originalẽ non cõtraxerit, quia ex carnali copula non fuit concepta?

1. *Opinio inepta.* HVnc articulũ excitamus propter quoſdã hæreticos, qui voluerunt B. Virginẽ à ſuis parẽtibus Ioachimo, & Anna non ex cõmiſtione ſeminũ per carnalem concubitũ ortam eſſe, ſed præter curſum cõmunẽ hominũ: vt ſatis explicat Epiphanius aduerſus hęreſes lib. 3. cap. 79. vbi refert Collyridianos hæreticos hãc habuiſſe opinionem, ſiue potius hæreſim. Quomodo autem concepta ſit, duobus modis explicatũ inuenio: nam *Baronius tom. 1. & lib. 1. apparatus ad annales Ecclaſiaſticos pag. 11. lit. B.* refert hæreticos illos dixiſſe Dei genitricem Mariam humanæ naturę prorſus expertẽ fuiſſe, & diuinę tantũ participem. Alij vero hũc errorem ita explicant, vt Ioachimus, & Anna eam genuerint nõ per naturalem coitũ, quo cæteri hominum generantur; ſed per ſolos pudicos, & vel ſpirituales amplexus, quibus ad inuicẽ ſunt amplexati, cum poſt admonitionem Angeli de filia cõcipienda primũ ſe ſe inuiſerũt: quẽ explicandi modũ apud nõnullos legi. Ex quo ſatis infertur quonam modo apud iſtos B. Virgo libera fuit ad contrahenda macula originali: etenim quia ex Adamo ſeminaliter non deſcendit, peccati originalis nexu minimè tenetur.

Baronius.

Dupliciter explicatur

2. *Opinio plures hæreſes continet.* Hæc tamen opinio plures cõtinet hęreſes Philoſophiæ repugnantes, nam ſi priori modo explicetur, quem refert Baronius, primũ infertur B. Virginẽ humanæ naturæ prorſus fuiſſe expertem; & ex cõſequenti Chriſtũ illius participem non eſſe, cũ ab ea naturam aſſumpſerit. Deinde infertur, illã nõ eſſe Adami filiã, & ex conſequenti Chriſtũ filium Adami dici non poſſe: ſiquidẽ ideo filius Adami dicitur quia ab eo per B. Virginẽ corporalem ſubſtantiam habet. Denique ſi B. Virgo ab Adamo naturali propagatione non deſcendit, ex ſe, & ex vi ſuæ formationis non eſt peccato originali obnoxia: quod idem ſequitur, ſi illa ab Anna non per coitum, ſed per ſolos corporales amplexus nata eſt: hoc enim modo ab Adamo per rationem ſeminalem non deſcenderet. Vt omittamus, quod iuxta priorẽ dicendi modũ, nec Ioachimi, nec Sanctæ Annæ vera diceretur filia: iuxta poſteriorẽ vero, & ſi B. Annæ filia dici poſſet, nullo tamen modo poſsit dici filia Ioachimi; quia ſemen illius ad actiuam eius generationem non concurreret.

3. *Vera opi-* Relictis igitur his, vel fabulis, vel delirijs, imò etiam hæreſibus; aſſerendum eſt B. Virginem per carnalem Ioachimi, & Annæ coniunctionem, & realem vtriuſque ſeminis commiſtionem naturaliter cõceptam eſſe. Quæ eſt indubita opinio, de qua vide Epiphanium loco citato, & Nyſſenum in orat. de natali Domini, & Damaſcenum in orat. de dormitione B. Virginis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm B. Virgo ideo ab originali libera fuerit; quia Deus ante infuſionem animæ carnem mundauit, ne animam inficeret?

§. 1.

Refertur opinio affirmans.

1. *Opinio affirmans.* QVarta opinio ideo putat B. Virginem pro inſtanti ſuæ generationis ab originali fuiſſe liberã, quia Deus carnem in vtero matris conceptã, ante infuſionem rationalis animæ mundauit: mundata autem non potuit animã ſibi vnitã inficere. Hanc opinionem plu-

rimos Theologos olim probaſſe teſtatur Iacobus de Valẽtia ad illa verba Pſal.45. *Arcũ conteret, & cõfringet arma* pag.132. col.4.vbi pag.134.col.4.eam defendit vt probabilem:& apud antiquos fuit opinio cõmunis,quam probarunt Galatinus, & Ambroſius Catharinus.

2. *Fundamentũ opinionis.* Huius opinionis fundamentum ſumi poteſt ex opinione grauiſsimorũ Theologorũ,qui docuerunt peccatum Adami trãsfundi in animam, quia caro immũda animam inficit. Quam putant fuiſſe ſententiam Auguſtini, Ambroſij, & aliorũ Patrũ. Quare ſi caro B.Virginis in vtero matris mundata eſt, antequam anima infunderetur; vtique non potuit animam inficere,nec in eam transfundere originalem maculam : & per conſequens, nec eã potuit tranſmittere in perſonam B. Virginis,cum per infuſionem animæ primũ fuit concepta.

3. *Quomodo caro in vtero ſit munda.* Quomodo autem caro B.Virginis in vtero matris ante infuſionẽ animæ fuerit mũdata? varijs modis explicãt:duo tñ ſũt potiores: quoniã, vel ideo mundata fuit, quia fuit ſine vlla parentum libidine, & concupiſcentia concepta; vel quia aliqua Angelorũ benedictione fuit benedicta.

§. 2.

Hæc opinio recipi non poteſt.

4. *Non recipitur. D.Thom. Alenſ. D.Bonau. Richard.* HAnc opinionẽ impugnauit *D.Thomas 3 p.q.27.ar.2.& in 3.diſt.3.q.1.art.1.q.1. & Opuſc.2.c.224. & Pſal.45.& paſſim alibi.Reijcitur ab Alenſi 3.p.q.9.memb.2.art.1.& 2. D. Bonau. in 3.diſt.3.art.1.q.1. vbi etiam à* Richard.*art.1.q.1.& communiter ab alijs.*

5. *I. impugnatio.* Et merito : quoniã illius falſitas ex eo euidẽter cõuincitur, quod ſecundũ legẽ àDeo ſtatutã nemo poteſt ab aliquo peccato actuali, vel originali liberari, niſi per Chriſti iuſtitiã in ꝓpria perſona receptã & inhærentẽ,vt ſupra diximus in q. præcedente §.4 ex *Trid.ſeſſ.6.c.7.de iuſtificatione & can.*11.etenĩ gratia eſt cauſa formalis noſtræ iuſtificationis.Ergo B.Virgo nõ aliter liberata fuit à culpa originali quã per gratiã Chriſti in propria perſona formaliter receptam; ita vt ipſa formalis receptio gratiæ fuerit formalis iuſtificatio,&liberatio à culpa originali.Quomo- *Tird.*

do igitur potuit ab ea mundari per mũdationẽ carnis ante infuſionem animæ?

2.Confirmatur: quoniam ſi B. Virgo ideo liberata fuit à culpa originali,quia caro ante infuſionẽ animæ fuit mũdata, ne animã inficeret: ergo cũ fuit perſonaliter genita,non indiguit gratia habituali, vt à macula peccati præſeruaretur;ſed de facto illã nõ cõtraheret,quantũuis gratia non donaretur. Cõſequens tñ ſine errore defendi nõ poteſt:ergo nec antecedẽs. Sequela patet: quoniam caro illa, cũ fuit anima infuſa, iam nullã habebat immunditiã, per quam ſolã apud iſtos anima inficitur:&per cõſequens iam tunc nõ erat trãfuſiua peccati:ergo, infuſa anima,perſonaB.Virginis(ſeclusã quacũque gratia ſanctificãte) iam non poterat contrahere originalẽ maculã:&ſubinde nõ indigebat gratia , vt ab illa cõtrahenda præſeruaretur; quæ fuit ſequela. Et quãuis Iacobus de Valentia admittat hoc cõſequens;illud tñ ſine fidei errore admitti non poteſt: quoniã ex doctrina fidei B.Virgo de facto incurreret maculã originalis culpæ, quã in Adamo cõmiſit, niſi per gratiam iuſtificantẽ ab ea præſeruaretur:vnde nõ ſolũ indiguit gratia iuſtificante, vt fieret ſancta; ſed etiã vt defineret eſſe Deo inimica per nõ imputationẽ culpę cõmiſſę. Et hæc ſatis ſint pro impugnatione huius ſententiæ: nã quæ D.Thomas,D.Bonauentura,Alenſis,& Richardus ad ſententiã iſtam impugnandã adducunt, ex noſtro iſto medio vim habent , vt facilè intelliges. 6. *2.Impugnatio.*

§. 3.

Soluitur fundamentum aduerſariorũ.

PRo diſſoluendo aduerſariorũ fundamento,oportebat explicare;quo modo,& in quo ſenſu per immunditiam carnis,generationeq; immundam trãsfundatur in animã originale peccatũ? Verum huius difficultatis explicatio lõgiorem poſtulabat diſputationẽ , quæ ad materiam de peccato originali ſpectat. Illud tñ certiſsimũ eſt, carnem non dici immundam ex aliqua poſitiua qualitate, quam ſit conſecuta , aut ex flatu Serpentis in Paradiſo, vt nonnulli fingunt, aut à libidine parẽtum in carnali cõcubi- 7. *Solutio fũdamẽti aduerſariorũ.*

tu

tu ſeminūque emiſsione, vt alij cōmentantur: vel alia cauſa huius generis: ſed ob eam ſolam rationem, quia ex ſe eſt generatiua filij Adami, qui in Adamo peccauit, & cui actu imputatur culpa, quam in Adamo cōmiſit: quæ immunditia nō eſt naturalis, & phyſica, ſed ſolum moralis, vt in ſuperioribus ſæpe diximus. Hæc autem immunditia per nullas preces tolli poteſt, nec per vllam munditiam ipſius coitus, ſiue peccati facti; ſed per ſolam nō imputationem culpæ in Adamo cōmiſſę, per quam ſolam cauſatur carnis immunditia. Hæc autem non imputatio, licet de potentia abſoluta fieri poſsit ſine gratia, quæ ſit qualitas inhærens; de potentia tamen ordinaria, quam fides prædicat, ſine tali gratia fieri non poteſt: Cuius gratiæ nō eſt capax caro ante animæ infuſionē, vt D. Thomas cum cæteris optimè probant: vnde corruit fundamentum ſententiæ affirmantis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm B. Virgo ab originali præſeruata ſit, quia anima illius fuit creata in gratia antequam corpori infunderetur?

§. 1.

Refertur opinio affirmans.

1. *Opinio affirmans.* QVinta opinio ideo putat B. Virginem fuiſſe præſeruatam à macula originali; quia anima illius prius natura quā corpori infunderetur, fuit in gratia; & ſubinde quia anima illius prius natura fuit grata Deo, quam corpus informaret: ex hoc enim effectum eſt, vt perſona B. Virginis in ipſa ſui Cōceptione fuerit Deo grata, gratia ipſa impediente maculæ reſultantiā. Ita difficultatem diſſoluunt *Iacobus à Valentia in Pſal. 45. fol. 132. col. 3. & in Cantic. eiuſdē Virginis fol: 388. col. 1. lit. M. Ioannes Ruuius contra Eraſmū errore. 5. fol. 80. col. 1. Michael de Palatio in 3. diſt. 3. diſp. 1. pag. 47. col. 2.* & fuit noſtra iſta tēpeſtate aliquādo cōmunis in Scholis, quam nonnulli tribuunt Scoto, falſo tamen.

Iacob. de Valentia. Ruuius. Palatio.

§. 2.

Non recipitur.

HÆc opinio prima facie videtur probabilis, & facilis intellectu: cōſideratius tamen expenſa, eſt falſa, vnde mihi nunquam placere potuit. Primo; quia ſecundū legē à Deo ſtatutā nullus à peccato, etiā originali, liberatur, niſi per gratiam recōciliatiuā in propria perſona receptā: etenim formaliter iuſtificamur per gratiā in nobis receptā ex *Trident. ſeſſ. 6. c. 7.* & ex Paulo ad Rom. 5. dū ait: *Charitatē Dei diffuſam eſſe in cordibus noſtris:* in cordibus, inquam, noſtris, i. in nobis in propria perſona cōſtitutis. Inde etiā probatur; quia ex eodē Trid. ibidem cap. 3. *Iuſtificatio eſt quædam renaſcentia, & regeneratio eius, qui iuſtificatur:* & cap. 4. *eſt quædam translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ:* etenim qui iuſtificatur ipſamet infuſione gratiæ, qua iuſtificatur, dicitur renaſci, iuxta illud Ioan. 3. *niſi quis renatus fuerit.* Et à Paulo ad Titū 3. *Gratia dicitur lauacrū regenerationis.* Renaſci autē in Chriſto nullus dici poteſt, niſi qui in veteri Adamo prius fuit natus, vt patet ex verbis citatis ex Trid. cap. 4. in illis verbis: *dicitur translatio ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius Adæ, ad eū ſtatū, in quo renaſcitur filiꝰ Dei.* Quare concedendū eſt gratiam, qua formaliter iuſtificamur, ex lege à Chriſto ſtatuta neceſſario ſupponere perſonā iā conſtitutam in ſe ipſa, & iā corporaliter conceptā. Nō eſt igitur admittendū gratiā, qua B. Virgo ab originali fuit libera, prius natura fuiſſe collatam animę illius, quā anima per ſui vnionē perſonam eius conſtituerit: nec enim, vt ſic, ipſa in propria perſona eſſet primo regenerata, ſed anima in illo priori, in quo nondum erat ſua: quod vera Theologia nō admittit: nā licet perſona regeneretur per gratiā receptā in anima; non tū regeneratur, niſi per gratiā receptam in anima, quę iam ſit ſua per vnionem ad corpus: & inde eſt, vt tota perſona dicatur regenerata ratione partis, id eſt animæ, vt actu eſt pars.

2. Reijcitur. 1. Arg.

Trident. Ad Rom. 5.

Trident.

Ad Titū 3.

Trid.

Secundo cōfirmatur, quoniā gratia, qua B. Virgo à macula originali fuit præſeruata, ex ſua natura fuit gratia reconciliatiua, iuxta illud Pauli 2. Cor. 5. *Deus erat in Chriſto mūdū recōciliās ſibi.* Ergo nō potuit 1. infūdi animę, pro illo inſtāti natu- 3. *2. Arg. 2. Cor. 5.*

rę, in quo nondũ cõſideratur coinquinata peccato originali: ſed anima B. Virginis ꝓ illo naturæ inſtanti, in quo cõſideratur nondũ infuſa corpori, nondũ poteſt con-
D. Thom. ſiderari, vt coinquinata, ex D. Thoma cõmuniter recepto 1.2.*q.*83. *art.*1. *ad* 4. *& in* 2.*diſt.*18.*q.* 2.*art.*1.*ad* 3. *& de malo q.*4.*ar.*3.*ad* 1.*&* 2. Ergo dici nullo modo poteſt gratiam, qua B. Virgo fuit ab originali præſeruata, primo fuiſſe datam animę pro illo priori, in quo cõſideratur non dum infuſa.

4. *Confirmatio.* Quæ ratio inde etiã cõfirmatur; quoniam anima in illo priori, licet iam appropriata ſit huic perſonæ, in hoc ſenſu; quia nullã aliam perſonam poteſt cõſtituere: non dum tamen ita eſt illi propria, vt actus perſonales, quos perſona, mediante anima exercet, poſsint illi tribui: hi enim tunc animæ tribui poſſunt, cum perſona per animã illos exercet, tanquã per principium vt, *quo*: vnde peccatum, quod perſona per animam cõmiſit, nõ poteſt animæ tribui pro illo priori inſtanti ante infuſionẽ, ſed pro poſteriori ad infuſionẽ: etenim anima Petri pro illo priori inſtãti nõ potuit dici peccatrix, ſed ſolũ pro poſteriori. Iam vero gratia præſeruans à macula peccati, cũ ex ſua natura ſit recõciliatiua, & ſupponat culpã in eo, cui primo datur, non poteſt dari niſi ei, qui peccauit, & quatenus peccauit: anima autem pro illo priori non eſt, quę in ſe ipſa peccauit, ſed ſolũ prout eſt in perſona, quæ peccauit. Cui illud etiam eſt argumento; quia anima pro illo priori non dũ poteſt dici anima ex Adamo ſuo modo propagata; quia dici nõ poteſt talis, niſi ex eo, quod ex vi generationis ex Adamo actiue eſt vnita corpori propagato ex Adamo: iã verò ſicut peccatũ Adami nõ poteſt ineſſe animæ, niſi poſt vnionẽ; ita nec poteſt præſeruari à peccato præſeruatione reconciliatiua, niſi poſtquam conſideratur, vt vnita. Quæ omnia pro efficaci impugnatione huius opinionis ſunt diligentiſsimè annotanda.

ARTICVLVS VI. & Vltimus.

Vtrùm B. Virgo fuerit præſeruata in ipſo inſtanti Cõceptionis perſonæ, per gratiam præſeruativam à reſultantia maculæ?

Qvod B. Virgo pręſeruata fuerit ab originali in primo inſtãti ſuæ generationis per gratiã primo cõceptam in illius perſona, quæ impediuit maculæ reſultantiã, eſt receptiſsima ſententia inter eos, qui docent eã à peccato originali præſeruatã fuiſſe: omnes enim (exceptis illis qui explicatos dicẽdi modos probauerunt) hunc præſeruãdi modum approbarunt: à quorum citatione ſuperſedeo, quia ſunt ferè infiniti. 1. *Vera opinio.*

2. Hæc opinio à ſufficiente partiũ enumeratione efficaciter probatur: quoniã ſuppoſito, quod B. Virgo ab originali pręſeruata fuit, nullus alius ſuppetit modus pręſeruandi, niſi iſte, quem modo explicauimus. Ille igitur approbandus eſt: etenim quod iſte modꝰ ſit poſsibilis, ex eo patet, quia nullã implicat contradictionẽ: vnde illius poſsibilitatem probãt etiam aduerſarij, qui volunt B. Virginem peccatum originale cõtraxiſſe: quos vide apud *Suariũ* 2.*to.ad* 3.*p.diſp.*3.*ſect.*4. *per totam*, vbi omnia argumenta oppoſita diſſoluit: ab hoc enim labore ſuperſedemus: tũ quia cõpellimur ſtudere breuitati: tum etiam quia ex ijs, quæ diximus, omnia diſſolui poſſunt, quæ in contrariũ valent adduci. *Suarius.*

QVÆSTIO XI. & Vltima.

De Redemptione B. Virginis per ſanguinem Chriſti.

¶ *Præfatio ad totam quæſtionem.*

Svpereſt vt diſputemus de redemptione Virginis per Chriſti ſanguinem: & oſtendamus eam ab originali eſſe præſeruatam non impedire, quominus per Chriſti ſanguinem verè, & propriè ſit redempta. 1. *Præfatio.* Et quia hæc veritas apud nonnullos eſt controuerſa, pro illius explicatione hoc ordine procedemus. Nam primo loco expendemus; an abſolutè admittenda ſint plura genera redemptionis à captiuitate generaliter ſumpta? Deinde explicabimus, an & quomodo redemptio

demptio ſupponat captiuitatem ? Tertio loco inquiremus, an in Chriſti Domini redemptione triplex redemptionis genus reperiatur ? Quarto loco diſcutiemus, an B. Virgo ad Chriſti redemptionem vere pertineat; ſi originalem maculam non contraxit? & quonam redemptionis genere redempta fuerit ? Quare in hac quæſtione quatuor erunt articuli.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm abſolute admittēda ſint plura genera redemptionis generaliter ſumptæ.

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

1. *Variæ opiniones.*

DE propoſita difficultate variç inueniuntur Theologorum ſentētiæ. Prima eſt eorum, qui vnum tātum genus redemptionis propriè ſūptæ admittendum putant: etenim ſi proprie de redemptione ſit ſermo; ſolum datur redemptio liberatiua, ſiue ſubleuatiua à ſeruitute peccati actu exiſtentis: etenim(vt volunt) redemptio præſeruatiua,qua quis præſeruatur, ne in ſeruitutem peccati labatur, non eſt vera & propria redemptio; ſed impropria, & abuſiua: quia vere & proprie non dicitur quis alium à peccato redimere, qui eum liberauit, præſeruauitque, ne in peccatum caderet. Ita expreſſe docuit *Medina 3.p. q.27. art.2. arg.vltimo partis affirmatiuæ, pag.592. & ad 1. arg.partis negantis,pag. 595.col.2. & ad vltimum pag. 596. col.1: & ante eum id docuit quidam Ioannes de Neapolis apud Capreolum in 3. diſt.3. q.1. art.3.ad 1. & ad tertiam probationem argumenti Scoti, pag. 13. col. 1. quem ſequitur idem Capreolus ibidem ad nonum eorum,quæ tertio loco adducuntur fol.16.col.2.3. & 4.* & poſt eum Cordubenſis inferius citandus pro eadē refert Caietanum in quodam quodlibeto: ſed non inuenio Caietanum aliqua quodlibeta ſcripſiſſe.

Medina. *Neapolis.* *Capreol.*

2. *2.opinio.* *Sc...*

Secunda opinio duplicem agnoſcit veram,& propriam redemptionem: vnam liberatiuam: præſeruatiuam alteram. Ita *Scotus in 3.diſt.3.q.1.§.Contra primam rationem, & §. Sin autem teneatur: late Catharinus in primo tract. de Conceptione Virginis 1.p.c.1.& in 2.tract. lib.2.c.1.pag. 20. Cannisius lib.1. de Maria Deipara c. 8. pag.59.ad finem:Galatinus lib.7.contra Iudæos cap.9. Franciſcus Turrianus in epiſt.de peccato orig. pag. 45. vſque ad 48: inſignis Paiua lib.5.defenſionis Tridentinæ fidei fol. 354.pag.1. Suar.2. tom.in 3.p. diſp.3.ſect. 5.pag.46. §. Dici poteſt : Valentia 4. tomo diſp.2.q.1.punct.2. pag.509.D. Cordubenſis lib.1.q.44.ad 2.contra ſextam,pag.372. & 373: Bellarmin.tom.4. in 4.lib. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati c.6. ad 3.teſtimonium pag.253: Ouand.ad 3.Scoti diſt.3. q.1.in titulo, an Virgo fuerit proprie redēpta: Bellomontan.2.tom.ad 3.p. diſp.117.c. 13.in principio.* Denique omnes, qui defendunt B.Virginem peccatum originale non contraxiſſe, has duas redemptiones admittunt; imò non poſſunt non admittere tanquam veras & proprias redemptiones. Ex aduerſarijs idem probarunt *Durand. in 3. diſt. 3.q.1.n.14.ad finem, & Caietan. in tract. de Conceptione Virginis c.3.in 2. parte capitis, & ſatis 3.p. q.27.art.2.*

Catharin. *Cannisius.* *Galatinus.* *Turrian.* *Paiua.* *Suarius.* *Valentia.* *Cordub.* *Bellarm.* *Ouand.* *Bellom.* *Durand.* *Caiet.*

3. *3.opinio.*

Tertia opinio poteſt excogitari, quæ triplicem ſtatuit veræ & propriæ redēptionis ſpeciem. Quarum prima eſt redemptio ſimpliciter, & omnibus modis liberatiua; qualis eſt, qua quis redimitur à peccatis iam incurſis. Secunda eſt pure præſeruatiua,qua redimitur,qui præſeruatur â peccato, quod non fecit, faceret tamen, niſi præſeruaretur. Tertia tandē eſt partim liberatiua, & partim præſeruatiua;qualis eſt,qua quis liberatur à culpa, quam aliquo modo commiſit in alio; eam tamen nondum in ſe ipſo recepit; recipiet autem,ſi non præſeruetur. Hæc autem tertia redemptio ſolum reperiri poteſt in redemptione,qua quis â macula peccati originalis,non dum contracta redimitur. Hoc tertium redemptionis genus,quanuis â Theologis formaliter non explicetur, illud tamen aliquo modo tetigit *Ouandus vbi ſupra*, dum docet Beatā Virginem medio quodam modo inter nos,& Angelos fuiſſe redemptam. Illud etiam ſatis colligitur ex Caietano, ſi bene expendatur, *in d.tract.de Virginis Conceptione cap.3.& 3.p.vbi ſupra*;& ſatis re-

Ouand. *Caietan.*

cipitur, ſi expendatur modus, quo explicatur B. Virginis præſeruatio.

§. 2.

Pro reſolutione ponitur prima concluſio.

4. *1. concl.* EGo hanc tertiam opinionem, vt veriſsimam ſemper amplexus ſum & modo libentiſsimè amplector; quia exiſtimo eam eſſe de mente omniũ, qui B. Virginem ab omni macula originali liberant. Pro reſolutione hæc ſtatuitur concluſio: *Non poteſt non admitti duplex veræ, & propriæ redemptionis genus; liberatiuæ. ſ. & præſeruatiuæ.* Hæc propoſitio ſtatuitur contra Medinam, Capreolum, & Ioannem de Neapolis. Prima illius pars apud omnes eſt indubitata; quia indubitatum eſt, Adamum cum poſteris, qui fidem ſuſceperunt, vere & proprie Chriſti ſanguine fuiſſe redemptos à peccatis tum originalibus, tum actualibus, quæ fecerunt, vt patet ad Rom. 5. *Cum peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*: & ſtatim: *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.*

Prima pars eſt indubitata.

Rom. 5.

5. *2. pars probatur ex Dionyſio.* ¶ Quod vero redemptio præſeruatiua admittenda ſit tanquam vera & propria redemptio; euidenter colligitur ex verbis magni Dionyſij de diuin. nomin c. 8. ante finem; vbi expreſſe docet ſaluationem (quæ idem eſt, quod redemptio & liberatio: & ideo in antiqua tranſlatione pro ſaluatione ponitur redemptio) ſaluationem inquam illam non longe ab intentione Theologiæ, & ſacræ Scripturæ ſaluationem dici, qua aliquis ſaluatur & redimitur, quia à macula liberatur: quin potius (vt ait) in hoc principaliter ponitur ratio ſaluationis, & redemptionis: verba illius ita habent: *Quoniam & ita ſaluationem aliquis laudabit non longe ab intẽtione ſanctæ Theologiæ, ſicut omnia exiſtentia ſaluatoria omnium bonitate à caſu propriorum bonorum liberantem, ſecundum, quod vniuſcuiuſque eorum, quæ ſaluantur, ſuſcipit natura: propter quod & liberationem ipſam nominant Theologi, in quantum non ſinit, vere exiſtentia ad nihil eſſe cadere, & cæt.* Horum verborum ſenſum explicans D. Thomas ibidem lect. 5. ita ſcribit: *Sic igitur quia ratio ſaluationis in hoc conſiſtit, primo & principaliter, vt aliquid in bono conſeruetur, non erit longe ab intentione ſacræ Scripturæ, ſi quis ſaluationem Dei velit laudare, in quantum ipſe Deus ſaluat omnia per propriam bonitatem liberando à malo, quod eſt caſus à proprijs bonis.* Et interiectis nonnullis, ita ait D. Thomas: *determinat* (S. Dionyſius) *in illis verbis propter quod, & cæt.) effectum liberationis, & dicit, quod ſacri Doctores nominant diuinam iuſtitiam liberationem, & liberationis cauſam; in quãtum ſaluat à malo: & hoc multipliciter. Primo & principaliter, in quantum non permittit ea, quæ ſunt vere entia, à ſubſtantijs cadere ad hoc quod nihil ſint*: deinde explicat ſaluationem, ſiue liberationem à malo iam incurſo. In eodem ſenſu magnum Dionyſiũ explicat Dionyſius Carthuſianus, tum in explicatione verborum, quæ ex Dionyſio adduximus fol. 278. pag. 1. F. tum in tranſlatione clariori fol. 279. pag. 2. F. tum denique in paraphraſi fol. 280. litera F. Patet igitur magnum Dionyſiũ à D. Thoma explicatum non ſolum laudare diuinam iuſtitiam, vt redimentem & liberantẽ nos à malo, continendo nos, & præſeruando, ne cadamus; ſed etiam docere talem ſaluationem, & redemptionem, principaliter eſſe laudandam. Quare Medina non ſolum loquitur contra Magnum Dionyſium; ſed etiam contra D. Thomam, dum vult redemptionem præſeruatiuam non eſſe veram, & propriam redemptionem: etenim Dionyſius dicit hanc redemptionem non eſſe longe ab intentione ſanctæ Theologiæ. i. ſacræ Scripturæ: quia. ſ. (vt ait D. Thomas) talis redemptio principaliter eſt redemptio. Si principaliter eſt talis, quomodo talis eſt improprie, & abuſiue? 6.

D. Thom

7. *Secundo pbatur ex Auguſt.* Accedat teſtimonium Auguſtini in Pſalm. 85. pag. 388. col. 1. ad illa verba: *Eruiſti animam meam ab inferno inferiori*: ita enim ſcribit: *Eruiſſe Deum animam ſuã ex inferno inferiori dixit, quia liberauit ſe à talibus peccatis, per quæ poſſet deduci ad tormenta inferni inferioris: quemadmodum ſi medicus videat imminentem ægritudinem, forte ex aliquo labore; & dicat: parce tibi, ſic te tracta, his cibis vtere, nam ſi non feceris, ægrotabis: tu autem, ſi feceris, & ſaluus fueris, recte dices medico; liberaſti me ab ægritudine,*

tudine, non in qua eras, ſed in qua futurus eras. Neſcio quis habens cauſam moleſtam, mittendus erat in carcerem; venit alius, defendit eum: gratias agens, quid dicet? eruiſti animam meam de carcere. Suſpendendus erat debitor: ſolutum eſt pro eo, liberatus dicit, de ſuſpendio me liberaſti. In his omnibus non erant; ſed quia talibus meritis agebantur, vt niſi ſubuentum eſſet, ibi eſſent; inde ſe recte dicunt liberari, quo per liberatores ſuos non ſunt permiſsi perduci. Quem Auguſtini locum pro noſtra opinione optime expendit inſignis Paiua vbi ſuprà: nam Auguſtinus affirmat recte dici liberatum, & redemptum à malo, qui in eo nunquam fuit, erat tamen futurus, niſi ab eo liberaretur; liberatione .ſ. præſeruatiua, ne malum illud incurreret. Porrò ſi ex Auguſtino iſte recte dicitur liberatus, & redēptus ab illo malo; quomodo non proprie, ſed improprie, & abuſiue? etenim ex regula Logicorum, *quod non eſt tale, niſi improprie, & abuſiue, ſimpliciter non eſt tale.*

8. *3 probatur ex D. Bernardo.* Tertio loco adducamus expreſſam D. Bernardi authoritatem ſerm. 22. in Cantic. fol. 137. col. 3. I. vbi poſtquam docuit Chriſtum Dominum fuiſſe redemptorē bonorum Angelorum, arguens contra hanc ſuam doctrinam, ita ait: *At Angelis quomodo redemptio fuerit non video: nec enim authoritas Scripturarum vſpiam aſſentire videtur, eos peccato extitiſſe captiuos, aut morti obnoxios; vt neceſſariam haberent redemptionem. Si igitur Angeli nunquam redempti ſunt; alij vtique non egentes, alij non promerentes: illi, quia non lapſi ſunt; hi autem quia irreuocabiles ſunt: quo pacto tu dicis Dominum Ieſum Chriſtum eis fuiſſe redemptionem?* Huic obiectioni his verbis reſpondet: *Audi breuiter: qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur: ſic illum de captiuitate eruens: ſic hunc à captiuitate defendens: & hac ratione fuit æque vtrique redemptor: ſoluens illum; & ſeruans iſtum.* Quibus verbis D. Bernardus non ſolum conſtituit duplex redēptionis genus; ſed aperto ore fatetur, vtrāque redemptionem æqualiter eſſe redēptionem. Quomodo igitur affirmat Medina redemptionem præſeruatiuam non eſſe vere & proprie redemptionem?

9. Quarto loco hanc doctrinam ex pluribus ſacræ Scripturæ locis colligit Auguſtinus in d. Pſalm. 85. & primum ex præcitatis eiuſdem Pſalmi verbis: *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* Deinde ex verbis Pſ. 48. *Verumtamen eruit Deus animam meam de manu inferi.* Tertio loco ex Pſalmo 29: *Saluaſti me à deſcentibus in lacum.* Quarto ex cap. 23. Prouerb. *Corripe fratrem tuum, & libera animam eius de inferno nouiſsimo.* Quibus in locis ſermo eſt de liberatione æternæ damnationis; non quidem liberatiua à damnatione iam exiſtente, ſed præſeruatiua ab ea, quæ exiſteret, niſi liberaretur. Simili modo loquitur Dauid Pſalm. 143. dum ait: *Redemiſti ſeruum tuum de gladio maligno.* ſ. Saulis; non quidem liberando à gladio percutiente, ſed præſeruando ne percuteret. Accedat etiam *Paulus ad Galat.* 3: *Qui redemit nos de maledicto legis*: cum tamen gentes (cum quibus loquitur) nunquam fuerint ſub lege. Quare non eſt dubitandum in ſacris literis reperiri redemptionem purè præſeruatiuam.

4. probatur ex locis Scripturæ. Pſal. 85. Pſal. 48. Pſal. 29. Galat. 3.

10. *5. probatio ex ratione.* Quinto ſatis id probatur ratione Theologica: quoniam negari non poteſt, Beatā Virginem vere & proprie fuiſſe redemptam à culpa actuali, vt inferius dicemus: ab hac autem culpa redempta non fuit redemptione liberatiua: quia nullam habuit actualem culpam. Ergo redempta fuit redemptione pure præſeruatiua; quia niſi ab ea per Chriſti ſanguinem liberaretur, vtique in culpam actualem laberetur. Quod autem redemptione vera & propria redempta fuerit à culpa actuali, ſatis conuincitur; tum ex authoritate D. Bernardi adducta in tertio argumento; tum ex locis ſacræ Scripturæ, qui non in ſenſu improprio explicandi ſunt; ſed in ſenſu proprio.

11. *Poſtrema probatio.* Poſtremo confirmatur ēxēplo ſumpto à redemptione ſeruitutis ciuilis: nam qui omnem partum alicuius ancillę emeret à vero Domino; & omnem ſtatim donaret libertate; is omnes filios non dum genitos, ſed generandos vere & proprie diceretur redemiſſe, vt patet: & tamē eos non redemit ab actuali ſeruitute; quia null' adhuc erat genit': ergo eos redemit à ſeruitute, quæ futura erat, niſi redimerētur: quę redēptio eſt pure pręſeruatiua.

§. 3.

Ponitur ſecunda concluſio.

13. 2. concl. SIt ſecunda concluſio: *Nec etiam poteſt non admitti duplex redemptio præſeruatiua, vna pure præſeruatiua, altera partim præſeruatiua, & partim liberatiua.* Hæc concluſio probat opinionem tertiam, quam & Ouandus, & Caietanus ſignificarunt, & ſemper amplexi ſumus.

Admittenda eſt liberatiua. Prior redemptio dicitur pure præſeruatiua: quia ita præſeruat à culpa, quæ non fuit, ſed foret, niſi daretur præſeruatio, vt nihil includat redemptionis liberatiuæ: vnde qui præſeruatur, per talem culpam nunquam fuit peccator, nec Deo odioſus: cum tamen vtrumque ſupponat redemptio non pura; quia hæc licet liberet à macula culpæ, quæ deberet ineſſe; ſupponit tamen culpam actualem ab ipſo præſeruato cōmiſſam, ratione cuius ſemper fuit inuiſus Deo, donec talis culpa per gratiam ſanctificantem illi remitteretur.

14. *Admittēda eſt pure præſeruatiua.* Quod admittenda ſit redemptio pure præſeruatiua, dubitari non poteſt: quoniam in Angelis eam admiſit D. Bernardus in d. ſerm. 22. in Cantic. dum docet Angelos bonos fuiſſe à culpa redemptos, ne. ſ. in eam incurrerent; in quam tamen incurrerent, niſi diuina gratia ab illa redimerentur. Vtrum autem fuerint ab ea redempti per merita paſsionis Chriſti? alterius eſt quæſtionis: indubitatum tamen eſt eos præſeruatiue fuiſſe redēptos: cum vero futura illa culpa nunquam fuerint infecti; nunquam ab ea potuerūt dici peccatores, & Deo inuiſi. Eandem redemptionem puram admittendam eſſe. ſatis efficaciter probant, tum teſtimonia Auguſtini ſuperius adducta; tum loca Scripturæ, quæ ex eodem adduximus.

15. Quibus addimus illum: *Raptus eſt, ne malitia immutaret animam eius; & ne faſcinatio peruerteret intellectum illius.* Hac redemptione B. Virgo redempta fuit ab omni culpa actuali, vt dicemus lib. 4. q. 1. iuſti etiam à pluribus peccatis per ſpecialem gratiam redimuntur, quæ de facto committerent, niſi ſpecialiter pręſeruarentur. Cum verô futuræ illius culpæ nunquam fuerint rei, nec illa vnquam fuerit illis imputata; bene infertur talem redemptionem eſſe puram abſque vlla liberatiuæ ratione. Quod vero non poſſit non admitti redemptio præſeruatiua non pura, ex eo probatur; quia nullus dubitabit Deū de potētia abſoluta poſſe quem voluerit, præſeruare, ne contrahat maculam peccati, quod in Adamo commiſit: poſſeque illum ſanctificare, non ſolum non imputando ei culpam commiſſam; ſed etiam illum ſanctificando infuſione gratiæ, quæ redemptio non ſolū erit præſeruatiua à macula contrahenda; ſed etiam liberatiua â culpa in Adamo contracta; idque per non imputationem illius. Quare ſecunda concluſio eſt veriſſima:

§. 4.

Soluuntur argumenta in contrarium.

COntra propoſitas concluſiones, quatenus admittunt redemptionē 16. 1. argum. præſeruatiuam eſſe veram & propriam, obijcit Medina ſupra citatus: quoniam proprie & vere non dicitur quis curaſſe, aut ſanaſſe hominem, ideo quia præſeruauit eum, ne incideret in morbū: nec vere quis dicetur reſuſcitaſſe hominem; quia præſeruauit eum, ne moreretur. Denique nec vere dicetur quis aliū redemiſſe, quem liberauit, ne in manus hoſtium veniret.

Poſſumus nos addere diffinitionem 2. arg. Zozimi Papæ apud Auguſtinum epiſt. 117. *Nec redemptus poteſt quis dici, niſi qui vere per peccatum fuit ipſe captiuus.* Addimus Auguſtinum conc. 2. in Pſalm. 70. tom. 8. pag. 312. A. 1. *Vnde redempti* (inquit) *ſi non ante captiui? quis redimetur, niſi à captiuitate?* Ex quibus ſatis euidenter videtur probari ſolam redemptionem liberatiuam eſſe proprie redemptionem: cuius oppoſitum in vtraque aſſertione ſupponitur.

Sed hæc argumenta nihil efficiunt. 17. *Ad 1. arg.* Ad ea, quæ primo loco obijciuntur, neganda ſunt ea, quæ tanquam notiſsima ſupponuntur: quoniam Auguſtinus in illis exemplis veram agnoſcit redemptionem, & liberationem: etenim qui à medico liberatus eſt, ne in morbum incideret; vere dicit medico, liberaſti me ab ægritudine, vt ait Auguſtinus: etenim

curaſſe

curaſſe & ſanaſſe non ſolum dicitur, qui à morbo exiſtente liberat; ſed etiam qui ſua medicina efficit, ne eum incurrat. Quod vero attinet ad eum, qui alium à morte prçſeruauit;admittimus iſtum nõ reſuſcitaſſe alium; quoniam ſicut mors ex ſua intrinſeca ratione ſupponit actu præceſsiſſe vitam: ita reſuſcitatio ex ſe ſupponit præceſsiſſe actualem mortem: cum quo tamen ſtat, quod iſte vere & proprie illum prçſeruauit à morte, quam actu ille incurreret. Quare latius patet redimere, ſiue liberare alium à morte, quam eum à morte reſuſcitare.

18. *Ad 2.* Ad authoritatem Zozimi communiter dicitur, eum agere de redemptione, quç fit ſecundum legem ordinariam:hçc autem ſupponit captiuitatem actu præcedentem. Alij tamen eum ita explicant, vt redimi non poſsit, niſi qui vel fuit, vel debuit eſſe captiuus;ita vt redemptio ſupponat captiuitatem actu, vel natura præcedentem, vt dicemus in art.ſequente;ita *Bellarmin.in d.lib.4.de amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati cap.56.ad 3.teſtimonium, §. Ex qua ſententia, pag.*253. *Bellarm.* *Propria ſolutio.* Ego dicerem Zozimum agere de redemptione præſeruatiua non pura, ſed miſta, qualis eſt, qua redimimur à captiuitate peccati originalis, quæ ſupponit captiuitatem præcedentem, non in ſe, ſed in Adamo. Et ad eundem ſenſum explicandus eſt Auguſtinus: etenim in locis citatis expreſſe agit de captiuitate, qua in Adamo captiui ſuimus. Vide in ſequente articulo.

ARTICVLVS II.

An, & quomodo omnis redemptio ſupponat captiuitatem?

§. 1.
Præmittuntur nonnulla.

1. *1.propoſit.* PRo clara huius quæſtionis reſolutione, nonnulla ſunt præmittenda, quæ ad veram reſolutionem ſunt neceſſaria. Præmittendum eſt primo; redemptionem in communi ſumptam in ſua formali, & quidditatiua ratione includere, quod ſit à ſeruitute, & captiuitate aliquo modo præexiſtente: vt ſatis videtur ſignificare authoritates Zozimi, & Auguſtini adductæ in præcedente articulo §.4. *Zozimus. Auguſt.* Addimus tamen redemptionem in communi acceptam in ſua formali ratione non includere, quod captiuitas prius tempore præcedat; ſed ſatis eſſe, quod præcedat prioritate naturæ: non quidem ſumpta ex naturali ſuppoſitione, quaſi naturaliter ſupponat captiuitatem eo modo, quo riſibile ex ſua natura ſupponit rationale; & mors naturaliter ſupponit vitam:ſed prioritate naturæ ſumpta ex eo, quod ex natura rei captiuitas ineſſet, ſi homo omni ſupernaturali gratia deſtitutus ſuæ præciſe naturæ, i.naturalibus eius viribus relinqueretur: eo modo, quo *non eſſe* prius natura conuenit creaturæ, quam *eſſe*: & viſus prius natura conuenit, quam cæcitas: quod optime aduertit *Scotus in 3.diſt.3.q.1.lit.E.* *Scotus.*

2. *2.præmiſſ.* Quoniam vero ex hoc pendet vera totius huius materiæ reſolutio; præmittendum eſt ſecundo, prioritatem naturæ inter duo, duobus modis poſſe reperiri: vno modo; quia vnum naturaliter ita præſupponitur ad alterum, vt conuenire nequeat, niſi illud prius actu inexiſtat: hoc modo rationale prius natura conuenit homini, quam riſibile: quia riſibile fluit à rationali tanquam à cauſa. Eodem modo vita prius natura conuenit homini, quam mors illi poſſit conuenire: homo enim mori non poteſt, niſi prius viuat. Altero modo poteſt dari inter aliqua duo prioritas naturæ, quia vnum naturaliter ineſſet, niſi aduentu alterius, impediretur. Hoc modo *non eſſe* prius natura conuenit creaturæ, quam *eſſe*: & viſus oculo, quam cæcitas: etenim ſi intentio naturæ in generatione animalis non impediretur, viſus naturaliter inexiſteret in oculo, non vero cæcitas. Simili modo ſi creatura ſuæ naturæ relinqueretur, haberet non eſſe: ob quam rationem, tam Theologi, quàm Philoſophi docent, viſum prius natura conuenire oculo, quã cæcitatem: & *non eſſe* prius natura conuenire creaturæ, quam *eſſe*. Priorem Philoſophiam docuerunt *D. Thomas* 8. *Metap. c.5. lect. 4. & cap. 10. lect. 10. Sonſin. 10. Metaph.q.19. Capreol.in 4.diſt. 1. q.2.art. 3.ad 1. Scoti contra ſecundam fol. 19. col.1.* 3. *D. Thom. Capeol.*

Caui et. Sott. D.Thom Capreol. Ferrar. Hernæus. Ægidius. Iauellus.

in fine, Caietan. Sotus, & alij Logici in prædicamentis cap. de oppoſitis. Poſteriorem vero docuerunt *D.Thom.1.p.q.45.art.1.& 3. & de potentia q.3.art.14.ad 7.& in tract. de æternitate mundi; Capreol.in 2.diſt.2.q.1.fol.7.col.1.& 3.Ferrarienſ.2.contra gentes cap.17.& 19.& melius c.38.in ſecunda ratione; Hernæus in tract.de æternitate mũdi art.5.& quodlib.6.q.10. noſter Ægidius de eſſe & eſſentia q.3.ad 12. Iauellus 12. Metaphyſ. quæſtione 14.* ¶ Intereſt autem plurimum inter vnum, & alterum prioritatis genus: quoniam quæ priori modo ſunt priora natura, vendicant ſibi prius in ſubiecto actu ineſſe, quam poſterius; niſi enim homo prius natura ſit rationalis, nunquam actu erit riſibilis: & niſi quis prius viuat, non morietur. Quod tamen non neceſſario ſibi vendicant, quæ poſteriori modo ſunt priora: quoniam in his fieri poteſt vt poſterius inſit, quãuis prius nunquam actu fuerit: etenim ſi Deus aliquid crearet ab æterno, illud nunquam actu fuiſſet ſub *non eſſe*, ſed ſemper ſub *eſſe*: & tamen *non eſſe*, prius natura illi conueniret in hoc ſenſu, quia *non eſſe* conueniret illi, ſi ſuæ naturę relinqueretur. Simili modo cæcitas poteſt cõuenire oculo, in quo actu nunquã fuit viſus; quia poteſt quis eſſe cæcus â natiuitate: & tamẽ viſus ſemper dicetur conuenire illi prius natura, quam cæcitas: quia re vera viſus illi oculo conueniret, niſi intentio naturæ in illa generatione impediretur.

4. *3.præmiſſ.* Tertio præmittendum eſt creaturam rationalem ex principijs ſuæ naturæ habere, quod ſit peccabilis, & moraliter defectibilis; quia id habet ex eo, quod eſt ex nihilo: vnde ex principijs ſuæ naturę habet, quod tandem actu peccabit, & moraliter deficiet, niſi diuina gratia actu iuuetur, vt omnes docent. Quare peccatũ actu conueniet creaturæ rationali, ſi â Deo ſuæ naturæ, id eſt, ſuis naturalibus viribus relinquatur, & inde fit vt peccatum aliquo modo (in bono tamen ſenſu) illi conueniat naturaliter, & veluti ab intrinſeco; gratia vero ab extrinſeco: eo modo, quo *non eſſe* dicitur cõuenire creaturæ ex principijs ſuæ naturæ; *eſſe* vero ſolum ab extrinſeco; quia.ſ. illi conuenire non poteſt, niſi à Deo ei libere communicetur. Simili modo viſus ab intrinſeco dicetur conuenire oculo, quia conuenit ex intentione naturæ intendentis generare perfectum; cæcitas vero ab extrinſeco, quia oculo conuenit ratione cauſæ impedientis. Igitur ſicut *non eſſe* prius natura conuenit creaturæ, quam *eſſe* & viſus oculo, quam cæcitas: ita etiam peccatum prius natura ſuo modo dicetur conuenire creaturæ rationali, quam gratia liberans, quamuis illa nunquam peccauerit: quatenus.ſ.de facto peccaret, niſi per gratiam diuinitus liberaretur. 5.

Quarto loco præmittendum eſt duplicem diſtinguendam eſſe captiuitatem in ordine ad peccatum: vnam, quæ ortũ habet ex naturali defectibilitate naturæ, ideo quia ex nihilo creata eſt: alteram, quæ originem ducit ex aliqua culpa non in ſe, ſed in alio commiſſa. Prima reperitur in quacumque creatura, etiam Angelica: quæcunque enim, ſi ſuę naturæ, omni deſtituta gratia, relinquatur, captiua eſt captiuitate peccati, in hoc ſenſu, quia actu peccabit, niſi diuinitus adiuuetur. Poſterior captiuitas reperitur in filijs Adami, qui in Adamo peccauerunt: etenim ex tali culpa (quæ illi ſemper & in quocumque ſtatu imputatur, donec per gratiam remittatur) captiui manent, & ſubiecti ad contrahendam maculam culpæ, quam in Adamo commiſerunt. Inter has
duas captiuitates plura ſunt diſcrimina. 6.
Primũ eſt; quod prior captiuitas fundatur in defectibilitate naturæ, quæ cuique creaturæ eſt naturalis. Poſterior vero fundatur in culpa in Adamo commiſſa, quæ originaliter vere eſt ſua; cuius imputatio vere facit hominem captiuum captiuitate peccati, in quocumque ille
conſideretur ſtatu. Ex hoc diſcrimine 7.
aliud infertur magis præcipuum: quoniã prior captiuitas ipſum captiuum non facit Deo inuiſum, antequam actu committat peccatum: nam Angeli boni, quãuis ſub tali fuerint captiuitate, nunquam fuerunt inuiſi Deo; nec mali tales fuerunt, antequam peccarẽt: nec homo, ſi à Deo in puris naturalibus crearetur, quãuis eſſet ſub tali captiuitate, tamen non diceretur Deo odioſus antequã peccaret.

Quin

Quin potius talis captiuitas poteſt ſimul eſſe cum gratia, & hoc modo fuit in Angelis,& in Adamo,pro ſtatu innocentiæ; nec mirum,quoniam cum illa captiuitas ſit naturalis cuilibet creaturæ,nõ eſt mala malitia morali,ſed naturali. At vero captiuitas poſterior ipſum captiuum facit odioſum Deo, in quocumque ſtatu ille conſideretur: quoniam in quocũque,culpa commiſſa in Adamo(qua quiſque noſtrum fuit Deo inuiſus) illi imputatur: imputata autem non poteſt non facere inuiſum,cui imputatur. Tertium diſcrimen eſt,quod prior captiuitas ſemper eſt ad actuale peccatum:poſterior vero,cum iam ſupponat actuale peccatum in alio commiſſum,ſolum eſt ad contrahendam maculam peccati commiſsi, in propria ipſius perſona.

9. *Poſtremũ præmiſſũ.* Poſtremo præmittendum eſt triplicẽ adhuc diſtinguendam eſſe captiuitatem: vnam formalem,& perfectam; qualis eſt captiuitas, qua quis & actuali culpæ ſubijcitur,& maculæ illius: & hæc captiuitas ſolũ datur in illis, qui actu ſubiacent maculæ culpæ,quam vel in ſe,vel in Adamo cõmiſerunt. Vnde hæc captiuitas datur, tum in adultis,qui actualiter peccauerũt; tum in pueris,qui in ſe ipſis cõtraxerunt maculam peccati in Adamo commiſsi. Secunda captiuitas eſt illa,quæ datur antequã culpa vel in ſe,vel in alio actualiter cõmittatur;& ex conſequenti antequam reſultet macula culpæ actualis cõmiſſæ, vel in ſe,vel in alio:talis autem captiuitas non eſt formalis captiuitas, nec cõpleta, ſed initiatiua tantum, & ſolum in debito ex defectibilitate naturæ reſultãte. Hæc captiuitas data fuit in Angelis bonis, & malis,quandiu fuerunt in via: fuit etiam in Adamo & in nobis pro toto tempore innocentiæ: & de facto datur in hominibus tam iuſtis, quam peccatoribus in ordine ad peccata,quæ nunquam cõmittẽt; committerent autem niſi præſeruarẽtur. Tertia denique captiuitas reperitur in ijs, qui culpam in Adamo commiſerunt; ex qua captiuitatem incurrerunt ad contrahendam maculam illius, cum primum

10. fuerint in proprijs perſonis. Hæc autem captiuitas, cum ſolum ſit potentialis, & virtualis, quandiu ſumus in lumbis parẽtum, aut ſub prima cõceptione ante animæ infuſionem, non eſt perfecta; quia non dum reperitur ſub macula actualiter contracta; nec eſt pure initiatiua,& radicalis; cum ſupponat actualem culpam in alio commiſſa: ſed eſt captiuitas,formalis quidem; quia iam eſt ſub culpa actuali originaliter commiſſa, & vere imputata, ſed imperfecta; quia non dum eſt coniũcta cum actuali macula peccati in Adamo commiſsi. Quæ omnia ſunt diligenter annotanda in hac materia; quia inter triplex iſtud captiuitatis genus magnum eſt diſcrimen, vt ex dicendis patebit.

§. 4.
Reſolutio Quæſtionis.

His ita præmiſsis, inquirẽdum eſt, in quonã prioritatis genere prius natura captiuitas cõueniat,quàm redemptio? cui quæſtioni Medina facilè concederet prioritatem prioris generis, ita vt ratione redemptionis proprie ſumptæ ſit præſupponere captiuitatem actu exiſtentem: etenim cum ſolum admittat redemptionem liberatiuam â peccato inexiſtente (nam apud eum præſeruatiua vere non eſt redemptio, ſed abuſiue) vtique admittet actualem captiuitatem ſub peccato, neceſſariam eſſe ad veram redemptionem. Quam etiam ſententiam probauit Caietanus in d. tract. de Conceptione B. Virginis:quoniam in eo cap. 3. docet, vt aliquis poſsit vere & proprie â peccato liberari,non neceſſario requiri, quod actu præexiſtat culpa peccati (in quo cum Medina non conuenit) neceſſario tamen prærequiri, quod culpa exiſtat, vel perfecta in ſe, vel initiatiua per debitum. Quare admittit captiuitatem, vel iam completam, vel ſaltem initiatam in debito perſonæ,eſſe priorem redemptione prioritate temporis. 11. *Opinio Medinæ.* *Opinio Caietani.*

12. *Vera reſolutio.* Dicendum tamen eſt redemptionem ſub cõmuni & generali ratione redemptionis,ſupponere quidem captiuitatẽ peccati;non quidẽ actu iam exiſtentem; ſed exiſtentem ſaltem in ſua radice,& veluti cauſa, quæ vere dici poteſt captiuitas; ſi nõ formalis; tamẽ virtualis, & ſuo modo initiatiua:vel (vt cũ pluribus loquamur)

prȩexiſtens in debito, & obligatione veluti cauſali. Ex quo infertur captiuitatẽ generaliter ſumptã natura eſſe priorem redemptione, prioritate poſterioris generis: quia (vt dicemus) poteſt dari vera, & propria redemptio in eo, in quo actualis, & formalis captiuitas nunquam extitit. Statuimus autem nõnullas concluſiones.

13. 1.concl. Sit prima concluſio: *Redemptio in communi & generaliter ſumpta, ex ſua intrinſeca ratione ſupponit aliquam in ipſo redempto præceſſiſſe captiuitatem.* Hæc aſſertio indubitata eſt, vt patet ex ijs, quæ in principio huius articuli diximus.

14. 2.concl. Secunda concluſio: *Redemptio, quæ vere & formaliter eſt liberatiua, atq; mundatiua, ſupponit veram & formalem captiuitatem præceſsiſſe in ipſa perſona redempta.* Hæc etiã aſſertio eſt indubitata, & admittitur & à nobis, & ab aduerſarijs; ſolum dubitari poteſt, an redemptio huius generis ex ſua intrinſeca ratione ſupponat captiuitatem priorẽ prioritate tẽporis? quod dubium concluſio ſequens diſſoluit.

15. 3.concl. Tertia concluſio: *Redemptio, quæ vere & formaliter eſt mundatiua, & coniuncta cum formali, & actuali mundatione culpæ, in ordine ad potentiam abſolutã Dei, non prærequirit captiuitatem tempore præcedentẽ: bene tamen eam requirit ſecundum potentiam Dei ordinariam.* Prior pars ex eo probatur, quoniam per potentiam abſolutam Dei fieri poteſt, vt quis per ſolum inſtans ſit in peccato, tum originali, tum actuali, & in tempore immediate ſequente per gratiam, & redemptionem mundatiuam ab eo liberetur; vt modo ſupponimus, tanquam verius, & communius. Poſterior vero pars ab omnibus recipitur; quoniã ſecundum legem ordinariam gratia iuſtificans infunditur in inſtanti; vnde culpa pro illo primum non eſt; fuit tamen pro toto tempore immediate præcedẽte.

16. 4.concluſ. Quarta cõcluſio: *Redẽptio pure præſeruatiua à peccato, quod quis incurreret, niſi præſeruaretur; licet ex ſua natura ſupponat captiuitatem præcedentem; non tamen neceſſario poſtulat, vt captiuitas prioritate tẽporis antecedat, quãuis regulariter captiuitas prior ſit tẽpore.* Prima pars nota eſt ex prima cõcluſione, & ex dictis §. 1. in principio. Secunda pars inde demõſtratur; quia poteſt Deus creare aliquã creaturã cũ gratia præſeruatiua ab omni peccato, vt patet: huic tamẽ creaturæ cõueniret captiuitas ſola prioritate naturæ; eo modo, quo *non eſſe* prius natura conueniret creaturæ, ſi aliquã Deus ab æterno creaſſet: & viſus prius natura conueniret oculo illius, qui cæcus naſceretur: etenim creaturæ illi in eo ſolũ ſenſu captiuitas prius cõueniret, quia illa eam incurreret, niſi à Deo per gratiam præueniretur: quæ prioritas eſt prioritas prioris generis, de quo egimus in 2. prȩmiſſo. In Angelis etiã bonis talis captiuitas tẽpore non præceſsit gratiam redẽptiuã, ſed ſolum natura: cũ talis gratia in primo creationis inſtanti illis data fuerit, iuxta ſententiam veriſimiliorem. Tertia deniq; pars cõcluſionis ex eo patet, quia talis redẽptio regulariter fit captiuitate aliquo tẽpore præcedẽte, vt patet in iuſtis, qui iſto modo à futuris culpis redimũtur: captiuitas enim ex naturȩ im potẽtia, & imbecillitate procedẽs, multo ante tẽpore in illis præextitit: quia ſicut præceſsit tẽpꝰ, antequã primo iuſtificarẽtur; ita etiã p̄ceſsit poſt iuſtitiã acceptã, antequã donarentur gratia prȩſeruatiua.

Quinta cõcl. *Redemptio, quæ non eſt pure præſeruatiua, ſecundũ legem ordinariã ſupponit captiuitatẽ in ipſo redempto tẽpore priorẽ,* 17. 5.concl.
tum vt ille fuit in parentibus, tum vt fuit in propria perſona: ſecundum potentiam tamen abſolutã potuit præceſsiſſe non tempore, ſed natura. Hæc aſſertio inde euidenter probatur; quia redẽptio huius generis ſolum datur in ordine ad præſeruationẽ à peccato originali: iam vero in omnibus filijs Adami, qui in eo peccauerũt, captiuitas incœpit à tẽpore, quo peccauerũt in Adamo: inde enim fuerunt cũ debito, & obligatione cõtrahendi maculã talis peccati: ideo quia ab illo tẽpore talis culpa in diuino cõſpectu illis ſemper fuit imputata, donec in propria perſona iuſtificantur. Quare talis redẽptio in omnibus, etiam in B. Virgine, ſupponit captiuitatẽ præcedentem à tẽpore Adami: imo in omnibus (vna excepta B. Virgine) tẽpore præceſſit iuſtificationẽ: etenim ſecundum legẽ ordinariã nullus à tali captiuitate redimitur, niſi per baptiſmũ: in Ioanne vero & Hieremia, licet in vtero facta ſit, in eodẽ

tame

tamen vtero prius tempore fuerunt captiui,quam redempti. Vnde ſola B.Virgo in propria perſona captiua non fuit; quia primū eſſe ſuæ cōceptionis,fuit primum eſſe ſuæ iuſtificationis, & redemptionis; & primum non eſſe ſuæ captiuitatis, vt late diximus lib.2.in quæſtione de debito Virginis in propria perſona.

18. 6.concl. Sexta & poſtrema concluſio: *in ſola redemptione pure præſeruatiua captiuitas, quæ ſupponitur, non eſt captiuitas moraliter maculans: cum tamen duæ reliquæ tales ſint; quamuis non eodem modo maculent.* Tota concluſio ex præcedentibus patet, & ſatis manet probata ex ijs, quæ diximus in quarto præmiſſo,vbi vide.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in redemptione facta per ſanguinem Chriſti reperiatur triplex explicatum redemptionis genus?

§. 1.

Referuntur tres oppoſitæ ſententiæ.

1. Variæ opiniones. CONſequenter explicādum eſt, an in redemptione facta per Chriſti ſanguinē admittendum ſit triplex redēptionis genus, quod ar.1. explicauimus? Hæc enim quęſtio inter Theologos eſt controuerſa. Tres autem inuenio ſententias inter ſe non conſentientes. 1.negat. Prima negat, & docet in Chriſti redemptione vnicum tantum reperiri genus redemptionis: ſcilicet pure liberatiuum à peccatis iam contractis; & ſubinde quæ ſit à captiuitate actu præexiſtente. Ita docuit Ioānes de Neapolis,apud Capreolū in 3. diſt.3.q.1. art.3.ad 1. & 3. probationem argumenti Scoti pag.13. col.1. quem ſequitur Capreolus ibidē ad nonum eorū, quæ tertio loco adducuntur fol.16. col. 2.3.& 4. & poſt eum Medina 3.p. q.27. art. 2. argumento vltimo partis affirmatiuæ pag.592.col.2.& ad 1.negantis partis pag.595.col.2. & in ſolutione vltimi, pag.596.col.1.

2. Argum.1. [...]nus opin. 2.arg. Hanc ſententiam primo confirmant; quia ſola redemptio liberatiua eſt vere & proprie redemptio. Secundo; quia ex ſacris literis conſtat Chriſtum nos redemiſſe à peccatis actu exiſtentibus: nam Matthæi.1. dicitur: *ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*. i. à peccatis, quibus ligatus erat. Matth. 1. Apocalypſ.1. *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*: noſtris, Apoc.1. inquam,quia aut contraximus illa,aut cōmiſimus. Ad Hebręos 9: *In redemptionem earum præuaricationū, quæ erant ſub priori teſtamento.* Ad Hebr. 9. Et ad Titum.2. *Tradidit ſe metipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem.* AdTit.3. Ad Galat.3: *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide IESV Chriſti daretur credentibus.* AdGalat. 3. Lucæ.2. *& ipſe redemit Iſrael ex omnibus iniquitatibꝰ eius.* Luc.2. Denique 2. Cor. 5. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Ergo omnes mortui ſunt.* 2.Cor.5. Ex quibus omnibus patet Chriſtum nos redemiſſe à peccatis, quibus tenebamur; & ſubinde redemptionem eius ſolum eſſe purè liberatiuam.

Tertio facit Auguſtinus in 1.de peccatorum meritis c.20. vbi poſt lōgam diſputationem,ita concludit: 3. 3.arg. Auguſt. *Non eſt in filijs hominum, nec fuit, nec erit paruulus aliquis, vel adultus, qui non egeat beneficijs mediatoris,vt illo ſaluetur, liberetur,redimatur,illuminetur: quæ ſalus,quæ liberatio, quæ illuminatio non poteſt intelligi, niſi à morte, à vitijs,à reatu,à ſeruitute, à tenebris peccatorum.* Idem Auguſt. de natura & gratia in principio: *Quicunq; non putant pertinere ad hos omnes, qui peccauerunt, & egent gratia Dei; profectò nullam neceſſitatē habent, quod Chriſtiani fiant.* Et lib.6.contra Iulianum c.4: *Tu dicis Chriſtum eſſe pro peccatoribus mortuum: ego dico,non niſi pro peccatoribus mortuū.* Auguſt. Deniq; cōmunis Patrū doctrina eſt,neminē, niſi peccatorē, ac venundatū ſub peccato à Chriſto eſſe redemptum: nam Eccleſia cū Zozimo prædicat: *nullus, niſi qui ſeruus eſt, liber efficitur, nec redemptus poteſt quis dici, niſi qui vere per peccatum fuit ante captiuus.*

Secunda opinio cū iſta fere conſentit, 4. 2.opinio. quam probauit Caietanus in tract.de Cōceptione Virginis c. 3: licet enim libēter admittat dari veram & propriam redēptionem præſeruatiuam quoad Angelos: negat tamen eam dari in redemptione facta per Chriſtū quoad homines: ſed vult omnem redemptionē Chriſti in ordine ad homines eſſe liberatiuā à peccatis pręexiſten-

exiſtentibus: in quo cōſentit cum prima opinione: addit tamē illam eſſe à peccatis præexiſtētibus, non quidem actu & formaliter quoad maculam culpæ (in quo ſenſu prima opinio intelligitur) ſed initiatiue & radicaliter quoad debitū culpę; vnde ſcribit redemptionem pręſeruatiuā quoad homines, reprobatam eſſe & reiectam ab Eccleſia Romana in definitione Zozimi Papæ apud Auguſt. epiſt. 157. in verbis adductis in 1. opinione ad finem.

5. 3. opinio. Tertia ſententia eſt oppoſita duabus præcedentibus: hæc autem cōſtanter defendit in redemptione per crucē Chriſti facta, non ſolum admittēdam eſſe redēptionem, quæ vere eſt liberatiua à culpa præexiſtente; ſed etiam redemptionem præſeruatiuam. Vnde in redemptione Chriſti duplicem admittit redemptionē: liberatiuam vnam, pręſeruatiuam alterā. Quam opinionem non poſſunt non probare, qui B. Virginem à macula originali liberāt: etenim ſi illa à culpa originali per Chriſti ſanguinem non fuit liberata; quia eam non cōtraxit; ſed ſolum præſeruata, ne eam contraheret; vtique in Chriſti redemptione admittenda eſt redēptio præſeruatiua. Addunt tamen hi authores in redēptione Chriſti admittendam eſſe redemptionem purè præſeruatiuā: etenim in B. Virgine nihil culpæ inuentum fuit, à quo liberari poſſet: nam debitum contrahendi maculam originalem, quod fuit in B. Virgine, materialiter ſumptū nihil eſt aliud, quam eam ab Adamo fuiſſe propagatam, quod ab ea ſublatum non fuit. Quare cum nihil culpę fuerit in ea, à quo liberaretur, inde inferunt præſeruationē eius à cōtrahenda macula fuiſſe purā pręſeruationem, nulla admixta liberatione. Et putant hanc fuiſſe *Caietani opinionem 3. p. q. 27. ar. 2. §. Circa ſecundam rationē, & §. Ad euidentiam, & §. Circa corollariū, & §. Scripſimus de hoc*: vbi docet Chriſtū ſuā matrem redemiſſe ſpecialiori quodā modo; quatenus eam redemit præſeruando à macula, eamq; per gratiam pręueniendo. Et inde inferunt Caietanum ſibi eſſe cōtrarium, dum in d. tract. de Conceptione negat quoad homines redemptionē Chriſti eſſe præſeruatiuam. Hæc igitur opinio redemptionem factam per Chriſtum diuidit in pure liberatiuam, & in pure præſeruatiuam.

Caiet.

§. 2.

Ponitur vera reſolutio, præmiſsis nonnullis. 6. *Vera reſolutio.*

EGo nulli harum trium opinionum ſimpliciter adhæreo: nam cōtra primam & ſecundā exiſtimo in Chriſti redemptione non poſſe non admitti redēptionem præſeruatiuam; quidquid Caietanus cū authoribus primæ opinionis repugnet. Imò aſſero in ea non ſolum admittendā eſſe redemptionē præſeruatiuam: ſed admittēdam eſſe præſeruatiuā vtriuſque generis: vnā, quæ ſit pure præſeruatiua: alterā, quæ ſimul præſeruatiua ſit, & liberatiua. Ex quo infertur in Chriſti redēptione reperiri triplex genus redemptionis, de quo egimus ſup. ar. 1. §. 3. ¶ Pro maiori horum explicatione nonnulla præmittemus, quæ ad huius materiæ intelligentiam plurimum conducūt: deinde aliquot cōcluſiones apponemus.

7. 1. præmiſſ. Primo igitur notandum eſt: omne debitum habendi, ſiue cōmittendi aliquod peccatum, ſatis eſſe, vt qui à committendo tali peccato liberatur, vere & proprie dicatur redimi à peccato non commiſſo: non tamen omne debitum ſatis eſſe, vt ante aduentum peccati, ad quod obligat, reddat ipſum habentem Deo inimicum, & exoſum, & peccato mortuū. Vtrūque patet ex ijs, quæ diximus tum lib. 2. tum in hoc 3. Primum ex eo fit euidens: quia ex ſuperioribus patet, quod non ſolum debitum contrahendi maculam originalem, quod fuit in B. Virgine, ſatis fuit, vt illa vere per Chriſti ſanguinem dicatur redempta, vt patebit ex 4. art. ſed etiam debitum peccandi, quod fuit in Angelis, ſi diuinitus non iuuarentur, ſatis ſuperq; fuit, vt vere & proprie dicantur redempti, vel à Deo abſolute, vel à Chriſto: debitum etiam ad peccandum, quod reperitur in iuſtis, ſi diuina gratia non iuuentur, ſatis eſt, vt illi dicantur redimi à peccato, quod non committent, committerent autem, niſi iuuarentur per gratiam. Et merito: quoniam cum omne debitū, & omnis obligatio ad peccandū ſit cauſa inclināſ, & ſuo modo captiuās nos ad peccandū; ſuo etiā modo poteſt dici peccatū, vt colliges ex Trid. ſeſſ. 5. de peccat. orig. 1. pars.

can.

8. 2.*pars.* canon.5. Illud vero poſterius patet,tum
in Angelis bonis; tum in homine creato
in puris naturalibus; tum in Adamo pro
ſtatu innocentiæ; tum denique in iuſtis,
qui diuina gratia à peccatis cõmittendis
liberantur: etenim Angeli boni ex con-
ditione naturæ ex nihilo creatæ, ſubiecti
fuerunt debito peccandi,& de facto pec-
carent, niſi diuina gratia præuenirentur,
& à peccato redimerentur;& tamen nul-
lus vnquam dixit,aut dicere potuit,debi-
tum illud Angelos bonos reddidiſſe ini-
micos:quin potius idem debitum malos
Angelos non fecit inimicos, antequam
peccarent. Similiter dicendum eſt de ho-
mine,ſi in puris naturalibꝰ crearetur:nec
enim debitũ illud peccandi,cui ſubiectus
eſſet, eum faceret peccato mortuũ, ante-
quã peccaret. Eodẽ modo debitũ, quod
fuit in Adamo in ſtatu innocentiæ,illum
ante peccatũ nõ fecit Deo exoſũ. Deniq;
iuſti in gratia conſtituti,tum ex cõditio-
ne naturæ, tum ratione fomitis ſubiecti
ſunt actualibus peccatis, niſi magno per-
ſeuerantiæ dono donẽtur: qui fomes (vt
Rom.7. ait Paulus *ad Rom.7.*)captiuat eos,ſub le-
ge peccati;adeo vt ab eodẽ Paulo dicãtur
peccato venundati: quæ tamẽ captiuitas
Auguſt. (ita enim eã appellat *Aug. Pſal.70. conc.
2.to.8.pag.512.col.2.*) nõ impedit,quo-
minus Deo ſint grati. ¶ Oppoſitũ dicẽ-
9. dum eſt de debito ad contrahendã origi-
nalẽ maculã, quod in omnibus Adami fi-
lijs reperitur: hoc enim debitũ,etiã ante-
quã in propria perſona maculã cõtrahãt,
eos reddit Deo exoſos, & peccato mor-
tuos,vt fides docet:nõ ob eam rationem,
quã fingit Caietanus in d.tract. de Con-
ceptione: quod.ſ.tale debitũ initiatiue ſit
ipſa macula(hæc enim nec accommodari
poteſt Adami poſteris,quãdiu ſũt in alio,
in quo originaliter ſunt mortui, & Deo
exoſi:nec poſtquã in propria cõcipiũtur
perſona) ſed ob eã potius rationem, quia
culpa,qua in Adamo fuerũt mortui, pro
quocũque ſtatu in diuino proſpectu, illis
imputatur; vt ſępe diximꝰ: vnde quãdiu,
& pro quocũq; ſtatu illa imputatur,ſatis
eſt, vt nos captiuos reddat, & Deo exo-
10. ſos, & ſubinde indigentes redemptione.
2.*præmiſſ.* Et vt hæc Theologia melius intelliga-
tur, ſecũdo loco aduertimus; in quocũq;
peccato duplicẽ diſtinguendã eſſe defor-
mitatẽ,&culpã,vnã,quę reperitur in ipſa
actione peccaminoſa, & moraliter mala:
alterã,quę ineſt in anima,mediante volũ-
tate,permanẽs tranſeũte actione. Illa eſt
culpa actualis,qua dicimur peccãtes;hæc
autẽ eſt culpa habitualis, quia permanet
per modũ habitus:& ideo appellatur ma-
cula. Deformitas actionis eſt prior,quàm
deformitas maculæ tẽpore,vel natura. In
culpa actuali deformitas actionis ſolũ na-
tura antecedit deformitatẽ maculæ: quia
in eodẽ inſtãti,quo cõmittitur furtũ,v.g.
naturaliter reſultat in volũtate deformi-
tas maculę:in culpa vero originali defor-
mitas actionis lõgo tẽpore antecedit de-
formitatẽ maculę:quia actio inobediẽtię,
&pręuaricationis facta fuit à nobis adhuc
in Adamo exiſtẽtibus in paradiſo;attamẽ
macula illius cõtrahitur à nobis,cũ primũ
cõcipimur. Denique vtraq; deformitate
per ſe ſumpta vere morimur morte pec-
cati,& ſumus Deo exoſi, & inimici. In- 11.
tereſt tamẽ plurimũ inter peccatũ actua- *Nota diſ-*
le,& originale: quoniam peccatũ actuale *crimen.*
ſolũ reperiri poteſt in propria peccantis
perſona:idq;tam in deformitate actionis,
quã in deformitate maculæ:oppoſitũ re-
peritur in peccato originali:hoc enĩ quo-
ad deformitatẽ maculæ reperitur in ſola
perſona perſonaliter exiſtente: at vero
quo ad deformitatẽ actionis non ſolũ re-
periri poteſt in ꝓpria perſona,extra ſuas
cauſas iam poſita; ſed etiã in perſona ſolũ
potentialiter exiſtẽte in potentia, virtu-
teq; actiua parentũ. Nec mirũ; nam cum
perſona illa peccauerit, non vt erat in ſe,
ſed vt erat potẽtialiter in alio (quia Deus
nos omnes in Adamo obligauit)ita etiam
in alio fuit peccato mortua, & Deo exo-
ſa;& talis ſemper erit,quandiu in alio po
tentialiter fuerit: quia ſicut talis poten-
tialitas ſatis fuit, vt in alio vere peccaret,
originaliter tamen: ita illa ſatis erit, vt ei
tale peccatum vere imputetur: qua im-
putatione mortuus eſt morte peccati, &
Deo exoſus,& inimicus. Quę eſt cõmu-
nis omniũ Patrũ Catholica doctrina ſũp-
ta ex Paulo,dũ ad Rom.5.docet:*Per ino-*
bedientiã vnius multos peccatores conſtitutos *Rom.5.*
fuiſſe: quia.ſ.omnes in vno Adamo pec-
cauerunt:& ex Aug.in Pſal.70. conc.2. *Auguſt.*

pag.312. Omnes in Adamo in offenſā Dei incurrimus, & ſub captiuitate peccati māſim⁹. Vide *Concilium Arauſicanum.2.cap.2. & Tridentinum ſeſſ. 5. de peccato orig. can. 2. D.Hieronym.in Matthæum cap.2.magnum Dionyſium de Eccleſiaſtica hierarc.c.3.pag. 3. Cyrillum Ieroſolymitanum catecheſi 24.* Quare indubitatum eſt debitum ortum ex culpa in Adamo commiſſa, ſatis ſuperque eſſe, vt nos vere reddat captiuos captiuitate peccati, etiam pro ſtatu, in quo in lumbis parentum fuimus.

Conc. Arauſic. Trident. Hieron. Dionyſ. Cyrill. Ieroſol.

12. *3. præmiſſ.* Tertio & poſtremo præmittendū eſt; ſi legem ordinariam attendamus, plenam & perfectam remiſsionem peccati, fieri per iuſtificationem peccatoris; ita vt remiſsio peccati, quæ datur de lege ordinaria, ſit remiſsio peccati, non quęcumque, ſed iuſtificatiua peccatoris: quæ iuſtificatio, ſi fuerit prima (qualis eſt, quæ fit à peccato originali) eſt tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratię, & adoptionis filiorū Dei per Chriſtum, vt patet ex Trident. ſeſſ. 6.c.4. de iuſtificatione: in qua iuſtificatione idem Concilium c.7. duas ſupponit mutationes: remiſsionem, ſ. peccatorum, & ſanctificationem, renouationēq; interioris hominis per habitum gratiæ, & charitatis. Quas duas mutationes docuit *Scotus in 4. diſt.1.q.6.§. Ad argumēta in fine.* Primam mutationē appellat priuatiuam, qua homo de inimico, fit non inimicus: poſteriorem vero vocat poſitiuam; quia de non amico fit amicus: de nō digno, fit dignus: denique de non dilecto, fit dilectus. Itaque redemptio plena, atq; perfecta à peccato originali (idem dicito de quocumque alio) includit duas partiales redemptiones: vnam remiſsiuam peccati; alteram ſanctificatiuā redempti: per illam condonatur culpa; per hanc deletur macula, ſi quæ fuit. Vtraque iſta partialis redēptio euidenter colligitur ex duplici ratione, quæ reperitur in quolibet peccato: quodlibet enim ratione actionis (quæ eſt pręuaricatio diuinę legis) includit offenſam Dei, & iniuriam illi illatam: nam qui violat diuinam legem, Deum offendit: at ratione maculæ (quidquid illa ſit) includit immunditiam animæ, nimirum quandam deformitatē voluntatis, & quandam obliquitatem à regula diuinæ legis. Priori rationi reſpondet redemptio remiſsiua iniuriæ, & offenſæ illatæ: poſteriori vero reſpondet redemptio ſanctificatiua & mundatiua ſubiecti.

Scotus.

Sicut vero illæ duæ rationes in peccato diſtinguūtur (ſiue re, ſiue ratione) ita etiā in iuſtificatione duæ illæ redemptiones partiales re aut ratione debent diſtingui. Quod ex eo vel euidēter patet; quia iuxta veriorem ſententiā, diuina potētia dari poteſt vera remiſsio peccati per redemptionem pure remiſsiuam, abſque redemptione iuſtificatiua: quia poteſt Deus de potentia abſoluta remittere peccatum alicui abſque infuſione gratiæ; & ſubinde condonando iniuriam ſibi illatam per actionem peccaminoſam, abſque hoc, quod Deus hominem illum per infuſionē gratiæ ad priſtinam admittat amicitiā, vt in humanis ſæpè contingit. Facta autem illa offenſæ remiſsione, licet non omnino tollatur habitualis auerſio: non tamē manet ſub ratione culpæ, quia iam non manet, vt iniurioſa, & offenſiua Dei; ſub qua ſola ratione habet rationē maculæ, & ſordis; ob quam rationem iam non eſt proximū fundamentum odij, de quo latius diſputatur in materia de peccatis. Nobis modo ſatis eſt redemptionem remiſsiuā culpæ, vt eſt offenſa Dei, diſtingui à redemptione ſanctificatiua, & mundatiua à culpa, vt eſt quædam macula: & prætereà iuſtificationem à peccato originali incipere à remiſsione peccati, quatenus eſt actus, & præuaricatio legis diuinæ (eſt enim terminus à quò incipit iuſtificatio) cōpleri autem in ſanctificatione hominis, qui cōcipitur. Hæc autem ſanctificatio, vt talis eſt, per ſe non includit, quod ſit mundatiua, & deletiua ſordis & maculę: quia (vt ſupponimus) poteſt concipi ſine macula, quam emundet: in ſe tamen includit; quod ſaltem ſit præſeruatiua à macula, quæ aliàs futura foret. 13. *Diſtinguūtur ſolu ratione.*

Ita fit, vt redemptio perfecta, & completa ab originali, duobus modis poſsit cōtingere: vno modo ſimul remittendo offenſam culpæ commiſſæ in Adamo, & delendo maculam iam actu contractam: & hæc redemptio eſt purè liberatiua; quia liberat à peccato ſecundum vtramq; 14. *Redemptio completa duob⁹ modis contingit.*

illius

illius rationem: nimirū prout eſt offenſa Dei, & prout eſt immūditia animæ. Altero modo remittēdo peccatū, culpamq; actualem in Adamo commiſſam (quæ iam ab illo tempore nobis imputabatur, & erat fundamentum actualis inimicitiæ, & odij) & præſeruando à macula illi culpæ reſpondenti. Hæc autem redemptio, nec erit pure liberatiua; quia nō liberat à macula, quam peccatū originale complete conſideratum includit: nec eſt pure præſeruatiua: quia licet præſeruet à peccato, vt eſt macula, non tamen præſeruat à culpa actuali in Adamo cōmiſſa; ſed verè liberat ab ea, remittendo, & non imputando illam, vt erat offenſa Deo illata. Quare talis redemptio erit partim liberatiua, & partim pręſeruatiua: ita tamen vt prius natura ſit liberatiua ab imputatione culpæ. Poſterius vero ſit præſeruatiua à macula.

§. 3.

Pro reſolutione ponuntur propoſitiones.

15. 1. *Propoſ.* HIs præmiſsis, totam quæſtionem reſoluemus nōnullis adductis pro poſitionibus. Sit prima propoſitio: *Certiſsimum eſt in redemptione per ſanguinem Chriſti admittendum eſſe triplex genus redemptionis.* Hæc propoſitio ex ſequentibus euidenter demonſtrabitur: patebit enim ex dicendis in illa admittēdam eſſe redemptionem pure liberatiuā: purè præſeruatiuam: & partim liberatiuam partim præſeruatiuam.

16. 2. *Propoſ.* Secunda propoſitio: *Indubitatum eſt ſecundum fidem in Chriſti redemptione admittendam eſſe redemptionem pure liberatiuam, & mundatiuam à macula actu præexiſtente.* Hanc propoſitionē euidenter probant argumenta pro opinione Medinæ adducta ex ſacris literis, ex Auguſtino, & Patribus: etenim omnes Adami poſteri (vna excepta B. Virgine) de facto contraxerunt peccatum originale, à quo per baptiſmum ſanguine Chriſti liberantur. Omnes etiam (B. Virgine excepta) plura peccata actualia cōmiſerunt, à quibus in Sacramento Pœnitentiæ ex meritis Chriſti quotidie liberantur, & redimuntur: & ideo omnes in oratione Dominica veriſsime petimus *dimitte nobis debita noſtra.* Quæ remiſsio ad Chriſti redemptionem certiſsimè pertinet. ¶ Sed quāuis hæc redemptio ſecundum fidem admittenda ſit reſpectu hominum; non eſt tñ de fide eā eſſe admittēdā reſpectu omnium hominum: quia non eſt de fide B. Virginem hac redēptione fuiſſe redēptā, vt in ſequenti articulo dicemus. Quare hæc redemptio reperitur quidem reſpectu hominum; non tamen reſpectu omnium hominum.

17. 3. *Propoſ.* Tertia propoſitio: *In Chriſti redemptione reſpectu hominum, neceſſario admittenda eſt redemptio pure præſeruatiua: quāuis illa non reperiatur in ordine ad omnes homines, nec in ordine ad omnia peccata; ſed ſolū incertis hominibus, atque peccatis.* Hæc ꝓpoſitio euidenter demonſtratur: quoniam ex cōmuni Patrum doctrina non ſolū peccatores, ſed etiā iuſti quam plurima peccata cōmitterent, niſi diuina gratia ab illis liberarentur: etenim B. Virgo dono ſpecialis confirmationis præſeruata fuit ab omni peccato actuali, vt fides docet, quæ vtiq; cōmiſiſſet, ſi ſuę naturę relicta, nullo ſpeciali dono afficeretur. Apoſtoli etiam poſt aduentum Spiritus Sancti in gratia confirmati præſeruati fuerunt, ne vllum peccatum mortale committerent. *Sapient. 4* De iuſto dicitur Sapient. 4. *Raptus eſt, nec malitia immutaret intellectum eius; & ne fictio deciperet animā illius.* Et hęc fuit doctrina Auguſtini in lib. 50. homil. homil. 23. c. 6. in fine to. 10. *nullum eſt peccatū* (inquit) *quod non fecit homo, quod non poſſet facere alter homo, ſi deſit rector, à quo factus eſt homo:* & addit *nos debere Deo, quod plura alia non admiſerimus peccata.* Et ob hanc cauſā iubet Chriſtus, vt in oratione Dominica quotidie oremus Deum *ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo:* idque non ſolum liberando ab eo, quod iam incurrimus, ſed præueniendo, ne incurramus, *Auguſt.* vt expreſſe docet Auguſtinus in eodem lib. homil. 42. ita ſcribēs, *Dimitte, quæ fecimus; & da, vt alia non faciamus:* idque donando nobis donum perſeuerātiæ. De quo etiam ſcribit D. Ambroſius lib. 5. de Sacramentis c. 4. (qui eſt ſermo quintus in Appendice ſermonum Auguſtini to. 10.) iam vero nullus Catholicus,

dubitabit, nos ab his peccatis redimi per ſanguinem Crucis Chriſti: etenim omnis liberatio à peccato, omnis item peccati remiſsio, ſiue liberatiua ſit, ſiue ſolum præſeruatiua ad Chriſti redemptionem ſpectat. Quod vero nos ab his peccatis veriſsimè liberemur, ſatis docet Chriſtus D. in oratione Dominica in illis verbis; *Sed libera nos à malo.* Vnde illa ſuo modo nobis remitti, & condonari docuit Auguſtinus libr. 2. confeſ. cap. 7. ante medium tom. 1. *Gratiæ tuæ deputo,* ait, *quæcumque non feci mala: quid enim facere non potui? & omnia mihi demiſſa eſſe fateor, & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce nõ feci.* Idem ſignificat ſerm. 135. de tempore in fine tom. 10. ſecundum literam quorundam codicum.

18. *Ratione probatur. Matth. 9.* Ratione etiam Theologica id oſtenditur: quoniam gratia Chriſti redemptiua eſt gratia Chriſti medici, vt Patres docent, & ſatis Chriſtus Matthæi 9. *non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus.* Medici autem beneficium eſt non ſolũm ægrotos ſanare; ſed bene habentes in ſanitate conſeruare, ne male habeant, ex Auguſtino Pſalm. 70. conc. 2. tom. 8. fol. 312. col. 2. B. C. & cõmuniter refertur idem Auguſtinus in lib. de Innocentia. Quod vero horum peccatorum redemptio ſit pure præſeruatiua, ex eo patet: quoniam iuſti ſub illis peccatis, nec complete, nec incomplete vnquam fuerunt: non quidem complete; quia illa nunquam actu commiſerunt: nec etiam initiatiue in ſenſu explicato â Caietano cap. 3 de Conceptione Virginis: quoniã licet debitum ortum ex naturæ infirmitate, aut ex fomite aliquo modo ſit initium peccati; non tamen ita eſt initium, vt habentem faciat Deo exoſum, & filiũ iræ, vt diximus in primo præmiſſo.

Concluditur. ¶ Concludendum eſt igitur in redemptione Chriſti dari redemptionem ab aliquo peccato, quæ liberatiua non ſit, ſed pure prȩſeruatiua. Vnde non ſatis aduertenter, & caute locuti ſunt Caietanus, & Medina, dum redemptionem pure præſeruatiuam in Chriſti redemptione reſpectu hominum nõ admittunt: quam tamen ſecundum fidem eſſe admittendã explicata Theologia ſatis conuincit.

Quarta propoſitio: *In ordine ad redeptionem à peccato originali (quæ eſt prima redemptio pertinens ad Chriſtum, cum principaliter venerit pro delẽdo originali peccato) non poteſt dari redemptio pure præſeruatiua; ſed neceſſario includit rationem liberatiuæ ab aliqua culpa.* Hæc concluſio euidẽter demõſtratur: quoniam nullus eſt homo deſcendens ab Adamo, qui in eo nõ peccauerit ipſamet præuaricatione, qua Adamus peccauit: hæc enim fuit omnium noſtrum, & per eam omnes in Adamo ſumus conſtituti peccatores, ex Paulo ad Rom. 5. Et iam ab illo tempore, ab ea in diuino conſpectu nobis imputata, omnes dicimur peccatores, etiam antequam maculam illius actu incurramus. Omnes igitur indigemus cõdonatione, & remiſſione illius culpæ. Redemptio autem à culpa iam cõmiſſa, etiam ante reſultantiã maculæ, non poteſt eſſe pure præſeruatiua: quia verè eſt remiſsiua culpȩ, vt patet: ergo in ordine ad peccatum originale non poteſt dari redemptio pure præſeruatiua; ſed omnis erit liberatiua ab actuali imputatione culpæ in Adamo cõmiſſæ. 19. 4. Propoſ.

Quinta propoſitio: *Non poteſt non admitti poſsibilem eſſe redemptionem peccati originalis præſeruatiuam, quæ ſit ex meritis Chriſti in ordine ad maculam originalem, quæ ex peccato Adami in nobis reſultat: imò poſsibilis eſt redemptio pure præſeruatiua.* Prima pars propoſitionis euidenter probatur: quoniam non eſt negandũ, poſſe Deum ex meritis Chriſti per infuſionẽ gratiæ præuenire reſultantiam illius maculȩ: quid enim hoc implicat? Nec Caietanus hoc negauit; quin potius ſæpe hoc fatetur: etenim hæc præuentio, atque præſeruatio nihil derogat Chriſti redẽptioni; imò eam maximè dignificat, & facit abundantiorem. Nec dici poteſt hanc præſeruationem regulis fidei repugnare: quoniam Eccleſia in hoc ſenſu pijſsime celebrat Conceptionem B. Virginis: & Sixtus 4. iam declarauit hanc prȩſeruationem non eſſe hæreſim, ſed piam aſſertionem, vt iam oſtendimus. 20. 5. Propoſ. *Caietan.*

¶ De poſteriori parte propoſitionis eſt nobis cum Caietano concertatio: is enim in d. tract. de Conceptione Virginis cap. 2. & 3. videtur ſentire dari non poſſe re- 21.

demptio-

demptionem pure præſeruatiuam à macula peccati originalis:fundamentũ illius eſt,quia licet poſsit quis præſeruari, ne macula in propriam perſonam reſultet: non tamen poteſt præſeruari, nequis in propria perſona habeat debitum talis maculæ: quia (vt ait) præſeruari non poteſt ab initio maculæ,id eſt ab infectione carnis, ex qua illa perſona componitur, & ex qua anima illius debet infici. Sed hæc Caietani doctrina neganda eſt:quoniam,vt dicemus in ſequenti articulo,B. Virgo in propria perſona, nec maculam habuit,nec initium maculæ.i. infectionẽ carnis infectiuã perſonæ: etenim in illo primo inſtãti temporis generationis fuit primum non eſſe debiti ad maculam, & primum nõ eſſe infectionis carnis: vnde perſona B. Virginis in ſe ipſa intrinſecè nõ habuit debitum,aut infectionem:ſed ſolum extrinſecè, vt ſupra oſtendimus lib.2. q.4.art.5.§.9. Hoc autem ſuppoſito, dari poteſt redẽptio ex Chriſti ſanguine,quæ in ordine ad maculã ſit pure præſeruatiua: quia fieri poteſt per diuinã potẽtiam,vt macula originalis, nec in ſe, nec in aliquo ſui principio inſit in propria perſona,quæ redimitur, vt in d. lib. 2.late demonſtrauimus,&in ſequenti articulo iterum dicemus:

22. *Reſolutio difficultatis.* Ex his propoſitionibus iam patet vera difficultatis reſolutio: concedendum eſt enim,nullam poſſe dari redemptionem à peccato originali,quæ ſit pure, & totaliter præſeruatiua: eam tamen dari poſſe ab alijs peccatis.Cum vero conſtet in redemptione Chriſti dari redemptionem pure liberatiuam à peccato contracto,& originali, & actuali, non eſt negandum in ea dari triplex genus redemptionis, quod in primo articulo diſtinximus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm B. Virgo dici poſsit vere redempta ſanguine Chriſti, ſi originale non contraxit?

Quæſtio principalis EXplicauimus art. 1. admittendum eſſe triplex redemptionis genus, quorũ quodlibet ſupponit captiuitatem: aliam tamen,& aliam, vt diximus in 2. art. explicauimus etiam in Chriſti redemptione vere, & propriè reperiri triplex illud genus redẽptionis in ordine ad hominem,vt oſtendimus art.3.ſupereſt explicare id,quod in hac vltima quęſtione principaliter inquiritur:an ſcilicet B.Virgo ad Chriſti redemptionem vere pertineat, ſi ab originali macula fuit pręſeruata? Cuius quæſtionis vera reſolutio eſt ſumme neceſſaria: etenim qui putant B. Virginem peccatum originale cõtraxiſſe,ex eo capite oppoſitam ſententiam vt hæreticã olim reijciebant,quia id fieri nõ potuit,& quia illa ſuppoſita,B.Virgo ad Chriſti redemptionem vere non poteſt pertinere. Oportet igitur vt hunc articulum quamdiligentiſsimè reſoluamus.

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ,& varij dicendi modi, quibus tertia ſententia explicatur.

DE propoſita igitur difficultate, variæ,& inter ſe oppſitæ fuerunt opiniones.Prima opinio conſtãter aſſerit B. Virginem nullo modo dici poſſe redemptam à Chriſto, ſi ponatur immunis ab originali. Huic ſententiæ conſtanter adhæret *Bandellus in ſuo tract. contra Virginis immunitatẽ cap.*27.cũ cæteris omnibus, qui noſtram ſententiam vt hæreticam reiecerunt: ſ. *Bartolomæus de Spina,Ioannes Dominicus de Florentia, &Guido Carmelita,quos citauimus quæſtione 2.huius lib.art.2.§.1.in princ.*in qua etiã opinione perſiſtunt quam plures noſtri tẽporis hæretici,quos ibidem retulimus. In eadem ſententia fuit *D.Thomas* 3.*p q.27.art.2.ad 2.& in* 3.*diſt.*3.*q.2.art.1.q.2.& quodlib.6.q.5.ar.7.* in quibus locis expreſſe docet eximere B.Virginem ab originali,derogare dignitati Chriſti, quatenus eſt vniuerſalis hominum Redemptor. Satis etiã eſt de mẽte *D.Bonauenturæ in* 3.*diſt.3.art.1.q.2.n.17.ad finem:idem affirmat Ægidius in2.diſt.29.q.1.art.2. dub.4. literali,& clarius diſt.30.q.1. artic.2. in* 3. *via,& quodlib.6.q.20.Gregorius in 2.diſt. 30.q.2.art.1.lit.K.lateCapreolus in 3.diſt. 30.q.1.art.3.ad 9.eorum,quæ tertio loco adducuntur fol.* 16. *columna* 2. 3. *& quarta;*

2. *1. Opinio.*
Bandellus.
Spina.
Florentia.
Guido.
D.Thom.
D.Bonau.
Ægidius.
Gregorius.
Capreolus.

qui

qui omnes ſcripſeruat ante conſtitutionem Sixti quarti.

3. 1. *Opinio.* Alij, qui poſt Sixtum ſcripſerunt (& eſt ſecunda opinio) aſſerunt noſtram opinionem non poſſe hæreſis damnari; admittunt enim B. Virginem, ſi ab originali eximatur, aliquo modo dici poſſe redemptam à Chriſto; nō tamen propriè & verè, ſed impropriè ſatis, & abuſiue. Ita colliges ex *Medina 3. p. q. 27. art. 2. in vltimo argumento partis affirmantis pagina 594. col. 2. & ad primum partis negantis pag. 595. col. 2. & ad vltimum argumētum pag. 596. col. 1.* *Medina.*

4. 3. *Opinio.* Tertia ſententia defendit B. Virginē, quantumuis ponatur immunis ab originali macula, verè & propriè ad redēptionem Chriſti pertinere: imò affirmat hac ſuppoſita veritate, eám nobilori modo fuiſſe redemptam, quam cæteros omnes Adami poſteros. Hanc ſententiam indubitanter defendunt omnes, qui B. Virginem ab originali pręſeruatam affirmant; à quorū citatione ſuperſedeo, quia oportet breuitati conſulere, & præterea, quia in diſcurſu diſputationis fere omnes referemus. Illud addo, Caietanum ab hac ſententia non diſſentire, imò admittere B. Virginem adhuc verè, & propriè pertinere ad Chriſti redemptionem, quantuis ponatur aboriginali macula immunis, *vt patet ex tract. de Conceptione B. Virginis cap. 3. verſ. in 2. autem ſenſu, & melius 1. 2. q. 81. art. 3. & 3. p. q. 27. artic. 2. & ante eum Durand. in 3. diſt. 3. q. 1.* *Caietan:* *Durand.*

5. *Varie explicatur 3. opinio. 1. Explicatio. Turrian.* ¶ Hæc ſententia à ſuis authoribus non eodem modo explicatur. Prima explicatio colligi poteſt ex Turriano Epiſt. de peccat. origin. & Virginis Conceptione pagina. 46. vbi in id inclinat, vt dicat ſatis eſſe, vt B. Virgo dicatur ad Chriſti redēptionem pertinere, quod per ſanguinem eius redempta ſit à morte corporis, dum reſuſcitata, iam conſedet in cœleſtibus: etenim ex Paulo, redemptio corporis noſtri per adeptionem cœleſtis beatitudinis, verè & propriè pertinet ad Chriſti redemptionē, vt patet ex verbis ad Rom. 8. *Et ipſi intra nos gemimus, adoptionē filiorū Dei expectātes, redemptionē corporis noſtri*: quam redemptionem poſt corporū reſurrectionem aſſequemur; idque per Chriſti merita, iuxta illud ad Epheſ. 9. *Per Chriſtum Deus conuiuificauit nos Chriſto; & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto IESV.* Et eadem ratione poſſet Turrianus adducere, quod B. Virgo per Chriſti merita verè fuit redempta à fomite peccati, qui in ea, vel fuit penitus extinctus in ipſa Conceptione; vel ſaltem ligatus, extinctus autem in Conceptione Verbi. *Rom. 8.*

6. 2. *Dicendi modus.* Secundus dicendi modus eſt eorū, qui putant ſatis eſſe debitū contrahendi maculam pro quodam priori naturæ præfuiſſe in perſona B. Virginis, vt verè dicatur redēpta per ſanguinem Chriſti, quātumuis maculam ipſam actu non contraxerit. Hic eſt communis dicendi modus, qui placuit *Caietano in d. tract. de Conceptione Virginis: Bellarmino lib. 4. de amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati c. 16. §. Denique obnoxia peccato fuit, & Suario 2. tom. ad 3. p. diſpu. 3. ſect. 4. §. 2. & verius: Cordubenſi lib. 1. q. 44. pag. 355. col. 1. in principio, & Bellomont. 2. to. ad 3. p. diſp. 1 16. c. 5. n. 50.* Quomodo autem debitum iſtud ſatis ſit, vt perſona habens illud verè dicatur redempta; non omnes eodem modo explicant: ex cuius explicatione pendet huius rei explicatio: nam Caietanus putat illud debitum eſſe quoddam initium maculæ, ſiue potius eſſe ipſam maculam initiatā: & inde infert B. Virginem verè, & propriè redimi, dum per gratiam infuſam ab illo debito liberatur, quantumuis maculā originalem non contrahat. Alij vero, licet in propria perſona B. Virginis, cum Caietano admittant debitum contrahēdi maculam: non tamen admittunt tale debitū eſſe maculam ipſam initiatam: quia (vt volunt) verè nō eſt culpa: cum tamen macula, etiam initiata, culpæ rationem habeat. Admittunt tamen debitum eſſe veluti quādam cauſam neceſsitātem ad incurrendam culpam: & ob hanc rationem ſatis fuiſſe, quod perſona B. Virginis à tali debito ſoluta ſit, vt verè dicatur redempta, quantūuis maculam ipſam actu non incurrerit. Hæc à Theologis collegimus in hac quæſtione explicatu difficili. *Caietan. Bellarm. Suarius. Cordub. Bellom.*

§. 2.

Vera difficultatis reſolutio.

7. *Verà reſolutio.*

EGo huius difficultatis veram, & plenam reſolutionem ſemper deſideraui; cum à vera illius reſolutione pendeat vera defenſio ſententiæ, quod B. Virgo maculam originalem non contraxit. Illam igitur ipſa iuuante B. Virgine, adhibitis nonnullis aſſertionibus, facile, & clare diſſoluemus.

8. 1. *Concl.*

Sit prima concluſio omnium dicẽdorum baſis, & fundamentum: *Aſſerendum eſt B. Virginem vere, & propriè fuiſſe Chriſti ſanguine redemptam.* Hæc concluſio in hac diſputatione tanquã fidei regula ſtatuenda eſt; à qua, ſi qua opinio deflectat, à Fide Catholica deflectat, neceſſe eſt: nã ex Paulo 1. Timoth. 4. *Chriſtus eſt ſaluator omnium hominum, maxime fidelium.* Matthæi 1. *Ipſe ſaluum faciet populum ſuũ à peccatis eorum.* 1. Timoth. 2. *Vnus eſt mediator Dei, & hominum Chriſtus IESVS, qui dedit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus.* 2 Cor. 5. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: & ſtatim: quoniã Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Ad Roma. 5. *Per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem.* Actor. 4. *Et non eſt in aliquo alio ſalus: non eſt aliud nomen datum ſub cœlo, in quo nos oporteat ſaluos fieri.* Quod etiam ipſa B. Virgo de ſe fatetur in ſuo Cant. Lucæ 2. *Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* id eſt ſaluatore meo, vt omnes explicant, & habet litera græca. Cũ vero in hac veritate, quæ eſt de fide, omnes conueniamus, non eſt quod in citandis Patribus immoremur. Vide Auguſtinum lib. 1. de peccator. merit. c. 20. tom. 7. & Anſelmum lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 16.

1. *Timot.* 4

9. 2. *Concluſ.*

Secunda concluſio: *B. Virginem fuiſſe præſeruatam à macula originalis peccati, non impedit, eam vere, & propriè pertinere ad redemptionem per Chriſti ſanguinem. Imò excellentiam, & dignitatem illius maximè extollit, dum illi ſupremum, & perfectiſsimum redemptionis effectum concedit.* Hæc concluſio ita vera eſt, vt poſt Sixtum 4. & aliorum Summorũ Pontificum conſtitutiones, oppoſitum ſine temeritate in fide defendi nequeat: quod ex eo, vel euidenter demonſtratur; quoniam hæreticum eſt dicere B. Virginẽ vere, & propriè non fuiſſe redẽptam ſanguine Chriſti, vt patet ex prima concluſione: ergo ſi B. Virginem à macula originali fuiſſe præſeruatam, neceſſario infert eam vere, & propriè non fuiſſe redemptam; hæreticum erit dicere illam fuiſſe ſine originali conceptam: etenim non poteſt nõ eſſe hæreticum, quod ex vera hæreſi neceſſario infertur. At vero poſt conſtitutionem Sixti quarti ab Alexandro ſexto Pio quinto, & Paulo 5. Domino noſtro approbatam, & renouatam, atque etiam à Tridentino ſeſſ. 5. de pecca. originali in fine, non ſolum falſum eſt, & temerariũ, ſed etiam erroneum, aſſerere hæreticam eſſe propoſitionem, quæ affirmat B. Virginem peccatum originale non contraxiſſe: ergo ſine errore in fide negari non poteſt, illius præſeruationem ab originali non impedire illam vere, & propriè redemptam eſſe Chriſti ſanguine. Quæ eſt prima noſtræ concluſionis pars.

1. *confirmatio.*

Sixtus. 4.

10. 2. *Confirmatio.*

Quæ veritas ex eo etiam oſtenditur: quia in officio Conceptionis approbato, & inſtituto à Sede Apoſtolica, Eccleſia ita Deum orat; *Quæſumus, vt ſicut ex morte filij ſui præuiſa eam ab omni labe præſeruaſti, ita, &c.* Ecce Romana Eccleſia non ſolum expreſſe fatetur B. Virginem ab omni originali labe præſeruatam fuiſſe, ſed etiam conſtanter petit, vt ita fideles, ſaluet, ſicut matrẽ morte filij ſui ab omni labe præſeruauit. At quis credet Eccleſiam in his, in quibus à Spiritu Sancto dirigitur, errare?

11. 3. *Confir.*

Accedit 3. diffinitio Tridentini in d. ſeſſ. 5. can. 3. de peccat. orig. quæ diffinit, *à peccato Adami per generationem ad nos transfuſo, nullum ex poſteris Adami eximi poſſe, niſi per Chriſti merita nobis applicata:* applicata, inquam, verè, & propriè per formalem Chriſti iuſtitiã: nam ex Paulo ad Rom. 5. *per vnius* (.ſ. Chriſti) *obedientam iuſti conſtituti ſunt multi*, id eſt, omnes qui ſunt iuſtificati: *nec enim aliud nomen datum eſt hominibus, in quo nos oporteat ſaluos fieri:* Actor. 4. *Vnde ſolus Chriſtus factus eſt nobis ſanctificatio:* 1. Cor. 1. Quare ſi authoritate Romanæ Eccleſiæ pium, & ſanctum eſt credere B. Virginẽ iuſtitiam accepiſſe prſeruatiuam à macula; vtique talis gratia vere, & propriè pertinebit ad merita Chriſti mediatoris,

Rom. 5.

Act. 9.

1. *Cor.* 1.

qui 1. Cor. 1. *Factus eſt nobis redemptio:* idque per veram, & propriam ſanctificationem, & iuſtificationem, qua nos ſanctificauit, & iuſtificauit: nec enim Romana Eccleſia hanc B. Virginis ſanctificacationem præſeruatiuam, vt vere piam, agnoſceret, & publicè celebraret; ſi illa aut repugnaret redemptioni Chriſti, aut ad eã ſolũ impropriè, & abuſiue ꝑtineret: etenim quod impropriè, & abuſiue eſt tale, ſimpliciter non eſt tale.
12. Quare antiqui Theologi nulla ſunt digni reprehẽſione; quia ante præfatum iudiciũ, ſuam ſcripſere ſententiam: maxima tamen reprehenſione digni ſunt, qui poſt tam clarum & expreſſum iudicium Eccleſiæ, adhuc volunt B. Virginem dici non poſſe redemptam, niſi abuſiue, & impropriè, ſi à macula originali fuit præſeruata: nam cũ redemptio abuſiua, & impropria ſimpliciter non ſit redemptio; vtique aſſerere B. Virginem fuiſſe præſeruatam vere & propriè, erit hæreticum: quod Sixtus 4. vt falſum & erroneum damnauit. Relegata igitur, tam prima, quam ſecunda ſententia: amplectenda eſt tertia, quæ conſtanter docet immunitatem Virginis ab originali, non ſolum non impedire eam pertinere ad veram, & propriam Chriſti redemptionem; ſed etiam eam in ſupremo redemptionis gradu conſtituere: quę eſt 2. pars aſſertionis omnibus approbata.

13. 3. Concluſ. 3. Concluſio: *Dici nulla ratione poteſt B. Virginem ab originali præſeruatam, ideo ad veram Chriſti redẽptionẽ pertinere, quia à morte corporis per Chriſti merita fuit redẽpta.* Concluſio ſtatuitur cõtra primũ dicendi modũ, quo tertia ſentẽtia explicatur, quãuis videatur placuiſſe Turriano. Turrian. Et quidem ſi ille ita ſenſit, non modo non eſt audiendus, ſed opinio illius eſt damnanda: nam quamuis redemptio corporis ad Chriſti redemptionem pertineat, vt Pauli teſtimonia euidenter probant; & B. Virgo à morte corporali, quam incurrit, per Chriſti merita vere & propriè ſit redempta: redemptio tamen Chriſti principaliter expenditur in ordine ad peccatum originale; propter quod delendum primò, & principalius venit, vt diximus in materia de Incarnatione: imò Chriſti redemptio ab illius redemptione incipit.

Quarta concluſio: *B. Virgo præſeruata fuit à macula originali, redemptione nõ pure præſeruatiua; nec pure liberatiua; ſed præſeruatiua ſimul & liberatiua ab aliqua culpa.* 14. 4. Cõcluſ.
Hæc concluſio recipitur ab omnibus, qui B. Virginem liberant à macula originali. Et quidem ſi ſemel admittatur hæc opinio; non poteſt affirmari redemptionẽ illius fuiſſe pure liberatiuam: quoniam, quę pure liberatiua eſt, ſupponit præceſſiſſe maculam culpæ in Adamo cõmiſſæ: hæc autem macula in ea non fuit. Quod vero non fuerit pure præſeruatiua, ex eo patet; quia B. Virgo ita redempta eſt à macula, quæ reſultaret, niſi gratia præueniretur, vt ſimul liberauerit eã ab imputatione culpæ, quam in Adamo cõmiſit; quæ à tempore Adami vſque ad inſtans generationis ſemper fuit illi imputata; ratione cuius imputationis habebat debitum contrahendi maculam, & erat mortua morte peccati, & Deo inuiſa, & inimica, vt patet *ex dictis artic. 3. §. 3. prop. 4. & latius lib. 2. q. 4. art. 5. §. 9. in ſolutione primi argumenti.* Admittendum eſt igitur B. Virginem ab originali redemptam fuiſſe redemptione præſeruatiua ſimul, & liberatiua à culpa, quam fecit in Adamo: vnde redempta fuit per gratiam vere iuſtificatiuam, quæ eam tranſtulit à ſtatu primi Adami, mortis, & captiuitatis ad ſtatum filiorum Dei, qui eſt ſtatus vitæ, libertatis, & amicitiæ. Quæ tranſlatio fit per gratiam, quæ ſimul eſt remiſsiua culpæ commiſſæ, & ſanctificatiua perſonæ, quam ſanctificauit non ſolum remittẽdo culpam commiſſam in Adamo; ſed præſeruando à macula, quæ ex tali culpa reſultaret, niſi id gratia impediret.

Quinta concluſio: *B. Virgo ita redempta eſt, redemptione ſimul præſeruatiua à macula, & liberatiua à culpa commiſſa in Adamo; vt nullo modo in propria perſona fuerit liberata, & mundata ab aliqua immunditia poſitiua, quæ ſit initiũ maculæ, aut ipſa macula initiatiua.* 15. 5. Concluſ.
Hæc concluſio ſtatuitur contra Caietanum in d. tract. de Conceptione B. Virginis c. 2. & 3. Cõtra Caietan. quamuis enim putet B. Virginem maculam originalem contraxiſſe: non reijcit tamen vt omnino improbabilem ſententiam, quæ eam actu liberat à macula; dum tamẽ in pro-

pria

pria illius perſona admittat fuiſſe debitũ contrahendi maculã in priori inſtanti naturæ. Quid autem ſit hoc debitum hoc modo explicat, vt illud vere ſit initium maculæ originalis, ſiue potius ſit ipſa macula initiata; & ratio eſt quia ortũ habet ex infectione carnis, quæ eſt initiũ maculæ. Quanuis autem infectio carnis, & debitũ ad maculam apud Caietanum nõ ſit culpa (quia culpa non ſubiectatur in corpore, ſed in anima) apud eum tamen vere eſt quædam fœditas, & immunditia initiatiua culpæ; quæ ipſa ex ſua natura exigit emundationem, non quamcũque, ſed talem, quæ dici poſsit emundatio à macula originali. Inquit igitur Caietanus B. Virginem, quantumuis maculam originalẽ non cõtraxerit; ad Chriſti redẽptionem vere pertinere, quia in propria perſona habuit immunditiam, & fœditatem debiti ad contrahendam maculam: quod ipſum, cum ſit initiatiuum maculę, ſeu potius ſit ipſa macula initiata, indiguit redemptione per Chriſti ſanguinẽ: etenim hæc redemptio non ſolum reſpicit maculam culpæ, ſed etiam initium talis maculæ; cum & macula, & initium eius ſint vere immunditiæ. *Aſſertio cõtra Caiet.* Nos contra Caietanum dicimus B. Virginem ita redemptam fuiſſe redemptione præſeruatiua à macula originali, vt in propria perſona nullam habuerit poſitiuam immunditiam, à qua mundari poſſet.

17. *1. Cõfirm.* ¶ Hanc aſſertionem contra Caietanum ex eo primum confirmamus; quoniam in perſona B. Virginis, ſicut non eſt admittenda originalis macula, vt cum Caietano docemus; ita etiam nec in ea admittenda eſt vlla peccati labes, fœditas, aut immunditia; ſed ab omni pręſeruata eſt. Hanc veritatem, & Eccleſia docet in Conceptionis celebritate; & tradit communis Patrum doctrina. Docet id Eccleſia: quoniam in Officio Conceptionis ita dicit: *vt ſicut eam ab omni labe præſeruaſti*: quæ verba à perſona illius non ſolum excludunt maculam culpæ: ſed etiam omne initium maculæ, cum & ipſum labes quædam ſit. Quod etiam cõfirmat antiphona eiuſdem officij, quæ in perſona B. Virginis nullum originalis nodum admittit: initium autem maculæ, cum in ſe ſit fœditas quædam (vt Caietanus fatetur) non amittit rationem nodi originalis. In eodem etiam Officio *Beata Virgo mundo apparuit ita immunis, vt tota pulchra, & tota immaculata appareret.* Cum vero hoc abſque dubio intelligatur de apparitione in primo inſtãti ſuæ generationis; vtique in illo apparuit omnibus modis immunis, tota pulchra, & immaculata. At quomodo tota pulchra apparuit; ſi apparuit adhuc mũdanda à fœditate? quæ ſi non eſt macula; eſt tamen initium maculæ.

¶ Accedant etiam ad id confirmandum Patrum teſtimonia. Nam Ildephonſus Toletanus docet *Beatã Virginem ab omni contagio primæ originis fuiſſe alienam*: quod etiam teſtatur Brunus. Iam vero non ſolũ originalis macula, ſed carnis infectio, in qua debitum maculæ contrahendæ fundatur, eſt contagio orta à prima origine ex peccato Adami. Sanctus Andreas Apoſtolus affirmat *Beatã Virginem in ſe nunquam fuiſſe maledictam*: iam vero infectio carnis, & debitum ad maculam ex maledictione orta ſunt. Diuus Athanaſius ait: *Beatã Virginem in Conceptione ſuæ perſonæ fuiſſe vndequaque benedictam*: vndequaquę (inquam) quia, & ſecundum animam in qua nunquam fuit macula originalis, & ſecundum corpus; quia in carne illius nulla vnquam fuit infectio. Nazianzenus cum pleriſque alijs, *eam appellat corpore, & anima prorſus impollutam.* At quomodo impolluta corpore; ſi illius caro infecta fuit immunditia? Damaſcenus dixit, *naturam non fuiſſe auſam præuenire gratiam*: eam autem non ſolum præueniret, ſi in anima cauſaſſet maculam; ſed etiam ſi carnem infeciſſet. Diuus Hieronymus affirmat, *Serpentem ad hunc Paradiſum* (Beatam ſcilicet Virginem) *aditum non habuiſſe*: habuiſſet autem, ſi in ipſa perſonę generatione carnem infeciſſet. Concinit Origenes, dum ait Beatam Virginem venenoſis Serpentis afflatibus infectam non fuiſſe.

18. Confirmatur Patrũ teſtimonijs S. Ildephõſus. Brunus. S. Andr. Apoſt. D. Atha. Nazianz. Damaſce. S. Hieron. Origenes.

¶ Hæc omnia ſatis oſtẽdunt B. Virginẽ in propria perſona nõ ſolũ à macula originali, qua anima inficitur, ſed etiam ab infectione, & contagione carnis diuina 19. *Reſolutio concluſ.*

gratia fuiſſe præſeruatam: quare in perſona B. Virginis non eſt admittendū debitum ad mentem Caietani explicatum, quod .ſ. in ſe ſit immūditia quædam initiatiua maculę; ratione cuius perſona illi⁹ vere dicatur mundata. Cū vero hæc doctrina ſit tum Eccleſiæ, tum Patrū, qui conſtanter docent B. Virginem ita fuiſſe præſeruatā à macula, vt à nulla illi⁹ ſorde ſit mundata; neceſſario infertur B. Virginē vere fuiſſe Chriſti ſanguine redēptam; quanuis ab omni originali labe ita præſeruata fuerit, vt à nulla in propria perſona mundaretur.

20. 2. *Confir.* Secundo eadem veritas confirmatur: quoniā in hac opinione ſupponimus cū eodem Caietano, in ipſo inſtanti generationis gratiam fuiſſe B. Virgini collatā: ergo pro eodem inſtanti nullo modo admitti poteſt immunditia, quam admittit Caietanus, etiam pro priori inſtāti naturæ. Conſequentiā inde oſtendimus; quia fieri non poteſt, vt pro eodem inſtanti temporis, etiā pro diuerſis naturæ inſtātibus, in eadem perſona ſimul ſit gratia, & iſta immunditia, quæcūque illa ſit: maximè ſi illa ſatis eſt, vt perſona dicatur peccato mortua, captiua, & inimica Deo, vt Caietanus admittit. Vide quæ diximus *ſupra lib. 2. q. 4. art. 5. §. 6. & 7.*

21. 3. *Confir.* Tertio adhuc confirmari poteſt: quoniam immūditia, quam fingit Caietanus, non poteſt eſſe ipſa macula initiata, & imperfecta: etenim ex eodem Caietano, macula, cum formaliter ſit culpa, eſt in ſola anima: hæc autem immunditia eſt in carne, quia eſt quædam carnis infectio initiatiua, ſiue potius cauſatiua maculę, vt Caietanus fatetur. Ex quo infertur, talē īmunditiā non poſſe per gratiā mundari: ſiquidē gratia formaliter nō emūdat, niſi culpam, quæ eſt in anima: imò non eſt mundatiua, niſi immunditię ſpiritualis; quę non in corporē, ſed in anima reperitur.

22. 6. *Conclus.* Sexta concluſio: *Redemptio, qua B. Virgo redēpta fuit ab originali peccato, ita fuit præſeruatiua à macula, quæ futura erat, niſi ab ea redimeretur, vt non fuerit liberatiua à debito cōtrahendi maculam in propria illius perſona inexiſtente.* Hæc aſſertio ſtatuitur contra plures noſtri tēporis Theologos, qui in hoc ſenſu admittunt redēptionem B. Virginis ſimul fuiſſe præſeruatiuam, & liberatiuam; quia ita actu præſeruauit, ne macula reſultaret, vt ſimul ipſam perſonā liberauerit à debito, quod in ſe habebat contrahendi maculam. Sed eorum ſententiam probare non poſſu, cum falſo nitatur fundamento: ſupponit enim B. Viginem in propria perſona ſimul cum gratia habuiſſe debitū ad maculam: cuius oppoſitum euidenter demonſtrauimus ſupra lib. 2. q. 4. art. 5. §. 4. cū ſequētibus. Vide quæ ibi diximus.

Septima, & vltima concluſio: *Redēptio qua B. Virgo ab originali redēpta fuit, in hoc ſenſu fuit præſeruatiua à macula, vt ſimul fuerit liberatiua à culpa in Adamo cōmiſſa, & illi pro toto tempore antecedente inſtans ſuæ generationis imputata: & ſubinde à culpa imputata illi pro illo Cōceptionis inſtanti; nō quidē intrinſece, ſed extrinſece.* 23. 7. *Concl.* Hæc cōcluſio ex eo demōſtratur; quoniā culpa cōmiſſa in Adamo actu non fuit imputata B. Virgini in propria perſona; ſed ſolū in toto tēpore præcedente: in quo toto ratione imputationis in diuino conſpectu fuit peccato mortua, Deo inimica, captiua, & obnoxia ad contrahendā maculā in propria perſona, niſi per gratiā in primo generationis inſtanti illi collatā talis culpa ei remitteretur: vnde primū inſtans generationis ita fuit primū inſtans remiſſionis talis culpæ, vt fuerit primū inſtans nō imputationis, & ſubinde primū nō eſſe debiti ad maculā, quod ex illa culpæ imputatione oriebatur: vnde fuit primū non eſſe mortis, & captiuitatis ſub peccato, & inimicitiæ. Et iuxta hanc Theologiā facilè intelliges, gratiā, qua B. Virgo ab originali fuit redēpta, veriſsimè fuiſſe iuſtificatiuā: quia vere ita fuit remiſsiua culpæ ex Adamo ſibi imputatæ, vt ſimul fuerit ſanctificatiua perſonæ, & ſubinde præſeruatiua à macula. Quibus addimus, talem gratiam prius natura fuiſſe remiſſiuā culpæ in Adamo cōmiſſæ, quam fuerit ſanctificatiua perſonæ, præſeruando à macula. ¶ Et hæc de iſta quæſtione vndecima.

FINIS LIB. III.

LIBER QVARTVS.

DE EFFECTIS GRATIAE, QVA BEATA VIRGO AB Originali præſeruata fuit, & in propria perſona in primo Conceptionis inſtanti ſanctificata.

IN TRIBVS LIbris præcedentibus oſtendimus B. Virginem non ſolum fuiſſe in vtero matris ſanctificatam, ſed etiam in primo Conceptionis inſtanti præſeruatam ab originali macula: qui ſanctificandi modus fuit extraordinarius, & ſoli B. Virgini conceſſus. Cum vero ſanctificatio ſingularis, & extraordinaria, extraordinarios effectus operetur; operæpretium erit in hoc quarto, & poſtremo libro diligentius diſputare de effectis huius ſingularis, & extraordinariæ ſãctificationis.

In hoc quarto libro ſequẽtes quæſtiones excitabimus. Prima erit; Vtrũ gratia B. Virgini collata, eam ab omni actuali peccato præſeruauerit? Secunda; vtrũ hæc gratia omnem peccati fomitem in B. Virg. extinxerit? 3. Vtrũ ita hæc gratia B. Virg. cõfirmauerit, vt potentiã peccãdi ab ea abſtulerit? Quarta; vtrùm hæc gratia B. Virginem ita eleuauerit, vt ipſa ad eam ſe ſe diſpoſuerit? Quinta, & vltima diſputabit de nonnullis priuilegijs gratiæ, qua B. Virgo fuit ſanctificata.

QVÆSTIO I.

Vtrùm gratia B. Virgini in primo Conceptionis inſtanti conceſſa eam ab omni actuali peccato præſeruauerit?

ARTICVLVS Vnicus.

Vtrùm B. Virgo ab omni actuali peccato mortali, & veniali fuerit immunis?

§. 1.

Refertur hæreſis negans cum ſuis fundamentis.

PARTEM negantem nonnulli ex hæreticis probauerunt: nimirum illi contra quos Beatus Dominicus ſuo tempore diſputauit: noſtris temporibus *Caluinus in ſua Armonia ad caput primũ Lucæ, & in Antidoto Concilij Tridentini ad Canon. 13. ſeſſione ſexta, Sarcerius in capite primo, & ſecũdo Lucæ, Brentius in Euangelium Dominicæ primæ poſt Epiphaniam: & in Matthæũ cap. 12. & Centuriatores centuria prima de vita Mariæ*: qui omnes contra Patres Concilij Tridentini oblatrant, quod B. Virgini hoc ſpeciale concedant priuilegium, quod ab omni, vel leuiſsimo, veniali immunis fuerit. 1. *Sententia hæreticæ.*

Primum id cõfirmant ex verbis eiuſdem Virginis Lucæ. 1. *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* Ex quibus 2. 1. *Fundamentum.*

colligunt illam in fide dubitaſſe, nec credidiſſe Angelo incarnationē diuini Verbi annuncianti: vnde (vt ait Caluinus) non minus quam Zacharias peccauit, dū Angelo filium promittenti non credidit, ſed ita dubitauit, vt in pœnam factus ſit mutus. In confirmationem adducunt
Chryſoſt. *Chryſoſtomum homil.49.in Geneſ. poſt medium: authorem quæſtionum noui teſtamenti apud Auguſtinum to.4.q. Athanaſium in Euangelium de Deipara pag.5. Origenem homilia.1. in Geneſim paulò ante finem: Euthymium in præcitata verba Lucæ 1. & Cyrillum Hieroſolymitanum Catecheſ. 12.* qui omnes fatentur B. Virginem verba illa dubitando protuliſſe.
Athanaſ.
Origen.
Eutbym.
Cyril. Hie
3.

4. Fundamētum Luc. 2.
Secundum teſtimonium ſumunt ex verbis Simeonis Lucæ 2. *Tuam ipſius animam gladius pertranſibit*: quem gladium fuiſſe infidelitatis volunt: quia ſcilicet Beata Virgo in morte filij defecit à fide. Gladium infidelitatis fuiſſe aperte docet
Origen. *Origenes homil. 17.in Lucam*, affirmans illū gladium fuiſſe gladium ſcandali mortis Christi, quo Beata Virgo de diuinitate filij dubitauit, ſicut & Petrus. In eodem ſenſu eadem verba explicat
Hilarius. *Hilarius ad illa verba Pſalmi 118. Concupiuit anima mea*: ex illis enim colligit *B. Virginem in ſeueritatem diuini iudicij venturam*: idque ratione alicuius peccati. Iii eodem ſenſu fuiſſe volunt *Authorem quæſtionum noui teſtamenti in dicta quæſt.* vbi cū Origene conſentit. Imò pro eadem *Diuus Thomas 3.parte, quæſtione 27. artic.4.* citat
Baſil ius. *Baſilium in Epiſtol. ad Optimum*: alij pro
Chryſoſt. eadem citant *Chryſoſtomum, & Amphilochium in Homilijs de Occurſu Domini, ſiue de Purificatione B. Virginis apud Surium*
Tertullia: *tom.1. die ſecundo Februarij, & Chryſoſto. in Pſalm.13.* Denique citatur Tertullianus in lib. de carne Chriſti capite ſeptimo num.69.

4. 3. Fundamentū ex Ioan. 2.
Tertium teſtimonium ſumunt Centuriatores ex c. 2. Ioannis vbi B. Virgo accedens ad Chriſtum, & dicens, *vinum non habent*, â Chriſto repulſa eſt illis verbis, *quid mihi, & tibi eſt mulier?* Volunt enim verba iſta Chriſti reprehēſionē denotare ob aliquam culpam. Cuius autem culpę illa notanda ſit? Ex hæreticis varij variè reſpondent: etenim *Brentius Homilia 11. in Ioannem* vult eam non ſolum honorem quæſiuiſſe, qui debetur parentibus; ſed etiā ambijſſe honorem Meſsiæ, dū ſe exhibuit ſociam adminiſtrādi illius officij, quod ſoli Chriſto demandatum eſt; & ob id ab eo fuiſſe increpatam. Cui conſentit *Melancthon. in Annotationibus ad eundem locum Ioannis*, addens ob hanc rationem ab honore matris fuiſſe deiectam, & cæteris mulieribus adæquatā, dū illam appellat mulierē. Alij ambitionis quidem eam dānant; nō officij Meſsiæ, ſed vanæ gloriæ; quatenus ex miraculo filij volebat captare gloriam vanam, quod tanti filij ſit mater: eodem modo, quo Ioannis ſeptimo fratres Domini vanam gloriam ambientes dixerunt Chriſto: *Vade in Iudæam, vt diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis, & vt manifeſtes te mūdo.* Et ob hanc vanā gloriam, quam ex miraculo captabat, fuiſſe à Chriſto reiectam, & durius increpatā. Ita *Oecolampadius in dictū cap. 2. Ioannis*, Et in eadem ſentētia videtur fuiſſe *Chryſoſtomus homil. 20.in Ioannem to.3.pagin. 107. B.* vbi ita ſcribit: *optabat enim, vt iā filius humanam gratiam conciliaret, & ipſa clarior filij gratia efficeretur: & fortaſſe aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres eius, dum dixerunt: oſtende te ipſum mundo, cupidi eius miraculis ſibi famam comparare: & idcirco aſperius reſpōdet: quid mihi, & tibi eſt mulier?* & ſatis cōuenit Euthymius dum ait, *B. Virginem per filij potentiam ſuam gloriam demonſtrare.* Nec deſunt, qui velint, ideo B. Virginem fuiſſe à filio increpatam; quia muliebri quadam ac vana ſollicitudine detinebatur, dum vini defectum indicabat. Ita Pillicanus hæreticus in eodem Ioannis loco. Quod etiam placuit Caluino, dū B. Virginem ambitionis, aut alicuius carnalis affectus non accuſat; ſed quod fines ſuos excefferit: & inde infert eam ſcientem, & volentem non peccaſſe, ſed per ignorantiam. Cui explicationi aliquo modo conſentit Theophylactus in eadē verba, quatenus cenſet B. Virginem ideo à filio fuiſſe increpatam: quoniam non ad eam pertinebat accedere, vt pro vino rogaret, ſed ad alios, quibus vinum deerat. Denique ex Euthymio ideo fuit

Chryſoſt: (margin beside "107. B.")
Theophil. (margin beside "modo conſentit Theophylactus")

correcta

correcta à filio; quia intēpeſtiue precata eſt, & vt doceret nondum tēpus eſſe illa
Nyſſen. petendi. Et (vt quidam volunt) cōſenſit Nyſſenus orat. ad illa verba, *quando ſibi ſubiecerit omnia col, 3.*

5. 4. Fundamentum. Lucæ 8. Quartū teſtimonium ab hæreticis adducitur ſumptū ex verbis Lucæ 8. Matthæi 12. & Marci. 3. dum illis, qui dixerunt Chriſto: *Ecce mater tua, & Fratres tui ſtant foris volentes te videre*; reſpondit Chriſtus: *Quæ eſt mater mea: & qui ſunt fratres mei? & oſtenſis diſcipulis ait: Ecce mater mea, & fratres mei: quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt.* Ex quibus verbis *Caluinus in d. Harmonia Euāgelij Matthæi* 12. colligit Mariæ importunitatem, & inciuilitatem; quia. ſ. curſū doctrinæ, quam docebat, prępoſtere abrumpere tentabat. Cuius etiam peccati *Brentius homil.* 78. *in Lucam* B. Virginē accuſat, & cum eo B. Renanus ad Tertullianū de carne Chriſti cap. 17. Imò Brentius eam dānat ambitionis, *ſimul cum Sarcero, & Ioanne Agricola in Scholijs ad eundem locum Lucæ* 8: quod etiam confirmari ſolet authoritate *Chryſoſtomi homil.*
Chryſoſt. 20. *in Ioannem*: vbi B. Virginē incuſat de affectu importunitatis, & ambitionis: *Et idem facit homil. 46. & 46. in Matthæum*: vbi etiam idē ſentiunt Theophylactus, &
Euthym. Euthymius: imò èx hoc loco eā accuſat incredulitatis *Tertullianus in lib. de carne Chriſti c. 7. pag. 653. & lib. 4. aduerſus Mar-*
Tertullia. *cionē c. 19. pag. 854.* vbi addeB. Virginem fuiſſe negatam matrem pro culpa, & alios illi fuiſſe antepoſitos. Denique Chriſtū illis verbis matrem ſimul cum fratribus, non ſolum reprehendiſſe docet Oecolāpadius in d. cap. 12. Matthæi; ſed etiam matrē eam negaſſe, & parui feciſſe.

6. 5. Fundamentū ex amiſsione filij. Quintū teſtimonium ſumitur ex hiſtoria de amiſsione filij Lucæ 2. ex qua in multis B. Virginem accuſant, & primū grauiſsimæ negligentiæ, quod pignus à Deo ſibi creditum tam negligenter amiſerit: *ita ex Luthero, Melanctone. Brentio, Loſsio, & Cēturionibus refert Cannisius lib. 4. de Maria Deipara capit. 15. poſt pincipiū.* Hanc culpam fuiſſe grauiſsimam affirmat Caluinus, & eā adæquat culpæ Euæ, qua totum genus humanū perdidit. Secundo eam accuſant, quod non ſolum de amiſsione filij immoderate doluerit, & illi fuerit indignata; ſed etiam quod improbe, & diffidēter exiſtimauerit, quod ſicut Eua ſua gula mundum perdidit; ita ipſa ſua negligentia perdendo Saluatorē Mundi, mundum ipſum perdiderit. Addunt adhuc eam peccaſſe, dum inuento filio inter Doctores in templo dixit: *Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te*: quæ verba (vt volunt) à Virgine dicta ſunt vt ſuum in filium imperiū oſtentaret, illum obiurgans, & reprehendens: vnde eā ambitionis accuſant: ita ex Bullingero, & Centurionibus refert *Cannisius in d. lib. 4. c. 17. p. 674. & 675.* Quem errorem adhuc ex eo confirmant, quod Chriſtus illi cum obiurgatione, & expoſtulatione reſpondit dicens: *Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?*

Poſtremo pro hac hæreticorum ſententia adduci poſſunt teſtimonia Scripturæ, quibus euidenter probatur neminem eſſe ſine peccato. Nam 1. Ioann 1. dicitur: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Iacobi 3. *in multis offendimus omnes.* Matthæi 6. in oratio. Dominica dicimus *dimitte nobis debita noſtra.* Ex quibus locis Concilium Mileuitanum Can. 6. & 8. diffiniuit *neminem eſſe ſine peccato*: & cum hæ propoſitiones ſint vniuerſales, generaliter ſunt intelligendæ, vt in ſua vniuerſalitate etiam Virginem cōprehendant. 7. Vlt. fundamentum. 1. Ioan. 1. Iacob. 3. Matth. 6. Conc. Mileui.

§. 2.

Affirmatiua eſt de Fide.

Catholica tamen Eccleſia ſemper credidit, & docuit Beatam Virginem ab omni peccato, tam mortali, quam veniali, etiam leuiſsimo, fuiſſe immunem, & præſeruatam. Hanc veritatē vt omnimode certiſsimam probarūt omnes, tam antiquiores, quam moderniores Theologi Scholaſtici. Ita D. *Thomas tertia parte, quæſtione 27. articulo quarto; & in 3. diſtinct. 3. quæſtio. 2. artic. 3.* 8. Affirmatiua eſt de fide.

Theologi pro hac ſententia.

& diſt.13. q.1.ar.2.q.1.& in 4.d. 6.q.1.a. 1.q.2.& alijs in loc.idē docuerūt omnes illius interpretes in d.q. 27. art.4. vbi Caietanus, Medina cum cæteris.Omnes Scholaſtici in 3. diſt.3. vbi præter D.Thom.idem docuerunt D.Bonau.art.2.q.1.Richard.art.1.q.3.Paludan. q.3.art.4.concl.2. Durand.q.4. n.8. & ad 1.Ioannes Ouandus q.1. art.2. q.6. in quæſtiunc.an B.Virgo habuerit veniale pag. 140.col.1.Franciſcus de Pitigianis ibidem q.1.art.13.dicto 1.& 2.pag.153.cum cæteris Scholaſticis ibidem. Adde Ochamum in 4.q.2.art.2.& Gabrielē in 4.diſt.3.q.2. ar. 3.dubitatione 2. Almainū ibidem q.2.ante finem.Alexandrū 3.p.q.9.memb.3.artic.2. concl.5.& 6. Ex Nouioribus idem probant Bellarmin.lib.1.de amiſsione gratiæ,& ſtatu peccati cap.6.§.Eſt autem hoc loco obſeruandum pag 81.D.Cordubenſis lib.1.q.44. in princ. conc.1.pag.351.Veiga lib.14. in Trident.cap.18. Canniſius lib.1. de Maria Deipara cap.20.Valentia 4.to diſp.2. q. 1. punct.3.pag.430.Suarius 2.to.ad 3. p.diſp. 4.ſect.4.pag.66.col.1.B Bellomont.2.tom. ad 3.p.diſp.120.cap.1.poſt principium n.2. Salas tom.2.ad primā 2.q.88.tract.13.diſp. 16.ſect.2.pagin.772.col.2. Petrus Morales lib.3 de Chriſto,& Virgine Deipara tract.4. concl.2.pag.343. Addimus inſignem Paiuā lib.5.defenſionis Tridentinæ fidei pag. 351. Et vt omnia concludamus,cōcors eſt omniū Scholaſticorum ſententia, à quibus

Solus Gregorius titubat.

vnus defecit Gregorius *in 2.diſt.30.q. 2. art.1.ad finem;* vbi non aſſerendo,ſed dubitando ſignificat in B.Virgine aliquod admittendū eſſe veniale,motus ex doctrina Auguſtini, *quod nullus hominum habuit originale, qui grandioris ætatis non habuerit actuale,*quod tamen argumentum ſolum poteſt vrgere eos, qui in B.Virgine admittunt originale.Sed de hoc inferius:ſatis modo ſit hanc veritatē (vno excepto Gregorio) vnanimi conſenſu receptiſſimam ſemper fuiſſe.

9. *Videtur definita à Trid.*

Nec mirum;quoniam hanc veritatem tanquam de fide videtur diffinijſſe Trid. *ſeſſ.6.can.23.de iuſtificatione* his verbis:*Si quis dixerit hominē poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare,niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum de B.Virgine tenet Eccleſia,anathema ſit.*

10. *Dubium.*

Dubitari tamē poteſt, an his verbis ita diffinitum ſit de fide B.Virginē nullum actuale peccatū in tota vita cōmiſiſſe, vt oppoſitū ſit hæreticum? *Cordub. vbi ſupra* nonnullos refert, qui putant,propriè quidem,& ſtricte id nondū eſſe hæreticū; bene tamen largè; fundamentum prioris aſſerti eſt; quoniam talis puritas,nec expreſſe habetur in Sacra Scriptura,nec in bona conſequentia ex ea deducitur.Fundamentum vero poſterioris aſſerti eſt; quia vniuerſalis Eccleſia eam celebrat, & prædicat ab omni peccato immunem.At tñ quod oppoſitum propriè iam ſit hæreticum, potius probat Cordubenſ. ſaluo tñ (vt ait) meliori iudicio. Quę verba ſatis indicant eum non conſtanter id aſſerere, ſed ſub probabilitate. At tñ

Medina.

Medina vbi ſupra in prima Concluſione ſatis explicat, aſſerere oppoſitum, eſſe errorem manifeſtum cōtra fidem; vt quia veritas illa iam ſit in Tridentino diffinita.Quod inde confirmat;quoniā concionator quidam,qui Romæ contrarium prædicauit, coactus eſt ſententiā tanquam errorem contra fidē publicè recantare. Hanc ſen-

Suar. 8

tentiam ſatis explicat *Suarius loco citato,* dum ait oppoſitam ſententiā eſſe ab Eccleſia reiectam,& dānatam: noſtram vero eſſe de fide,& vt talem ſupponi à Tridentino in illis verbis, *vt de B.Virgine tenet Eccleſia.* Quod etiam cōſtanter ſcribit Vaſquez Bellomontanus in dicta diſputat.120. cap. primo poſt principium: & id tanquam certiſsimum ſupponit Veiga in dicto capit. 18. cum Pitigiano loco citato, & ita tenet communis Theologorum ſententia: de qua dubitari non poteſt,ſi iam fuit de fide diffinita in Concil.Claramontano ſub Vrbano ſecundo,

11. *Authoris iudicium.*

vt nobis improperat Caluinus: cæterum cum hoc Concilium inter Concilia non inueniatur; vt hæc veritas recipiatur de fide,ſatis nobis ſint verba ex Tridentino adducta: licet enim Conciliū in hoc ſenſu directè id non diffinierit, quia hoc diffinire principaliter nō intendebat: tamen vt vere illud diffiniat, ſatis eſt, quod hoc adducat in exemplum eius, quod directe, & principaliter diffinit: etenim cum diffiniat neminem in tota vita poſſe omnia peccata venialia vitare, niſi ex ſpeciali priuilegio; & addat Ec-

cleſiam tenere, hoc priuilegium B. Virgini fuiſſe conceſſum;ſatis ſua diffinitione approbat id, quod tenet Eccleſia. Quare non dubito ex verbis Tridentinæ diffinitionis ſatis ſufficienter colligi, oppoſitũ aſſerere eſſe hæreſim:etenim ſuppoſita hac approbatione per Tridentinũ facta, qua diffinitionem ſuam in ipſa B. Virgine verificat. Ad diffinitionẽ illius veritatis ſatis fuit, quod communiſsimus totius Eccleſiæ conſenſus (quanuis vnus vel alter dubitauerit) veritatem illam tenuerit vt veriſsimam & certiſsimam. In quo ſenſu probo quæ adducuntur à *Veiga vbi ſupra ad ſecundam obiectionem Caluini pag.646.col.2.* Quod autem vniuerſa fere Eccleſia illam veritatem vnanimi conſenſu ante diffinitionem Tridentini tenuerit; euidenter patet, quia illam, vt de fide diffiniuit Conciliũ Baſilienſe ſeſſ. 36:quanuis autem pro tempore illius diffinitionis fuerit acephalum, & ideo diffinitio facta non ſit authentica, aut legitima,vt tanquam de fide habeatur:tamen ſatis habet authoritatis, vt dicamus Eccleſiam, veritatem illam ſemper habuiſſe vt certam & infallibilem:nec ſine efficaci fundamento; quoniam,& ex ſacris literis efficaciter deducitur, & communi Patrum doctrina confirmatur, & rationibus Theologicis corroboratur.

Veiga. 12.

Conc. Baſilienſe.

Probatur ex ſacris literis.

13. *Ex ſacris literis. Ex cap.* 1. *Lucæ.*

¶ Quod veritas illa ex ſacris literis efficaciter deducatur patet ex verbis Angeli ad B. Virginem Lucæ 1: *Aue gratia plena: inueniſti gratiam apud Deum*: ex quibus verbis omnes Patres colligunt in B. Virgine poſt Chriſtum fuiſſe gratię plenitudinem. Iam vero cum plenitudine gratię non poteſt eſſe aliquod quantumuis minimum peccatum:etenim plenitudo formæ habentis contrarium,à ſubiecto ipſum contrarium totaliter excludit, vt docet Philoſophia:ergo B. Virgo nullum vel minimum habuit peccatum:idq; pro toto vitæ tempore: nam ſi in vtero fuit ab originali præſeruata(vt docet Romana Eccleſia) vel ſaltem in eo ſanctificata, vt fides docet; vtique ſine vllo nata eſt peccato originali: quod priuilegium ſatis arguit totam etiam vitam fuiſſe immaculatam,ita vt gratiæ plenitudo ab ipſo vtero matris incœperit. Quod etiam ſatis ſuadet, quod ab vtero fomes peccati vel omnino fuit ſublatus, vel ſtatim ligatus,idque per gratiæ plenitudinem, quã ab vtero matris accepit, idque vltra omnes etiam Angelos: hoc enim modo intelligenda ſunt verba eiuſdem Angeli *Inueniſti gratiam apud Deum*: quia.ſ.apud Deum omnem rationem gratiæ inuenit.

Secundo eadem veritas deducitur ex verbis Dei Geneſ.3.*Ponam inimicitias inter te & mulierem: & ſemen tuum & ſemen illius:ipſa conteret caput tuum*: quæ verba communior Sanctorum ſententia interpretatur de B.Virgine,vt videre eſt apud Canniſium lib. 5. de Maria Deipara c.9. quod diligentius expendere non eſt huius loci. Quare inter B.Virginẽ,& Diabolum perpetuæ fuerunt inimicitiæ, vt ex Chryſoſtomo, & alijs Patribus confirmat idem Canniſius:etenim *ipſa conteret caput tuum*.i.peccatum,per quod Diabolus omnibus dominabatur. Contriuit autem illud, non ſolum pariendo Chriſtum, qui Diabolum expugnauit; ſed etiam omni ex parte peccatum vincendo:quod (vt ait Auguſtinus)tunc omni ex parte vincitur,cum nullum etiam minimum committitur. Quod ſatis declarant verba immediate ſequentia:*& tu inſidiaberis calcaneo eius*: quia ſ.illi non niſi ab extra poterat tentationes adhibere,vt inferius dicemus.

14. 2. *ex cap.* 3.*Geneſis.*

Canniſius.

Tertio id confirmari poteſt ex verbis Cantic.4: *Tota pulchra es amica mea; tota pulchra es: & macula non eſt in te.* Quem locum de B. Virgine interpretatur Eccleſia,& communis Sanctorum doctrina: quod in re notiſsima ſupponimus. Fuit igitur tota pulchra, & ſine macula, quia non ſolum corpore, & anima fuit ſine vlla vitij labe;ſed etiam quia pro tota vita ſine vlla culpa permanſit.

15. 3.*ex Cant.* 4.

Probatur ex Patribus.

¶ Secundo loco veritas iſta Patrum teſtimonijs confirmatur: cum vero Caluinus, & Kemniſius ad iudicium nos prouocent magni Patris Auguſtini; accedat

16. *Ex Patribus.*

Ex Aug. illius doctrina in lib. de natura & gratia c.76.tom.7. vbi hanc veritatem ita clare docet, vt non poſsint hæretici non confundi. Aduertendum eſt igitur Auguſtinum in eo libro agere contra Pelagium, quatenus aſſerebat poſſe hominē in hac vita ſine vllo peccato viuere, idque per vires naturæ: illo autem plures ſanctos viros, & mulieres obijciente, qui in hac vita ſine peccato vixerunt (inter quos B. Virginem enumerauit) ita reſpondet Auguſtinus, *excepta itaque ſancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem: vnde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum: hac ergo Virgine excepta, ſi omnes illos ſanctos, & ſanctas, &c. conſulas, omnes dicturi ſunt cum Ioanne 1. can. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Auguſtinus igitur, ad quem aduerſarij appellarunt, pro B. Virgine ſententiam tulit: & non dubitando, ſed cum certitudine ſcientiæ affirmando diffiniuit Beatę Virgini ſpecialiter præ cæteris Sanctis fuiſſe conceſſum, vt omni ex parte peccatum vinceret. Iam vero actuale peccatum (de quo abſque dubio agit, quanuis non de eo ſolo) tunc omni ex parte vincitur, cum non ſolum mortale ſuperatur, ſed etiam omne, quantumuis minimum, veniale. Quare non eſt, quod dubitemus Auguſtinum contra hæreticos præcitatam veritatem docere, & confirmare.

17. 2. ex Orig. Origenes homil. 1. ex varijs locis collecta tom. 2. pag. 449. *B. Mariam vocat dignam digni: immaculatam ſancti, & immaculati,* & pag. 500. *eam appellat pleniſsimā ſanctitate: perfectam iuſtitiam: regis cœleſtis domum immaculatam.* Tandem pag. 501. ait, *eam nec perſuaſione ſerpentis deceptam nec venenoſis eius afflatibus infectam fuiſſe.* Quæ omnia ſatis euidenter probant B. Virginem omni prorſus actuali culpa caruiſſe: aliàs nec immaculata dici poſſet; nec præſeruata â deceptione, & veneno ſerpentis: etenim qui actualiter peccat, â Diabolo decipitur, & eius venenoſo afflatu (ſcilicet tentatione mala) afficitur, dum tentationi conſentit. ¶ Theodoretus lib. 3. in Cantic. tom. 1. pag. 351. col. 2. ex Pſello, *Per illam vnam columbam genitricis ſuæ electam, quam & reginæ, & cōcubinæ omnes laudauerunt* intelligit Virginem Mariam, quam immaculatiſsimā appellat: & ad finem commenti docet *inter animas omnium hominum, qui ſaluantur, vnam ſolum eſſe electam columbam.* ſ. B. Mariam: quæ (vt ait) puritate Cherubin, atque Seraphin antecellit. Angeli autem ita puri ſunt, vt ſemper innocentes fuerint. Quare ex ſententia Theodoreti B. Virgo ſemper fuit innocens, & expers omnis etiam minimi peccati actualis. 18. 3. ex Theodoreto.

D. Hieronymus Pſalm. 77. explicans illa verba, *Et eduxit eos in nube diei,* tom. 7. pag. 95. F: *Per nubem diei intelligit B. Virginē: quæ pulchre* (vt ait) *dicitur nubes diei, quia nubes illa non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* Iam vero omnia peccata, etiā venialia, tenebrę ſunt. Idem Hieronymꝰ in cap. 10. Eccleſiaſtici ad illa verba: *Væ tibi terra,* tom. 5. pag. 28. col. 1. poſtquam docuit peccatum dominatum non fuiſſe Abrahamo, Iſaac, & Iacob, addit: *ex quibus nata eſt Virgo liberior, Sancta Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex latere; ſed totus fructus eius erupit in florem, loquentem in Canticis: ego flos campi.* Frutex autem & germen ſignificant peccatum, ſaltem actuale. Nullum igitur B. Maria habuit peccati fruticem, nullum germen: ſed omnis frutex, & omne germen eius (.i. omnis actio) erupit in florē; quia omnis illius actio eam dignam faciebat, vt in ſuo vtero filium Dei generaret. Idem Hieronymus (ſeu potius Sophronius) in epiſt. 10. (quæ eſt ſermo primus de Aſſumptione) tom. 9. pag. 48. ita ait: *Quidquid in Maria geſtum eſt, totum fuit puritas, ſimplicitas, veritas, & gratia, & ideo immaculata: quia in nullo corrupta.* Deniq; pag. 52. col. 1. in medio, poſtquam docuit Angelis collatam fuiſſe gratiam, ne corruerent, ſed firmitatem perpetuitatis haberent, addit: *in B. Virgine mirabiliorem fuiſſe virtutem, ne corrueret, firmioremq; perpetuitatis firmitatem.* Quod eſſet falſum, ſi B. Virgo in aliquod, vel minimum, peccatum laberetur. 19. 4. ex Hieronymo.

20. 5. ex Liturgia Græcanica. In Græcanica Liturgia publico Eccleſiæ orientalis ritu à multis hinc ſæculis B. Virgo laudatur, *quod ſit vere, ſemperq́ beata modis omnibus irreprehenſa: & penitus incontaminata: ſanctiſsima & intemerata.* Quæ verba omnem culpam actualem excludunt.

21. 6. ex Sophron. Patriarcha. Sophronius Patriarcha Hieroſolimitanus in epiſt. Synod. lecta & probata in 6. Synodo generali act. 11. to. 2. p. 970. col. 2. *B. Virgo prædicatur ab omni contagione libera corporis, mentis, & intellectus.*

22. 7. ex Areta. Areta etiam in cap. 12. Apocalypſ. ad B. Virginem refert illam mulierem, quā Ioannes ibidem vidit Sole amictam, & Lunam ſub pedibus habentem, eamque appellat *puram, à terrenis rebus liberam, & alienam, & in terris Angelis æqualem.* Et Auguſtinus in Pſalm. 42. per illam mulierem eandem Virginem intelligens teſtatur, *eam carnis creſcentis, & decreſcentis mortalitatem calcaſſe.*

23. 8. ex Germano. Germanus etiam Conſtantinopolitanus de natiuitate B. Virginis apud Caniſium lib. 1. de Maria Deipara cap. 11. pag. 118. B. Virginem *appellat laudatiſsimam omniſq; plane reprehenſionis expertem.* Sergius. Et iiſdem verbis eandem laudat Sergius Herapolita in eodem ſerm. teſte Cāniſio pag. 119. Andreas Cretenſis. D. etiam Andreas Cretenſis in Encomio de dormitione Virginis (teſte eodē Canniſio lib. 5. c. 30. pag. 1134 A.) teſtatur *B. Virginem cælorum naturam puritate ſuperare, & ſupremis Angelis eſſe ſuperiorem.* Chryſoſt. Chryſoſtomus in ſua Liturgia *eam appellat honoratiorem Cherubim; glorioſiorem incomparabiliter Seraphim: ſemper beatiſsimam, & penitus incontaminatam. Eam eſſe ſanctiſsimam, & intemeratam* af- Baſilius. firmat Baſilius in ſua Liturgia: *intemeratam, & prorſus puram: puriorem Solis radijs, & ſplendoribus ſanctiorem, & puriorem Seraphim* affirmat Ephrem Diaconus. Ephrem. Eſichius. Eſichius autem ſerm. 2. de Laudibus Virginis tom. 7. Bibliot. Sanctorum Patrum, pag. 38. D. teſtatur *eam conſeruatam templum incorruptum, & tabernaculum ab omni ſorde liberum,* & litera A. affirmat *concupiſcentiæ fumum eam non contigiſſe, nec voluptatis vermem eam læſiſſe,* & pag. 39. H. *eam appellat virgam ſemper viridem, & puellam impollutam* Epiphan. Epiphanius de Laudibus Virginis tom. 7. Biblioth. Patrum pag. 29. vocat eam *ouem immaculatam*: pag. 31. D. appellat *immaculatam matrem.* Impolluta etiam dicitur ab Hypolito Epiſcopo & martyre in lib. de conſummatione Antichriſti in principio eodem tom. 7. Biblioth. pag. 2.

Antiquus & ſanctus Idiota in lib. de contemplatione Virginis c. 2. tom. 7. Bibliot. teſtatur *in anima B. Virginis, nihil vnquam vitij, turpitudinis aut peccati fuiſſe: in ea nec veniale, nec mortale, nec originale peccatum fuiſſe repertum.* Quod etiam affirmat cap. 6. & cap. 3. docet. *Deum ædificaſſe Virginem, vt domum ſolidam & fortē, quæ nullo modo vacillare poſſet, & excidiſſe columnas ſeptem* (ſeptem inquam dona Spiritus Sancti) *ad eam firmiter & ſublimiter ſuſtentandam.* 24. Idiota.

Iuo Carnotenſis in ſerm. de natiuitate Domini ita ſcribit: *Quomodo matrem carnis ſuæ ſanctificarit, audiamus: omnem quippe næuum tam originalis, quam actualis culpæ in eā deleuit: ſicque carnem de carne ſancta eandem in diuinam munditiam transformauit.* Quæ verba adduco, vt confundatur hæreticus Caluinus. 25. Iuo Carnotenſis.

D. Bernardus eandem veritatem ſæpe ſæpius prædicat epiſt. 174. vbi ita ait: *Ego puto, quod copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit; quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem; quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur eſſe donatum: decuit nimirum reginam virginum ſingularis priuilegio ſanctitatis abſque omni peccato ducere vitam: quæ dum peccati mortiſq; pareret peremptorem munus vitæ & iuſtitiæ obtineret.* 16. D. Bern. Idem in ſerm. 2. de Aſſumptione Virginis fol. 49. D. ita ait: *Sed forte curioſius quiſquam requirat, cur in præſenti euangelica lectione nulla prorſus Lazari mētio fiat? arbitror ſane, neque id quidem à propoſita ſimilitudine diſsidere: Virginalem etenim domum intelligi volens Spiritus ſanctus, ſiluit non incongrue pænitētiam, quæ malum vtique comitatur: abſit enim vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc habuiſſe dicatur, vt in ea proinde ſcopus Lazari quæreretur.* Et ſtatim, *vt omnino pium eſt credere, proprium Maria delictum non habuit.* In ſerm. 4. de Aſſumptione

eiuſdem pag. 50. G. ita ait: *Quanta vero, & quam pretioſa humilitatis virtus, cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conſcientia prorſus abſque delicto: imo cum tantæ gratiæ plenitudine.* Faciunt quæ dixit idem Bernardus homil. 2. ſupra *Miſſus eſt*, vbi fol. 5. litera D. appellat *eam immaculatam*: & litera F. *Mente & corpore ſanctam*: *Virginem & corpore & mente: à ſæculo electam ab Altiſsimo ſibi præparatam: ab Angelis ſeruatam.* Denique de ea intelligit illud Geneſ. 3: *Ponã inimicitias inter te, & mulierẽ: ipſa conteret caput tuum: cui hæc ſeruata victoria eſt, niſi Mariæ? ipſa proculdubio caput contriuit venenatum; quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem, tam de carnis illecebris, quam de mentis ſuperbia deduxit ad nihilũ.*

27. D. Anſelmus. Diuus Anſelmus in lib. de excellentia Virginis Mariæ cap. 3, ita ait: *Nulli denique dubium caſtiſsimum corpus, & ſanctiſsimam animam eius ab omni fuiſſe macula peccati vigili Angelorum cuſtodia protectam.* Faciunt, quæ ſcribit in *Euangelio ſecundũ Lucam, fol. 238. tom. 3. & in epiſt. 2. ad Corinthios cap. 5. in illis verbis: Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*, pag. 243. col. 1. ad finem, vbi expreſſe affirmat *B. Virginem ab omni peccato tam originali, quàm voluntate addito fuiſſe immunem.*

28. D. Ambr. D. Ambroſius libr. 2. de virginibus, poſt principium docet: *Mariã fuiſſe Virginem & corpore & mente, quæ nullo doli ambitu ſyncerum adulteraret affectum*: quæ verba clariſsima ſunt. Et ex eo magis confirmatur; quoniam in eodem loco percurrit omnes virtutes, quæ habuit: & omnia vitia, quæ fugit. Vide illum. Epiſt. etiam 79. pag. 652. D. ita ait: *Claudat ſua ora perfidia: obmuteſcat; ne matrem Domini aliquo audeat temerare conuicio.*

29. Richard. de S. Vict. Richardus de Sancto Victore in Cantic. pag. 2. cap. 26. expreſſe hanc veritatẽ, vt catholicam confirmat, inquiens: *Beata Maria Virgo tota fuit pulchra; quia ſanctificata in vtero: ab vtero quoque egreſſa, nec mortale vnquam, nec veniale commiſit.* Et in eodem cap. pro eadem ſententia multa ſæpius repetit, & tandem affirmat *Diabolum ſtupere eam immunem à peccatis: eam nec maculam habuiſſe, nec tenebras culpæ.* Et plura alia huius generis. Tempus me deficeret, ſi omnes Patres vellem recenſere. Quare de Patribus hæc ſint ſatis.

Rationes Theologicæ.

30. 1. rat. theologica. ¶ Hæc doctrina tot Sanctorum Patrum authoritate confirmata, nonnullis etiam corroboratur rationibus theologicis. Prima ſit: quoniam vt docet Auguſtinus libro 5. de lib. arbit. c. 5: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id ſcias feciſſe Deũ.* Vnde communis eſt Patrum doctrina Deum omnia feciſſe, quæ decent, atque conueniunt, vt patet ex Magnete peruetuſto authore in libris apologeticis contra Theoſtenem gentilem: & ex authore tractatus de Aſſumptione Virginis apud Auguſtinum tom. 9. tract. 8. in appendice c. 8. Vnde Paulus ad Hebræos 2. ex decentia confirmat Chriſti paſsionem, dicens *decebat, vt talis nobis eſſet Pontifex, &c.* Quod autem decens ſit, & ſatis conueniens, eam Virginem, quam Deus in matrem elegit, & quam ab vtero ſanctificauit, ab omni prorſus, quantumuis minimo, peccato diuina gratia fuiſſe præſeruatam; ratio naturalis conuincit, quæ dictat; vt filij parentes honorent, & omnibus afficiant prærogatiuis, quibus poſsũt illos afficere: hoc enim medio nititur illa conſequentia à Patribus vſurpata: *Potuit Deus hoc facere; & decuit vt faceret: ergo id fecit.* Eodem nititur medio doctrina D. D. Anſelmus. Anſelmi in lib. de peccato originali c. 8. *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* Et merito: nã ſi Deus eos, quos ad aliquod miniſteriũ elegit, dignos facit tali miniſterio, vt docet D. Bernardus in ſerm. de natiuitate Virginis: & ſatis Paulus 2. Cor. 3. *Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti.* Et verba Pſalmi 103: *Miniſtros ſuos ignem vrentem*: quomodo eam, quam elegit in matrem, non faceret dignam tali honore? Quare abſque dubio (vt ait D. Bernardus homil. D. Bern. 2. in *Miſſus eſt*) talem eam fecit, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi nouerat placituram. At vero quæ puritas ſanctitatis matrem Dei deceat, ſatis explicat D. Anſelmus in tract. de excellentia Virginis cap. 2. in principio, inquiens; *Hoc ſolum de ſancta Virgine prædicari, quod eſt mater Dei, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici, aut prædicari poteſt.* Et ideo capite 4. ſequenti teſtatur *Mariam Deo ita* 31. 32.

placuiſſe, vt nequaquam quis crederet aliqua ratione illi excellentius placere potuiſſe. Et cap. 10. affirmat, *eam fuiſſe ſuper omnes Sanctos poſt Deum ſingulariter ſanctam, Angelosq; viciſſe puritate.* Quod etiam affirmat
33. D. Greg. D. Gregorius 1. *Reg. c. 1. in 2. to. fol. 255. A.* dum docet, *B. Virginem eſſe montem in vertice montium in nouiſſimis diebus præparatum, iuxta vaticinium Iſaiæ c. 2. Quia omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit, & vt ad conceptionem Verbi æterni pertingeret, meritorum verticem ſuper omnium Angelorũ choros vſque ad ſolium Deitatis erexit.* Iam vero hæc merita non haberet, ſi aliquo, vel leui, vitio & peccato aliquando temerata fuiſſet, vt docet *Ri bardus de Sancto Victore in lib. de Emmanuele pag. 1. c. 26.* & *D. Thomas 3. p. q. 27. art. 4:* etenim ex *Paulo 2. Cor. 6. Quæ proportio iuſtitiæ cum iniquitate? quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conuentio Chriſti ad Belial?* Adde quoniã Prouerb. 17. *Honor parentum, honor eſt filiorum, & dedecus matris, dedecus eſt filij.* Denique Sapient. 1. *Sapientia non inhabitat in corpore ſubdito peccatis.*

Richar. de S. Victore. D. Thom.

34. 2. rat. theologica. Deinde hanc veritatem ex eo deducimus, quod B. Virgo fuit in vtero ſanctificata, vt de fide oſtendimus ſupra lib. 1. ſed ſanctificatio in vtero non fit ſecundũ legem ordinariam, ſed præter eam: ergo facta eſt principaliter ad commendationem gratiæ Chriſti, vt docet *D. Thomas 3. p. q. 27. ar. 6. & in 4. diſt. 6. a. 1. q. 2. ad 3.* & per cõſequens habere debet specialiores effectus vltra communem, & ordinariam ſanctificationem, quæ fit per ſacramenta, vt docet D. Thomas in 3, diſt. 3. q. 1. art. 2. q. 1. ad 4. Iam vero ſanctificatio, quæ fit per ſacramenta, tollit quidem culpam, ſed remanet fomes inclinans ad peccatum tam mortale, quam veniale: quæ vero fit in vtero omnino ligat fomitem, prout inclinat ad mortale: ob quã rationem ſanctificati in vtero creduntur non peccaſſe mortaliter; ex D. Thoma *3. p. q. 27. art. 6. ad 1. & in 3. loco citato, & in 4. vbi ſupra, & de malo q. 17. ar. 7. ad 8.* & ideo communiter tenetur effectum ſanctificationis in vtero eſſe confirmationem in bono, ne ſanctificatus poſsit peccare mortaliter, in hoc ſenſu, vt quo maior fuerit ſanctificatio in vtero, cõ maiores ſuæ confirmationis effectus habeat: nam cum detur ad manifeſtandam gratiam datam per Chriſtum, quo aliqua perſona ipſam Chriſti gratiam magis manifeſtat, eo maiori, & vberiori ſanctificatione ſanctificabitur, ſanctificatione. ſ. proximiori primo gratiæ principio, quæ eſt gratia Chriſti. Virgo autẽ huic principio gratiæ proximius appropinquat, quam cæteri omnes, quia illi appropinquat vt mater: ergo ſanctificatio illius in vtero præſtantiorem habuit confirmationem, quam habuerit aut Hieremias, aut Ioannes: quæ eſt communis Patrum, & Theologorum doctrina: ſed illorum ſanctificatio fuit ita efficax, vt eos confirmauerit, ne in peccatum mortale laberentur: ergo ſanctificatio B. Virginis ita excellenter eam confirmauit, vt nec venialiter peccaret. Qui effectus à fortiori eſt illi concedendus, quia gratia, qua in vtero matris fuit ſanctificata, fuit prçſeruatiua à macula peccati originalis, quæ ex ſua natura ſecum etiam trahit prçſeruationem ab omni actuali: nam ſi gratia mũdatiua ab originali efficax eſt, vt prçſeruet ab omni mortali, vtique quæ ex ſe fuit præſeruatiua ab originali, ex ſe erit etiam præſeruatiua ab omni actuali, quãtumcunque minimo. Quę Theologia eſt diligenter aduertẽda pro hac veritate cõfirmanda.

D. Thom. D. Thom.

§. 3.

Soluitur primum argumentum ex cap. 1. Lucæ.

Contra hanc fidei veritatem parũ vrgent fundamenta, quæ §. 1. pro hæreticis ſunt adducta. 35.

Ad 1. arg. Ad primum ſumptum ex verbis eiuſdẽ B. Virginis Lucæ 1: *Quomodo fiet iſtud, &c.* negandum eſt Caluino B. Virginem de verbis ab Angelo ſibi dictis dubitaſſe; cum potius Angelo ſimpliciter crediderit, vt expreſſe teſtatur B. Eliſabeth, dum Lucæ 1. eidem B. Virgini ait: *Beata quæ credidiſti, &c.* Obmuteſcat igitur impius, & impudens Caluinus, dum infidelẽ appellat, quam ſanctiſsima Eliſabeth inſtinctu Spiritus Sancti locuta Beatam & fidelem nominat. Dicendum eſt igitur illa

B. Virgo non dubitauit.

verba *Quomodo fiet iſtud*, non dubitando dicta fuiſſe, ſed inquirendo modum: nec enim dubitauit, quod deberet concipere; ſed modum inquiſiuit, quo conceptura erat: etenim cum certo ſciret virginitatē ſuam Deo ſummè acceptam eſſe, quæſiuit ab Angelo, quomodo ſeruata virginitate poterat concipere? quem ſenſum ſatis explicauit Angelus, dum interrogationi reſpondens, ait, *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te; & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi: nam quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*: quæ verba non ſunt confirmantis, vt credat, ſed declarantis modum, quo operandum ſit myſterium, quod futurum credidit: ſenſus enim illorum verborum eſt: myſterium illud cōceptionis filij ſola diuina virtute operandum eſt, cum filius ab ea concipiendus verè ſit filius Dei. Quare B. Virgo de filio concipiendo non dubitauit, ſed modum, quo illum erat conceptura, inquiſiuit; quia ſciebat ſe nō per carnalem viri cōmiſtionem filium eſſe concepturam, atq; ſciebat, virginitatem ſuam Deo placere: quæ verborum explicatio, vt vere literalis, à Patribus, & à Theologis communiter recipitur. Ita locum explicat *B. Ambroſius lib. 2. de Abraham Patriarcha*

36. *D. Ambr.* *cap. 8.* vbi poſtquam docuit Abraham nō dubitaſſe cum Angelū interrogauit, vnde nam ſcire poſſet ſe illius terræ futurū eſſe hæredem; quia vt ait: *Qui quærit, quomodo ſciat, non dubitat manifeſtante Deo cognoſcere ſe poſſe; ſed formam vult acquirēdæ cognitionis aduertere*, hac doctrina de interrogatione Abrahami præmiſſa, exponens interrogationem B. Virginis immediate ſcribit: *nam & in Euangelio Maria, cum audiſſet ab Angelo, quod Virgo paritura eſſet filium, reſpondit: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* quibus verbis præmiſſa præcitata doctrina de Abrahamo ſatis declarat B. Virginē verba illa non dubitando protuliſſe, ſed inquirendo modum, quo filium erat paritura. Eodem modo eadem verba explicat *idem Ambroſius lib. 1. in Luc. in cap. de*

Ambroſ. *Mariæ interrogatione*: vbi docens Zachariā in ſua interrogatione (de qua Luc. 1.) fuiſſe incredulum; Mariam autē nequaquam, ita ait: *Etenim cum dixit, quomodo fiet iſtud? non de effectu dubitauit, ſed qualitatem ipſius quæſiuit effectus. Quanto temperantior iſta reſponſio, quam verba ſunt ſacerdotis? nempe Zachariæ: hæc ait: Quomodo fiet iſtud? ille reſpondit vnde hoc ſciam: hæc iam de negotio tractat, quaſi dicat, quia futurum credebat: ille adhuc de nuntio dubitat.* In eodem etiam libro ait: *B. Virginem legiſſe illud Iſaiæ 7: Ecce Virgo concipiet, & credidiſſe ita futurum: ſed quomodo illud futurum eſſet, ignoraſſe: quia nec Prophetæ Iſaiæ fuerat reuelatum.* Quod B. Virgo 37.

non fuerit incredula, nec de re ipſa dubitauerit, affirmat Auguſtinus 16. de Ciu. Dei cap. 24. eodem modo, quo Ambroſius, procedens: nam poſtquam oſtendit Abraham non dubitaſſe de promiſsione facta ſibi à Deo, quod hæres futurus erat illius terræ; idem de B. Virgine affirmat, ita inquiens: *Sicut non eſt Virginis Mariæ diffidentia, quod ait: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? quod enim futurum erat, certa erat; modum, quo fieret, inquirebat.* Optima ſunt verba gloſſæ in-

terlinearis. *Gloſſa interlinear.* *Liquet quod faciendum credit, quæ, quomodo fiet, quærit.* Beda in eodem loco: *Beda.* *Ordinem, inquit, cui ſubdatur, inquirens, non autem ſignum, cui credat, flagitans: nec enim decebat electā generando Deo Virginem dubiam diffidentia, ſed pudentia certam exiſtere: quia nec facile poterat homo noſſe myſterium, quod in Deo manebat à ſæculis abſconditū: quia ergo legerat; Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium; & quomodo id fieri poterat, non legerat; ſciſcitauit ab Angelo, quod in Propheta non inuenit.*

Accedunt verba D. Bernardi homil. 4. de 38. *D. Bernardus.*
Laudibus Virginis ſuper *Miſſus eſt*, vbi ita ait: *Non dubitat de facto; ſed modum requirit & ordinem: nec enim quærit, an fiet iſtud? ſed quomodo?* Quod latius explicās, ita ſcribit: *Cum ſciat Dominus meus teſtis conſcientiæ meæ votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat iſtud? ſi oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium; & gaudeo de filio, & doleo de propoſito: fiat tamen voluntas eius: ſi vero Virgo concipiam, Virgo & pariam, quod vtique, ſi placuerit ei, impoſſibile non erit: tunc ſcio vere, quia reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Quomodo ergo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.*

Theophyl.

Eodem modo explicat Theophylactus, & hæc eſt cõmunis omnium interpretũ Scripturæ, & Theologorum ſententia: à quorum citatione breuitatis cauſa ſuperſedeo, quoniam explicatio ſatis eſt literalis, & menti B. Virginis cõſentanea.

39. Occurritur obiectioni.

Cui reſolutioni non obſtat, quod B. Virgo facta ſibi per Angelum annunciatione, quod conceptura erat, & paritura filiũ, ab eo ſciſcitetur; *quomodo fiet iſtud?* etenim ſicut poſt factam promiſsionem dare ſignum non arguit, dubitare eum, cui facta eſt promiſsio, vt bene aduertit *Bellomont. 2.tom. ad 3.p. diſp. 120.cap.3. n.34.* & ſatis probatur ex 1. *Reg.10.* vbi poſtquam Samuel Saulẽ vnxit in regem, abſque vlla præmiſſa dubitatione adiecit ſignũ: & 4.Reg.19.& Iſai.36. Iſaias Ezechiæ nihil dubitãti poſt factã promiſsionẽ ſignũ offert: ita etiã interrogatio poſt promiſsionẽ factã, etiã per hoc verbum *vnde ſciã?* nõ neceſſario arguit dubitationẽ, vt patet Geneſ.15. vbi Abraham Deo credidit promittenti promiſsionis terrã, & tñ interrogauit Deũ, inquiẽs: *vnde ſcire poſſũ, quod poſſeſſurus ſũ eã?* Quare interrogat, nõ vt ſciat illud futurũ eſſe; ſed vt ſciat modũ, quo futurũ eſt, vt ait *D. Ambroſius.* Quare qui certus eſt de futura ꝓmiſsione, poteſt nõ eſſe certus de modo, & ordine, quo debet fieri: & ideo merito poteſt interrogarẽ.

Bellom. 1.Reg.10.

4.Reg.19 Iſai. 36.

D. Ambr.

40. Alia obiectio.

¶ At inquies Angelũ, dum exemplum adduxit, quod Eliſabeth ſterilis filium cõceperit, voluiſſe, B. Virginem confirmare, vt crederet ſe parituram filium: id enim probant illa verba: *Quia non eſt impoſsibile apud Deum omne verbum:* cum enim adducantur in confirmationem factæ promiſsionis, ſatis videtur ſupponere aliquã in B. Virgine præceſsiſſe hæſitationem.

Solutio.

Sed profecto ſicut Angelus per illa verba *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te:* nõ voluit ꝓbare promiſsionem de filio concipiendo; ſed oſtendere modũ ipſius conceptionis, vt ad mentem Auguſtini ſupra oſtendimus: ita etiam exẽplo Eliſabethæ nõ cõfirmat promiſsionem, ſed modũ executionis explicat; vt ſicut Deo non eſt impoſsibile facere fœcundam, quæ ſterilis eſt: ita nõ ſit impoſsibile, vt Spiritu Sancto ſuperueniẽte, Virgo ſine virili copula filiũ generet: maxime quando generare debet filium Altiſsimi. Vnde Angelus exemplũ Eliſabethæ non adduxit, vt B. Virginẽ hæſitantem â dubio facti liberet; ſed vt modum cõceptionis exponat, & admirationẽ tollat, vt ait *D.Tho.3.p.q.30.ar.4.ad 2.*

D. Thom.

41. Alia explicatio.

¶ Hæc explicatio literalis eſt, & à Patribus cõmuniter approbata. Sed quoniam plures ex Patribus obijciuntur, qui videntur ſignificare, B. Virginem de re ſibi ab Angelo nũciata vere dubitaſſe, vt illorũ mens explicetur, afferenda â nobis eſt, & expendenda alia explicatio pluribus approbata Patribus: vt. ſ. illa interrogatio: *Quomodo fiet iſtud; quoniam virum non cognoſco?* ſint verba nõ incredulitatis, ſed admirationis, vt B. Virgo ea dixerit obſtupefacta, & admirata de re ſibi ab Angelo annũciata. Ita *D. Chryſoſt. homil.49. in Geneſ. pag.335. Auditis* (inquit) *verbis Angeli; ecce concipies, & paries filiũ, & vocabis nomen eius Ieſum, obſtupefacta eſt, & admirata: & dixit; Quomodo erit mihi iſtud; quoniam virum non cognoſco? Cyrillus etiã Hieroſolimitan. catecheſ. 12. paulò ante finem: Miraris* (inquit) *quod dictum eſt? mirabatur & ipſa, quæ peperit: dixit enim ad Gabrielẽ: quomodo fiet hoc; quoniam virum non cognoſco?* Quam expoſitionem ſatis probat *D.Thomas 3.p.q.30.ar.4.ad 2.* quam plures non reijciunt.

Chryſoſt.

Cyril. Hieroſol.

42. D. Thom.

His ſi addamus, admirationem non omnem excludere dubitationem, ſed eam ſolum, quæ ex incredulitate oritur, non omnino negandum eſt, hãc B. Virginis interrogationem eſſe dubitantis; & ſubinde admitti poteſt, B. Virginem dubitaſſe. Verũ cum duplex ſit dubitatio; vna incredulitatis, altera admirationis, vt docet *D.Thomas 3.p.q.27. ar.4.ad 2. & q.30. art.4. ad 2. & in 3. diſt. 3.q.1.art.1.q.2.ad 1.* qui dixerit hæc verba eſſe dubitantis; non poteſt non admittere, ea eſſe dubitantis, non dubitatione incredulitatis, quia hæc B. Virgini omnino deneganda eſt, ſed admirationis, vt docent præcitati Patres cum D.Thoma: admiratio autem, quando præciſe ortum habet vel ex ſublimitate rei, vel ex nouitate illius, quia eſt inſolita: licet nullam fluctuationem includat; tamen cum adiuncta ſit cum aliqua difficultate, & apparenti repugnantia, non

Duplex dubitatio. D. Thom.

excludit à ſe aliquã fluctuationẽ diſcuſſionis, vt colliges ex *D. Baſilio in epiſt. ad Optimũ*, ex quo idẽ probat *D. Thom. in d. q. 27. ar. 4. ad 2.* vt ad 2. teſtim. dicemus: etenim qui admiratur de myſterio ſibi annunciato, poteſt credere id, quod ſibi denunciatur: & tamen fluctuare diſcutiẽdo, & conferendo difficultates circa modum eiuſdem myſterij; ſicut etiã poteſt fluctuare conferendo extrema, quæ in illo reperiuntur, vt dicemus ad 2. teſtim. Igitur B. Virgo obſtupefacta, & admirata de myſterio ſibi ab Angelo annunciato, potuit conferre, & diſcutere difficultates circa modum, quo debebat concipere: & ob id non diſcredendo, ſed admirãdo, & inquirendo interrogauit; quonã modo filiũ cõceptura erat, & paritura.

Baſilius. D. Thom.

43. *Senſus Patrum.*

Hac igitur ſuppoſita explicatione, iam patet, quomodo explicandi ſint Patres, qui videntur affirmare, B. Virginẽ diſcredendo dubitare, & inquirere, *quomodo fiet iſtud?* vt doceat ſe non diſcredendo dubitaſſe, ſed admirando, & modũ diſcutiẽdo.

Sẽſus Chryſoſt.

¶ Quod D. Chryſoſtomus in d. hom. 49. in Geneſ. explicandus ſit non de dubitatione incredulitatis, ſed admirationis, expreſſe aduertit *Sixtus Senẽſis lib. 5. Bibliot. ſacræ annot.* 104. quem refert, & probat *Bellomon. in d. diſp. 120. c. 3. n. 27.* vt alios omittamus: & euidenter patet ex verbis ſupra citatis: *Obſtupefacta eſt & admirata, & dixit: Quomodo erit mihi iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quare cum in eodem loco ait: *Itaq; quam ob rẽ dubitas, eã ob rem crede*, explicãdus eſt non de dubitatione incredulitatis, ſed admirationis: cum quo ſtat, quod Angelo crediderit. Cũ vero ait, *Angelũ illis verbis: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, eam manu ducere, & prouocare ad credendũ*; nõ eſt intelligẽdus, quod Angelus eã manuduceret, & prouocaret ad credendũ, quod conceptura erat, & paritura filiũ: quia hoc Angelo audito ſemper credidit: ſed ad credendũ modũ ſupnaturalẽ, quo ſine viri cõcurſu erat cõceptura: hũc enim ſenſũ ſatis explicat idem Chryſoſt. dum ait, Angelum ad B. Virginẽ dixiſſe: *Non quæras naturæ modum, & ordinem, quando ſupra naturam ſunt, quæ fiunt.*

Bellom.

Confirmatur ex D. Chryſoſt.

44 ¶ Eodẽ modo explicandus eſt *D. Athanaſius in Euang. de ſanctiſsima Deipara to. 3. pag. 658. E.* dum ait: *B. Virginem auditis verbis Angeli, Ne timeas Maria, &c. hæſitaſſe: & reſpiciendo naturã, & de Ioſeph cogitando, cui nupta erat, ad Angelum dixiſſe; quomodo fiet iſtud?* etenim ſi & antecedẽtia, & cõſequentia diligenter expendantur, nõ agit S. Athanaſius de hæſitatione incredulitatis, quaſi nõ crederet; ſed de hęſitatione admirationis circa myſteriũ, & modũ eius, quatenus ignorabat modum, quo illud fieri deberet: etenim, vt ait Athanaſius, per illa verba inquirit ab Angelo modũ, quo debebat filiũ concipere, quia illum ignorabat. Vnde cõturbata, de modo hæſitabat, nõ de re: ſicut etiã (teſte eodẽ Athanaſio) audita ſalutatione Angeli cõturbata eſt cõturbatione admirationis, cogitãs qualisnam eſſet talis ſalutatio; nõ dubitans, & diſcredens ſalutationi, ſed ignara ad quidnam illis verbis ſalutaretur. Denique quod S. Athanaſius non loquatur de hæſitatione incredulitatis, ſatis conuincitur, dum inferius ait: *B. Virginem hæſitando, optando tamen, dixiſſe, Ecce ancilla Domini; fiat mihi ſecundũ verbum tuum:* quomodo enim incredula cõſentit, vt in ea fieret, quod Angelus nunciabat? Quare *hæſitando* dixit. i. adhuc non intelligendo modũ, quo Spiritus Sanctus ſine viro, cõſeruataq; illi⁹ virginitate, cõceptionem operaturus eſſet. ¶ Author verò quæſtionum veteris, & noui teſtamenti q. 51. apud Auguſtinum to. 4. pag. 437. col. 2. dum ait: *Ambigenti Mariæ de conceptus poſsibilitate Angelum prædicaſſe dicendo: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te. i. ne dubites quia virum neſcis; quia Spiritus Sanctus operabitur, &c.* nomine ambigentis, & dubitantis nõ intelligit dubitationem incredulitatis; ſed dubitationem circa modũ, quo talis cõceptio erat futura. Non eſt igitur quod aut Chryſoſtomus, aut Athanaſius, aut author præcitatæ quæſtionis ab hæreticis citentur, tanquã docentes, B. Virginem incredulam fuiſſe, nec Angelo credidiſſe.

Explicatur D. Athanaſius.

45. *Explicatur author quæſt. veteris, & noui teſtam.*

Nõ negamus tamẽ Origenem, & Euthymiũ in hac fuiſſe ſentẽtia, vt B. Virgo in illa interrogatione fuerit incredula: id enim expreſsis verbis ſcribit Orig. hom. 1. in Geneſ. lit. M. poſtquam enim dixit, quod Adamus benedictioni diuinę, *Creſcite,*

46. *Origenis & Euthymij ſententia.*

cite, & multiplicamini, incredulus extitiſſet, niſi addidiſſet maſculũ, & fœminam fecit eos; ita ait: *Sicut & Maria ad eam benedictionem, qua benedicebatur ab Angelo, ait: Quomodo ſciam hoc; quoniam virũ non cognoſco?* Euthymius autẽ in cõmentario ad illa Virginis verba ita ait: *Et hæc itaq; non credidit, ſicut Zacharias: non tamẽ incre-*

47. *Non dicit eam incurriſſe culpã.*

dulitatis admonita eſt per pœnam. ¶ Attamẽ neuter incredulitatis ei culpã imponit; ſed vterque eam ab omni culpa liberat: à qua tamen Euthymius non liberat Zachariã Luc. 1. & ratio eſt, quia Zacharias cũ plura haberet exempla, quod ſteriles peperiſſent, à culpa non potuit liberari dum promiſsioni Angelicæ fuit incredulus. Beata autem Virgo, cum nullũ exemplũ habuerit, quod fœmina ſine viro conceperit, & filiũ pepererit, abſque omni vel minima culpa potuit fuiſſe incredula. Vnde hi Patres, licet cum hæreticis conſentiant, quod B. Virgo tanquam incredula dixerit, *quomodo fiet iſtud?* non tamẽ cum illis conueniunt, vt eam culpę incuſent. Vtrum autẽ B. Virgo vere à culpa liberari poſsit, ſi incredula admittatur? alterius eſt negotij: Bellomõtanus negat loco cit. n. 28. quia nullo opus erat exẽplo, vbi Angelica aderat reuelatio. Quare incredulitatem nullo modo admittendã putarem, ſed omnibus modis reprobarẽ.

Ad ſecundum fundamentum ex verbis Simeonis Luc. 2.

48. *Ad 2: fundamentum ex verbis Simeonis.*

¶ Secundũ argumẽtũ ſumptũ ex verbis Simeonis Luc. 2. *Tuã ipſius animã pertrãſibit gladius*, nullã prorſus habet difficultatatẽ; quoniã ſine vllo vel apparẽti fundamẽto verba illa explicãtur de gladio dubitationis in fide, ſiue infidelitatis: hanc enim explicationẽ non ſolũ Catholici vt impiã reijciũt, ſed etiam ipſimet hæretici (vno Brentio, vel altero excepto) qui eã appellant temerariã, & à veritate alienã, impiam, blaſphemã, vt patet ex Franciſc. Lamberto in expoſitione Euãgelij Lucę c. 2. Melãthone, Pellicano. Biligero, Crucigero, & ex Cẽturionibus, quos videbis apud *Cãniſium lib. 4. de Maria Deip. c. 27. pag. 753. & 755. & 756.* Eam nec cõſentaneam eſſe, nec Mariæ dignam ex Catholicis affirmat *Simeõ Metaphraſt. de ortu & educatione Deiparæ.* Eam pugnare cũ

Reijcitur explicatio hæretic.

Nec placet alijs hæreticis.

Metaphr.

probata, & recepta fidei veritate teſtatur *Cãniſius vbi ſup. pag. 753.* Temerariã, & ſine fundamẽto appellat *Suar. 2. to. ad 3. p. diſp. 4. ſect. 3. pag. 64. col. 2.* Abſurdã vocat *Bellom. 2. to. ad 3. p. diſp. 120. c. 3. n. 39.* Ego hæreticã appellabo, quia ex illa infertur, B. Virginẽ in morte Chriſti in fide dubitaſſe, quod eſſe hæreticũ, impiũ, & blaſphemũ nullus Catholicus dubitabit: nam ſi hæreticũ eſt, & cõtra doctrinã Eccleſię in B. Virgine aliquod, vel minimũ actuale peccatũ admittere; à fortiori hæreticũ erit, aſſerere, eã in morte filij de illius diuinitate dubitaſſe. Quare in fide eſt indubitatũ, B. Virginẽ ſtantẽ iuxta crucẽ ſemper in fide perſtitiſſe, & filij reſurrectionẽ ſemper ſperaſſe, vt colliges ex *D. Ambr. de inſtitut. Virg. c. 7.* & id ſatis ſignificat Eccleſia, dũ in officio maioris hebdomadæ extinctis duodecim cereis, vnum nõ extinguit, vt ſignificet B. Virginẽ in fide ſẽper incõcuſſam perſtitiſſe; & id omnes colligũt ex verbis Ioan. 19. *Stabat autem iuxta crucẽ*, vt ex Suar. colliges in d. diſp. 4. c. 3. pag. 65. vbi plures citat: & ſatis colligitur ex illis verbis: *Vidẽs autẽ Ieſus matrem, & diſcipulũ, quem diligebat, dixit illi: mulier, ecce filius tuus: deinde diſcipulo, ecce mater tua.* Quare per gladiũ, qui iuxta prophetiã Simeonis animã Virginis pertrãſiturus erat, catholicè intelligi non poteſt gladius dubitationis, & infidelitatis.

Canniſius. Suarius. Bellom.

1. opinio authoris.

49. *B. Virgo apud crucẽ non dubitauit in fide.*

Ambr.

Obijciunt nobis Originẽ homil. 17. in Lucam, vbi expreſſe verba Simeonis intelligit de gladio infidelitatis; & expreſſius docet B. Mariam ſimul cũ Apoſtolis, & alijs diſcipulis ſcandalum dubitationis & infidelitatis paſſam fuiſſe. Cuius verba adeo ſũt expreſſa, vt Origines ab illo errore excuſari nequeat, quidquid Pamelius apud Tertullianũ de carne Chriſti c. 6. annot. 69. illum velit excuſare; & cum de gladio nõ infidelitatis, ſed doloris explicet *Sixtus Senenſis lib. 6. Biblioth. annot. 138.* Quare vel dicendũ eſt illum in hũc errorẽ incidiſſe, quæ eſt cõmunis Theologorum opinio, vt patet ex *Cãniſio in d. lib. 4. de Maria Deipara c. 27. p. 754: & ex Bellom. in 2. to. ad 3. p. diſp. 120. c. 3. n. 48.* vel ab aliquo hæretico verba illa fuiſſe inſerta, quod eſſe veri ſimile putat *Suarius in d. 2. to. ad 3. p. diſp. 4. ſect. 3. pag. 65. col. 2.*

50. *Obijcitur Origenes.*

Pamelius non admittitur.

Nec Senẽſis.

Canniſius. Bellom. Suarius.

§. *Ad Patres ergo.* Cuius probabilitas cōfirmari poteſt tum ex eo,quod *D.Thom. 3.p.q.27.art.4.ad* 2.refert Origenem per gladium Simeonis intellexiſſe gladium doloris : tum etiam quia idem Origenes homil.1.ex varijs collecta;multa,& præclara dicit de B. Virginis innocentia.

51. 2.*obijcitur Chryſoſt.* Secundo obijciunt Chryſoſtomum in enarratione Pſal.13.in hæc verba: *Quādo Chriſtus fuit crucifixus, non fuit, qui faceret bonū:diſcipuli omnes fugerunt:Ioānes nudus recedit: Petrus negat: ipſius Mariæ matris animā gladius dubitationis pertrāſijt.* Apud Surium refertur eiuſdem ſermo de Purificatione, in quo ita ait, vbi Simeon ad Virginem ita loquitur:*Quanuis ſis mater, non tamen euades ſine tentatione : nihil quidē peccaſti; ſed quando videris eū pendentem in cruce,&c.incipies dubitare,& dicere;hicne eſt, de quo mecum Angelus eſt locutus? hicne eſt, in quo fit miraculū meæ conceptionis? Virgo eram,& peperi: quare hic in cruce agitur?* & poſt multa: *Pertranſijt ergo eius quoq; animā gladius,tentatio,dubitatio.Quāobrem patitur Ieſus ad conuincendam incredulitatē,& confirmandū gratia animū credētium.*

Defēditur Chryſoſt. ¶ Sed mirum eſt, quod ſanctiſsimo Chryſoſt. impingamus, quod B. Mariā tēpore paſsionis infidelitatis, incredulitatisve accuſet:cū in Ioan.hom.19.explicās illa verba : *Stabāt autem mulieres iuxta crucē*,ita ſcribat:*& imbecillior ſexus tūc fortior apparuit:& omnia reformauit.* Qui fieri poteſt, vt Chryſoſtomus dicat,B.Mariā,quando iuxta crucē ſtabat,fuiſſe fortiorem,ſi tūc incredula fuit, & infidelis? quomodo hæc duo poſſunt ſimul ſtare; quod Chriſtus in cruce omnia in matre reformauit;& quod illa de filij diuinitate infideliter dubitauit ? Quare nunquā admittam,ſanctiſsimū,& doctiſsimū Chryſoſtomū infidelitatis culpā aliquando B. Virgini tribuiſſe:ne dum pro tēpore paſſionis, in quo illius firmitas, & conſtantia magis apparuit.Quare ad primū teſtimoniū adductū Pſal.13.dicam cūSuario, in operibus D. Chryſoſtomi nullā reperiri enarrationem in Pſal.13. Quod vero adducitur ex ſermone illius apud Suriū, parū habet authoritatis:quoniā ſermo ille inter opera Chryſoſtomi non inuenitur; nec illius ſtylū redolet : vnde non eſt,qđ propter illū ſermonē B.Chryſoſtomo tātū errorē, imò etiā blaſphemiā in B.Virginē imponamus: cū verba illius authēntica,quæ immediate retulimus,oppoſitum cōuincāt. Vtrū vero illa verba ex vtroq; loco adducta explicari poſsint de dubitatione,nō incredulitatis, ſed admirationis? alterius eſt negotij : ego puto verba poſteriora vix admittere datam explicationē,quia verba vltima,*Quamobrē patitur Ieſus,&c.*omnino illi explicationi repugnant:priora vero præcitatā explicationē non omnino reijcere:vnde & à Sixto Senēſi in d.lib.5.annot.104.ita explicātur.

3.loco obijciunt D. Baſiliū in epiſt.ad Optimū.quaſi docentem,B.Mariā iuxta crucē dubitaſſe.Sed cū hæc epiſtola inter epiſtolas Baſilij nō inueniatur,nullus eſt, qui illius verba adducat; ſolū legi *D.Thomam 3.p.q.27.4..4.ad 2. qui huius epiſtolæ faciat mentionē* : ibidē enim adducit Baſilium docentē,*B.Virginē cruci aſsiſtentem animo quidē fluctuaſſe;quatenus ex vna parte habebat teſtimoniū Gabrielis,& ineffabilē diuinæ conceptionis notitiā, ingentē miraculorū oſtenſionē: ex alia vero videbat eū pati abiectā.* Ex quibus verbis colligit D.Thomas, duplicē eſſe diſtīguēdā dubitationē, vt ſupra aduertimus; vnam infidelitatis, qua quis alicui myſterio aut formaliter diſcredit;aut formaliter eſt dubius,neutri parti aſſentiēdo:alterāvero admirationis, & diſcuſsionis.Vnde ex D. Thoma ego duplicē admirationē diſtinguo: vnā,quæ eſt ſine vlla diſcuſsione pugnantiū;&hæc ſolā rei nouitatē, ſiue altitudinē reſpicit; qualis eſt admiratio,quę ex aliquo ingēti miraculo naſcitur: & hoc modo turbæ in Euangelio de Chriſti miraculis ſæpe admirabātur.Alterā verò,quę licèt cū ſumma fiat certitudine veritatis,præ ſtupore tamē myſterij fit cū quadā diſcuſsione circunſtantiarū,quæ inter ſe vidētur habere repugnantiā; & ideo præ ſe fert quandā fluctuationē,non circa veritatē myſterij; ſed circa conſenſionem, & conuenientiā eorum,quę ſeſe offerūt:cuius cōueniētię ratio propter myſterij altitudinē ignoratur.Hac doctrina præmiſſa iam facile intelligitur id,quod ex Baſilio D. Thomas refert:etenim B.Maria dubitabat,nō diſcredendo diuinitati filij; quia de illa ſem-

per

52. 3.*obijcitur Baſilius.*

D. Thom.

Duplex diſtinguenda eſt dubitatio.

per fuit certiſsima: ſed diſcutiendo, & inter ſe conferendo ignominiam paſsionis cum diuinitate Chriſti patientis, & cum cæteris myſterijs Incarnationis, & omnipotentiæ, quam in edendis miraculis filius oſtendit. Hæc igitur diſcutiendo ſecum tacita admirabatur altitudinē cōſilij diuini. Non eſt igitur, quod magnū Baſilium adducamus, quaſi hæreticis fauentem. Vtrum vero hæc dubitatio tribuenda ſit B. Virgini? alterius eſt quæſtionis. Non omnino eam reijcit *D. Thomas vbi ſupra; nec Richolius lib. 3. de præconio, & dignitate Virginis cap. 23. quem refert, & ſatis probat Canniſius in d. lib. 5. cap. 27. pag. 753.* Ego nec iſtam admitterem: quia B. Virgo myſterium paſsionis, & finem eius clare cognouit; & de futura reſurrectione ſemper fuit certa.

D. Thom. Richolius. Canniſius,

53. *4. obijcitur Author q. noui, & veteris teſtamenti.*

Quarto loco obijciunt Authorē quæſtionum noui, & veteris teſtamenti cap. 73. apud Auguſtinum tom. 4: explicans enim præcitata verba Simeonis, dicit, *Quod etiam Maria, per quam geſtum eſt myſterium Incarnationis in morte filij dubitauit, & fuit in ambiguitate.* Sed ſi verba, quę ibi latè ſcribit, diligentius expendantur, abſq; dubio intelligēdus eſt nō de dubitatione infidelitatis, qua quis aut nō credit; aut dubius eſt, an illud ſit credēdū: ſed de dubitatione admirationis, quæ cū diſcuſſione eſt cōiuncta; quā D. Thomas appellat dubitationē admirationis diſcuſsiuæ. In quo ſenſu authorē illum explicat D. Thom. in d. q. 27. ar. 4. ad 2. & in 3. diſt. 3. q. 1. ar. 2. q. 2. ad 1. & ſatis Cāniſius vbi ſupra, cum pleriſq; alijs: quam explicationem ſatis confirmant tum illa verba: *Omnes ſtupore quodam in morte Domini, &c.* tum illa: *Quis enim non ambigeret, &c.*

D. Thom.

54. *5. loco obijcitur Tertullianus, Euthym. Hilarius. Explicatur Tertullianus.*

Tandem obijciunt Tertullianū *in lib. de carne Chriſti cap. 7. n. 69. & Euthymium* ad præcitata verba Simeonis Luc. 2. & Hilarium in Pſlm. 118. ad illa verba: *Cōcupiuit anima mea.* ¶ Sed Tertullianus in illis verbis: *Fratres Domini non crediderant in illum: mater autem æque non demonſtratur adhæſiſſe illi*, non agit de adhæſione per fidem; ſed de adhæſione, & præſentia in concionibus Chriſti audiendis, vt cum Pamelio ibidem optime aduertit Suarius in d. diſp. 4. ſect. 3. pag. 65. col. 2. in fine: quod ſatis ſignificant verba immediate conſequentia: *Cum Martha, & Maria alia in commercio eius frequentantur:* & quanuis verba præcedentia: *Fratres Domini non crediderunt in illum:* intelligantur de fide Chriſti, nihil id obſtat: quoniā Tertullianus reddit rationem, cur Chriſtus Luc. 8. & Matthæi 13. negauerit matrem, & fratres, & vult Chriſtum ideo fratres negaſſe; quia in eum non crediderunt, vt dicitur Ioan. 7. negaſſe autem matrem; quia concionibus eius non aderat. Quare non aſſerit Tertullianus B. Virginem per fidem non adhæſiſſe filio. Vtrum vero illius ratio ſit admittenda? modo nihil curamus; quia ſolum nunc contendimus, eū pro hæreticis nō eſſe. ¶ Sed nec pro illis eſt Euthymius; cum per gladium, de quo Simeon Luc. 2. nō intelligat gladium infidelitatis, ſed doloris, quo B. Virgo iuxta crucem transfixa eſt. ¶ Sed nec Hilarius pro hæreticis adduci poteſt: explicās enim quomodo Propheta in illis verbis iudiciū Dñi cōcupiſcat, cū illud ſit ſeuerisſimū, vt explicet ſeueritatem, de B. Maria ita ſcribit: *B. Mariæ animā gladius pertrāſiuit, vt reuelentur multorū cordiū reuelationes. Si in iudicij ſeueritatē capax illa Dei Virgo vētura eſt; deſiderare quis audebit â Deo iudicari?* Quibus verbis ſatis explicat per gladiū, qui animā B. Virginis pertrāſiturus erat, ſe intelligere ſeueritatē iudicij generalis, in quo omniū cordiū cogitationes reuelabuntur; & docet, ipſā B. Virginē huius iudicij ſeueritatē ſubiturā: & inde infert, timendū eſſe, & nō deſiderandū iudiciū diuinū. Hunc eſſe Hilarij ſenſum ex verbis ipſis euidēter patet, & annotauit Toletus in eodē loco Lucę annot: 56. & 58. An recipiēda ſit hæc explicatio tanquā literæ cōſentiens? negatiuè reſpōdet idē Toletus: etenī nec doctrina de ſeueritate iudicij in ordine ad B. Virginē videtur recipiēda: quia mater & regina omniū iudicandorū nullo illius iudicij timore afficietur: & ſubinde nullus huius ſeueritatis gladius animam eius pertrāſibit: & cū ab omni macula peccati immunis ſit & pura; nihil illi ſollicitudinis dabit, ſi eius cogitationes omnibus reuelētur. Sed quicquid de hoc ſit; nobis ſatis eſt, S. Hilariū nihil facere ꝓ hæreticis, cū

55. *Explicatur Euthymius.*

Explicatur Hilar.

ex verbis illius non colligatur B. Virginis vlla, vel minima infidelitatis nota.

56. *Concluſio reſolutionis.*

Concludendum eſt igitur in præcitatis verbis Simeonis Luc. 2. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, nomine gladij ſine errore intelligi non poſſe gladium infidelitatis: & per conſequens ex illo loco pro hæreticis contra catholicam veritatem inutile deſumi argumẽtum.

Quid intelligatur nomine gladij?

Si vero inquiras; quid nomine gladij in illo loco ſit intelligendum? reſpondebo, id ad nos parum referre; quia nobis ſatis eſt per illum gladium intelligi nõ poſſe gladium infidelitatis. Addimus tamen inter varias illius loci explicationes illam cõmuniorem eſſe inter Patres, & interpretes, quæ per gladium intelligit gladium doloris, quo B. Virgo mater ſtans iuxta crucem trãsfixa eſt: ita *Beda, Oecumenius, Euthymius in eodem loco: Auguſtinus epiſt. 59. ad Paulinum, & Paulinus epiſt. 58. ad eundem Auguſtinum: Damaſcenus in ſerm. de B. Virgine ad illa verba Apocalypſ. 12. Signum magnum apparuit in cœlo: Sophronius apud Hieronymum in ſerm. de Aſſumptione: Ephrem in tract. de lamentatione B. Virginis: Rupertus in Ioann. lib. 3. ad illa verba cap. 13. Cum vidiſſet ergo Ieſus matrem*: vt alios omittamus, & eſt communis explicatio inter interpretes ſacræ Scripturæ antiquiores, & nouiores: quã communiter probant Theologi ſcholaſtici: videndi ſunt *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 4. ſect. 3. pag. 64. col. 2. & Vaſquez, Bellomontanus 2. to. ad eandem 3. partem diſp. 120. cap. 3. n. 40.*

Beda. Oecumen. Euthym. Auguſt. Paulin. Sophron. Ephrem. Rupertus.

Suarius: Bellomont.

Ad tertium fundamentum ex illis verbis, Vinum non habent, *Ioannis. 2.*

57. *Ad 3. fũdamentum ex Ioan. 2.*

¶ Tertium fundamentum ſumitur ex eo, quod Ioan. 2. ſcribitur, tum de Beata Virgine dicente, *vinum non habent*; tum de Chriſto reſpondente, *Quid mihi & tibi eſt mulier?* ex quibus verbis hæretici noſtri temporis concludunt, B. Virginem fuiſſe à filio ob aliquod peccatum obiurgatam, & reprehenſam. Et id nonnulli confirmant authoritate *Athanaſij ſerm. 4. contra Arianos, Auguſtini lib. 2. de Symbol. ad Cathecumenos c. 5. tom. 9. Chryſoſtomi homil. 20. in Ioan. Theophylacti*, & *Euthymij in eodem loco: Irenæi lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 18. paulò ante finem, pag. 277. in finè: Nyſſeni in orat. ad illa verba Pauli: quando ſibi ſubiecerit omnia, pag. 567. denique Amonij in catena Græcorum*.

Citantur nõnulli Patres.

Quodnam fuerit hoc peccatum? non omnes conueniunt: quidam ex hæreticis docent, Beatã Virginem ambijſſe honorem Meſsiatus. Alij appetijſſe vanam gloriam: tertio loco alij eam accuſant, quod ſine neceſsitate vana quadã ſollicitudine vini defectũ filio nunciauerit. Quarto alij eam notãt, quod intempeſtiue miraculum petierit. Quinto loco alij dicunt eam nõ ſatis prudenter miraculum petijſſe: quia illud, ne ſuſpectum foret, ex parte ſponſi petendum erat. Tandem alij volunt eam iure maternitatis filio, vt ſibi ſubdito, præcepiſſe, vt faceret miraculum.

58. *Quodnam fuerit peccatum B. Virginis?*

His tamen non obſtantibus ſtatuendũ eſt, & conſtanter aſſerendum, *B. Virginẽ hoc loco nullius, vel minimæ, culpæ notari poſſe: & damnandos eſſe hæreticos, quod ex hoc loco oppoſitum colligant*. Et quidem quod annuntiando defectum vini nihil culpabile egerit, nihilque reprehenſione dignum, non poteſt conſtanter non affirmari: quia Catholica fides in Tridentino explicata, & ſuperius §. 2. à nobis latè confirmata, docet, in B. Virgine Maria nec minimum veniale fuiſſe.

59. *Opinio catholica liberat Beatam Virg.*

Deinde, quia communis eſt Patrum doctrina, B. Virginem hoc loco egiſſe opus ſumme laudabile, & plenum pietatis, & charitatis. Hoc ſatis ſignificant Patres, qui dicunt, verba illa Chriſti: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* non eſſe verba reprehenſionis: ita ſenſerunt *S. Maximus, S. Gaudentius Brixienſis, Iuſtinus martyr, D. Bernardus, Auguſtinus, & plures alij ſtatim referendi*. In terminis id docuit Iuſtinus martyr quæſt. 136. contra gentes ſcribens, *Chriſtum ſuam honoraſſe matrem: & B. Virginem præ amore voluiſſe, ne vinum deficeret*.

Verba illa non eſſe reprehenſionis volunt Patres.

Iuſtinus.

Diuus etiam Bernardus idem docet pluribus in locis: nam ſerm. 1. in prima Dominica poſt octauam Epiphaniæ fol. 119. H. ita ait: *Deficiente vino dicit mater ad eum, vinum non habent: compaſſa eſt enim eorum verecundiæ, ſicut miſericors, ſicut benigniſsima. Quid de fonte pietatis procederet, niſi pietas? quid mirum ſi pietatem exhibent viſcera pietatis? & in 2. ſerm. eiuſdem Dominicæ*

60. *D. Bern.*

*minicæ pag.122.E. ita ſcribit: nam ſi com-
paſſa eſt verecundiæ illorum, à quibus fuerat
inuitata; multo magis cõpatietur nobis, ſi pie
fuerit inuocata.* Idem in tract. Sermon. in
Idẽ Bern. ſermon. de Virgine Maria ad illa verba
Appocalypſ. *Signum magnum, & cæt.* vbi
pagina. 345.B. poſtquam multa dixit de
Virgine Maria, & ſimul ſcripſit: *vbi enim
aliquãdo loquax? vbi præſumptuoſa fuiſſe
videtur?* In huius rei confirmationem
ex ſerm. quem & ad Chriſtum filium, &
ad miniſtros dicit, ita ſcribit: *Et is quidẽ
ſermo certiſsimus index ingenitæ manſuetu-
dinis, & Virginalis verecundiæ fuit: aliorum
quippe verecundiam ſuam reputans, ſuſtinere*
61. Iterũ Bernard. *non potuit: non potuit vini diſsimulare de-
fectum.* Denique in tract. de gradibus hu-
militatis poſt duodecimum gradum pag.
1277.B. ita ſcribit: *Diſce & in Matre Do-
mini verecũdia decorare fidẽ: reprimere præ-
ſumptionem: vinũ (inquit) non habent: quã
breuiter, quam reuerenter ſuggeſsit vnde pie
fuit ſolicita? Et vt diſcas in huiuſmodi magis
pie gemere, quam petere præſumptuoſe pieta-
tis æſtu: pudore temperans vmbra conceptã
precis fiduciã, verecundè ſuppreſsit: non fron-
toſe acceſsit: non palam locuta eſt, vt auda-
cter coram omnibus diceret: obſecro fili de-
ficit vinum, contriſtantur conuiuæ, confun-
ditur ſponſus: oſtende quid poſsis. Sed licet
hæc, aut multo plura pectus æſtuans, feruens
loqueretur affectus: priuatim tamen potentẽ
filium mater adijt, non potentiam tentans, ſed
voluntatem explorans; vinum (inquit) non
habent. Quid modeſtius? quod fidelius? non
defuit pietati fides, non grauitas, efficacia vo-
to. Si ergo illa, cum mater ſit, ſe matrem obli-
ta non audet petere miraculũ vini. &c.* Qui-
bus verbis nihil elegantius dici potuit,
nihil clarius ad cõfundendam hęreticorũ
62. Metaphraſtes. audaciam.

¶ Cum D. Bernardo cõſentit *Metaphra-
ſtes in orat. de vita B. Virginis, & cum eo
Euſebius Emiſſenus in homil. Dominicæ ſe-
cundæ poſt Epiphaniam:* quare ex doctrina
Patrum B. Virgo maximè laudanda eſt:
etenim ex ipſa Euangelica hiſtoria luce
clarius colligitur, B. Virginẽ alienis, ma-
ximè conſanguineorũ, incommodis cõ-
motam, non rogatam, ſed ſponte pro de-
pellenda ſponſi ignominia apud filium
interceſsiſſe: quod charitatis potius, &
miſericordię viſcera, quã ambitionis affe-
ctum demonſtrat, *Deficiente vino dicit
Mater IESV ad eum,* inquit Ioannes.
Studebat igitur ſollicita pietate aliorum
defectus ſubleuare; idque non affectatis
verbis, & alta voce prolatis, ſed ſecreto
ad filium accedens; voce ſubmiſſa, & ad
aurem locuta vini defectum vnico dun-
taxat verbo inſinuauit: quod, vt ait
Emiſſenus, modeſtiæ potius ſignũ eſt,
quam ambitionis argumentum.

Sed tertio loco id euidẽtius fiet, ſi ſin- 63.
gulas vitij notas expendamus: etenim 3. Confirmatio.
quod B. Virgo honorem Meſsiatus am-
bierit; nullus, niſi hæreticus hæretica in-
uerecundia potuit aſſerere: vnde nec alij
eiuſdem tẽporis hæretici viderunt, vnde-
nam hoc ambitionis genus colligi poſset:
vt notarunt Caluinus, Loſsius, Georgius
Maior, & alij. ¶ Sed nec ex verbis Euã- Liberatur à vana gloria.
gelij aliqua ratio captandæ vanæ gloriæ
ſumi poteſt: etenim, vt diximus, vnico
tantum verbo filium allocuta eſt, *Vinum
non habent;* & illud non alta voce coram
omnibus profert, ſed ſecreto ad aurem,
& voce ſubmiſſa: *quod* (vt optimè aduer-
tit Euſebius) *potius modeſtiæ argumentũ
eſt, quam ſignum vanam gloriam ambientis:* Euſebius.
& D. Bernardus in d. ſermon. de gradibus Bernard.
humilitatis in verbis ſupra citatis multa
adducit argumenta, quibus vanæ gloriæ
ambitionem excludit.

¶ Quare D. Chryſoſtomus homil. 20. in 64.
Ioannem dum ait: *Optabat vt iam homi-* Exceſsit D. Chryſ.
*num gratiam conciliaret, & ipſa clarior filij
gratia effeeretur: & fortaſſe aliquo humano
afficiebatur affectu, quemadmodum, & fra-
tres eius, cum dixerunt: oſtende te ipſum mũ-
do, cupidi eius miraculis ſibi gratiam compa-
rare:* in his (inquam) verbis Sanctiſsi-
mus Chryſoſtomus exceſsit, vt expreſſe
ſcribit *D. Thomas 3. p. q. 27. articul. 4. ad 3.* D. Thom.
Vtrùm autem patiantur ſenſum, quibus
ea explicari poſſe affirmat D. Thomas?
aliorum ſit iudicium: repugnant enim
illa verba: *aliquo humano afficiebatur affe-
ctu;* quæ non ad audientium æſtimatio-
nem, ſed ad proprium ipſius affectum re-
ferri poſſunt. ¶ Cum Chryſoſtomo 65.
aliquo modo exceſsit Euthymius in iiſdẽ Exceſsit Euthym.
verbis, quatenus inquit: *Beatam Virginẽ
ſuam gloriam voluiſſe per filij potentiam*

demõſtrare. Quibus verbis ſi nõ expreſſe affectum vanæ gloriæ explicat, vt explicauit Chryſoſtomus: ſatis tamen illum indicat. ¶ Theophylactus autem nihil dicit, quod cum Chryſoſtomo cõſentiat; quanuis ab aliquibus pro illo citetur.

66. *Liberatur à vana ſollicitudine.* Quod tertio loco adducitur, B. Virginem ideo à filio reprehenſam, quod vana quadam ſollicitudine defectum vini filio denunciauerit, opinio fuit hæreticorum: ita enim docet Pellicanus hæreticus in eodem Ioannis loco; & ad hanc ſententiam videtur accedere Caluinus in Harmonia Euangelica; dum non ambitionis, aut alicuius carnalis affectus Virginem accuſandam cenſet; ſed quod fines ſuos exceſſerit: & inde vterque infert, eam ſcientem, & volentem non peccaſſe, ſed per ignorantiam. Sed quomodo B. Virgini ſollicitudo vana fuerit, & quomodo fines ſuos exceſſerit, non facilè explicabunt iſti hæretici; quin potius ſollicitudinem eius piam fuiſſe, expreſſe teſtatur *D. Bernardus in d. ſerm. de gradibus humilitatis,* (*D. Bern.*) inquiens: *quam breuiter; quam reuerenter ſuggeſſit? vnde pie fuit ſollicita.* Sed cum hi hæretici ſupponunt in hac Beata Virginis ſuggeſtione, *vinum non habent,* fuiſſe culpam ſaltem ignorantiæ; damnãdi ſunt; cum fides prædicet, nullum, nec minimum, vitium, aut peccatum, etiam ignorantiæ, in B. Virgine pro tota vita fuiſſe.

67. *Liberatur ab intempeſtiua petitione.* *Chryſoſt.* *Irenæus.* Quod 4. loco adducitur, B. Virginem ideo reprehẽſione dignam, quod intẽpeſtiue miraculũ petierit, expreſſe aſſerit *Chryſoſtomus in dicta homil. 20. in Ioan. pag. 86. B,* dum explicat, *filios parentibus non eſſe obtemperaturos, cũ aliquid intempeſtiue petunt.* Quod etiam docuit Euthymius ad illa verba. *non dum venit hora mea,* & *Irenæus lib. 3. contra gentes ca. 18. pagin. 277. B.* quatenus ſcilicet ante tempus miraculum petebat, cum defectus vini nondũ omnibus notus eſſet. (*Toletus.*) Verum, vt optimè annotauit Toletus *ad præcitata Ioannis verba annot. 6. §. Quod de ſecunda diximus*: hæc cauſa non ſolum nulla eſt, ſed nec aliquid continet dignũ reprehenſione. Quod cauſa adducta nulla ſit, ex eo probat Toletus; quia B. Virgo à filio non petiit, vt ſtatim defectui ſubueniret; ſed quando, & quomodo ille vellet. Ego addo, ſubuentionẽ defectus, qui iãiam imminet, non intempeſtiue peti: vinum autem iamiam deficere ſatis indicant verba Ioannis: *Deficiente vino, acceſsit Mater IESV ad eum.* Quod vero intempeſtiua illa petitio nullam, vel apparentem, culpæ ſpeciem habeat, ex eo euidẽter patet; quia res, quã petebat, iuſta erat: vnde à Chriſto non multo poſt fuit conceſſa. Quod vero petierit ante tempus à Chriſto ſtatutum, & determinatum, id petitionem vitioſam non faciebat; cum ipſa id ſcire non teneretur. Vide Toletum vbi ſupra.

Quod adducitur quinto loco, probatum fuit Chryſoſtomo, Theophylacto Atque Euthymio, qui docent ideo fuiſſe reprehenſam; quia petijt id, quod ab ipſo ſponſo, & alijs petendum erat, vt miraculum ſuſpectum non foret. Sed profecto, nec cauſa ſatis eſt ſufficiens; cũ filius miraculũ fecerit ſponſo, cæteriſque domeſticis: nec erat digna reprehenſione B. Virgo; quia nullam in eo culpam cõmiſit, ſi pietatis cauſa voluit domeſticos præuenire. 68. *Liberatur à 5. cauſa quod peteret quod ad eam nõ pertinebat.* *Euthym.*

Denique ſexta, & poſtrema cauſa adducitur ab *Auguſtino lib. 2. de Fide ad Cathecumen. cap. 1.* quod ſcilicet ideo reprehenſa fuerit, quod iure maternitatis filio, vt ſibi adhuc ſubdito, præceperit, vt faceret miraculum: quam etiam cauſam approbauit *Nyſſenus in orat. ad illud, quãdo ſibi ſubiecit omnia* pag. 567. poſt principium. Sed verba iſta B. Virginis non eſſe imperantis, ſed intercedentis, & deprecantis, expreſſe ſcribũt *Hillarius lib. 3. de Trinit. Ambroſ. ſerm. 16. in Pſal. 118. verſ. 6. & Cyrillus lib. 2. in Ioann. capi. 23.* quod non imperet filio expreſſe ſcribit *Gilbertus Abbas ſer. 46. apud Bernard. p. 692.* & in terminis Bernar. *in d. ſerm. 1. in 1. Dominica poſt octauam Epiphaniæ pagi. 123. G. & in d. ſerm. de gradibus humitatis.* Denique *Auguſtinus in tract. 8. in Ioann.* explicans illa eadem verba ab hac abſtinuit ſententia: & merito, tũ quia, vt bene annotauit *Toletus vbi ſupra, §. Ea imprimis cauſa,* verba illa ſimpliciter prolata: *dixit ad eum, vinum nõ habent,* rogãtis ſũt, non pręcipientis, vt omnes fere Patres 69. *Liberatur ab vltima cauſa quod petierit imperãdo.* *Auguſt.* *Nyſſen.* *Hilar.* *Ambroſ.* *Cyrill.* *Gilbert.* *Bernard.* *Auguſt.* *Toletus.*

anno-

annotauit: tum quia non eſt dicendum, B. Virginem ignoraſſe Chriſtum in miraculis, & operibus diuinitatis ſibi nõ eſſe ſubiectũ. Acceſsit igitur ſuppliciter deprecans, vt miraculo ſubueniret defectui, certò ſciens, quod preces eius, ideo quia mater erat, apud filium plurimum authoritatis habituræ erant: & ideo dixit miniſtris: *Quodcunque dixerit vobis, facite.*

70. *Obiectio ex verbis Chriſti obiurgãtis.* At inques; verba illa, *quid mihi, & tibi eſt mulier?* eſſe verba reprehenſionis, & repulſæ: nã id teſtantur *D. Athanaſius ſerm.4. contra Arianos pag.261. A.* ita inquiens, *& conuertens aquam in vinum increpuit matrem dicens; nondum venit hora mea: Chryſoſtom⁹ in dicta homil.20. in Ioan. pag.86.* vbi non ſolum affirmat, *verba illa aſpera ad matrem dicta fuiſſe; ſed etiam cum indignatione.* Quod Chriſtus his verbis eã corripuerit, affirmat *Euthymius in eiſdem verbis.* Quod eam increpauerit ſcribit *Theophylactus*; quod ſint verba repulſæ teſtatur *Irenæus lib.3. capit.18. pag.277. col.1. ad finem.* Quod illius conſilium reiecerit affirmat *Nyſſenus in oratione citata.* Quod eam admonuerit aſſerit *Auguſtin. lib.2. de Symbolo ad Cathecumenos capit. 5. pag.298.* Iam vero reprehenſio, & repulſa non datur nulla præcedente culpa.

Athanaſ. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Irenæus. Nyſſen. Auguſt.

71. *Quod verba Chriſti non ſint reprehenſionis qui tenuere.* ¶ Huic obiectioni negandum eſt, verba illa fuiſſe increpationis, aut reprehenſionis, quod aduertit *Iuſtinus Martyr q.136. contra gentes,* ita ſcribens: *Illud. quid mihi, & tibi mulier? non ad obiurgationẽ dictum eſt Matri à Saluatore.* Et hanc ſententiam probat *Toletus vbi ſupra §. Secunda reſponſio:* Maldonatus tamen ad eadem verba pag.1362. putat hæc verba ſpeciem habere reprehenſionis; nullam tamen reprehenſionem continere: additque, illud prius à nullo prudenter negari poſſe. Sed cum nulla adſit cauſa reprehenſionis, aut repulſæ; quia B. Virgo ex communi Patrum doctrina ſumma cum pietate, & charitate defectum vini filio nunciauerit; vtique nullum video prudentiæ fundamentum, vt dicamus, hæc verba ſpeciem reprehenſionis continere: etenim ſicut nulla poteſt dari vera reprehenſio, vbi nulla datur culpa: ita etiam nulla dari poteſt ſpecies reprehenſionis, vbi nulla poteſt dari ſpecies ſiue apparentia culpæ: nec iuſtum erat, vt filius matrem apparẽter reprehenderet, ſi nulla offerebatur culpæ apparentia. Quare cum Iuſtino, & Toleto puto verba iſta, nec ſpeciem reprehenſionis habere. Nec ex phraſi filij, 72.
quid mihi & tibi eſt mulier? apparentia reprehenſionis colligi poteſt, vt Toletus probat ex phraſi, qua Dæmon ad Chriſtum vſus fuit Matthæi, & Luc. 8. *quid mihi, & tibi?* Dicimus igitur verba illa: *quid mihi, & tibi eſt mulier?* non eſſe verba iraſcentis, obiurgantis, reprehendentis, arguentis, aut repellentis ob aliquam culpam; ſed inſtruentis potius de myſterio, & admonentis aduertentiſque de illo. Vnde Auguſtin. in dict. lib.2. de Fide ad Cathecumenos cap.5. verba illa non appellat reprehenſionem, ſed ſolum admonitionem, qua de aliquo myſterio admonebat: & inde eſt, vt mater verba illa ægre non tulerit; ſed potius edocta interius de myſterio dixit ad miniſtros, vt facerent, quod ille iuberet. In eodem ſenſu verba explicat *S. Maximus homilia 1. in feſto Epiphaniæ: Sciebat (inquit) Mater ſancta obiurgationem illam Domini, & filij ſui non iraſcentis offenſam continere; ſed miſerantis portare myſterium. Gaudentius etiam Brixienſis Ambroſio contẽporaneus in trac.9. qui eſt 2. lect. Euang. tom.7. bibliot. Patrũ p.77.* expreſſe docet illã B. Virg. de vini defectu ſuggeſtionem nõ fuiſſe à Chriſto aſpernãter acceptã, ſed ſecũdum ſpiritualem rationem in myſterio tunc delatam: ita enim ſcribit; *Nõ ad obiurgationem dictũ eſt Matri à Seruatore: ſed quaſi hoc demonſtrare voluit: non enim nos ij ſumus, qui curam ſuſceperimus vini, quod in nuptijs conſumitur: tamen præ amore, ſi vis, ne deficiat, dic miniſtris: & cæt.* Bernardus etiam in dict. ſerm. 1. *in Dominica ſecũda poſt Oct. Epiphaniæ,* poſtquam declarauit verba illa à filio non fuiſſe dicta reprehẽſionis gratia, ita ſcribit: *Vt quid ergo fratres: vt quid ſic reſpondeat? vtique propter nos, vt doceat, &c.* Expreſſe id docet *Auguſtinus tract. 8. in Ioan.* agens de aduentu Chriſti ad nuptias, pa.31. col.2. B. vbi ita ait: *Certe ſacramenti gratia videtur matrem, de qua ſponſus proceſsit, non agnoſcere, & dicere illi, Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Deinde ex

S. Max. Gaudẽtius D. Bern. Auguſt.

Iuſtinus. Toletus.

ponit

ponit quidnā ſacramenti hęc verba cōtineāt: quod etiam inuenies in Gloſſa Ordinaria ex Auguſtino in eodem loco: & hęc eſt omnium interpretum explicatio. *Vide Caietanum, & Toletum in eodem loco, & Canniſium lib.4. de Maria Deipara cap.20. vbi alios citat.*

Caietan. Toletus. Canniſius.

73. *Reſolutio.*

Sed quid myſterij nos doceat Chriſtus longum eſſet explicare: & ab hoc labore ſuperſedemus, quia ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt oſtendere, ex hoc loco colligi non poſſe, B. Virginem aliquam culpā cōmiſiſſe; quod probauit euentus: quia Chriſtus ad matris petitionem, aquam conuertit in vinum: & Virgo optimè intellexit hanc fuiſſe filij voluntatem, dū miniſtris iuſsit, vt facerent, quicquid filius illis præciperet: & Chriſtum ob hanc cauſam voluiſſe à matre interpellari docuit Cyrillus lib.2. in Ioan. cap.23. & 24. & B. Virginem hac in parte habuiſſe ſpiritum prophetiæ docuerunt S. Maximus S. Gaudentius, & S. Euſebius in Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, & eſt communis Sanctorum doctrina.

Ad quartum fundamentum ex verbis Matthæi 12. Lucæ 8. & Marci 3.

74. *Ad 4. fundamentum ex Matth. 12. & Lucæ 8. & Marc. 3.*

¶ Quarto loco hæretici ſumunt fundamentum ex hiſtoria relata Matthæi 12. Luc. 8. & Marc. 3. vbi nonnulli dixerunt Chriſto: *Ecce mater tua, & fratres tui ſtant foris volentes te videre*: Chriſtus autem reſpondit illis *Quæ eſt mater mea? & qui ſunt fratres mei?* & oſtenſis diſcipulis ait: *Ecce mater mea, & fratres mei: quicūq; fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Ex quibus verbis hæretici ſupra citati c. 3. in quarto loco plures contra B. Virginem culpas deducunt: cum quibus facit *Chryſoſtomus homil.20. in Ioan. & homilia 45. & 46. in Matthæum: vbi etiam Theophylactus & Euthymius: atque Tertullian. in lib. de carne Chriſti cap.7. pag.653. & lib. 4. aduerſus Marcionem c.19. pag.854. Cyprianus etiam in ſermone de Paſsione Domini cap.4.*

Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Tertul.

75. Sed cum cōmunis fides Eccleſiæ in B. Virgine nullā, etiam minimam, culpam agnoſcat, neceſſario infertur, deceptos eſſe hæreticos, dum ex hoc loco aliquam culpam illi attribuunt. Quare à citatione Sanctorum, qui hanc veriſsimam doctrinam ſcribunt, conſulto ſuperſedemus: ſingulas tamen culpas, quas ex his verbis deducunt diligenter expendamus.

Quod ex præcitatis verbis B. Virgo ambitionis, & vanæ gloriæ accuſari non poſsit, non ſolum Catholici docent, ſed etiam ex hæreticis Caluinus, Zuinglius, & Eraſmus, vt refert *Canniſius libr.4. de Maria Deigratia cap.21. pag.709. & cap. 22. pag.783.* nam licet de nonnullis Chriſti fratribus id ſentiendum ſit in capit.7. Ioan. vt docet *Auguſtin. tract.28. in Ioan.* tamen ex hoc loco nihil ambitionis non ſolū in B. Virgine colligi poteſt, ſed nec in fratribus Domini, eius. ſ. cōſanguineis, qui matrem comitabantur. Vnde merito ſcribit *D. Thomas 3. p. q. 27. art. 4. ad 3.* D. Chryſoſtomū exceſsiſſe, dum homil. 45. in Matthæum poſt principium affirmat, *manifeſtum eſſe, quod ſolum ex vana gloria hæc faciebat, & ambitione quadam, & oſtentatione commota.* Simili modo exceſsit Theophylactus in eodem loco, dū eadem fere verba ſcribit. 76. *Nō poteſt accuſari ābitionis & vanæ gloriæ: Canniſius. D. Thom. Chryſoſt.*

Sed nec B. Virgo accuſari poteſt inciuilitatis, & importunitatis, quod præpoſtere prædicationē Chriſti impedire voluerit: nihil enim veriſimilitudinis habet hęc accuſatio. Nec excuſanda eſt ex eo capite, quod mater eum non vocauit, ſed quidam non iuſſus eum de aduentu matris certiorem fecit: quoniam (vt optimè aduertit *Ianſenius in dicto. cap.50. ſuæ Concordiæ*, & poſt eum Toletus *in ca. 8. Lucæ ad eadem verba annot. 38.*) cōſtat ex Marci cap. 3. Matrem & fratres miſiſſe ad eum nuncium, qui eum vocaret: ita enim ait: *Et veniunt mater eius, & fratres, & foras ſtantes* (quia. ſ. ad eum præ turba accedere non poterant, vt ait Lucas cap.8.) *miſerunt ad eum vocantes eum, & ob id nuncius dixit: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te.* Nec etiam excuſanda eſt ex eo capite, quod miſerunt ad eum, vt ille locum opportunū ad audiendum eis pararet; quicquid id affirmet *Canniſius lib.4. de Maria Deipara cap.21. pag.710. D.* quoniam ex Matthęi cap. 12. conſtat veniſſe matrem, & fra- 77. *Nō poteſt notari inciuilitatis, & importunitatis. Ianſen. Toletus.* 78. *Nec. 2. Canniſ.*

tres

tres, vt eum alloqueretur: *Ecce* (inquit) *Mater eius, & fratres ſtabant foris quærētes*
Vera ratio. *loqui:* & ſatis id patet ex verbis nuncij, *quærētes te.* ſ. alloqui: cōſtat etiā ex Marci c. 3. eos veniſſe ad Chriſtum vocantes. Miſerunt igitur vocantes eum: non quidem vt relicta prædicatione ſtatim veniret; ſed vt ſciens eos ibidē adeſſe, ad eos
Heſſelius. veniret, quando ei placeret: in quo ſenſu locum iſtum intellexit *Heſſelius in explicatione ſalutationis Angelicæ cap. 12.* in quo ſenſu nulla in vocando poterat eſſe intēpeſtiuitas, nulla importunitas, nullauè prædicationis interpolatio.

79. Alij dicunt, eos pietatis cauſa illū vocaſſe, vt. ſ. ad panem manducandum eum ſecum adduceret, ſiquidem ad prandendum nullus ei locus relictus erat, vt dicitur Marc. 3. Quæ explicatio placuit *Ian-*
Ianſen. Caietan. *ſenio in d. cap. 5. & Caietano.* Hæc autem vocatio, & ſermonis interpolatio, cū nitatur pietate, nihil vitij continere poterat: etenim aliquando fieri cum merito poteſt, vt prædicatio interpoletur, vt corporali neceſsitati ſuccuratur; maximè cum totum hoc voluntati Chrſti, & diſcretioni relinqueret. Quare talis vocatio, etiam ad relinquendam prędicationem, ſine vitio fieri poterat.

80. Alia explicatio. Dici etiā poteſt, quod licet Marcus dicat matrē, & fratres veniſſe, & foris ſtantes per nūcium eum vocaſſe, tñ mater nō vocauit, ſed fratres: quia tamen ſimul cū conſobrinis veniebat, talis vocatio etiam tribuitur matri: quæ expoſitio non diſplicet Ianſenio loco citato. Sed nec fortè
Hierony. diſplicere poteſt explicatio *D. Hierony. in d. cap. 12. Matthæi tom. 6.* (quanuis diſpliceat Tertulliano) nuncium. ſ. iſtum nō ſimplici, & bono animo vocationem nūciaſſe, ſed inſidioſe, & malitioſe, vt. ſ. videret, an ſpirituali operi carnem præferret, & ſanguinem: & ob id Chriſtum indigne tuliſſe nuncium, & cum myſterio docendo dixiſſe: *Quæ eſt mater mea: & qui ſunt fratres mei?* nō vt matrem reijceret, cui ſemper debitum honorem impēdit, ſed vt ſpiritualem maternitatem, vt digniorem, doceret; in qua ſuam matrē non excludebat, ſed includebat potius.

81. Reſolutio. Itaque propter has, & alias rationes, quas affert *Canniſius in d. lib. 4. de Maria Deipara cap. 24.* Sancti docent, Chriſtum ijs verbis matrem nec negaſſe, nec reprehendiſſe, ſed nos de myſterio inſtruxiſſe; in quo omnes Patres conueniunt, ſc. *D. Hieronymus in d. cap. 12. Matthæi, Auguſtinus epiſtol. 38. tom. 2. Iuſtinus martyr in quæſtionibus Gentilium q. 136. Ambroſius lib. 6. in Luc. c. 32. Beda in Lucam cap. 8. vbi etiam Anſelmus. Vide Canniſium in d. lib. 4. cap. 21. 22. & 23.* Canniſius. Hierony. Auguſt. Iuſtinus. Ambroſ.

82. Ad Cyprianum. Quod vero Cyprianus in ſerm. de paſſione Domini cap. 4. dixit: *Chriſtum hoc in loco matri denegaſſe colloquium, & auditores verbi matri prætuliſſe*: ſanum debet habere ſenſum: nec enim vult, Chriſtum matri colloquium denegaſſe propter aliquod demeritum; ſed propter myſteriū; vt ſcilicet oſtēderet, in opera Euāgelij auditores verbi carnali propinquitati eſſe præferendos: in quo dignitati B. Virginis nihil derogat: etenim illa beatior fuit quia Deum mente concepit, quā qa ventre, vt dicitur apud Lucam. Vide *Canniſium in d. lib. 4. cap. 29. pag. 780. & 781.* Canniſius.

83. Non poſſunt hi Patres a culpa liberari. Tertullianum, & Chryſoſtomum, & Theophylactum nonnulli interpretātur, vt B. Virginem alicuius vitij non arguāt, vt videre eſt apud Sixtum Senenſē *libr. 6. Bibliothecæ ſanctæ annot. 58, & apud Pamelium in Tertullianum de carne Chriſti n. 69: pag. 666. & ſatis ſignificat D. Thomas 3. p. q. 27. art. 2, ad 3.* Cæterum adeo clare loquūtur; vt excuſandi nō ſint ab exceſſu, ſicut nec excuſatur D. Chryſoſtomus, quod placet *inſigni Paiuæ lib. 5. defenſ. Tridentinæ Synodi fol. 352. pag. 1.* etenim Tertullianus de Carne Chriſti pag. 653. num. 69. & lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 19. pag. 854. B. Virginem ab incredulitate non liberat, & expreſſe docet pro culpa aditum illi fuiſſe negatum, & alios ei fuiſſe prælatos: quod iam ſine hęreſi dici non poteſt. Notandum etiam contra Tertullianū dū ſignificat B. Virginē, & fratres Chriſti noluiſſe domū ingredi ad Chriſtum audiendū: hoc enim verū non eſſe euidenter conſtat ex verbis Luc. 8. ex quibus cōſtat, illos non potuiſſe adire Chriſtum præ turba, & ob hanc cauſam ad eum nuncium miſiſſe: quod etiam contra Chryſoſtomum notauit Ianſenius loco citato. Paiua. Tertul.

Ad

Ad quintum fundamentum ex Hiſtoria de Puero perdito.

¶ Quinto loco, obijciunt nobis hæretici
84. *Ad 5. fundamentũ.* hiſtoriã de amiſsione pueri IESV ſcrip-
tam à Luca cap. 2. In qua hiſtoria primo
accuſant B. Virginem grauiſsimæ negli-
gentiæ, quod pignus ſibi à Patre creditũ,
& demandatum, tam negligenter amiſe-
rit: ita ex Luthero, Melantone, Brentio,
Loſsio, & Centurionibus refert Canni-
ſius lib. 4. de Virgine Deipara c. 15. poſt
principium. Secũdo eam accuſant, quod
2. *Diffidẽtiæ.* non ſolum immoderate de amiſsione fi-
lij doluerit, & illi indignata fuerit, ſed etiã
quod doluerit improbe, & diffidẽter, ex-
iſtimans, quod ſicut Eua mundum gula
perdidit; ita ipſa ſua negligentia Sal-
uatorem mundi amiſerit, fueritq; impe-
dimentum remedio mundi: & hinc in-
ferunt, B. Virginem fuiſſe peiorem Eua.
Tertio illã accuſant, quod filio inter Do-
ctores inuento dixerit: *Fili, quid feciſti*
3. *indignationis.* *nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes*
quærebamus te: volũt enim hæc verba di-
cta eſſe à Virgine cum commotione, ex-
poſtulatione, & iurgatione, vt ita ſuũ in
illũ imperiũ oſtẽtaret. Vnde præter ex-
plicatum peccatum indignationis contra
filium, eam 4. loco accuſant ambitionis,
3. *Ambitionis.* & vanæ gloriæ: ita ex Bullingero, Cen-
turionibus, alijsq; hæreticis refert Canni-
ſius in d. lib. 4. c. 17. pag. 674. D. & 675.
A: quẽ errorem ex eo confirmant, quod
Chriſtus matri etiam cũ obiurgatione, &
expoſtulatione reſponderit: *quid eſt, quod*
me quærebatis? neſciebatis, quod in his, quæ
Patris mei ſunt, oportet me eſſe.

Ad hæc omnia primum dicimus, nec
85. *Nullius culpæ eſt notanda B. Virg.* B. Virginem, nec Sanctiſsimum Ioſephũ
eius ſponſum, & Chriſti nutritium ali-
cuius culpabilis negligẽtiæ accuſari poſſe:
quod non ſolum ex eo probatur; quia fi-
des docet, in B. Virgine nullã, vel mini-
mam, culpam eſſe admittendam; ſed etiã
ex eo, quod nullus eſt ex Patribus, qui
pro B. Virgine ab aliqua negligentiæ no-
ta liberanda aliquid ſcribat: non ob aliam
rationem, niſi quia in hoc nullam incurię
aut negligentiæ notam agnoſcunt. Quod
non ſolũ faciunt Catholici, ſed pleriq; ex
hæreticis: etenĩ (*vt refert Cannisius vbi ſu-*
pra c. 15. pa. 664. D. & 66. p. 5. A.) Zuin-
glius, Bulingerus; & Caluinus B. Virginẽ
ab omni negligentiæ culpa excuſant: & *Nec ea norunt plures ex hæreticis.*
in hoc quidem rectè; quoniã id ſatis eui-
denter colligitur ex verbis Lucæ 2. *Et re-*
manſit puer IESVS in Hieruſalem; & non
cognouerũt parentes eius; exiſtimãtes aũt eũ
eſſe in comitatu, venerũt iter diei vnius. Quę
verba ideo ab Euangeliſta fuerunt addu- 86.
cta, vt oſtenderet abſque omni culpa 1. *Ratio.*
parentes ignoraſſe, quod IESVS in
Hieruſalem remanſerit: etenim non ſine
probabili fundamẽto exiſtimare potue-
rũt, eũ venire in comitatu cũ amicis, & no
tis: etenim inter illos hoc ſatis conſuetũ
erat, vt pueri cum alijs notis ſimul veni-
rent: nec B. Virgo, & Ioſeph ad Paſcha
celebrandum puerum hac prima vice ſe-
cum in Hieruſalem adduxerunt; vnde
merito potuerũt exiſtimare, eum in co-
mitatu cum alijs venire, cũ in feſtis præ-
cedentibus cum illis in comitatu venerit,
Quin potius non potuerunt non veriſi-
militer exiſtimare, quod filius adhuc pu-
er, alioquin obſequentiſsimus illis inſcijs
potuerit in Hieruſalem remanere, vt be-
ne aduerterunt *Ianſenius cap. 12. ſuæ Cõ-* *Ianſenius.*
cordiæ, & Cannisius libro 4. de Maria *Cannisius.*
Deipara c. 15. pag. 662. & Toletus in d. capi. *Toletus.*
2. Lucæ annota. 70, vbi etiam Maldonatus *Maldon.*
verſ. 44. pag. 995. in fine; Suar. 2. tom. ad 3.
p. diſp. 4. ſect. 3. pag. 64. col. 1. & eſt com-
munis doctrina: quæ ex eo maximè cõ-
firmatur: quoniam cum ſcirent puerum
eſſe Deum, præter cuius voluntatẽ nihil
euenirè poterat, minus ſoliciti erant, &
arbitrio illius multa permittebant; idque
ob eius reuerentiam, & venerationẽ, qua
illum colebant. Cum vero ob hanc cau-
ſam nullus ex Patribus, imò nullus ante
hæreticos noſtri temporis, ideo pro ex-
cuſanda B. Virgine aliquid ſcripſerit; quia
nullus in hac amiſsione filij in ea culpam
perſenſit ignorantiæ; non eſt, quod
in excuſanda B. Virgine contra deliria
hęreticorum tempus conteramus: maxi-
mè quia hæc pueri in Hieruſalem rema-
nentia diuinitus fuit ordinata; & de-
cuit, vt puer inſcijs parentibus in Hie-
ruſalem remaneret, vt apud interpretes
huius loci facilè videbis.

¶ Sed obijciunt hæretici, quod mater in-
uento filio cum indignatione, & imperio

dixerit: *Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: Sed in hoc etiam delirant: quod enim maius delirium eſſe poteſt, quam exiſtimare, quod Virgo filium indignans arguerit, quem eſſe Deum certo ſciebat? imò etiã nec cum imperio: quia ſciebat ſe ancillã eius eſſe. Vnde videtur exceſsiſſe D.Bonauentura à plerisque citatus, dũ ait verba iſta eſſe cuiuſdam correctionis, quaſi mater filiũ corripuerit, quod illis inſcijs remanſerit: vnde merito non recipitur à Toleto in d. annot. 78. quomodo enim corriperet, tanquam male fecerit, quem tanquam Deum ſciebat omnis culpę eſſe incapacem, & tanquam hominem omnes actiones habere Theandricas .i. à Deo immediate directas?

88. *Reſponſio.* ¶ Dicendũ eſt igitur verba illa, vel eſſe verba cuiuſdã pię querimonię erga filiũ, quæ ſine vlla fieri poterat indecentia: cũ pio quodã affectu ad Deũ in Sacra Scriptura querimoniæ ſæpe habeãtur, vt quidam ex recentioribus exiſtimant, quos nõ omnino reiecit Toletus in d. annot. 78. vel eſſe verba admirantis, & cauſam ignorantis, cur filius illis inſcijs voluerit remanere, & permittere, vt ipſa cum Ioſepho triduo errabunda cum dolore eum quæreret: quæ explicatio cõmunior eſt, & probata Toleto *tum in Cõmentario illorum verborum; tum in d. annot.78. & Maldonato in eiſdem verbis verſ.48. & communiter alijs.* *Toletus. Maldona.*

89. *2.Obiectio* Obiiciunt 2. verba reſponſionis filij: *Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quod in ijs, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* hæc verba eſſe arguentis affirmant hæretici, ſed quam hæretice errent, ſatis oſtendit fides Eccleſiæ, quæ B. Virginem ab omni actuali culpa, etiam minutiſsima, liberat. Quomodo igitur filius matrem ab omni culpa immunem vere reprehenderet? nec Ambroſius hæreticis fauet, dum in præcitatis verbis Luc. 2. ſcribit *Matrem his verbis à filio argui:* quia explicãdus eſt de argutione nõ vera, quaſi mater vere reprehenſa ſit, ſed ſolum ſecundũ modum: vt ſcilicet eos doceret illũ non fuiſſe quærendum, niſi in ijs, quæ ad Patrem pertinerent, non vero inter cognatos, & notos: nam quãuis in hoc non peccauerit, nec imprudenter fecerit; cum ignorarẽt, quid puer Deus facere diſponeret, eos tamen de ſuis operibus myſterioſe admonuit; & adeo myſterioſe, vt ipſi non intellexerint verbũ, quod ad eos locutus eſt. Quæ omnia latius explicare potius pertinet ad interpretes Sacræ Scripturæ: ad noſtrum autem inſtitutum ſatis eſt oſtendere, nec Chriſtum puerum de aliqua, vel minima, culpa eam arguiſſe, nec illam, vel in ambitione, vel in modo, & ſollicitudine quærendi illum aliquam, vel minimam, admiſiſſe culpam. Vide quæ de his ſcribunt interpretes, & inter alios Toletus, & Maldonatus.

Ad Sextũ, & vltimum fundamentũ.

¶ Poſtremo loco obijciũt hæretici quaſdam vniuerſales fidei regulas, quę ſtatuũt neminem ſine peccato eſſe poſſe: quæ deſumitur, tum ex ſacris literis, tum ex Concilio Mileuitano, tum ex Patribus, qui generaliter docẽt, õnes homines eſſe peccatores. Sed in hoc euidẽter hallucinãtur, quod volũt regulas illas fidei, & verbis, & ſenſu eſſe vniuerſales, ita vt ab eis, nec B. Virgo excipi valeat: etenim ipſe Auguſt. qui præcitatas regulas vbiq; cõſtãter defendit, expreſſe docet *in quæſtionibus de peccatis, ſe nullã velle de B. Virgine quæſtionem habere; cũ ſpeciali priuilegio illi datũ fuerit, vincere omni ex parte peccatũ,* vt ſcribit in lib. de natura, & gratia c.36. vnde propter honorem Dñi in omni de peccatis quæſtione à regula generali, quę omnes cõprehendit, ſemper excipit B. Virginẽ. Quã etiam exceptionẽ ſatis diffinit *Trident. ſeſſ.6. de iuſtificatione Can.23.* dũ declarat, *hoc ſpeciale priuilegiũ B. Virgini de facto cõceſſum fuiſſe, vt pro tota vita, nec venialiter peccaret*: quare regulæ illæ nõ ſunt vniuerſales vniuerſalitate Logica; nec ſolũ vniuerſalitate morali, ſed vniuerſalitate legali, quæ ſpeciale priuilegiũ nõ excludit, ſed admittit. Vnde illæ propoſitiones vniuerſales intelligendæ ſunt cũ hac exceptione, niſi per ſpeciale priuilegium quis ab omni peccato eximatur, vt ait Tridentinum. Et hæc de iſta prima quæſtione.

90. *Ad vltimũ dubiũ.*

Auguſt.

Trident.

QVÆSTIO II.

Vtrùm gratia, qua B. Virgo fuit ab originali præſeruata, omnē peccati fomitem in ea extinxerit; an ſolum illum ligauerit?

Præfatio ad hanc Quæſtionem.

1. *Præfatio.* IN præcedenti quæſt. expendimus effectū gratiæ, qua B. Virgo fuit ab originali pręſeruata in ordine ad operationes morales, quas B. Virgo pro tota vita exercuit: & oſtēdimus excellentiā huius gratię in hoc reſplēduiſſe, vt illā pro toto vitę tēpore ita in bono cōfirmauerit, vt nec minimā culpam actu cōmiſerit. Cū vero fomes peccati ad Rom. 6. dicatur peccatū: tum quia ex peccato eſt; tum quia ad peccatū inclinat, vt declarat Trid. ſeſſ. 5. de pecato orig. can. 5. ad finē; expēdendū eſt quā diligentiſsime, an gratia Virgini collata eam ab originali pręſeruās nō ſolū fuerit efficax ad eam pręſeruandā, ne vnquā actualiter peccaret; ſed etiam ad peccati fomitem ab ea extinguendum?

2. *difficultates excitādæ.* Cæterū quoniā hæc quęſtio ſupponit, quidnā ſit fomes peccati? an poſsit ligari? an prorſus tolli? & quomodo ligetur, aut extinguatur? operępretium erit ante principalem quæſtionē harū difficultatū breuem reſolutionē ponere, epilogando ea, quæ in tertio tom. de Beatitudine corporis lib. 4. q. 20. & 21. de fomite late diſputauimus. Quare hanc quæſtionem in duas partes diuidemus: in prima ſupponemus ea quę de fomite ad principalem quæſtionē pertinent. In 2. ipſam quæſtionem principalem diligenter expendemus.

3. *Art. proponendi.* Quod attinet ad primā huius quæſtionis partē articul. ſeq. excitabimus: Primus eſt; quid ſit fomes? Secundus, an detur in nobis? Tertius; in quonam ſit tanquā in ſubiecto? Quartus; an poſsit tum ligari, tum etiā extingui? Quintus, quomodo ligetur? Sextus, & vltimus: quomodo in appetitu penitus extinguatur?

Prima quæſtionis pars.

ARTICVLVS I.

Quid ſit fomes peccati?

HAnc quæſtionē late diſputauimus in noſtro 3. to. de *Beatitudine corporis lib. 4. q. 20. ar. 2.* quia vero huius difficultatis reſolutio ad quæſtionem principalem ſimpliciter eſt neceſſaria, omnia quę ibidem diximus, per modum epilogi breuiter repetemus.

§. 1.

Referuntur variæ opiniones.

LIcet omnes cōueniant, fomitē eſſe id quod mouet ad cōcupiſcēdū; tñ quidnā ſit hoc, quod ad concupiſcendū mouet, varijs modis explicatur. 1. opinio eſt Magiſtri *in 2. diſt. 30.* & *diſt. 31. §. 1. & 2.* qui putat fomitē peccati nihil aliud eſſe, quā concupiſcentiā; hoc eſt vitiū quoddā, quod facit nos cōcupiſcere quæ ſunt contra, aut pręter rationē: quod vitiū ponitur in anima, & appellatur lex carnis, & peccatū habitans in carne; ideo quia tale vitiū ex carne per Adamū corrupta reſultat in anima, & eam inficit, & corrūpit, cōmunicando illi pronitatē, & inclinationē ad cōcupiſcēdū. Itaq; fomes apud Magiſtrū nō eſt ipſa carnis pollutio, qua inficit animā, ſed eſt vitiū cōcupiſcentiæ ex carnis pollutione cauſatum: & ſubinde ex Magiſtro eſt ipſa concupiſcentia immoderata boni cōmutabilis, & vitioſitas quædam, qua anima ex carnis corruptione, & rebellione fit prona, & inclinata ad immoderate concupiſcēdum bonum commutabile: vide *in d. q. 20. art. 2. §. 1. n. 2.* 2. *1. Opinio. Magiſter.*

Secunda ſententia eſt *Gregorij de Arimino in 2. diſt. 30. q. 1. ar. 2. litera M.* docet enim fomitem eſſe morbidam quandam qualitatem exiſtentem in anima, realiter cauſatā ab alia qualitate morbida carnis, qua anima redditur prona ad carnaliter concupiſcendam contra ſpiritum. Quę opinio explicat opinionem Magiſtri, vt aduertimus *in d. q. 20. artic. 2. §. 1. num. 3.* vbi nonnullos referimus, qui cum Gregorio conſentiunt. 3. *2. Opinio. Gregor*

Tertia ſentētia colligitur ex *Henrico quodlib. 2. q. 11. & quodl. 5. q. 23. ad 1. & quodlib. 6. q. 32. lit. L, & S.* quam late explicauimus in d. q. 20. §. 1. nu. 4. & 5. Et tandem ex illius mente concluſimus, fo- 4. *3. Sentent. Henric.*

mitem

mitem apud eũ eſſe diſpoſitionẽ, ſeu qualitatem quandã morbidam exiſtentẽ in carne, ex qua inſurgunt motus carnales concupiſcentiæ, qui rationẽ antecedunt, & apprehẽſi à ſenſu mouent appetitum ſenſitiuum ad concupiſcendum contra ſpiritum. Vide quæ diximus in d. n. 5.

5. 4. Opinio. *Angeſti.* Quarta ſententia vult, fomitẽ eſſe ipſã hominis cõplexionem (quicquid illa ſit) quatenus deſtituta à iuſtitia originali hominẽ reddit pronum ad malum. Ita *Angeſtus in ſuis moralibus c. 15. notabil. 2. nu. 13. fol. 19 pag. 2. in fine.*

6. 5. Opinio. Quinta opinio admittit morbidam illã qualitatem inclinantem ad malum exiſtentem, non in anima, nec in carne, nec in ipſa hominis complexione; ſed in appetitu ſenſitiuo. Quam opinionem probatã fuiſſe fere omnibus antiquis, & pluribus ex Modernis teſtatur *Cordubenſis l. 1. q. 45. pag. 381. col. 2.* & eandẽ eſſe probabilem affirmat *ibidem pagin. 383. col. 2.* Eam probant plures Nominaliũ. ſ. *Ochamus quodlib. 3. q. 10. & in 3. q. 2. in princip. Gabriel in 2. diſt. 30. art. 3. dub. 1. Almain. in 3. diſt. 30. q. 2. poſt principium.* *Cordub. Ocham. Gabriel. Almain.*

7. 6. Opinio. *Mairon.* Sexta opinio docet, fomitẽ realiter eſſe ipſum appetitũ connotando, quod tendat in illicitũ præter rationis dictamen. Quã opinionẽ probauit *Maior in 3. diſt. 3. q. 1. §. Dubitatur an fomes*, & eſt communior inter Nominales.

8. 7. Opinio. Septima adhuc eſt opinio, quæ docet fomitem nihil eſſe aliud, quam habitualẽ inclinationem appetitus ſenſitiui in aliquod delectabile ſecundũ ſenſũ præter rationis imperium: vnde vult, fomitem ſuper appetitũ ſenſitiuum ſolum addere habitualem inordinationem ad bonũ ſenſibile contra rationem; & ideo docet, fomitis rationẽ perfecte compleri ex eo, quod talis inordinatio cauſata ſit, & relicta in appetitu ſenſitiuo ex peccato, & ex amiſſione iuſtitiæ originalis. Et inde infert, hanc inordinationem in homine creato in puris naturalibus fomitem dici non poſſe.

9. 8. Opinio. 8. opinio hanc ſeptimã opinionẽ probat, ſi ita explicetur, vt fomes ſit quidẽ illa inclinatio appetitus ſenſitiui in bonũ delectabile præter rationẽ; non quidem naturalis, ſed præternaturalis, & vehementior atque intenſior orta ex peccato & ex deſtitutione iuſtitiæ originalis, qua frænabatur, & cohibebatur, vt latius explicauimus in d. q. 20. §. 1. n. 9. Et hæc fuit opinio *Cordubenſ. in d. q. 45. in 1. p. & videtur fuiſſe Richard. in 3. diſt. 30. art. 1. q. 4. ad 2.* *Cordub. Richard.*

10. 9. Opinio. Nona, & vltima opinio docet, fomitẽ nihil eſſe aliud, quã inordinatã motionẽ appetitus inclinantem, & allicientem voluntatẽ ad aliquid contra rationem; quaſi fomes nõ ſit actus primus, ſed 2. Quã opinionem colligo ex Bellomontano *1. to. ad 3. p. diſp. 61. c. 8. n. 48. & 2. tom. diſput. 118 cap. 4. n. 45.*

§. 2.

Præmiſſis nonnullis ponitur vera reſolutio.

Explicatis varijs opinionibꝰ de quidditate fomitis quæſtionẽ eodẽ modo reſoluemus, quo eã reſoluimus *in d. to. 3. de Beatitudine corporis q. 20. a. 3.* Et pro illius vera reſolutione primo loco præmittimꝰ, fomitẽ peccati, licet à Paulo dicatur peccatum, formaliter tñ non eſſe peccatũ; cũ in renatis maneat ex *Trident. ſeſſ. 5. de peccato orig. Can. 5.* dici autẽ fomitem peccati; tum quia ex peccato fuit in nobis; tũ quia inclinat in peccatum, ex eodem *Tridentino. Vide quæ diximus in d. q. 20. §. 2. num. 11.* 11. *Ordo dicẽdorum.* 1. *Præmiſ. Trident.*

12. *Secundo.* Præmittendum 2. fomitem peccati cõuerti cum concupiſcentia tãquam ſynonima: de quo *vide in d. §. 2. notabil. 2. n. 12.*

13. *Tertio.* Præmittendũ 3. fomitẽ peccati cõſiderari poſſe vel in actu primo, vel in actu 2. Inter omnes cõſtat fomitẽ in actu 2. eſſe ipſam actualẽ motionẽ inordinatã ortam ex ipſo actu primo. Quid autẽ ſit fomes in actu primo? id explicare conamur.

14. *Quarto.* Deniq; præmittendũ eſt, fomitẽ ſũptum in actu primo, duobus modis poſſe manere in nobis: vno modo ſolutum, vt poſſit exire in actum ſecundum: altero modo ligatum: ne. ſ. exeat in actum. An vero poſſit ligari? aut totaliter tolli? quæſtio eſt, de qua inferius.

¶ His ita præmiſſis pro reſolutione 1. loco ſtatuemus ſex ꝑpoſitiones negatiuas: deinde ponemus vnam, qua formalis ratio fomitis explicabitur. 3. loco in vltima cõcluſione explicabimus, fomitẽ ex

ſua intrinſeca ratione, nec includere, quod ſit ex peccato Adami; nec quod vehementius inclinet in malú, quãuis de facto in nobis inexiſtat ex ſpoliatione iuſtitiæ originalis propter Adami peccatum.

16. 1. Propoſ. Sit igitur 1. propoſitio negatiua: *fomes formaliter ſumptus non eſt motio actualis appetitus inclinãs, & aliciẽs voluntatẽ ad aliquid contra rectã rationem.* Hanc propoſitionẽ poſuimus *in d. lib. 3. q. 20. §. 3. n. 15.* cõtra Bellomont. in vltima opinione adductum, & modo eam iterum ponimus: quã eiſdẽmet fundamentis confirmamus

Ad Rom. 7. ſumptis tum ex *Paulo ad Rom. 7.* tum ex pueris in vtero conceptis; in quibus reperitur verus fomes; cum tamen nullam habeant inordinatam motionem. Vide in d. num. 15. & 16.

17. 2. Propoſ. 2. Propoſitio negatiua: *fomes peccati, nec eſt, nec eſſe poteſt aliquod vitiũ inexiſtẽs in anima.* Hanc ſtatuimus in citato loco n. 18. in 2. concluſione, quæ directè non recipit, aut primã, aut 2. opinionem. Fũdamentum idem erit, quoniam fomes nõ poteſt ſubiectari in anima: *de quo vide in d. q. 20. art. 1.*

18. 3. Propoſ. Tertia propoſitio negatiua: *fomes peccati non poteſt eſſe vitiũ immediate ſuperadditũ, aut carni, aut cõplexioni illius, ſed neceſſario eſt vitiũ appetitus ſenſitiui.* Hæc ſtatuta etiã fuit in d. q. 20. ar. 2. concl. 3. n. 19. contra Henric. & Angeſtum: vbi ex eo illam confirmauimus; quia fomes peccati non poteſt immediate ſubiectari in ipſa carne, aut in illius complexione; ſed ſolũ in appetitu ſenſitiuo, vt late oſtẽdimus *in d. q. 20. ar. 1. § 2. concl. 2. n. 10.*

19. 4. Propoſ. 4. Propoſitio negatiua: *fomes peccati formaliter nõ eſt ipſa naturalis, & habitualis inclinatio appetitus ſenſitiui, prout abſolute tendit in bonũ ſenſibile.* Hæc ab omnibus probatur, & euidẽter demonſtratur *in d. q. 20. ar. 2. §. 3. concl. 4. à num. 20. vſque ad 23:* tũ quia inclinatio illa abſolute ſũpta eſt per ſe intenta à natura, cũ ſit perfectio quædã naturalis ipſi appetitui ſenſitiuo intrinſeca: fomes autem non eſt per ſe à natura intentus, cũ non ſit naturalis perfectio: tũ etiam quia illa inclinatio abſolutè cõſiderata, & vt abſtrahit ab hoc, vel illo modo tendẽdi in obiectũ, eſt indifferens ad bonum, & ad malũ morale: fomes autem ſemper eſt ad malũ. Tum 3. quia talis inclinatio appetitus ſenſitiui, cum ſit naturalis, fuit in ſtatu innocentiæ: in quo non fuit peccati fomes.

Quinta propoſitio negatiua: *fomes peccati, quo appetitus ſenſitiuus inclinatur ad malum, & auertitur à bono, non eſt aliqua qualitas realis illi ſuperaddita.* Statuitur cõtra ſecundam opinionem, quam probarũt Gregorius, Adamus, Gabriel, & Almainus citati in d. q. 20. ar. 2. concl. 2. num. 3. Probatur autem Angeſto, & Bellomontano, quos citauimus *in d q. 20. art. 2. cõcl. 6. n. 25.* vbi nos eam confirmauimus ex eo, quod per peccatũ Adami, & per ſpoliationem iuſtitiæ originalis, ex quibus fomes relictus eſt in nobis, nulla realis qualitas potuit reſultare: imò nec ex venenoſo Serpentis afflatu; nec ex fructu vetito; quicquid ſine fundamento id affirmẽt Gregorius, & Adamus. Quin potius, nec reſultare potuit ex inordinata primarũ qualitatũ ſiue humorũ cõpoſitione, ex quib⁹ cõplexio humana cõponitur, quanuis ſine fundamẽto id placeat *Angeſto, vt late oſtendimus in d. q. 20. cõcl. 6. à n. 25. vſq; ad 32.* vbi alia etiam videbis fundamenta. 20. 5. Propoſ.

6. Propoſitio negatiua: *fomes peccati formaliter non eſt ipſa poſsibilitas aptitudoque negatiua, ſiue non repugnantia ad concupiſcendum bonum ſenſibile contra vel præter præſcriptum rationis, quæ in appetitu ſenſitiuo relicta eſt ex carentia iuſtitiæ originalis.* Hæc propoſitio probata fuit *Ioann. Driedoni lib. 1. de gratia. & libero arbit. trac. 3. pag. 9. ad 4. fol. 118. pag. 1. & Palatio in 3. diſt. 3. diſp. 3. pag. 53. col. 2.* & eã cõfirmauimus *in d. q. 20. concl. 7. n. 32.* tũ quia fomes peccati nõ fuit in Adamo pro ſtatu innocentię; pro quo tñ in eo fuit poſsibilitas illa, & nõ repugnantia. Tũ etiã, quia talis non repugnãtia non habet ortum ex peccato, ſed ex principijs intrinſecis creaturæ ex nihilo creatæ: fomes autem de facto ortus eſt ex peccato. 21. 6. Propoſ. Driedon. Palat.

7. Propoſitio: *fomes peccati abſolute nõ eſt alind, quam quædam habitualis inclinatio & pronitas appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſibile, præter, aut contra rectã rationẽ, ex qua redditur difficilis ad bonum rectæ rationi conſentaneum.* Hanc concluſionẽ iã poſuimus *in d. q. 20. §. 3. concl. 5. nu. 24.* & eſt commu- 22. 7. Propoſ.

D. Thom. cõmuniter recepta: eam colliges ex *D. Tho. 3 p. q. 15, art. 2. in corpore, & ad 2. & q. 27. ar. 3. & 1. 2. q. 82. a. 3. & in 2. d. 30. q. 1. ar. 3. in corpore, & ad 4. & diſt. 31. q. 1. ar. 1. & 3. & q. 2. art. 1. ad 3. & de malo q. 2. a. 1. ad 8. & pluribus alijs in locis*: ſatis eſt de Alenſis. mente *Alenſ. 2. p. q. 122. Mem. 3. art. 1. &* Heruæus. *2. fuit Heruæi in 3. diſt. 3. q. 1. opin. 4. Durā-* Durand. *di ibid. q. 3. n. 6. Palud. q. 2. in 1. p. fol. 25.* Paludan. *col. 3. Caietan. 3. p. q. 27. ar. 3. ad 1. dub. vbi* Caietan. *etiā Medin. in princ. idem Medin. 3. p. q. 15.* Medina. *ar. 2. ſatis eam colliges ex Soto 1. de nat. &* Sotus. *grat. c. 3. poſt princip. & c. 11. fol. 33. col. 1.* Palat. *& c. 13. pa. 43. col. 1. Palatio in 3. diſt. 3. p.* Suarius. *53. col. 2. Suar. 1. to. ad. 3. p. q. 15. & 2. to. q. 27. ar. 3. in Cõm. & diſp. 4. ſect. 5. in princ.* Deniq; eſt cõmunior Theologorũ ſen-Ad Rom. 7. tentia. Nos in d. q. 20. nu. 24. eam cõfirmauimus ex Paulo ad Rom. 7. *Video aliā legẽ in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ; & captiuantẽ me in lege peccati, quæ* Ad Gal. 5 *eſt in mẽbris meis.* Et ad Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur; vt non quæcũque vultis illa faciatis.* Ex quibus verbis duos effectus fomitis collegimus. *in d. q. 20. ar. 2. n. 24.* vbi vi-1. effectus. de. Eandem in eodem loco n. 36. ex eo cõfirmauimus; quoniā appetitus ſenſitiuus, quatenus eſt rationalis, & volũtarius per participationẽ, regulabiliſq; per rationẽ, relictus ſuę naturæ, fertur in bonũ ſenſibile toto impetu, idque præter rationis ductum, & prçſcriptum. Vide quę diximus loco citato *n. 36. 37. & 38.*

23. 2. effect. Quod vero ex ipſa naturali pronitate in bonũ ſenſibile præter regulam rationis, reſultet difficultas ad bonũ rationis, quę eſt in eodem appetitu ſenſitiuo ſuæ naturæ relicto, ſatis probatur ex verbis citatis Pauli, nam cum repugnet legi rectæ rationis, & aduerſus eam concupiſcat; inde eſt, vt cũ difficultate accedat ad bonũ à recta ratione ſibi prçſcriptũ: iuxta illa Ad Rom. 7. verba Pauli ad Rom. 7. *Nõ enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malũ, hoc ago*: ideo enim non facit homo bonum, Galat. 5. quod vult; quia ducitur ad malum, quod ratio nõ probat, vt patet ad Galat. 5. *Hæc enim adinuicẽ aduerſantur, vt non quæcũq; vultis, illa faciatis.* Ex cõtrarietate igitur boni ſenſibilis ad bonum rationis oritur difficultas operandi bonũ, quod ratio dictat. Hanc autem doctrinam non ita intelligas, vt omnis difficultas ad bonũ rationi conueniens ortũ habeat à fomite: 24. Explicatio præcedẽtis doctrinæ. nam hæc difficultas interdum oritur ex natura ipſius obiectivel ex inclinatione connaturali ad aliud cõnaturale bonum: etenim ſubire martyriũ ex ipſo obiecto eſt difficile, & arduũ, propter cõnaturale deſiderium vitæ: ieiunare etiam arduum eſt ex obiecto, propter naturale deſideriũ cibi. Sola igitur illa difficultas ad bonum oritur ex fomite, quæ oritur ex deordinatione ipſius appetitus ſenſitiui. Vide *Suar. d. q. 27. art. 3. in Comment.* Suarius.

25. 8. propoſitio. Octaua propoſitio: *Quanuis fomes peccati de facto detur in nobis ex peccato Adami, & ex deſtitutione iuſtitiæ originalis, tamen de ratione fomitis abſolute non eſt, quod ſit ex peccato; ſed ſolum, quod in peccatum inclinet. Sicut etiam de ratione illius non eſt, quod pronitas illa ſit præternaturalis, & vehementior ratione carẽtiæ iuſtitiæ originalis; ſed ſatis eſt, quod abſolute inclinet in malum.* Hanc propoſitionem late cõfirmauimus *in dicta quæſtione 20. §. 3. concluſ. 8. & 9.* quare ſatis nunc erit breuiter attingere fundamenta. Prima igitur pars nota eſt 26. 1. pars probatur. ex doctrina Tridentini ſeſſ. 5. Can. 5. de peccato originali; vbi inclinatio iſta ad malum, quæ in nobis eſt, ideo dicitur fomes peccati, quia eſt ex peccato, quod omnes in Adamo cõmiſimus: etenim ꝓ ſtatu innocẽtiæ nõ fuit in Adamo fomes, nec fuiſſet in nobis, ſi ſtatus ille permanſiſſet, vt volũt Theologi. 2. pars cõfirma-27. 2. pars confirmatur. tur ex eodẽ Trid. vbi fomes nõ ſolum dicitur peccati fomes, quia ex peccato eſt, ſed etiā quia ad peccatũ inclinat: etenim ex Paulo ad Rom. 7. & ad Gal. 5. *ad cõcupiſcentiā, & fomitẽ nihil aliud requiritur, niſi repugnantia concupiſcẽtiæ ad legẽ mentis*: Et ideo eſſet in homine creato in puris naturalibus, in quo nõ prçceſſiſſet vllũ peccatũ. Cui etiā accedit; quoniā ex quorũdā Theologorũ ſententia, in Adamo pro ſtatu innocẽtiæ fuit fomes, ligatus tñ; & eſſet in nobis, ſi talis ſtatus permaneret. 28. Confirmatur 3. pars contra Cord. Tertia pars aſſertionis poſita contra *Cordubẽſem late à nobis confirmata eſt in dict. q. 20. art. 2. §. 3 concl. 9. à n. 39. vſque ad 46.* etenim ad rationem fomitis ſatis eſt,

quod ſit concupiſcentia legi mentis repugnans, vt ex Tridentino, & Paulo iam aduertimus. Nec vera probat Philoſophia ea eſſentialiter inter ſe diſtingui, quæ inter ſe ſecundum magis, & minus diſtinguũtur. Nõ eſt igitur, cur repugnãtia ad rectam rationem, quę in homine in puris naturalibus creato eſſet, vere, & propriè non dicatur fomes peccati; dicatur autem, quæ poſt peccatum Adami in nobis manſit. Quod concedendũ eſt, quamuis daremus concupiſcentiam aduerſus ſpiritum poſt peccatum eſſe maiorem, quam foret in ſtatu pure naturali; quod tamen non damus: quia fieri poſſet, vt qui in puris naturalibus creatus eſſet magis inclinaretur in malũ, quã modo plures inclinantur. Quare hanc opinionem in loco citato, vt veriſsimam ſecuti ſumus cum Caietano, Soto, & alijs, & eam late confirmamus *in dicta q. 20. artic. ſecundo* § *.tertio, num.* 43. *vbi nu.* 46. *argumenta Cordubenſis diſſoluimus.*

62. *Concluſio artic.* Quare hoc loco ſupponendum eſt, fomitem peccati non eſſe aliud, quam pronitatem, & inclinationem habitualem appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſibile præter, aut contra rectam rationem, ex qua difficiles reddimur ad bonum rectæ rationi cõſentiens, quæ ex peccato Adami de facto reſultauit.

ARTICVLVS II.
An fomes peccati detur in nobis?

1. *In nobis datur fomes.* HAnc quæſtionem excitauimus tom. tertio de Beatitudine corporis quæſt. 20. articu. 3. quare nunc ſolum epilogabimus, quæ ibidem diximus. Dicimus igitur partem affirmatiuam eſſe de fide, vt patet ex verbis Tridentini ſeſsion. 5. Canon. 5. de peccato originali: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & ſẽtit.* Hęc veritas colligitur ex Paulo ad Roman. 8: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et ad Galat. 5. *Caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis.*

Quomodo autem appetitus ſenſitiuus naturaliter ſubiectus ſit rationi; & tamen illi repugnet? vide in d. art. 3. § . 3. n. 5.

ARTICVLVS III.
In quonam ſubiecto ſit fomes.

HAnc etiam quæſtionem diſputauimus *in dict. tom.* 3. *de Beatitudine corporis q.* 20. *art.* 1. vbi reiectis alijs quibuſdã opinionibus § . 1. explicatis, reſoluimus, fomitẽ non eſſe in anima, tanquam in ſubiecto: vide ibidem concl. 1. nec etiam eſſe immediatè in ſubſtantia carnis, aut in ipſa carnis complexione; ſed immediatè in ipſo appetitu ſenſitiuo, vt late oſtendimus. *in dicta q.* 20. *art.* 1. *concl.* 2. *nu* 10. *vbi* § . 3. diſſoluimus argumenta in contrarium. 1. *Nõ eſt in anima.*

ARTICVLVS IIII.
An fomes peccati poſsit ligari; atque etiam tolli?

DE hac difficultate egimus *in* 3. *to. de Beatitudine corporis q.* 20. *arti.* 4. *vbi in* § . 1. *explicauimus*, quidnam ſit fomitem ligari? quid ve tolli? & reiectis tribus explicationibus, prima *Paludani in* 3. *diſt.* 30. *q.* 2. *art.* 3. *concl.* 1. *&* 2. & duabus adductis à Durando, *ibidem q.* 3. *num.* 6, 7. 8. *&* 10. diximus, fomitem tũc ligari, cum impeditur, ne in aliquem motum prauum exeat: tunc autem tolli, cũ appetitus ita ſubiectus eſt rationi, vt moueri nõ poſsit, niſi ratione præuentus, & ſcundum præſcriptum, & regulam rectæ rationis. Vide quæ diximus in d. § . 1. n. 5. & 6. Vbi etiam videbis, fomitem non ſolũ ligari poſſe totaliter, & non totaliter; ſed etiã tolli. Tunc totaliter ligatur, cum nequit exire in aliquem actũ, aut contra, aut præter rationẽ: quomodo ligatur in illis, qui ita cõfirmati ſunt, vt nec mortaliter, nec venialiter actu peccẽt: nõ totaliter vero; cũ refręnatur, & impeditur, ne exeat in actũ contra rationem, qualis eſt actus mortalis: non tamen, vt non exeat in actum præter regulam rationis; & talis eſt in eis, qui confirmati ſunt, vt nõ faciant peccatum mortale, bene tamen veniale. Totaliter autem dicitur tolli, cum appetitus, ita ſubditur rationi, vt nõ poſſit 1. *Paludan. Durand.*

moueri

moueri, niſi ſecundum ductum rectæ rationis: vnde homo ita cōfirmatur, vt nec mortaliter peccet, nec venialiter. Non totaliter vero tunc tollitur; cum appetitus ſubijcitur quidem rationi, vt contra illius dictamen moueri nequeat; quanuis poſsit moueri præter illud. Vnde fieri poteſt, vt fomes tollatur in ordine ad malum mortale, & maneat quoad malum veniale.

2. *Fomes poteſt ligari.* His ita præmiſsis in d. art. 4. §. 2. n. 7. diximus, inter omnes conſtare, fomitem poſſe ligari: nam quod in patria, aut nullo modo maneat, aut maneat ligatus, indubitatum eſt: quia in patria nullum poteſt eſſe peccatum, vt diximus in 2. tomo de Beatitudine animæ lib. 11: cum vero in ea maneat appetitus ſenſitiuus, vt oſtendimus *tom. 3. de Beatitudine corporis q. 13. cum ſequentibus*: non poteſt non concedi in patria aut omnino ſublatam eſſe ab appetitu ſenſitiuo pronitatem ad malū, quam appellamus fomitem; aut ſaltem eſſe ligatam.

3. *1. opinio.* An vero fomes poſsit omnino tolli? controuerſum eſt, vt explicauimus *in d. 3. to. q. 20. ar. 4. §. 2.* Quidam abſolutè negant: inter quos eſt Durandus vbi ſupra.
2. opinio. Alij diſtinguūt & docent eum tolli poſſe in patria; non tamen in via: quod placuit
Henric. Gregor. Ocham. Gabriel. *Henrico quodlib. 5. q. 25. ad 1. Gregorio in 2. diſt. 30. q. 1. art. 2. ad 2. & art. 4. §. Notādum etiam, Ochamo quodlib. 3. q. 10. & in 3. q. 2. art. 1. Gabrieli in 3. diſt. 3. q. 2. art. 2. notabili 2. & in 2. diſt. 30. q. 1. art. 1. poſt principium, & ar. 2. dub. 4.* Nos tamen ibidem §. 3. diximus certiſsimum eſſe fomitem poſſe totaliter tolli, non ſolum in patria, ſed etiam in via; & oppoſitum non eſſe tutum, vt oſtendimus ibidem tum ex Paulo, tum ex Patribus, tum rationibus theologicis: & argumenta in oppoſitum diſſoluimus in d. art. 4. §. 4. vbi vide.

ARTICVLVS V.

Quomodo fomes ligetur?

1. *In quo ſit difficultas.* Hanc etiam quæſtionem reſoluimus *in 3. tom. de Beatitudine corporis q. 20. art. 5.* & ex dictis ibidē facile intelliges, difficultatem in eo eſſe poſitam, an fomes ligari poſsit per cauſam intrinſecam exiſtentem in appetitu ſenſitiuo; nimirum per habitum virtutis, & gratiæ, an vero per extrinſecam, qualis eſt aſsiſtentia, & prouidentia diuina? an denique per vtramque ſimul? Primam ſententiam probauit *Paludanus in 3. diſt. 3. q. 2. art. 2. concl. 1.* Secundam autem defendit *Durandus in 3. diſt. 3. q. 3. n. 8.* Tertiam vero amplexus eſt *D. Thomas 3. p. q. 27. ar. 3. & art. 4. ad 1.* quem communis opinio ſequitur. *Variæ opiniones. Palud. Durand. D. Thom.*

2. *1. concl.* Nos in d. art. 5. quæſtionem diſſoluimus nonnullis poſitis propoſitionibus. Sit prima concluſio: *Ad ligationem fomitis non ſolum poteſt concurrere cauſa extrinſeca; ſed etiam ſimpliciter intrinſeca.* Prima pars patet: quia fomitē ligari nihil aliud eſt, quam fomitem refrænari, & retardari, atque cohiberi, ne in actum prauum contra ductum rationis exeat: ſed diuina aſsiſtentia poteſt impedire, & de facto impedit actum deordinatum appetitus ſenſitiui, vt per ſe eſt notum: quæ tamen extrinſeca eſt tum ipſi appetitui, tum ipſi homini appetenti: ergo ad ligationem fomitis poteſt concurrere cauſa ſimpliciter extrinſeca, & appetitui, & appetenti. Simili modo ad ligationem fomitis poteſt concurrere, tum ipſa ratio, tum etiam gratia gratum faciens, & aliæ virtutes intellectuales, vt docet *D. Thomas 3. p. q. 27. art. 3*: etenim ratio propter dominium politicum, quod habet in appetitū ſenſitiuū, poteſt illum refrænare à prauis motibus: ſimiliter & gratia, & virtutes tum intellectus, tum voluntatis: poſſunt igitur & ratio, & gratia, virtuteſque intellectuales, & morales concurrere ad ligamē fomitis: & tamen in ordine ad appetitum ſunt cauſæ extrinſecæ, quanuis ſint intrinſecæ homini appetenti: ergo ad ligamen fomitis concurrere poſſunt, & de facto concurrunt cauſæ extrinſecæ. Secunda vero pars aſſertionis ex eo mihi probatur, quia vt dicebam *in d. art. 5. §. 3. n. 12.* habitus virtutis, licet habitualiter inclinet appetitum in bonum; & ſubinde fomitem ipſum minuat: tamen inclinando illum in bonum, eum à malo refrenat. Vide quæ loco citato diximus. *D. Thom.*

3. Secunda concluſio: *Licet ratio ſuo poli-*

2.concl. *tico dominio, & gratia gratum faciens; imo etiam habitus virtutis exiſtens in appetitu, poſsint cooperari ad ligamen fomitis; quia illum aliquo modo refrænant: totaliter tamen eum ligare non poſſunt ſine aſsiſtentia diuinæ prouidentiæ. Vnde ligamen fomitis completur, & abſoluitur per talem aſsiſtentiam.* Hanc concluſionem eiſdem verbis ſtatuimus in d.ar.5. §.3.concl.3.n.13. Fundamentum ex eo ſumpſimus: quoniam licet appetitus ſenſitiuus, quatenus eſt potentia inferior, moueatur à ratione, prout eſt potentia ſuperior: tamen non omnino illi ſubijcitur, vt ibi oſtẽdimus: vbi videbis rationem, cur gratia gratum faciens cæterique habitus intellectus, & voluntatis, non ſatis ſint, vt totaliter refrænent appetitum.

4. 3.concl. Tertia cõcluſio: *Quamuis Deus ſine gratia gratum faciente de lege fomitem totaliter non liget per ſolam ſuam aſsiſtentiam: de potentia tamen abſoluta eum ſine illa poteſt totaliter ligare.* Hanc ſtatuimus in d.ar.5. §.3.concl 4.n.16. facileq; probatur: quia ſola diuina aſsiſtentia potens, & efficax eſt ad impediendum omnem inordinatũ appetitus motum.

5. 4.concl. Quarta concluſio: *Secundum legem ordinariam, fomes peccati in via nec omnino tollitur, nec totaliter ligatur: non totaliter vero nec tollitur, nec ligatur, niſi in perſonis Deo dilectis.* Omnes huius concluſionis partes late confirmauimus in d. artic. 5. concl. 4. n. 16. & 17. ex Auguſtino, & Paulo contra errorem Begardorum. Vide quæ ibi diximus.

6. Vltima propoſitio. Vltima concluſio: *Fomes peccati ligari poteſt per rationem adiutam, & eleuatam per gratiam gratum facientem: complete vero, & totaliter per aſsiſtentiam diuinam, ſine qua totaliter ligari non poteſt.* Hæc concluſio ex præcedentibus infertur: ex qua euidens fit totius huius articuli reſolutio.

ARTICVLVS VI.

Quomodo fomes peccati totaliter extinguatur?

1. HAnc quæſtionem eſſe controuerſam oſtendimus *in d.to.3. de Beatitudine corporis q.20. artic.6. §.1.* Et ex dictis ibidem conſtat tres hac de re excitari difficultates. Prima eſt, an fomes tolli poſsit ſine aliqua forma intrinſeca appetitum informante? Secunda eſt, an virtutes morales ad illum tollendum ſatis ſint? Tertia & poſtrema, an fomes totaliter auferri poſsit ſine aſsiſtentia diuinæ prouidentiæ? Tres difficultates.

2. Ad 1. difficult. variè reſpondent. Circa primam difficultatem très reperiuntur ſententię oppoſitę. Prima docet, fomitem tolli non poſſe ſine aliqua forma intrinſece informãte appetitum. Secunda putat, eum poſſe ſufficienter tolli per cauſam extrinſecam, tum appetitui, tum appetenti. Tertia ſtatuit, fomitem poſſe tolli per formam extrinſecam appetitui; intrinſecam tamẽ appetenti. Nos in citato loco aliquibus propoſitionibus hanc litem ita diremimus: *Vt fomes non poſsit in appetitu extingui per ſolam extrinſecam Dei aſsiſtentiam, quæ & appetitui, & homini appetenti eſt extrinſeca: nec per formam poſitiuam, quæ appetitui ſit extrinſeca; intrinſeca tamen homini appetenti: ſed neceſſarium ſit aliquid poſitiuum appetitui inhærens; quo non modo habitualiter inclinetur ad bonum ſenſibile ſecundum rectæ rationis imperium; ſed etiam ita ſubijciatur tali imperio, vt nec aliquid concupiſcat, niſi rectæ rationi conſentaneum; nec ad concupiſcendum moueatur, niſi ad rationis imperium.* Prima pars huius reſolutionis ſtatuitur in d. art. 5. in prima propoſitione n.10. contra ſecundam ſententiam; fundamentum inde ſumpſimus; quia ad extinguendum fomitem neceſſarium eſt, quod appetitus reddatur habitualiter pronus, vt non feratur in bonum ſenſibile, niſi iuxta ordinem rectæ rationis: talis autem fieri nõ poteſt, niſi per formam in eo intrinſece exiſtentem, vt ſtatim dicemus. 3. 4. 1.pars.

5. 2.pars. Durand. Palud. Heruæus. ¶ Secunda pars reſolutionis ponitur *in d.art.5. §.3. prop.3. n.12. cum Durando in 3.diſt.3.q.3.n.9. Paludano ibidem q.2.art.2. Heruæo q.1.opinione 4.* Fundamentum fuit, quia fomes ab appetitu tolli non poteſt, niſi ille intrinſece fiat habitualiter pronus, vt non niſi iuxta rectæ rationis præſcriptum in bonum ſenſibile ferri queat, vt diximus: vnde inferebamus, fomitem tolli non poſſe per gratiam, quantumcunque ſummam, quia eſt forma appetitui

petitui

petitui extrinſeca. Oppoſitũ ſentit Cordubenſ.lib.1.q.45. ad finem, & q.46. in fine primæ opinionis, pag.389. col.1. in fine, vbi pro ſua opinione plurimis relatis nonnulla affert argumenta; quæ omnia diſſoluimus *in d. concl.3.n.15.16. 17. & 18.* ¶ Tertia tandem pars reſolutionis ponitur, & confirmatur *in d.art.5.§.2. in 2. propoſitione nu.11. & in 4. propoſitione n.19.* & tribuitur Durando, Paludano, & D.Thomæ. Fundamentum eſt, quoniam fomes eſt quædam naturalis, & habitualis inclinatio appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſibile abſque regula rationis: ergo tolli non poteſt, niſi per habitualem inclinationem, & pronitatem contrariam, qua habitualiter fiat pronus ad non concupiſcendum bonum ſenſibile, niſi ad normam rationis. Hanc autem habitualem pronitatem habere non poteſt, niſi per formam poſitiuam in eo exiſtentẽ. Vnde in ſtatu innocentiæ fuit in Adamo ſublatus, non præciſe propter donum iuſtitiæ originalis, ſed per virtutes eam comitantes formaliter receptas in ipſo appetitu. Vide, quæ diximus in d. prop.2. & 4. vbi n.20. retulimus nouiorem quẽdam Theologum, & Cordubenſem oppoſitum ſentientes: quorum fundamenta diſſoluimus.

6. *3.pars.*

7. *Ad 2. difficultatẽ.* Circa ſecundam difficultatem, quæ inquirit, an virtutes morales infuſæ, aut acquiſitæ ſatis ſint ad tollendum fomitem? datur controuerſia, de qua *in d.art.5.§.4.nu.22. & 23.* Quidam negant, vt *Paludanus in 3.diſt.3.q.2.art.1.fol.24. col.3. & art. 2. concl.4. & quidam ex nouioribus, inter quos eſt Suar.1.tom.ad 3.p.q.15. art.2.§. Sed adhuc difficile eſt, & 2.to. diſp.4.ſect.5.pag.72.col.2.B. & ſect.6.pag.74. col. 1.B.* Alij affirmant; id deducentes ex *D.Thoma 3.p.q.15. ar.2. & de virtutibus q.1.ar.4. ad 7. & ar.10. ad 14.* Inter vtrãque mediat *Caietanus in d.q.15. art.2.* affirmans, ſententiam affirmantem veram eſſe in Chriſto Domino; negantem vero in ſolis viatoribus. Nos *in d.§.4.n.26.* ita difficultatem reſoluimus, vt lõge ſit probabilius, fomitem extingui nõ poſſe per virtutes morales, etiam in gradu perfectiſsimo, ſi conſiderentur ſecundum vim & efficaciam, quam ex ſuo genere ſibi vendicant: ſecus, ſi noua virtus a Deo illis tribuatur. Et quoniam hæc difficultas longam poſtulat confirmationem, quam latè explicauimus *in d.§.4.concluſ.5. à n. 26.* ne eadem repetamus, vide quæ ibidẽ ſunt dicta.

1.opinio. Palud. Suar.

2.opinio.

3.opin. Caietani.

Propria opinio.

8. *Ad 3.difficult.* Reſtat explicanda tertia, & vltima difficultas: *An fomes peccati tolli poſsit per virtutes illas morales, etiam diuinitus efficaces ſine aſsiſtentia diuinæ prouidentiæ?* Hoc enim inter Theologos etiam eſſe controuerſum diximus *in dicto art.5. §.1.nu.5.* Nonnulli ſimpliciter negant: alij ſimpliciter affirmant. Alij vtramque opinionem conciliant, vt negatiua vera ſit in via: affirmatiua vera in patria. Nos ibidem §.5.concluſ.6.num.32. ita reſoluimus: *Vt in patria fomes ſufficienter auferatur ſine ſpeciali aſsiſtentia, & cuſtodia diuinæ prouidentiæ, per ſola dona, quæ ſunt in beatis: in via tamen de lege ordinaria ſine hac Dei prouidentia non tollatur; de potentia tamen abſoluta tolli poſsit.* Quæ reſolutio latè à nobis confirmatur in d.§.5. & quia nihil de nouo addendum cenſemus, ideo lectorem remittimus ad ea, quæ in illo loco diximus.

Variæ opinionis. *Reſolutio authoris.*

9. *D.Thom.*

Secunda pars huius quæſtionis.

10. *2.pars q.* ¶ Explicatis illis, quæ ad quidditatem fomitis pertinebant; & ad illius exiſtentiam, ſubiectum: & denique, an, & quomodo poſſit aut ligari, aut tolli? Supereſt explicare principalem difficultatem, an & quomodo in B. Virgine fuerit fomes? Pro cuius faciliori explicatione præmittimus, fomitem conſiderari poſſe, vel in actu primo, ſecundum ea, quæ illi eſſentialiter conueniunt: vel in actu ſecundo; prout. ſ. coniunctus eſt cum actuali motione appetitus præueniente rationem, & ad peccatum inclinante. Deinde præmittimus, fomitem quoad actum primũ duobus modis manere poſſe in appetitu ſenſitiuo: vno modo ſolutum, vt poſsit exire in actum ſecundum: altero modo ligatum, ne in actum exeat. Tertio præmittimus, fomitem nõ ſolum ligari poſſe in ipſo appetitu, ſed ab eodem poſſe totaliter extingui; ita vt nullo modo in eo maneat. Quarto loco præmittimus

1.præmiſſ. *2.præmiſſ.* *3.præmiſſ.*

varias fuiſſe ſententias, an in B. Virgine fuerit fomes?

11. Variæ opiniones. 1. opin. & 2. Prima opinio ſimpliciter negat in ea vnquam fomitem fuiſſe, quia.ſ.in prima conceptione ſtatim fuit in ea extinctus. Secunda huic ex diametro opponitur affirmans fomitem in ea fuiſſe. Hæc autem in varias ſcinditur opiniones. Quidam volunt fomitem in ea ſemper permanſiſſe, neq; vnquam ab ea fuiſſe ſublatum aut in prima, aut in ſecunda ſanctificatione: addunt tamen in vtraque ſanctificatione ſopitum fuiſſe, & ligatum: minus quidem in prima; magis autem in ſecunda. 3. opinio. Alij diſtinguentes, docent, fomitem ſecundum ſubſtantiam ſemper in B. Virgine permanſiſſe, quandiu vixit: attamen per primam ſanctificationem non inclinaſſe ad peccatum mortale; bene tamen ad veniale; per ſecundam vero, ad nullum. Vnde docent, primam ſanctificationem ligaſſe fomitem quoad peccatum mortale; non tamen quoad veniale: ſecundam vero eum ligaſſe quoad vtrũque. 4. opinio. Quarta opinio docet, fomitem non ſemper fuiſſe in B. Virgine; quoniam per ſecundam ſanctificationem omnino fuit ſublatus: manſiſſe tamen in prima ſanctificatione ligatum vſque ad ſecundam; nõ quoad omnia peccata: quia non fuit ligatus quoad peccata venialia, ſed ſolum quoad mortalia.

12. 5. opinio. Quinta ſententia non ſolum admittit manſiſſe fomitem in prima ſanctificatione vſque ad ſecundam; ſed affirmat, eum manſiſſe ſolutum: an autẽ per ſecundam ſanctificationem ligatus fuerit? an vero ſolutus? vtrumque putat probabile. Sexta. Sexta docet fomitem in prima ſanctificatione fuiſſe ligatum; ſublatum tamen in ſecunda. Septima. Septima adhuc opinio diſtinguit, fomitem quidem in prima ſanctificatione ſtatim fuiſſe ſublatum quoad inclinationem ad malum, manſiſſe tamen quoad difficultatem ad bonum: per ſecundam vero quoad vtrumque fuiſſe ſublatum. Octaua. Octaua denique opinio diſtinguit; fomitem quidem ſtatim fuiſſe ſublatum quatenus inficit perſonam; non tamen quatenus inficit naturam: vtroque tamẽ modo fuiſſe ſublatum per ſecundam ſanctificationem. ¶ Ex quibus patet quam variæ de propoſita quæſtione ſint Theologorum ſententiæ: ob quam rationem *Gabriel in 3. diſt. 3. q. 2. artic. 1.* concludit ſoli Deo notum eſſe, quid de propoſita quæſtione dicendum ſit. *Opinio Gabrielis.* Sed tamen ſi ea diligenter expendantur, quæ hac de re fides docet, & doctrina Patrum, non erit difficile hanc difficultatem diſſoluere.

Pro clariori illius ſolutione illud præmittimus, eos, qui volunt B. Virginem peccatum originale cõtraxiſſe, non poſſe non concedere, in ea aliquando fuiſſe fomitem peccati: nam cum macula originalis habeat tanquam comitem indiuiduum ipſum fomitem; vtique ſi illa de facto habuit originalem maculam, de facto etiam habuit fomitem ſaltem pro toto illo tempore in quo fuit cum tali macula. Quare difficultas excitata ſolum habebit locum, ſi intelligatur poſt ſanctificationem illius in vtero: vt inquiramus, an poſtquam fuit ſanctificata, habuerit fomitem? In hoc enim ſenſu intelligitur propoſita quæſtio. Et vt illa clarius explicetur, & omnis confuſio tollatur, ſequentes excitabimus difficultates. 13. *Præmiſſũ.*

Prima inquiret, an qui volunt B. Virginem originalem maculam non contraxiſſe, neceſſario teneãtur admittere; eam nunquam habuiſſe fomitem? & ſuppoſito quod ad hoc non obligantur; ſecunda erit difficultas, an poſt ſanctificationem in vtero aliquando in ea fuerit fomes? & ſuppoſita vtriuſque partis probabilitate, pro maiori explicatione opinionis, quæ in B. Virgine fomitem admittit, tertia difficultas inquiret, an in ea ſemper permanſerit? & ſuppoſito quod aliquando ſublatus fuit; quarta excitabitur difficultas, an fomes in ea aliquando fuerit ſolutus? His autem explicatis difficultatibus; quinta & vltima difficultas erit, an fomes, quem aliquando ab ea ſublatum dicimus, ſublatus intelligatur, tum quoad ipſam perſonam; tum quoad naturam humanam. His autem difficultatibus explicatis facilis erit totius quæſtionis reſolutio. 14. *Difficultates excitãdæ.*

.*.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrum qui volunt B. Virginem fuiſſe immunem ab originali, teneantur aſſerere, in ea nunquam fuiſſe fomitem peccati?

§. 1.

Refertur opinio affirmans.

1. *Opinio affirmans.* PArtem affirmantem nonnulli probare videntur; quatenus ex negatione peccati originalis, arguunt in B. Virgine non dari fomitem: quæ conſequentia, ſi bona eſt, conuincit, eos, qui docent B. Virginem caruiſſe originali, non poſſe non docere, in ea nunquã fuiſſe fomitem. Quæ opinio his argumentis confirmari poteſt.

2. *1. arg.* Primò; quoniam fomes conſequitur carnem infectam mediante originali macula: ergo ſi in Beata Virgine nulla datur originalis macula, nullus etiam dabitur peccati fomes. Conſequentia eſt nota. Antecedens probatur, quia macula originalis eſt cauſa fomitis: iam vero effectus nõ ponitur, niſi mediante ſua cauſa.

3. *Secundum* Secundo confirmatur: quoniam ſublata cauſa tollitur effectus, vt habet Philoſophorum axioma: ſed macula originalis eſt cauſa fomitis: ergo ſi B. Virgo non habuit originalem maculam, nec etiã habuit fomitem.

4. *Tertium.* Tertio arguitur: quoniam fomes eſt pœna peccati originalis, vt omnes concedunt: ſed iniuſtum eſt manere pœnam ſine culpa: ergo ſi B. Virgo non habuit culpam originalem; nec etiam habuit fomitem.

§. 2.

Oppoſitum eſt tenendum.

5. *Oppoſitum verius.* HIs tamen non obſtantibus, ſtatuendum, eos, qui negant *B. Virginem contraxiſſe maculam originalem; poſſe in ea fomitem admittere.* Hanc concluſionem probauit *Caietanus in tractatu de Conceptione B. Virginis c. 3. ad fin.* *Caiet.* Inde autem facile oſtenditur: quoniam hæc duo inter ſe non pugnant; ſcilicet B. Virginem non habuiſſe originalem maculam; & tamen habuiſſe fomitem: etenim licet fomes ſit effectus peccati originalis; tamen manere poteſt ſine culpa originali: imò de facto manet in renatis per baptiſmum, vt fides docet ex Tridẽtino ſeſſ. 5. can. 5. de peccato origin. vnde fit, vt non habeat neceſſariam dependẽtiam ab eo. Potuit igitur Deus præſeruare B. Virginem â culpa originali; eam interim non præſeruando à fomite. *Fundamẽtum.*

6. *Occurritur ſolutioni.* Sed dices, fomitem non habere neceſſariam dependentiam â culpa in facto eſſe; bene tamen in fieri: & ſubinde poſt fomitem contractum potuiſſe Deum ſimul cum culpa, etiam de lege ordinaria, conſeruare fomitem ſublata culpa: non potuiſſe tamen ſeruata eadem lege præſeruare à culpa, non prẹſeruando à fomite: & ſubinde nec potuiſſe efficere, vt impedita culpa originali, reſultet fomes. Huic ſolutioni dicimus, fomitem quidẽ à culpa nec in facto eſſe, nec in fieri habere naturalem dependentiam, vt ſine ea dari nequeat, niſi per concurſum ſupra legem ordinariam. Sed ſolum ab ea dependere in fieri propter legem à Deo ſtatutam, qua ſtatuit ne fomes reſultaret, niſi in eo, in quo culpa originalis ineſſet. At vero (vt omnes agnoſcunt) lex ordinaria non tollit ſpeciale priuilegium. Potuit igitur Deus B. Virginem à macula originali præſeruare, interim eam non præſeruando à fomite: non quidem per potentiam ſupra legem, ſed per potentiã cum lege conſentiẽtem; quatenus lex ſolum præcipit ſeruari illum ordinem, niſi Deus per ſpecialem gratiam ab illo ordine aliquem eximat. Quod in hac materia eſt diligenter obſeruandum. *Impugnatio.*

7. *Explicatur vis argumenti.* Ex quo patet vis noſtri fundamenti: nam cum fomes ſit effectus peccati originalis, non ex natura rei, & ſecundum naturalem dependentiam, quam ad illud habeat (etenim nulla præcedente culpa, daretur in homine in puris naturalibus creato) ſed ſecundum dependentiam legalem â lege diuina ſtatutam, licet ſecũdum legem ordinariam in fieri depẽdeat â culpa, & non in facto ẹſſe; tamen ita dependet ab ea, vt ſpecialem gratiam non excludat. Vnde potuit Deus abſque vlla legis ſtatutæ violatione Beatã Virginem

præ-

præſeruare ab originali culpa, interim eam non præſeruando à fomite.

8. *Non recipiuntur nõ nulli.* Ex quo infertur, eos, qui ex negatione peccati originalis arguunt in B. Virgine negationem fomitis, non ſatis firmiter arguere: ſiquidem non eſt bona conſequentia: *B. Virgo non habuit culpam originalem: ergo non habuit fomitem.* Quod notabis aduerſus *Marſilium in* 3. *q*.4. *art.* 1. *in* 2. *p. in corollario poſt ſecundum notabile, Thomam de Argentina in* 3. *diſt*. 3. *q*. 1. *art*. 3. *&* 4. *& Franciſcum noſtrum à Chriſto q*. 5. quatenus ex eo probant, B. Virginẽ non habuiſſe fomitem, quia non habuit originalem maculam.

Marſilius. Argentin. Fr. Franc. à Chriſto.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

9. *Ad* 1. AD primum argumentum in contrarium, Caiet. hoc loco concedit, ſeruato curſu legis ordinariæ fomitem cõſequi ad carnem infectam mediante macula originali, quę eſt in anima: talem tamen mediationem non eſſe neceſſariam: quoniã ſatis eſt (vt ait) adeſſe in inſtanti conceptionis communem radicem maculæ, qualis eſt caro infecta ab Adamo propagata cum debito ad contrahendam maculam. Ego hanc ſolutionem probò, dum tamen talis carnis infectio, & debitum ad contrahendam maculam admittatur, non quidem intrinſece in propria B. Virginis perſona, ſed ſolum extrinſece: quia ſcilicet tale debitũ, & talis carnis infectio fuerunt pro toto tempore antecedente inſtans conceptionis, de quo diximus ſupra lib. 2. dum oſtendimus hoc debitum non fuiſſe intrinſece in perſona B. Virginis; ſed ſolum extrinſece: quod ſicut ſatis erat, vt perſona illius pro inſtanti immediate conſequente maculam originalem contraheret, niſi gratia pręſeruaretur: ita ſatis erat, vt impedita macula fomes reſultaret, Deo per gratiam ſpecialẽ ita diſponente.

10. *Ad* 2. Ad ſecundum reſpondetur ad minorẽ, cauſam per ſe & primo fomitis non eſſe ipſam maculam, quam contrahimus; ſed actualem culpam, quam in Adamo commiſimus: hæc enim, quandiu nobis imputatur per legem ordinariam à Deo ſtatutam, obligat nos, non ſolum ad contrahendam maculam in propria perſona, ſed etiam ad cõtrahendos effectus actualis culpæ in Adamo cõmiſſæ; inter quos enumeratur fomes peccati. Cum verò nos obliget ratione legis à Deo ſtatutæ; ita nos obligat, vt admittat, poſſe Deum per gratiam ſpecialem ab ea obligatione eximere, quem, & quomodo voluerit. Vnde ſicut poteſt præſeruare tum à macula, tum à fomite, ita poteſt præſeruare à macula, non pręſeruando à fomite; cum hæc duo inter ſe non habeant naturalem dependentiam, ſed ſolum legalem, & iuridicam, vt ſupra diximus. Ad argumentum igitur in forma dicimus, antecedens verum eſſe, quando inter cauſam, & effectum datur naturalis dependentia; ſecus ſi ſolum detur dependentia legalis. Et hæc ſolutio facilis eſt, & omnem tollit difficultatem.

Ad tertium dicimus, fomitem de facto eſſe pœnam peccati; quia non daretur in nobis, ſi Adamus non peccaret: hanc tamen pœnam primo, & per ſe fuiſſe nobis impoſitam propter actuale peccatũ, quod in Adamo commiſimus. Vnde ſatis eſt, quod B. Virgo in Adamo peccauerit, vt talem pœnam iuſtè incurreret, quanuis maculam illius peccati in ſe ipſa non contraxerit. Licet autem hæc pœna ſecundum legem ordinariam non imponatur, niſi mediante macula, hoc non tollit, quominus per ſpeciale priuilegium poſsit ſine illa incurri, quia ſatis eſt culpa in Adamo commiſſa, vt pœna illa iuſtè incurratur. 11. *Ad* 3.

ARTICVLVS VIII.

An poſt ſanctificationem B. Virginis in vtero aliquando fuerit in ea fomes peccati?

SVppoſita reſolutione præcedentis articuli; cõſequenter exquirendum eſt, an poſt B. Virginis ſanctificationem in vtero (quæcunque illa fuerit) fomes peccati in ea manſerit? 1. *An aliquãdo fuerit fomes in B. Virgine?*

§. 1.

Refertur pars affirmans.

2. *Pars affirmans. D. Thom. D. Bonon. Richard. Albertus. Heruæus. Palatius. Caiet. Medina. Magiſter.*

PArtem affirmantē huius quęſtionis vbiq; probauit *D. Thom. ita 3. p. q. 27. ar. 3. & ar. 4. ad 1. & ar. 5. ad 2. & in 3. d. 3. in 1 p. explic. literæ Magiſt. & q. 1. ar. 2. q. 1. & 3. & opuſc. 3. c. 231. Probauerũt eandē D. Bonau. in 2. diſt. 32. in explic. literæ n. 2. & in 3. diſt. 3. ar. 2. q. 2. vbi Richar. ar. 1. q. 3. & 4. Albert. Magn. ar. 6. & 7. Durand. q. 7. n. 10. Paludan. q. 2. ar. 3. concl. 2. & 3. Heruæus q. 1. opin. 4. Ochamus q. 2. ad 1. Palatius diſp. 3. Caiet. 3. p. q. 27. ar. 3. vbi etiam Medina, & ar. 4. concl. 2. Idē Medina 1. 2, q. 74. ar. 3. ad finē: & ante eos idem exiſtimauit Magiſter in 3. diſt. 3. & plures alij,* quos refert D. Thom. 3. *p. loc. cit.* Deniq; hanc opinionem probant omnes, qui putant Beatam Virginem peccatum originale contraxiſſe; & probare tenentur, qui volunt eam in aliquod actuale peccatum incidiſſe: etenim ſine fomite, inclinationeque ad malum actu peccare non poſſumus.

3. *1. ratio.*

Primum & præcipuum huius opinionis fundamentum eſt; quoniam à prima damnatione, quam per peccatum Adami incurrimus, nullus liberatur; niſi per virtutem Chriſti. Omnes autem per peccatum Adami non ſolum damnati ſumus ad incurrendam maculam originalem ſecundum animam; ſed ad habendũ fomitē peccati ſecundum carnem: ergo ſi à damnatione maculæ non liberamur, niſi per Chriſti virtutem; ita etiam non niſi per illam liberamur à fomite: ſed non decuit, vt ante Incarnationem quis liberaretur à fomite: ergo nec decuit, vt ante eam B. Virgo ab eo liberaretur. Huius argumẽti primus diſcurſus eſt indubitatus. Minorem vero poſterioris ex eo probat D. Thomas; quia decuit, vt immunitas à dānatione primo appareret in Chriſto. Quę ratio inde fortius confirmatur; quoniam immunitas carnis Chriſti à damnatione ſecundum carnem, per ſe eſt prima cauſa liberationis carnis noſtræ ab eadē damnatione. Iam vero quod in vnoquoque genere eſt per ſe tale, eſt per ſe cauſa, quod cætera eiuſdem generis ſint talia, vt ex Ariſtotele docent Logici. Sed caro Chriſti per ſe eſt ſancta, iuxta illud Luc. 1. *Quod ex te naſcetur ſanctũ, &c.* ergo immunitas à damnatione ſecũdum carnem primo debuit apparere in Chriſti carne, quam fuerit in aliquo alio, etiã in B. Virgine: decēs eſt enim, vt quod eſt cauſa talis effectus, primo in ſe habeat talem effectum.

Luc. 1.

4. *Confirmatur.*

Confirmatur hæc ratio ex eodem D. Thoma: quoniam ante immortalitatem carnis Chriſti nullus adeptus eſt carnis immortalitatem: ergo ante immunitatem carnis Chriſti à fomite non decuit aliquam carnem habere immunitatem ab eodem fomite. Hæc conſequentia multis probatur. Et primo *à Caietano in d. art. 3.* quoniam principium, & conſummatio rei debent ſibi correſpondere. Iam vero liberatio à fomite eſt principium liberationis ſecundum carnem: immortalitas autem eſt conſummatio illius: ergo ſicut non decebat dignitatem Chriſti, vt aliquis haberet carnem immortalem, antequam caro eius immortalis fieret; ita etiã non decebat dignitatem illius, vt aliqua caro haberet immunitatem à fomite (à qua incipit liberatio ſecundum carnem) antequam caro Chriſti eſſet immunis à fomite. Ex hoc fundamento patet ſecunda probatio eiuſdem conſequentiæ: quoniam ſicut caro damnata eſt ad fomitem; ita ad paſsibilitatem: ergo ſi non decebat vt à damnatione paſsibilitatis aliquis liberaretur, antequam caro Chriſti ab ea eſſet libera: ita etiam non decebat, vt à damnatione fomitis caro alicuius prius liberaretur, quam caro Chriſti ſine fomite appareret.

Caiet.

2. probat. conſeq.

5. *Probatur teſtimonijs Sanctorũ.*

Secundo probatur Sanctorum teſtimonijs: nam Damaſcenus lib. 4. de Fide explicans illa verba Lucæ cap. 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, &c.* ait: *Quod Spiritus Sanctus ſuperuenit in Beatam Virginem purgans eam ante conceptionem Filij Dei.* D. Gregorius Nazianzen. catecheſ. 17. in homilia paſchali, ita ſcribit: *Chriſtus ſecundum omnia præter peccatum fit homo è Virgine prognatus: carne ſimul & anima prius per Spiritum Sanctum perpurgata.* Arnobius author vetuſtiſsimus in Pſalm. 14. ita ait: *Ieſus autem immaculatus ſolus virgineam aulam ingreſſus ipſum tabernaculum à maculis carnalibus liberauit.* Gloſſa ordinaria in d. cap. 1. Luc. ita inquit: *Spiritus Sanctus ſuperueniens in Vir-*

Damaſc.

Nazianz.

Arnobius.

Gloſſa.

ginem, mentem eius ab omni vitio, & ſorde caſtificauit. D. Cyprianus in lib. de Cardi- *Cyprian.* nalibus Chriſti operibus inquit: *in Chriſti conceptione, Spiritu Sancto obumbrante Virginem, originale incendiũ extinctũ fuiſſe.* *Ambr.* D. Ambroſius ad præcitata verba Luc. 1. ita ſcribit: *Quod Spiritus Sanctus ſuperueniens in Virginem, eam à ſordibus mundauit.* *Beda.* Denique Beda in eodem loco ait: *Spiritũ Sanctũ Virginem à ſordibus caſtificaſſe.* Hæc autem intelligi non poſſunt de purgatione culpæ alicuius peccati: ſunt igitur intelligenda de purgatione fomitis; quia fomes eſt quædam peccati reliquia.

6. *Richard. de S. Vict.* Accedit; quoniam hæc eſt expreſſa ſententia Richardi de Sancto Victore in Canticis p. 2. cap. 26. vbi expreſſe docet, *Fomitem peccati in Beata Virgine in prima ſanctificatione fuiſſe ſopitum: in ſecunda vero omnino fuiſſe extinctum.* Et lib. 2. de Emmanuele cap. 26. & 27. docet, *in ſecunda ſanctificatione fuiſſe à Virgine ſublatum concupiſcentiæ vitium.* Et addit: *quod niſi Virgo ad plenum purgata fuiſſet, talem fructum ferre non poſſet.* Et plura alia videbis in eodem loco.

7. *Auguſt.* Adduci poteſt Auguſtinus, quatenus lib. 1. de nuptijs, & concupiſcentia cap. 12. tom. 1. ſcribit: *In matrimonio Mariæ non fuiſſe concubitum, quia in carne peccati fieri non poterat ſine illa carnali concupiſcẽtia, quæ accidit ex peccato*: ergo adhuc in B. Virgine erat fomes peccati: ſi enim ab ea fuiſſet omnino ſublatus, profecto cõcubitus ille ſine concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, fieri potuiſſet. Hęc ſunt huius opinionis fundamenta.

§. 2.

Refertur pars negans.

8. Oppoſitam ſententiam; quod ſcilicet fomes peccati nunquam fuerit in B. Virgine, probarunt grauiſsimi Theologi. Et ante D. Thomam nonnulli eam probarunt, vt idem Diuus Thomas, D. Bonauentura, & Albertus Magnus teſtantur. Eandem conſtanter probant *Alexander de Ales 3. p. q. 9. mẽb. 2. art. 1. & 5. & memb. 3. art. 1. & 2.* *Alenſis. Argentina Maior.* *Thomas de Argentina in 3. diſt. 3. q. 1. art. 3. & 4. Maior ibidem q. 1. fol. 9. col. 4. & ibidem præceptor Franciſcus à Chriſto q. 5.* *Fr. Franc. à Chriſto.* *Marſilius in 3. q. 4. art. 1. notab. 2. corol. 1. & inferius concl. 4.* *Catharin.* *Catharinus in tract. de Conceptione Virginis lib. 2. cap. 1. ad 3. pag. 24.* *Cannisius.* *Cãniſius lib. 1. de Maria Deipara cap. 10. pag. 106. D. & c. 9. pag. 93.* *Cordub.* *Cordubenſ. lib. 1. q. 45. in 2. p. quæſtionis pag. 384. col. 2.* *Suarius.* *Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 4. ſect. 5. §. Ex his igitur, pag. 72. colum. 2.* *Morales.* *Petrus Morales lib. 3. de Chriſto, & Maria tract. 3. concl. 5. pag. 323.* *Ouandus.* *Ioannes Ouandus ad 3. Scoti diſt. 3. q. 7. in hac propria quæſtione:* *Pitigian.* *Franciſcus de Pitigianis in 3. diſt. 3. art. 12. & inter Nouiores eſt ſententia communior: pro qua citari ſolent Scotus in 3. diſt. 3. q. 1. & Gabriel q. 2. art. 1. in fine, & Almainus q. 2.* *Non bene citãtur Gabriel, Almainus, & Scotus.* Sed Gabriel de hac quæſtione nullum iudicium tulit: imô addit veritatem huius quęſtionis ſolum Deum nouiſſe: Almainus autem ſolum refert vnam, & alteram opinionem, neutram determinando. Apud Scotum vero pro hac opinione nihil inuenio: quin potius, ſi diligenter expendantur, quæ docet, plane videtur ſtare pro ſententia oppoſita, vt colliges ex d. q. 2. §. *Secunda autem ratio*, & ex ſolutione ad vltimũ in fine quæſtionis; quatenus ſoluens argumenta cõtra immunitatem B. Virginis, docet fomitem in primo inſtãti conceptionis potuiſſe in Beata Virgine permanere cum gratia in eodem inſtanti eam à macula præſeruante: quibus verbis ſatis videtur ſupponere fomitem in ea ſimul cum pręſeruatione permanſiſſe.

9. *Confirmatur teſtim. Patrum.* Hæc opinio primum confirmatur Sãctorum teſtimonijs; deinde rationibus. *1. teſtim. ex Aug.* Primum teſtimonium refertur ex *Auguſtino lib. 2. de nuptijs, & concupiſcentia c. 7. tom. 1.* vbi ſcribit: *in B. Virgine nullum peccatum, nec fomitem peccati extitiſſe*: negatio autem omne tẽpus excludit. Hoc teſtimoniũ ex Auguſtino referunt Cordubenſis, & Morales.

10. *2. teſtim. Grandis.* Secundum teſtimonium, teſte Cordubenſi, eſt Grãdis ad Rom. 7. ad illa verba: *Video aliam legem in membris meis.*

11. *3. teſtim. Bernardini.* Tertium teſtimonium eſt Sancti Bernardini de Senis in 3. p. ſerm. in tract. de Maria Virgine, vbi dicit: *Sanctificationem in vtero matris remouiſſe à Virgine culpam originalem, & pronitatem ad peccandum*, quæ pronitas nihil aliud eſt, quã fomes.

Quar-

12. 4. teſtim. Cuſani. Quartum teſtimonium ex Cannisio eſt doctiſsimi Cuſani Cardinalis libr. 5. exercitationum ad illud dictum, *Cæli, & terra tranſibunt*, & lib. 5. ad illud dictum, *Sicut lilium inter ſpinas*.

13. 5. teſtim. ex Bern. Quintum teſtimonium ſumi poteſt ex D. Bernardo epiſtol. 174. dum ait, *in B. Virginem deſcendiſſe benedictionem ita copioſam, vt non ſolum ſanctificauerit ortũ, ſed etiam vitam ab omni peccato deinceps cuſtodierit immunem.* Talis autem ſanctificatio non potuit vitam illius cuſtodire immunem ab omni peccato, niſi ex ſuo genere ſufficiens eſſet extinguere fomitem: vt Suarius loco citato aduertit pag. 93. col. 1.

14. 6. ex oratione Eccleſiæ. Sextum, & vltimum teſtimonium ſumitur ex quadam oratione Eccleſiæ, quę ita habet: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Mariæ corpus, & animã, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperãte, præparaſti.*

15. 1. rat. theologica. ¶ Prima ratio theologica eſt: quoniam omne quod pertinet ad dignitatem B. Virginis, in ea ponendum ſtatim eſt, per primam ſanctificationem in vtero, niſi deroget dignitati filij, aut alicui veritati catholicæ; maximè quando oppoſitum illius eſt indecens. At ponere quod B. Virgo ſtatim per primam ſanctificationem fuit libera à fomite, pertinet ad dignitatem illius, cum fomes dicat indecentiam quandam, cum ſit quædam peccati reliquia, ob quam rationem non fuit aſſumptus à Chriſto Domino: nec hoc derogat aut fidei, aut dignitati Chriſti, vt patebit ex ſolutionibus argumentorum: ergo tale priuilegium fuit illi in prima ſanctificatione conceſſum: etenim cum hoc ad dignitatem illius pertineat; & melius ſit, vt illi concedatur; vtique ſtatim illi conceſſum fuit, iuxta doctrinam August. Auguſtini lib. 3. de libero arbitr. cap. 3. docentis: *Quidquid vera ratione melius occurrerit, id ſcias feciſſe Deum*: nam ob hanc rationem idem Auguſtinus in ſermone de Aſſumptione Domini probat Deum corpus eiuſdem Beatæ Virginis à corruptione poſt mortem præſeruaſſe: *Quia ſi Deus potuit illud à tali corruptione præſeruare, & decuit vt illud præſeruaret: ergo illud præſeruauit: aut oſtendatur ratio, quare non decuit.* Eodem igitur modo argumentabimur: *Si Deus potuit Beatam Virginem præſeruare à fomite: & decuit vt illam ab eo præſeruaret; vtique eam præſeruauit: aut oſtendatur ratio, cur id fieri non decuit*, quæ non oſtendetur.

Secunda ratio: quoniam omnino concedendum eſt fomitem fuiſſe in Beata Virgine extinctum in ſecunda ſanctificatione: ſed qua ratione conceditur fomitem tunc fuiſſe ſublatum, eadem concedendum erit illum ſublatum fuiſſe in prima ſanctificatione: ergo ſtatim in ea ſublatus fuit. Maior non poteſt non concedi, vt inferius dicemus. Minor probatur: quoniam ideo conceditur ſublatus in Verbi Incarnatione, vt caro Chriſti ſine vllo fomite ex carne Beatæ Virginis puriſsima conciperetur. Sed hæc ratio habet etiam locum in prima ſanctificatione: nulla enim ratio diſcriminis dabitur. 16. 2. ratio.

Confirmatur hæc ratio: quia vel extinctio fomitis in ſecunda ſanctificatione prius facta fuit, antequam Beata Virgo conciperet Verbum; ita vt extinctio fomitis eſſet quædam præparatoria diſpoſitio ad conceptionem Verbi, quaſi ad hoc facta ſit, vt digna eſſet, quæ Verbum conciperet, vt nonnulli aduerſariorum videntur docere: vel facta fuit poſt Verbi conceptionem; ita vt Verbi conceptio prius natura fieret, quàm fomitis extinctio; idque per redundantiam gratiæ in Beatam Virginem matrem iam factam, vt alij exiſtimant. Hoc poſterius dici non poteſt: tum, quia ſequeretur Verbum accepiſſe carnem ex carne adhuc infecta fomite; quod dici non debet propter honorem Chriſti: tum etiam, quia extinctio fomitis facta fuit per Spiritum Sanctum ſuperuenientem; cum tamen prius natura ille ſuperuenerit, quam Beata Virgo conceperit. Sed nec dici poteſt illud prius; quia nulla ratio aſsignari poteſt, cur illa fomitis extinctio potius fieri debuerit in ſecunda ſanctificatione, quam in prima: etenim decentius erat, & dignitati Chriſti magis conueniens, vt B. Virgo ſtatim à prima ſanctificatione ſemper digna eſſet, quæ Verbum conciperet. 17. Confirmatur.

18. 3.ratio. Tertia ratio (& eſt præcedentis confirmatio) quoniam Beata Virgo ante cōceptionem Verbi fuit gratia plena, vt patet ex verbis Angeli Lucæ 1. *Aue gratia plena*; & per conſequens ante conceptionem Verbi cum plenitudine gratiæ habuit omnes virtutes infuſas in gradu adeo perfecto, vt adiuncta diuina aſſiſtentia ſufficientes fuerint ad extinctionem fomitis: ergo ab ea fomes ablatus eſt antequam conciperet Verbum. Diſcurſus eſt legitimus. Maior eſt nota: minor autem ex eo probatur: quoniam gratia primis parentibus collata, & virtutes illis infuſæ, ita perfectę fuerunt, vt ſufficientes fuerint ad fomitem in illis extinguendum, vt eſt communis Theologorum doctrina. Sed gratia Beatæ Virgini ante conceptionem Verbi collata fuit copioſior, & virtutes illi infuſæ fuerunt longe perfectiores, vt omnes Patres agnoſcunt, & expreſſe docet
D.Bern. Diuus Bernardus in dicta epiſtola 174. dum ait: *Ego puto, quod copioſior benedictionis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolum ſanctificauerit ortum, ſed etiã vitam ab omni peccato deinceps cuſtodierit immunem.*

19. Quæ verba euidenter intelliguntur de benedictione ante cōceptionem Verbi: ergo Beata Virgo ante Verbi conceptionem ſimul cum gratię plenitudine habuit omnes virtutes infuſas ita perfectas, & in gradu ita ſummo, vt ſuppoſita diuina aſsiſtentia ſufficientes fuerint ad extinguendum fomitem: quæ fuit minor. Quæ ſatis etiam confirmatur
D.Bern. ex præcitatis verbis Diui Bernardi: nec enim ſanctificatio Beatæ Virginis poſſet ita ſanctificare ortum, vt eius vitam ab omni peccato cuſtodierit immunem, niſi ſufficiens eſſet ad fomitem extinguendum. Porrò, ſi Beata Virgo ante Verbi incarnationem habuit tam ſublimem gratiæ plenitudinem, vt fomitem in ea extingueret; vtique eandem habuit in prima ſua ſanctificatione: etenim in illa proportionabiliter habuit eam gratiæ plenitudinem, quam habuit pro toto tempore vſque ad ſecundam ſanctificationem, vt bene aduertit Suarius *vbi ſu-*
Suarius. *pra pagina 73. columna 1. C.* & merito, quoniam (vt dicitur 1. Paralipom. 19. 1.Paralip. 19.
Præcepit rex, vt tollerent lapides grandes; lapides pretioſos in fundamentum templi. Et 3. Regum 5. *Domus Dei de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata eſt.* Iam verò per domum, & templum Dei omnes intelligunt Beatam Virginem. Fuit igitur ſtatim in prima ſanctificatione dolatis lapidibus, atque perfectis fundata: atque ſtatim præparata, vt eſſet mater Dei. Iam vero immunitas à macula originali non poſſet eſſe dolata, & perfecta, niſi ſimul ipſa Beata Virgo à fomite peccati (qui ſuo modo eſt quædam immunditia) fuiſſet libera. Concedendum eſt igitur, plenitudinem gratiæ, quam in ſua prima ſãctificatione habuit, eius fuiſſe efficaciæ, vt ſimul cum macula ipſum fomitem impedierit.

Quarta ratio theologa: quoniam admittendum eſt, Deum à prima ſanctificatione Beatæ Virginis ſtatuiſſe, nullum in ea permittere motum fomitis, vt inferius dicemus: ergo non ligauit in ea fomitem, ſed extinxit: quorſum enim in ea relinqueret fomitem quoad actum primum, ſi omnem actum ſecundum erat impediturus? ita *Suarius vbi ſupra, pag. 71. C. & Petrus Morales loco citato in tertia ratione, pagina 124. D. & Pitigianis in dicto articulo duodecimo in primo argumento pro prima ſententia, pagina 152. columna 3.* 20. 4.ratio. Suarius. Morales. Pitigian.

Quinta ratio theologa: quoniam ſi fomes in prima ſanctificatione adhuc manſit in B. Virgine; vel manſit ſolutus, vel ligatus: non ſolutus; vt in ſequentibus articulis dicemus. Quod vero non manſerit ligatus à nonnullis multis probatur. Primò, quia cum ligatura poteſt ſtare aliquis motus renitentiæ: etenim cum fomes contra ſuum impetum ab extrinſeco ligatur; vtique ligatur eo ab intrinſeco renitentè; & inde eſt, vt animal ligatum aliquam faciat renitentiam. Secundo; quoniam ligatura illa non eſt ſufficiens ad impediendum omnem inordinatum motum contra vel præter rectam rationem ſine diuina aſsiſtentia, & prouidentia. Sed hoc non videtur dicendum. Tertiò, quoniam Beata Virgo, quandiu fuit in vtero non habuit 21. 5.ratio.

vſum

vſum rationis, vt docet Diuus Thomas: ergo pro toto illo tempore non indigebat ligatura fomitis: cum enim non potuerit exire in actum, fruſtra ligaretur. Quarto; quia ideo in ea ponitur ligatura in prima ſanctificatione; vt detur aliqua differentia inter primam, & ſecundam ſanctificationem. Sed adhuc daretur ſufficiens diſcrimẽ inter vtramque, quamuis ſtatim à prima poneretur extinctio fomitis: nam ſicut inter lucem auroræ & meridiei datur diſcrimen, quãuis aurora omnes expellat tenebras, quia ſemper lux meridiana eſt clarior; ita inter primam, & ſecundam ſanctificationem dabitur magnum diſcrimen, quamuis prima ſanctificatio omnes peccati tenebras expellat. Quinto, & vltimo; quoniam idem eſt fomitem extingui, & ligari: ergo, ſi in prima ſanctificatione fomes fuit ligatus, etiam fuit extinctus. Conſequentia patet. Antecedens probatur: nam cum fomes ſit appetitus ſenſitiuus, non abſolute, ſed cum obliquitate, & pronitate ad malum, non poteſt tolli quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad obliquitatem, vt aduerſarij fatentur. Tollitur autem quoad iſtam obliquitatem, quando impeditur, ne poſsit in actum ſecundum exire: ergo idem eſt fomitem ligari, & tolli, quod fuit antecedens. Hoc argumento vtitur *Ioannes Ouandus loco citato.*

Ouand. 22. *6. ratio.* Sexta ratio theologica eſt eiuſdem Ouandi: quoniam donum extinctionis fomitis non fuit B. Virgini denegatum ratione peccati Adami, ſicut illi fuit denegatum donum impaſsibilitatis: etenim tale donum conceſſum fuit illi in ſecunda ſanctificatione. Cur igitur in prima non fuit illi cõceſſum? nulla enim adeſt cauſa, cur denegaretur.

23. *Vltima ratio.* Vltima ratio theologica adducitur à Petigianis; quoniam B. Virgo non fuit mundata, ſed præſeruata à peccato: ergo etiam fuit præſeruata à fomite. Conſequentiam ex eo probat: quoniam ex *Trident.* Tridentino ſeſſ. 5. can. 5. fomes adeſt in nobis ex peccatõ, & in peccatum inclinat: ſed in B. Virgine nullum vnquam fuit peccatum, & per conſequens nulla in ea vnquam fuit cauſa fomitis: ergo nec etiam fuit fomes. Hæc ſunt huius opinionis fundamenta.

§. 3.

Reſolutio quæſtionis.

Ego propoſitam difficultatem puto ita eſſe reſoluendam: *Vt probabilis quidem ſit opinio, quæ aſſerit fomitem in prima ſanctificatione, non fuiſſe totaliter ſublatum; ſed manſiſſe vſque ad ſecundam; ligatum tamen, longe tamen puto eſſe probabiliorem, quæ defendit, fomitem ſtatim in prima ſanctificatione fuiſſe penitus extinctum. Imo addo, hanc opinionem digniſsimam eſſe, quæ ab omnibus defendatur; tam ab iis, qui B. Virginem ab originali liberant; quam ab illis, qui volunt, eam originale contraxiſſe.* Prima pars reſolutionis ex eo probatur; quoniam illa placuit D. Thomæ, & omnibus antiquioribꝰ Theologis; cuius probabilitas ex eo ſatis confirmatur; quia argumenta in oppoſitum, facile diſſoluuntur. Secunda vero pars ex eo mihi fit probabiliſsima, quia in B. Virginis dignitatem maxime cedit; & non ſolum nihil derogat dignitati Chriſti, vt ex ſolutionibus argumentorum patebit, ſed etiam redemptionem maximè extollit, cum lõge ſit perfectior præſeruando eam non ſolum à macula, ſed etiam ab illius immunditia, qualis eſt fomes. Et in illius confirmationem eodem argumẽto vtor, quo vſus eſt *Auguſtinus in ſerm. de Aſſumptione B. Virginis* ad probandum, Deum eam præſeruaſſe à corporis corruptione poſt mortem: *Etenim* (vt verbis vtar Auguſtini) *ſi Deus potuit B. Virginem, quam ſibi matrem elegit præſeruare, tum à macula culpæ; tum à fomite: & decuit, vt eam ab vtroque præſeruaret: ergo eam ab vtroque præſeruauit; aut oſtendatur, quare non decuit.* Quare ſi Auguſtinus onus probandi indecentiam, ſi Deus corpus Virginis poſt mortem faceret incorruptum, inaduerſarios ita transfert, vt ſi eam non probent, putet ſatis eſſe probatam decentiam illius doni, qua decentia ſuppoſita ſimul cum diuina potentia, putat D. Auguſtinus ſatis eſſe confirmatum priuilegium illud corpori B. Virginis fuiſſe conceſſum:

Right margin: 24. *Reſolutio.* — 25. — 26. — *Auguſt.* — 27.

vtique ex mente Auguſtini ex eo ſatis demonſtrata manebit decentia extinguendi fomitem in prima ſanctificatione, ſi aduerſarij, huius priuilegij, & gratiæ indecentiam non probent: etenim in ijs, quæ in dignitatem, & honorem B. Virginis cedunt, ex Auguſtino, eo ipſo probata manet decentia, quod indecentia nõ probatur. Hanc autem aduerſarij probabunt nunquam, vt ex argumentorum ſolutionibus patebit. Suppoſita autem tanquam indubitata veritate, quod decẽs fuit fomitem in B. Virgine ſtatim in prima ſanctificatione extingui, neceſſario conſequitur, Deum illam gratiam illi conceſsiſſe: nam ex *Auguſtino lib. 3. de liber. arbitrio c. 3: Quicquid vera ratione melius occurrerit, id ſcias feciſſe Deum.* *Auguſt.*

17. *Reſolutio authoris.* Hoc fundamento inducor, vt affirmẽ, non ſolum probabiliſsimam eſſe opinionem, quę docet, fomitem ſtatim in prima ſanctificatione fuiſſe in B. Virgine extinctum; ſed etiam digniſsimam eſſe, quę ab omnibus Theologis, non ſolum libenter, ſed etiam cõſtanter, defendatur, cum in honorem B. Virginis cedat; & decens ſit, vt hunc honorem illi conſtanter tribuamus: ob quam rationem motus Alexander de Ales eam conſtanter defendit. Vtrum autem argumenta, quæ ad huius opinionis confirmationem adduximus, vim habeant? expendemus inferius §. 5. plura enim ſunt minus efficacia. Sed prius diſſoluamus argumenta in oppoſitum adducta.

§. 4.

Soluuntur argumenta contra noſtram opinionem.

18. *Ad 1. arg.* Argumenta, quæ §. 1. pro confirmanda aduerſariorũ ſententia adducuntur, facilem habent ſolutionem. Ad primum, quod eſt fundamentũ D. Thomæ, libentiſsimè cõcedimus, nullum liberari à prima damnatione, ſiue ſecundum animam, ſiue ſecundum carnẽ, niſi ex virtute Chriſti: negamus tamen non decere, quod aliquis ante ipſum fuerit immunis à fomite: ſicut etiam negamus non decere, vt aliquis ante ipſum immunis fuerit à peccato per gratiam, etiam in gradu perfectiſsimo, vt idem D. Thomas concedit, cum ex fide conſtet, id non poſſe non concedi. Ad argumentum igitur conceſſo toto priori diſcurſu, negãda eſt minor poſterioris, quam merito negant omnes noſtræ opinionis patroni. Ad primam illius probationem negamus decuiſſe, vt immunitas à damnatione de habendo fomite primo appareret in Chriſto: ſicut non decuit, vt in eo primum appareret immunitas à peccato, vt idem D. Thomas libenter admittit. Iam vero nulla ratio diſcriminis dari poterit: quin potius ex ijs, quæ in reſoluenda quæſtione diximus, euidenter apparet, maxime decuiſſe, vt hæc immunitas à fomite in B. Virgine ante Chriſtum appareret, vt in ea manifeſtè appareret perfectiſsimus gradus redemptionis pręſeruatiuæ; cuius perfectio in eo eſt poſita, vt non ſolum à macula culpæ mater Chriſti præſeruetur, ſed etiam ab omni immunditia eiuſdem culpæ. Quare ſi decuit, vt B. Virgo mater ante Chriſtum præſeruaretur, & fieret immunis à macula culpæ; vtique etiam decuit, vt ante Chriſtum perfectè ab illa macula præſeruaretur per omnimodam fomitis extinctionem: cum hoc ad dignitatem B. Virginis pertineat, nec in aliquo dignitati Chriſti deroget, imò eam maxime extollat, vt bene aduertit *Suar. in d. diſp. 4. ſect. 5. ad finem, §. Nec in contrarium obſtat, pag. 73. col. 1.* Ad id, quod ſecundo loco adducitur, negandum eſt, carnem Chriſti immunem eſſe à fomite aliquam habere cauſalitatem reſpectu noſtræ liberationis ab eodem fomite: nulla enim cauſalitas poteſt in hoc excogitari: vnde corruit totum argumenti fundamentũ: quoniam axioma *Ariſtotelis in 1. Poſteriorum cap. 2. & lib. 4. Metaph. cap. 1. text. 4.* ſolum habet locum in illis, quæ inter ſe habent aliquam cauſalem dependentiam.

19. *Ad 1. probationem minoris.*

20. *Suarius. Ad 2. minoris probationem.*

Ariſt.

21. *Ad confirmationem.* Ad confirmationem conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: quia inter donum immortalitatis poſt mortem, & donum immunitatis à fomite diuerſa datur ratio: etenim immortalitas corporis non ſolum in nobis, ſed etiam in Chriſto fuit præmium conceſſum ex meritis paſsionis: immunitas autem à fomite, quan-

quanuis quando nobis datur, detur ex meritis paſsionis Chriſti, Chriſto tamen non fuit conceſſa ex meritis, ſed per ſe erat ab eò immunis. Iam vero decens erat, vt præmium paſsionis, quod cōmune erat nobis cum Chriſto, non prius nobis daretur, quam Chriſto; *vt ita corpus humilitatis noſtræ reformaret configuratum corpori claritatis ſuæ*, ſicut dicitur ad Philipenſ. 3. *vt ita eſſet primogenitus mortuorum*. Secus dicendum eſt de præmio paſſionis, quod nobis cum Chriſto cōmune non erat, quale eſt præmium, tum remiſſionis peccatorum, tum immunitatis à fomite; hoc enim dari in nobis ante paſſionem Chriſti, imò etiam ante Incarnationem eius, nihil habebat indecentiæ, imò decentiæ plurimum; vt merita paſſionis Chriſti, etiam prȩuiſa, multa in hominibus dona operarentur: quod dignitatem, & efficaciam illorum maxime extollit. ¶ Accedit etiam, quoniam Chriſtus non ſuſcepit fomitem ſicut nec peccatum, ſuſcepit tamen paſsibilitatem noſtram, & mortalitatē, vt poſſet pro nobis pati: decuit igitur, vt nullus immortalitate donaretur ante ipſum, vt ip ſe eſſet mortuorum primogenitus: attamen cū nunquā fuerit ſub fomite, non fuit opus, vt nullus ante eum fomite careret, ſicut etiam nō fuit opus, vt nullus ante ipſum careret peccato: quare ſicut non erat cōtra dignitatem Chriſti, vt antequam in eo reluceret immunitas à peccato nullus à peccato eſſet immunis: ita non fuit cōtra dignitatē eius, vt aliquis haberet immunitatem à fomite, antequam immunitas ab eo in Chriſto reluceret: quin potius ad illius dignitatem id maximè pertinebat; quia inde oſtēſum fuit, Incarnationem Chriſti tam excelſi fuiſſe meriti, vt per fidem illius adhuc futuræ, & peccata, & illorum reliquiæ dimitterentur.

22. *Ad 1. probationem conſequentiæ.* ¶ Quare conſequentia illa merito eſt neganda. Ad primam illius probationē dicimus, poſſe maiorē forte concedi; quādo principium rei, & illius conſūmatio ſunt eiuſdem generis: negandam tamen eſſe, ſi fuerint generis diuerſi: etenim gratia eſt principium gloriæ; & tamen non ita ſibi correſpondent, vt ſicut non decuit alicui dari gloriam animæ, antequam daretur Chriſto; ita non decuerit alicui dari gratiam, antequam illa daretur Chriſto: etenim ante Chriſti incarnationem plures fuerunt iuſti. Falſa eſt igitur maior illa, quando principium rei, & conſummatio eius ſunt diuerſi generis. Iam vero immunitas à fomite, & immortalitas corporis ſunt generis diuerſi: & inde eſt, vt in hac vita poſsit alicui concedi immunitas à fomite, quanuis in ea concedi nequeat immortalitas corporis: & eadē ratione potuerit ante Chriſti aduentū dari in B. Virgine immunitas â fomite; non potuerit tamen illi donari corporis immortalitas, antequam donaretur Chriſto. ¶ Secunda probatio negatæ conſequentiæ inutilem habet cōſequentiam, propter diſparem rationem, quæ datur inter immortalitatē corporis, & immunitatē à fomite, quam immediate oſtendimus.

Ad ſecundum argumentum ſumptū ex Patrum teſtimonijs reſpondemus, & imprimis dicimus, verba illa, quæ ex Damaſceno adducuntur, apud illum non inueniri in loco, in quo citatur. Deinde addimus, ea non eſſe intelligenda de purgatione ab impuritate alicuius vitij in B. Virgine inexiſtentis, quæ ſit aliqua culpæ reliquia; ſed de purgatione ab imperfectione puritatis, & ſanctitatis, quatenus ante Verbi Conceptionem non erat in ſumma ſanctitate, & puritate, & gratiæ perfectione, quam in illius Conceptione conſecuta eſt per gratiam Spiritus Sācti in eam ſuperuenientis, in qua & ſanctitas, & virtutes gradum ſummum, & heroicum conſecutæ ſunt. 23. *Ad 2. arg.* *Explicatur Damaſce.*

In quo etiam ſenſu explicandus eſt D. Gregorius: etenim apud ſacros Doctores non ſolum ille dicitur purgari, qui ab aliqua ſordis impuritate mundatur; ſed etiam ille, qui in ſanctitatis puritate magis perficitur; vt patet ex verbis *Iob cap. 15. & 20. Cæli, & Stellæ* (id eſt Sancti) *non ſunt mundæ in conſpectu Dei*. Et in hoc ſenſu Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia capit. 6. dixit *Angelos purgari*. 24. *Explicatur Grego.* *Iob 15. & 20.*

¶ Diuus autem Ambroſius, Gloſſa Ordinaria, & Beda, dum aſſerunt: *Spiritum Sanctum mentem B. Virginis à vitiorum ſordibus mundaſſe, & caſtificaſſe*, intelligendi 25. *Sēſus Ambroſ. gloſſæ ordinariæ, & Bedæ.*

ſunt non de ſordibus fomitis ex culpa, ſed de ſordibus carnis: quia abſque vllo carnis motu, in vtero Verbum cōcepit: quem ſenſum denotat verbum *caſtificare*: quod idem eſt quod caſtitatis omnimodam integritatem conſeruare, ſuppreſſo omni carnalis libidinis incendio, & motu. Quod ſi velis Patres illos explicare de caſtificatione, & mundatione ab omni vitiorum ſorde; in hoc ſenſu eos explicabis, vt Spiritus Sāctus B. Virginem à vitiorum ſordibus caſtificauerit, & mundauerit, non tollendo ſordes, quæ inerant; ſed eam ab illis magis elongando: nam quò ſanctitatis puritas in aliquo magis perficitur, magis à vitijs elongatur. Vnde in hoc ſenſu à ſordibus vitiorū magis purificatur.

26. *Senſus Arnobij.* ¶ Arnobius vero dum ait, *Chriſtum Virgineum vterum ingrediendo ipſum tabernaculum à maculis carnalibus liberaſſe*: intelligitur certe de maculis libidinis, quæ Conceptionem naturaliter comitantur: etenim B. Virgo in Conceptione Verbi nullum habuit motum carnalis libidinis, nec in ipſa ſeminis emiſsione in vterum, quæ ad veram Cōceptionem erat neceſſaria, vt vera mater fœtus concepti diceretur.

27. *Senſus Cyprian.* ¶ Et in eodem ſenſu explicādus eſt D. Cyprianus in conceptione Chriſti dum ait: *in B. Virgine originale incendium Spiritu Sancto obumbrante fuiſſe extinctum*: explicandus enim eſt de extinctione incendij carnalis libidinis, quod ideo vocatur originale, quia à natura inſitum: omnis enim carnalis delectationis motus, nō ſolum ſopitus eſt, & impeditus, ne excitaretur; ſed omnino fuit extinctus, ne poſſet excitari.

Explicatur Auguſt. ¶ Auguſtinus autem dū ait: *Concubitum carnalem in B. Virgine fieri non potuiſſe ſine carnali concupiſcentia, quæ ex peccato in nobis eſt relicta; non ob aliam rationem, niſi quia caro Virginis erat caro peccati*; à nonnullis ita intelligitur, vt expreſſe probet, in B. Virgine fuiſſe fomitē peccati: attamen ſi ex verbis Auguſtini conuincitur māſiſſe fomitem; vtique ex eiſdem neceſſario conuincetur, in ea fomitem manſiſſe ſolutum; ſiquidem per concubitum carnalem poterat in actum exire; quod non eſſe admittendum inferius oſtendemus: dicimus igitur ex præcitatis Auguſtini verbis non conuinci eū exiſtimaſſe, in B. Virgine fuiſſe fomitem; quia non ſimpliciter loquitur, ſed facta ſuppoſitione, quod B. Maria cum viro concubuiſſet: quia (vt putat) talis concubitus ſine vitio concupiſcentiæ fieri non potuiſſet in carne, quæ ideo dicitur caro peccati, quia per generationem vitioſam concepta eſt, & ex ſe transfuſiua peccati originalis in fœtū, quem per carnalem comixtionem ederet: in quo ſenſu caro B. Virginis ſemper eſſet caro peccati; etiam ſi nullus fomes in ea admitteretur: etenim ſi B. Virgo poſt Verbi cōceptionem, & fomitem in ea extinctum naturaliter ex viro conciperet, peccatum originale in fœtum transfunderet, vt videbimus inferius, & cum naturali concupiſcentia, id eſt, cum carnali delectatione conciperet. Auguſtinus igitur optimè probat, in matrimonio Mariæ nō fuiſſe concubitum; quia non potuiſſet in eo non habere cōcupiſcentiam, & carnalem delectationem: quod cum ſit abſurdum admittere; abſurdum etiam erit in illius matrimonio fuiſſe concubitum; ex quo tamen non neceſſario infertur eam habuiſſe fomitem: quin potius ex eo, quod nō habuit fomitem infertur abſurdum eſſe in illius matrimonio vllū fuiſſe concubitum. 28.

¶ Quod attinet ad Richardū de Sancto Victore, non poſſumus nō concedere, eum ſententiam nobis contrariā probaſſe: quod tamen non obſtat: quoniam noſtra ſententia plurimorum Patrum teſtimonijs corroboratur, & cōfirmatur rationibus longe efficacioribus. Quare illa potius amplectenda eſt, quam oppoſita. *Richard. Victorinus cōtra nos*

§. 5.

Argumenta, quæ noſtram ſententiam confirmant, non neceſſario impugnant oppoſitam.

QVoniam ſupra §. 3. exiſtimauimus probabilem eſſe ſententiam, fomitē peccati aliquando fuiſſe in B. Virgine; operæ pretium erit diſſoluere argumenta, quæ §. 2. in contrarium ſunt adducta. Et quod attinet ad teſtimonia Sanctorum dicimus verba, quæ ex 29. *Defēditur oppoſita.*

Auguſti

Auguſtino adducuntur, apud eum non reperiri in loco citato. Cætera Patrum teſtimonia maximè confirmant in Beatâ Virgine nunquam fuiſſe fomitem; pro hac tamen ſententia non ſine fundamento citari poſſũt illi Patres, quos ſupra §. 1. in ſecundo argumẽto adduximus. Ex oratione vero, quæ adducitur, non colligitur fomitem ante Verbi conceptionẽ à B. Virgine fuiſſe ſublatum: quia (vt dicemus) ſublatio illius non fuit præparatio ad concipiendum, ſed fuit ſequela ipſius conceptionis.

30. *Ad 1. rationem.* Ad primam rationẽ negabit D. Thomas ad dignitatem Chriſti pertinere, vt ante eum nullus fuerit ſine fomite. Vtrũ autem D. Thomas id probabiliter cõfirmet? aliorum ſit iudicium.

31. *Ad 2.* Ad ſecundam rationem authores huius ſententiæ negabunt minorẽ: ad illius probationem negabũt, fomitem in ſecũda ſanctificatione ideo ſublatum fuiſſe, & extinctum, quia ablatio illius erat diſpoſitio, vt caro Chriſti ſine fomite conciperetur: etenim apud iſtos extinctio fomitis non anteceſsit Chriſti conceptionẽ, ſed eam fuit conſecuta, vt ſtatim dicemus ad confirmationem huius argumẽti: idq; ratione ſuperabũdantis gratiæ, quæ Spiritu Sancto ſuperueniente B. Virgini cõceſſa fuit: quæ gratiæ ſuperabundantia data non fuit in prima ſanctificatione.

32. *Ad confirmat.* Ad confirmationem dicendum eſt ex mente D. Thomæ 3. p. q. 27. artic. 3. ad 3. ablationem fomitis factã fuiſſe poſt Verbi conceptionẽ, & non ante eam: etenim Spiritus Sanctus in B. Virginem superueniens duas in ea fecit purgationes, vnã præparatoriam; dum eam donis perficit, & mentem eius in vnum collegit, & carnem fecit capacem, vt ex ea aſſumeretur à Verbo natura humana; & hæc purgatio anteceſsit conceptionem: alteram vero fecit mediante Incarnatione Chriſti; etenim cum caro Chriſti eſſet per ſe munda à fomite, dum tetigit carnem B. Virginis, omne carnis vitium ab ea funditus ſuſtulit, munditia carnis Chriſti in carnem B. Virginis redundante. Quę Theologia non diſplicet D. Bonauenturæ. Nec eſt inconueniens, quod natura humana Chriſti fuerit aſſũpta de carne B. Virginis adhuc affecta fomite, ligato tamen, & ſolum ſecundum ſuam ſubſtantiam permanente: etenim ex ſententia D. Thom. non decebat, vt ab ea fomes omnino tolleretur, niſi poſtquam Deus factus eſſet homo.

Ad tertium (quod maximè vrget) ſufficiẽter reſpõderi nõ poteſt, niſi negãdo, gratiam, & virtutes B. Virgini in prima ſanctificatione infuſas, fuiſſe ſufficientes ad extinguendum fomitem ante conceptionẽ Verbi, quanuis gratia illius fuerit plena, & virtutes fuerint in gradu heroico perfectæ: ratio eſt; quia gratia, & virtutes, quantumcunque ſint perfectæ, ex ſe non ſatis ſunt ad fomitem omnino extingendum, ſed indigent ſpeciali Dei aſsiſtentia, vt ſupra art. 6. oſtendimus: nõ decuit autem ante Incarnationem Verbi hanc aſsiſtentiam dari alicui creaturæ, vt docet D. Thomas. Et hinc patet ſolutio ad confirmationem minoris: nam licet gratia data B. Virgini in prima ſanctificatione, fuerit longe copioſior, quã gratia data Adamo in ſtatu innocentiæ, & virtutes B. Virgini infuſæ altioris fuerint gradus, quam virtutes infuſæ Adamo: tamen cum illæ non fuerint datæ ex meritis Crucis Chriſti præuiſis, ſed ex diuina liberalitate; decuit, vt Deus Adamo nõ negaret ſuam ſpecialẽ aſsiſtentiã pro toto innocẽtiæ tẽpore, vt in eo fomes extingueretur: quã tñ aſsiſtẽtiã nõ decuit dari alicui poſt peccatũ ãte incarnationẽ Chriſti; quia ad dignitatẽ Chriſti redẽptionis pertinebat, immunitatem à fomite nulli dari ante Chriſti immunitatem: quod eſt fundamentum D. Thomę; quo ſuppoſito ceſſant omnia, quæ in huius argmenti confirmationem adducuntur: Et hæc Theologia pro D. Thoma eſt diligenter annotanda. 33. *Ad 3. rationem.*

Ad quartum (quod eſt fundamentũ Suarij) authores huius opinionis cõceſſo antecedente, negabunt conſequentiam; 34. *Ad 4.*
& merito: quoniam ſicut conſtat, aliud eſſe fomitem ligari, & aliud extingui, vt diximus ſupra artic. 4. ita etiam conſtat, poſſe fomitẽ ligari abſque hoc quod extinguatur: cuius oppoſitum eſſet dicendum; ſi ex eo, quod fomes impeditur, ne exeat in actum, inferatur eũ eſſe extin-

ctum

ctum. Ad probationem cõſequentiæ dicimus non deeſſe rationes propter quas Deus in aliquo iuſto relinquat fomitem, quoad actũ primũ; quanuis nõ permittat illum exire in actum ſecũdum. D. Thomas autem cum ſequacibus hanc reddit rationem; quia non decebat, vt B. Virgo ante Chriſti Incarnationem haberet immunitatẽ à fomite: decebat tamen dignitatem maternam, vt ſtatim à prima ſanctificatione fomes ligaretur: quare ſuppoſita D. Thomæ opinione, ligatio illa nõ eſſet ſuperflua, ſed diuinæ prouidentiæ maximè conueniens.

35. Ad 5. A d quintum (quod eſt Ouandi) dicendũ eſt fomitẽ in B. Virgine non manſiſſe ſolutum, ſed ligatum. Ad primam impugnationem authores huius opinio-

Ad 1. impugnatio. nis negarent cum ligatura fomitis ſtare poſſe aliquem actualem motum renitentiæ: quia omnis renitentia eſt actus ſecũdus, qui ſine diuino concurſu dari nõ poteſt: Deus autem ſtatuit ad nullum actũ ſecundum concurrere; nec eſt hæc ligatura omnino ſimilis ligaturæ, qua anima ligatur: quia ligatura animalis non impedit omnem actum renitentiæ, ſed ſolum perfectum: cũ tamen ligatura, qua ligatur fomes, cum compleatur per aſsiſtentiam diuinam, omnem impediat renitentiã: quia ita aſsiſtit, & refrænat appetitus inclinationem ad actum prauũ, vt nolit ad aliquem concurrere: ſine quo concurſu nulla, vel minima poteſt dari reni-

36. Ad 2. tentia. Ad ſecundam impugnãtiam admittimus ſine diuina aſsiſtentia ligaturã non eſſe completam: & ideo ſtatim in prima ſanctificatione eſſe admittendam.

Ad 3. Ad tertiam impugnationem facilis erit reſponſio apud eos, qui volunt B. Virginem in primo Conceptionis inſtanti habuiſſe vſum rationis. Si vero cũ D. Thoma oppoſitum ſentias; reſpondebis ligaturam illam, licet pro toto illo tempore non fuerit neceſſaria quoad exercitium, fuiſſe tamen neceſſariam, vt fomes in ea nunquam maneret ſolutus, ſed ſemper ligatus; tum per habitus virtutũ intrinſecos, qui habitualiter refrænarent fomitem; tum per extrinſecam aſsiſtentiam ad modum habitus illi aſsiſtentis: quoniam ad dignitatẽ B. Virginis pertinebat, vt fomes manens nunquam haberet rationem ſoluti. Ad quartam obiectionẽ reſpondebunt huius opinionis authores 37. Ad 4.

ligaturam fomitis nõ ideo poni in prima ſanctificatione, vt inter eam, & ſecũdam daretur diſcrimen: adhuc enim plurimũ vna ab alia differret, quãuis fomes in prima omnino extingueretur: ſed ex eo poni, quia non decebat Chriſti dignitatẽ, dari in aliquo immunitatẽ à fomite, antequam Chriſtus eam haberet. Quod eſt fundamentum D. Thomæ. Ad quintã, Ad 5.

& vltimam impugnationem negandum eſt antecedens, vt patet ex ijs, quæ diximus ſupra art. 4.

Ad probationẽ admittimus fomitem 38.

non poſſe tolli, niſi quoad obliquitatem, & pronitatem ad malum: negamus tamẽ obliquitatem iſtam non aliter tolli poſſe, niſi quando impeditur, ne in actũ poſsit exire: etenim obliquitas habitualis ad malum manere poteſt in appetitu quoad actum primum; & impediri ab actu ſecundo. Tollitur igitur cũ nulla in appetitu manet habitualis pronitas ad malum: quod tunc contingit, cum per habitus virtutis appetitus habitualiter ita manet rectæ rationi ſubiectũs, vt nihil poſsit operari, niſi motus, & directus à recta ratione, vt diximus art. 6. & latius in 3. to: de Beatitudine corporis, q. 20. art. 6. Ex quibus patet fundamentum Ouandi, etiã apud Patronos noſtræ ſentẽtiæ, eſſe omnino inefficax.

Sed nec 6. ratio eiuſdẽ Ouãdi aliquid 39. Ad 6. rationem.

habet efficaciæ: quia apud D. Thomam datur ratio, cur extinctio fomitis non fuerit in B. Virgine in prima ſanctificatione; bene tamen in ſecunda: quia. ſ. nõ decebat extinctionem fomitis in aliquo reperiri, priuſquam in Chriſto reperiretur: quod fundamentum erat ab Ouãdo impugnandum.

Septima, & vltima ratio (quæ placet 40.

Pitigiano) ſatis eſt futilis; quia habet cõſequentiam omnino inutilem: etenim cauſa per ſe fomitis non fuit macula primi peccati, quam in vtero geniti contrahimus; ſed ipſa actualis culpa, quam in Adamo commiſimus: Beata autẽ Virgo licet fuerit præſeruata à macula peccati; non tamen præſeruata fuit à culpa Adami;

mi; quia etiam ipſa in eo peccauit, vt late oſtendimus ſupra lib. 2. Quare negandũ eſt in ea nunquam fuiſſe cauſam fomitis. & hæc ſatis ſint de iſta quæſtione.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm ſuppoſito fomite in B. Virgine; ille ſemper in ea manſerit? an aliquando fuerit extinctus?

§. 1.

Opinio quod ſemper manſerit.

2. *Opinio qđ ſemper per manſerit.* QVoniam in præcedente articulo ſtatuimus, probabilem eſſe ſententiam, quod fomes in B. Virgine ſemper manſerit vſque ad ſecundã ſanctificationem; oportet expendere; an aliquãdo ab ea penitus fuerit extinctus? Nec enim in hoc conueniunt Theologi: ſunt enim qui voluerunt fomitem ſemper in ea permanſiſſe, etiam poſt ſecundã ſanctificationem. Ita nonnullos ſenſiſſe refert *D. Bonauentura in 3. diſt. 3. artic. 2. q. 2.* nullum tamen citat authorem. Hanc opinionem non poſſunt nõ probare, qui volunt fomitem quoad ſubſtãtiam tolli non poſſe, ſaltem in via, quæ fuit opinio Henrici, Durandi, & fere omnium Nominalium, quos citauimus ſupra artic. 4. Porro ſi fomes tolli nõ poteſt in via, neceſſario infertur illũ à B. Virgine in via nunquam fuiſſe ſublatum.

§. 2.

Vera reſolutio.

2. *Concluſio.* SIt tamen hæc cõcluſio indubitata: *Non videtur cum excellentia B. Virginis ſatis conſentiens, aſſerere fomitẽ ab ea nunquam fuiſſe ſublatum, quandiu in via manſit.* Hæc concluſio eſt fere omnium conſenſu recepta: ita colliges ex *D. Thoma 3. p. q. 27. art. 3. & art. 4. ad 2. & in 3. diſt. 3. q. 1. art. 2. q. 2. & 3. & alibi ſæpe.* Ita probant *D. Bonauent: in 3. diſt. 3. art. 2. q. 2. & in 2. diſt. 32. in explicatione textus num. 2. & Albertus Magnus in 3. diſt. 3. ar. 6. & 7. Richard. ibidem articul. 1. q. 3. & 4. Heruæus q. 1. opinione 4. Paludan. q. 2. art. 3. concl. 1. & 2. Palatius diſp. 3. Caietan. 3. p. q. 27. art. 3. vbi etiam Medina, & art. 4. concl. 2. & 1. 2. q. 74. art. 3. Marſilius in 3. q. 4. art. 1. in 2. illius p. notabili 3.* & omnes alij, qui volunt in 2. ſanctificatione fomitem omnino fuiſſe ſublatum. In eadem ſententia erunt Theologi relati à D. Thoma, qui docuerunt in prima ſanctificatione fomitem à B. Virgine fuiſſe ſublatum quoad inclinationem ad malum; manſiſſe tamen quoad difficultatem ad bonum: quoad vtrumque tamen in ſecũda ſanctificatione fuiſſe ſublatum. Eandẽ probabunt *Alexander de Ales 3. p. q. 9. Memb. 2. art. 5. Cordubenſis lib. 1. q. 45. in 2. parte illius opinione 2. ad. 2. pag. 384. col. 1.* & Theologi relati à D. Thoma, qui omnes volũt fomitem à perſona B. Virginis ſtatim fuiſſe ſublatum in prima ſanctificatione; non tamen ab illius natura; in ſecunda tamen ſublatum fuiſſe etiam à natura: quare hæc opinio fere ab omnibus eſt receptiſsima.

D. Bonau. Albertus. Richard. Heruæus. Paludan. Palatius. Alexand. Cordub.

3. *Confirmatur Patrũ teſtimonijs. Richard. de S. Vict.* Confirmatur quam plurimis Patrum teſtimonijs. Richardus de S. Victore lib. 2. de Emmanuele 1. p. à cap. 16. vſque ad finem expreſſe probat in ſecunda ſanctificatione fomitem omnino fuiſſe ſublatum: ita enim inquit cap. 26. *Niſi enim ad plenum purgata fuiſſet, fructum talem, ac tã ſublimem ferre non poſſet. Et cap. 28. & 29. & 30. ſæpe ſæpius affirmat* omne concupiſcentiæ vitium à B. Virgine penitus ſublatum fuiſſe: & tãdem cap. 31. ita cõcludit: *In cæteris ſanctis magnificum habetur, quod à vitijs non poſſunt expurgari: in iſta mirificum videtur, quod à vitijs nõ poteſt ipſa, vel in modico impugnari: Cæteris ſanctis in communi præcipitur, vt in mortali eorum corpore peccatum nõ regnet: ſoli iſti ſingulariter dicitur, vt mortale corpus eius peccatum non inhabitet.* Per peccatum autẽ in corpore inhabitans non poteſt intelligi aliqua culpa: quia hæc non corpus inhabitat, ſed animam: intelligitur igitur fomes peccati, qui ſi aliquo modo maneret in corpore, nõ poſſet illud nõ inhabitare. Sentit igitur Richardus Victorinus fomitem à B. Virgine omnino fuiſſe ſublatum, dum diuinum Verbum in vtero concepit. Et poſt præcitata verba ita ait: *Sed quid de exterminio peccati in B. Virgine Maria factum creditur: futurum in omnibus*

nibus ſanctis ſperatur: futurum, inquam, ſed non in corpore eorum adhuc mortali: ſed in corpore iam facto immortali. Quo nihil clarius, doctius, & verius dici potuit: etenim in beatis fomitem omnino extinctum eſſe, nullus vnquam dubitauit. Idem repetit in Canticis 2. parte capite 26.

4. D.Diony ¶ D.Cyprianus in ſermone *de Natiuitate Chriſti cap.2.pag.448.col.2.ad finem* docet *in conceptione Verbi per Spiritum Sanctum ſuperuenientem omne originale incendium extinctum fuiſſe:* & ob hanc cauſam inferius ſcribit, *ob tanti habitatoris reuerētiam legem carnis B.Virginem nō infeſtaſſe; rebellionem nullam ſpiritus quietē afflixiſſe:* quia ſcilicet omne originale incendium, fomitemque peccati habebat penitus extinctum, vt ante docuerat.

5. D.Anſel. ¶ D.Anſelmus *in lib. de excellentia B.Virginis cap.3.* affirmat *B.Virginis cor in ſecunda ſanctificatione mundatum fuiſſe ab omni peccati originalis ſorde, ſi quæ ſupererat,* nimirum poſt primam ſanctificationem: nulla autem poterat ſupereſſe in carne B. Virginis, niſi fomes; cum poſt primā ſanctificationem nulla, aut originalis, aut actualis culpa fuerit. Quare ab ipſo fomite, ſi ille in ea remanſit, in ſecūda ſāctificatione mūdata fuit: non per ligationem illius; quia ille iam ligatus erat; ſed per omnimodam extinctionem. ¶ Et in hunc ſenſum plures Patres docent in ſecūda ſanctificatione carnem B.Virginis fuiſſe perpurgatam, & ab omni cōtagione omnino liberatam, quos retulimus in præcedenti art. §.1. in 2. argumento.

6. 2.Ratio. Accedit in huius veritatis confirmationem; quoniam à ſanctis vbique docetur B.Virginem puritate Angelos longe ſuperare: quod verum non eſſet; ſi ab ea fomes peccati nunquam ſublatus fuit.

7. 3.Ratio. Accedit 3. quoniam ex cōmuni Sanctorum doctrina, nullum donum fuit alicui Sanctorum vllo tempore conceſſum; quod B. Virgini in via conceſſum non fuerit in longe maiori perfectione. Iam vero primis parentibus in ſtatu innocētiæ conceſſa fuit omnimoda fomitis extinctio: ergo hanc B.Virgini fuiſſe conceſſam, non eſt negandum.

8. 4.Ratio. Accedit 4. ratio Theologica ex principijs Philoſophiæ petita: quoniam id, quod maximè appropinquat primo principio in aliquo genere, præ cæteris participat effectū illius principij, vt ex doctrina magni *Dionyſij de diuini. nomin.c.4.* colligit *D.Thomas 3.p.q.27.artic.5.* ſed conſtat B. Virginem propinquiſsimam fuiſſe Chriſto homini, qui eſt totius gratiæ principium tum animæ, tum corporis (etenim de plenitudine eius omnes accepimus, quoad animam quidem, gratiam ſanctificantem: quoad corpus vero, munditiam ab omni peccati ſorde) ergo cū omnes in regeneratione reſurrectionis debeant per Chriſtum liberari à fomite: decens eſt, vt B.Virgo illam gratiā præ cęteris participauerit. Dionyſ. D.Thom.

9. 5.Ratio. Quinto adhuc idem cōfirmatur: quoniam decens fuit, vt ſicut plenitudo gratiæ animæ Chriſti in animam B.Virginis ſpecialiter redundauit, dum eam ſuo modo gratia impleuit: ita etiam plenitudo gratiæ, quæ inerat in carne Chriſti (immunitas, ſ. à peccato, vt patet ex Auguſtino 2. contra Iulianum cap.4.) ſpeciali quodam modo in B. Virginem adhuc viatricem redundauerit: maximè cū Sacra Scriptura huic ſententiæ faueat Ezechiel. 43. dum dicitur, *Quod gloria Dei Iſrael ingrediebatur per viam orientalē; & terra ſplendebat maieſtate eius;* ingrediebatur inquam gloria Dei per viam orientalem, id eſt per B. Virginem: & terra, id eſt caro B. Virginis ſplendebat maieſtate Chriſti filij. Canti. etiam 4. dicitur de ea: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quod non ſolum intelligendum eſt de macula culpæ; ſed etiam de macula vitij ex culpa relicti, & in culpā inclinantis, qualis eſt fomes. Ezech.43. Cant.4.

10. Vltima ratio. Denique cum id decentiſsimum ſit, & cedat in magnam B. Virginis gloriam, nō poteſt illi nō concedi, vt eſt cōmunis Sanctorum doctrina, maximè Auguſtini, vt diximus in præcedenti articulo §. tertio.

11. Ex quibus omnibus euidenter patet hanc ſententiam ita eſſe indubitatam, vt dixerit Diuus Bonauentura oppoſitam eſſe omnino improbabilem: nec deſunt, qui velint eam eſſe temerariam, quibus ego ſubſcribo.

AR-

ARTICVLVS X.

Vtrùm fomes aliquando in B. Virgine fuerit ſolutus?

1\. SVppoſita ſententia, quod in B. Virgine poſt primã ſanctificationẽ manſerit fomes; nõ inepte inquiri debet; an ille aliquando in ea fuerit ſolutus, an vero ſemper ligatus?

§. 1.

Opiniones quod fuerit ſolutus.

2\. *Senſus quæſtion.* QVi dicunt B. Virginem fuiſſe in originali conceptã, non poſſunt non admittere, in ea ſimul cum originali macula fuiſſe fomitem ſolutum in toto ſuo vigore habituali: quia ex ſe habitualiter inclinabat in malum, & de facto inclinaret, ſi in ea fuiſſet vſus rationis. Sed nos in hac quæſtione nõ agimus de fomite inexiſtente ante primam ſanctificationẽ; ſed de fomite poſt deletionem culpæ originalis per primã ſanctificationem in vtero, in ea permanẽte.

3\. *Variæ opiniones quo modo fomes manſerit ſolutus.* In hoc igitur ſenſu inuenio quoſdam docuiſſe, in B. Virgine, poſt primam ſanctificationem vſque ad ſecundã, fomitem ſimpliciter fuiſſe ſolutum; debilitatum tamen, vt in actũ exire non poſſet. Hãc opinionẽ nonnullos probaſſe refert *Magiſter in 3. diſt. 3.* quibus ille videtur ſubſcribere. *1. Opinio.* Alij hanc opinionem ita ſimpliciter prolatam nõ probant; ſed varijs modis diſtinguũt: quidam enim volunt fomitem ante ſecundam ſanctificationem fuiſſe quidem ligatũ quoad peccata mortalia; ſolutum tñ quoad venialia: ita ſcribit *Palatius in 3. diſt. 3. diſp. 3. & ante eum Paludanus ibidem q. 2. ar. 3. concl. 1. & 2.* *Palatius. Palud. 2. Opinio.* Alij volunt, fomitem in prima ſanctificatione ſtatim fuiſſe extinctum quoad inclinationem ad malum: manſiſſe tamen ſolutum quoad difficultatem ad bonum: ita nõnullos ſenſiſſe referunt D. Thomas, Bonauentura, Albertus, & Alenſis. *3. Opinio.* Tertia ſententia diſtinguit de fomite in ordine ad perſonam, & in ordine ad naturam: docetque fomitem in ordine ad perſonã B. Virginis, fuiſſe ſublatũ in prima ſãctificatione, mãſiſſe tñ in ordine ad naturã; non quidẽ ligatum, ſed ſolutum. Ita ſentit *Alexander de Ales 3. p. q. 9. memb. 2. ar. 5. nec diſplicet Cordubenſi lib. 1. q. 45. in ſecunda parte illius opinione 2.* *Alenſis. Cordub.*

§. 2.

Vera opinio.

HIs tamen opinionibus non obſtãtibus, ſtatuitur hęc indubitata cõcluſio: *Nullo modo admittẽdum eſt, in B. Virgine facta prima ſanctificatione fomitem aliquando fuiſſe ſolutum, aut quoad peccata venialia; aut quoad difficultatem ad bonum, aut quoad naturam humanam.* Hæc cõcluſio fere omnibus Scholaſticis probatur, & pluribꝰ demõſtratur rationibꝰ. *4. Concluſio.*

Prima eſt cõtra opinionẽ Magiſtri, Paludani, & Palatij: ſi enĩ in B. Virgine mãſiſſet, fomes ſolutꝰ quoad aliqua peccata, quantumuis minima; vtiq; in actum prauũ aliquãdo exiret, cõtra quem illa pugnaret: conſequens vero eſt cõtra Patrũ doctrinam: ergo nunquã in ea fuit ſolutus. *1. Ratio.* *Patrũ teſtimonia.* Maior eſt nota: quoniam fomes ſolutus non poteſt aliquando non exire in actum. Minor probatur expreſsiſsima authoritae Richardi de S. Victore lib. 2. de Emmanuele. cap. 29. vbi docet, *Omnem pugnam à B. Virgine fuiſſe ſublatã.* *Richard. de S. Vict.* Clarius id ſcribit cap. 31, docens; *Cæteros omnes iuſtos à vitijs impugnari quidem; non tamen expugnari: Virginem autem, nec in modico impugnari potuiſſe.* In Cant. p. 2. c. 26. affirmat, *B. Virginem principibus tenebrarũ fuiſſe adeo terribilẽ, vt ad eam accedere, tẽtareq́, non præſumpſerint.* Sanctus Cyprianus in ſerm. de Natiuitate Chriſti c. 2. ſcribit: *Legẽ carnis Virginẽ non infeſtaſſe, nullãq; rebellionem afflixiſſe ſpiritus quietẽ.* *Cyprian.* Damaſcenus (referente Cãniſio lib. 4. de Maria Deipara c. 15. pag. 647.) affirmat, *B. Virginẽ in nullis terrenis verſatã eſſe perturbationibus.* *Damaſce.* Idẽ Cãniſius refert Epiphaniũ in orat. de laudibus Virginis, aſſerentẽ; *Virginẽ fœdis affectibus, & perturbationibus nunquã fuiſſe obnoxiã.* *Epiphan.* Refert etiam Simonẽ Metaphraſtẽ in ſerm. de vita, & dormitione Virgin. dicentẽ, *Quod B. Virgo ab initio vſq; ad finẽ ſe fortiter geſsit, honeſte, & non indecore vtens motu animi.* *Metaphraſtes.* His addo Heſychium ſermon. 2. de laudibus *Heſychius*

Virginis to.7.Bibliot. Patrũ pag.38. H. ita dicentem: *quam concupiſcentiæ fumus non attigit,nec vermis voluptatis læſit.* Addo D.Bernard. in ſermone ad illa verba *D. Berna.*
Apocalip. *Signum Magnũ,* vbi ita ait de Virgine: *In ea non dico tenebroſum;ſed obſcurum ſaltem,& minus lucidum, ſed nec tepidum quidẽ aliquid,aut non feruentiſsimum liceat ſuſpicari.* Ex quibus,& ex pluribus alijs,patet,hunc fuiſſe omnium Patrũ cõſenſum,vt nihil indecens, nihilve inordinatũ in B. Virgine fuerit, vt bene aduertit *Suarius in d. diſput. 4. ſect. 5. poſt principium pagina 70. col.2.B. & cum Richardo de Sancto Victore in d. lib. 2. de Emmanuele cap. 29.* aſſerit id probari ex verbis Pſalmi 45. *Auferens bella vſque ad finem terræ: arcum conterens, & confringẽs arma.* Quæ verba à pleriſque B. Virgini accommodantur; in qua nullum bellum fuit inter partem inferiorem ſenſitiuæ concupiſcentiæ, & ſuperiorem rationis: ſed ſumma ſemper pax, vt Cyprianus ait loco citato.

In B. Virgine nihil inordinatũ

Richard. de S. Vict.

7. *2. Ratio.* Eadem veritas ratione Theologica demonſtratur: quoniam omne priuilegiũ gratiæ poſsibile, non derogans Chriſti gratiæ concedendũ eſt B. Virgini, vt eſt cõmunis Patrum traditio: nam vt ait D. Anſelmus: *Decet Virginem ea puritate nitere,qua maior ſub Deo nequit intelligi*: vnde ab Angelo prædicatur, *plena omni gratia.* Quæ doctrina ab omnibus recipitur in illis gratijs; & priuilegijs, quæ alicui fuerũt cõceſſa: ſed fomitẽ ita ligari, vt nũquã in actũ prauũ poſsit exire, eſt priuilegium poſsibile; quia in Adamo fuit in ſtatu innocentiæ; & B. Virginem illud habere nõ derogat dignitati Chriſti, imò illam extollit: ergo talis ligatio B. Virgini omnino eſt concedenda.

8. *3. Ratio.* Tertio accedit: quia motus inordinatus cõcupiſcẽtiç arguit imperfectionẽ gratiæ: quia arguit gratiam adhuc nõ perueniſſe ad eũ ſtatum, vt omnem motũ impediat. At non eſt ſatis tutũ hanc imperfectionẽ admittere in gratia B. Virgini conceſſa; cum illa plenior ſit, & longe maior, quã fuerit gratia Adami, quæ in eo omnẽ inordinatum motum impediebat: ergo in B. Virgine non eſt admittendus aliquis inordinatus motus.

Accedit quarto, quoniam iſti motus de facto ſunt effectus quidam originalis peccati, & in ſe ipſis magnam cum culpa habent affinitatem; ob quam rationem ex ſe ſunt inordinati, & rectæ rationi contrarij, & in hoc ſenſu mali: non decet igitur, vt in Beata Virgine admittantur. 9. *4. Ratio.*

Adde 5. quoniam Deus ſtatuit B. Virginẽ præſeruare ab omni culpa, etiã minima: ergo cũ ſapientiſsime omnia diſponat, & ſuauiſsime prouideat, debuit illã ab omni culpa præſeruationem diſponere per media, non quçcũque; ſed quæ ad obtinẽdum finem intentum eſſent accõmodata: Vnde licet poſſet finem iſtum præſeruationis obtinere non obſtantibus motibus inordinatis ipſius fomitis, nimirũ per ſpecialẽ aſsiſtentiã; ita vt, licet ab his motibus impugnaretur; non tñ expugnaretur: tñ quia moraliter difficillimũ eſt pati iſtos inordinatos motus, & nunquam, faltẽ venialiter, peccare, elegit mediũ ad illum finem longe accõmodatius, & ſuauius, ligare. ſ. fomitẽ, vt in actũ prauũ nunquã exiret: hoc enim adhibito medio Deus ſuauiſsime obtinuit finẽ à ſe intentũ, Vt omittamus medium iſtud in maiorem B. Virginis dignitatem cedere. 10. *5. Ratio.*

Sed obijcies: quod huiuſmodi motus ad perfectionem acquirẽdam conducũt, iuxta illud Pauli 2. Cor. 12: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Iam autẽ, id quod eſt perfectionis occaſio, eſt B. Virgini concedendũ. Ad hoc dicimus, id, quod ad perfectionẽ per ſe ſpectat, eſſe concedendum B. Virgini: ſecus ſi ad perfectionem ſpectet per accidens, ſuppoſitaq; imperfectione: talis autẽ eſt occaſio perfectionis acquirendæ orta ex rebellione carnis contra ſpiritũ: hæc enim ad ſtatũ incipiẽtium, & adhuc imperfectorum pertinet, nõ vero ad ſtatum omni ex parte perfectũ: is enim excludit omnem motum diuinæ legi, & rectæ rationi contrariũ. Ob quã rationem Chriſtus hãc ſtatus perfectionẽ aſsũpſit, vt nulli motus inordinati in appetitu ipſi9 ſenſitiuo inſurgerẽt, & hũc ſtatũ ſuæ matri cõmunicauit. *Vide D.Thom.3.p.q.27.ar.3.ad 2. & Suar. in d. diſp.4. ſect.5. §. dices, huiuſmodi motus pag.71. col.1.* 11. *Obiectio.*

Solutio.

D. Thom. Suarius.

12. In B. Virgine nō fuerunt motus primoprimi. Ex ijs, quę diximus, infertur, in B. Virgine nō fuiſſe motus primoprimos, qui rationem præueniunt, ſed omnes fuiſſe regulatos rectę rationis pręſcripto, & regula, & proinde appetitum ſenſitiuū in B. Virgine fuiſſe ita rationi ſubiectū, vt non ſolum moueretur, quando à ratione imperabatur; ſed vt non moueretur, niſi à ratione imperatus: & hæc eſt cōmunis opinio Theologorum. *Vide Medinā 3.p. q.27.art.4.concl.2.pag.602.col.1.*

13. Probatur 2. pars aſſertionis. ¶ Hæc, quæ tam late diximus, ſatis conuincunt, veriſsimā eſſe primā partem noſtræ aſſertionis, quatenus aſſerit, fomitē in B. Virgine nunquā fuiſſe ſolutū quoad inclinationē ad malū, etiam veniale. Quę pars aſſertionis ſatis reijcit, vt abſurdiſsimā, & forte vt temerariam, opinionem Magiſtri, Palatij, & Paludani. Supereſt oſtendere veritatem ſecundę partis eiuſdē aſſertionis, quaten⁹ aſſerit, nec admittendū eſſe, in B. Virgine fomitē manſiſſe ſolutū quoad difficultatem ad bonū: quę pars ſtatuitur contra 2. ſententiā adductā §. 1. & probatur D. Thomæ, Alberto Magno, D. Bonauentur, & Alenſi locis citatis. Et ſatis cōfirmatur teſtimonio D. Bernardi (D. Berna.) in ſermone ad illa verba Apocalip. *Signum magnum*: dum aſſerit, *in B. Virgine non modo nō fuiſſe aliquid tenebroſum, aut obſcurū, aut minus lucidū, ſed nec in ea fuiſſe aliquid tepidū, aut non feruentiſſimū*: facit etiā illud Simonis Metaphraſtis (Metaphraſtes.) in ſerm. de vita, & dormitione Virginis; quatenus ait, *B. Virginē ab initio vſque ad finē fortiter, & conſtanter ſe geſſiſſe*. Quæ verba ſatis oſtēdunt, fomitem in ea nullā ad bonum difficultatem cauſaſſe,

14. 2. Ratio. Eadem veritas euidēter etiā probatur ex maximis progreſsibus, quos B. Virgo ſtatim à pueritia in virtutibus quotidie fecit iuxta Sanctorum doctrinam: qui tam magni progreſſus ſtare non poſſunt cum difficultate ad bonum.

15. 3. Ratio. Accedit etiā, quoniam ex doctrina D. Thomæ in d.q.27. art. 3. iuxta doctiſsimā Caietani interpretationē, fomes non facit difficultatē ad bonū, niſi quia inclinat in malū: quare ſi tollatur ab eo actualis inclinatio ad malū, neceſſario etiā tollitur actualis difficultas in bonum. Qua ratione ad illā opinionem impugnandam vſus fuit *D. Bonau. in 3. diſt. 3. art. 2. q. 2. & D. Thom. ibid. q. 1. ar. 2. q 1.* (D. Bonau. D. Thom.) ſicut enim naturalis appetitus grauis ad motū deorſum facit difficultatē ad motum ſurſum; ita inclinatio appetitus facit difficultatē ad bonū quia inclinat ad malum: & vere ita eſt; quoniā fomes per ſe primo inclinat ad bonū ſēſibile abſq; regula rationis, quod eſt malum; & inde habet, quod ſentiat difficultatem, dū per virtutes tēperatur, vt in bonum ſenſibile tendat moderate, & iuxta rectæ rationis præſcriptum: ob quam rationē virtus dicitur verſari circa difficile, quia .ſ. verſatur circa moderādas paſsiones inordinatas, ad quas appetitus propter fomitem pronus eſt. Et hæc dicta ſint pro impugnatione ſecundæ opinionis in §.1. adductæ.

Quod attinet ad 3. opinionem ibidem adductam, veritas illius in ſequenti artic. diligentius expendetur. 3. Opinio.

ARTICVLVS XI.
& vltimus.

Vtrùm in B. Virgine admittendus ſit fomes quoad naturam?

§. 1.

Referuntur opiniones.

1. Variæ opiniones. EA, quæ de ligatura, & extinctione fomitis hactenus diximus, intelliguntur de fomite in ordine ad perſonam B. Viginis. Supereſt explicare; an in ea admittendus ſit fomes in ordine ad naturā; ita vt ipſa natura humana B. Virginis ratione fomitis fuiſſet trāsfuſiua culpæ originalis in prolē, ſi aliquā cum viri cōcurſu naturaliter generaſſet? De qua (1. Opinio.) quęſtione Theologi nō conſentiūt. Quidam voluerunt, in ea admittendū eſſe fomitem, non ſolū infectiuū perſonæ, ſed etiam naturæ: volunt tñ hunc fomitem in prima illius ſanctificatione fuiſſe omnino ſublatū quoad perſonā; manſiſſe tñ quoad naturā; non quidē ligatū, ſed ſolutū: quam opinionem nonnulli Theologi probarunt, vt refert *D. Thomas 3. p. q. 27. ar. 3. & in 3. diſt. 3. q. 1. art. 2. q. 2. & idē referunt* D. Bonau. *ibid. ar. 2. q. 2. & Albertus Mag. art. 6. & 7.* (Alenſ.) *Quam opinionē probauit Alexand. de Ales 3. p. q. 9. mēb. 1. ar. 5. nec diſplicet Cordubenſ. lib. 1. q. 45. in 2. illius p. opin. 2.*

2. 2. *Opinio.* Secunda opinio fuit eorũ, qui voluerũt fomitẽ in prima ſanctificatione nõ fuiſſe ſublatum, aut à perſona B. Virginis, aut à natura humana illius, ſed manſiſſe vſq; ad ſecũdam ſanctificationẽ, tum quoad perſonam, tum quoad naturã: diuerſo tamẽ modo; quoniam quoad perſonam manſit ligatus, quoad naturam vero ſolutus.

3. 3. *Opino.* Tertia opinio defendit fieri nõ potuiſſe, vt fomes in prima ſanctificatione fuerit omnino extinctus quoad perſonam, manſerit autem quoad naturã: & ſubinde quod vel extinctus fuit, tũ quoad perſonam, tũ quoad naturam (quod authores huius opinionis nõ probant) vel ſi mãſit, quoad vtrũque mãſit; quod huic opinioni magis placet: mãſit autẽ quoad vtrũq; ligatus vſque ad ſecundam ſanctificationem; in qua, & quoad perſonã, & quoad naturã fuit extinctus. Iſta fuit opinio *D. Thom. ſi bene expendatur in locis cit. & eãdem probarunt D. Bonauentura, & Albertus Magnus vbi ſupra.* *D. Thom. D. Bonau.*

4. Ex quibus patet tres illas ſentẽtias in hoc conuenire, vt fomes in 2. ſanctificatione omnino fuerit extinctus, & quoad perſonam, & quoad naturam.

§. 2.

Vera reſolutio.

5. *Opinio authoris.* Ego in diuerſa ſum opinione: exiſtimo enim vitium naturæ diſtinctũ omnino eſſe à fomite peccati; neč poſſe extingui in natura propagata ab Adamo: & ſubinde tale vitium manere in natura, quantumuis fomes peccati à perſona penitus aboleatur.

6. *Vitium naturæ eſt diſtinctũ à fomite.* Quod vitiũ naturæ, quatenus eſt trãsfuſiua peccati originalis in prolẽ naturaliter genitam, diſtinctũ ſit à vitio perſonæ, quod appellatur fomes, nõ probatur authoribus trium illarũ opinionum: omnes enim volũt vnum tantũ eſſe fomitẽ, qui, & perſonã, & naturam corrũpit, vt aperte ſcribit *D. Thom. in 3. diſt. 3. q. 1. art. 2. q. 1. ante fin. corporis §. præterea.* *D. Thom.* Ego autem oppoſitũ exiſtimo eſſe dicendũ: quod ex eo euidenter demonſtratur; quoniam ſi vnus tantum fomes eſſet perſonæ, & naturæ, non poſſet ille totaliter extingui à perſona, quin ſimul extingueretur à natura, vt D. Thomas fatetur in duobus locis immediate citatis: in vtroque enim ſcribit implicare remanere fomitẽ, vt vitiat naturam, & non remanere, vt vitiat perſonã: & inde infert fomitem nõ poſſe remanere in natura, ſi totaliter nõ manet in perſona. At tamẽ oppoſitum omnino eſſe concedendum ex eo probatur: quia omnes concedunt à perſona B. Virginis fomitem fuiſſe omnino extinctum, ſaltẽ in ſecunda ſanctificatione; & tamen neceſſario concedendum eſt in ea manſiſſe vitium naturæ, quo culpa originalis in prolem naturaliter genitam tranfunditur: enim, ſi aut poſt primam, aut poſt ſecundam ſanctificationem ex viri concubitu naturaliter filium gigneret; vtique culpam originalem in illum transfunderet, vt oſtendimus ſupra *lib. 3. & latius in noſtro tractatu de peccato originali p. 3. q. 8. & probarunt Sotus lib. 1. de natura, & gratia cap. 9. ad finem, & inſignis Paiua lib. 5. defenſionis Trident. Synodi fol. 353. pagin. 2.* *Oppoſita opinio placet.* *Sotus. Paiua.*

Scio oppoſitum docuiſſe *D. Thomã in 3. loco citato. §. & ideo alij, & clarius q. 3, ad 3. & D. Bonauenturam in 2. diſt. 31, art. 2. q. 1. nu. 4. in primo dicendi modo in fine, & Cordubenſ. lib. 1. q. 45. in 2. illius p. ad 2. pag. 383. col. 2. in fine, & nonnullos alios*: ſed tamen hanc opinionem non eſſe probandam exiſtimamus: vt ſupponimus ex ijs, quæ in d. tractatu de peccato originali latiſsimè diximus. *D. Thom. D. Bonau. Cordub.* *Oppoſitum verius.* Qua opinione ſuppoſita, non ſolum infertur vitiũ naturæ eſſe diſtinctum à vitio fomitis, qui in perſona exiſtit (quę enim ita ſe habẽt, vt deſtructo vno, alterum maneat, non poſſunt non eſſe diſtincta) ſed etiam infertur vitium naturæ non poſſe auferri à natura ab Adamo propagata, quanuis vitium fomitis in perſona ſit omnino extinctum. Et quia hæc longiorem poſtulabant diſputationem, breuitati conſulẽtes, ab hoc labore ſuperſedemus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm gratia B. Virginem præſeruãs ab originali, potentiam peccandi ab ea ſuſtulerit?

Annotatio in ſequentes articulos.

Ordo dicē dorum.

VT omnia, quæ circa hāc quæſtionē dicemus, fiant euidentiora, hoc ordine procedemus. Primo loco explicabimus, quid ſit potētia peccādi? Deinde vtrùm à creatura humana poſsit diuinitus auferri, ita vt illa per gratiā fiat impeccabilis? Tertio loco, quomodo quis reddatur impeccabilis? Quarto loco explicabitur quæſtio principalis, vtrū B. Virgo diuina gratia impeccabilis ſit facta? Quinto loco, quomodo hoc gratiæ donū accepit? vtrùm ne ſtatim in prima ſanctificatione facta in vtero? an vero in ſecunda, quādo Verbū Diuinū concepit? Tandem 6. loco expendemus, quomodo facta fuerit impeccabilis? Et hoc modo quæſtio propoſita facile explicabitur.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit potentia peccandi?

1. Quid ſit potentia peccandi.

QVæſtio iſta nullā habet difficultatē: etenim potētia peccādi nihil aliud eſt, quā mobilitas quædā, & deflexibilitas liberi arbitrij à prima regula, cui in agendo ſubijcitur: peccans enim ideo peccat, quia deflectit à prima regula, vt omnes Theologi docent in 2. diſt. 44.

2. Dupliciter accipitur.

Aduertendum tñ eſt, potentiā peccādi dupliciter accipi poſſe, vt in d. diſt. 44. notari ſolet: vno modo pro ipſo libero arbitrio; non ſimpliciter, ſed prout ex ſe eſt mobile, & flectibile à prima regula, quæ eſt diuina voluntas. Altero modo accipitur pro ipſa flectibilitate, & mobilitate liberi arbitrij ab ipſa prima regula, quæ formaliter appellatur peccabilitas.

1. Ordo.

Priori modo potentia peccandi ſumitur pro toto coniuncto ex potentia elicitiua actus peccaminoſi, & deficiētis à ſua prima regula: & hoc modo potentia peccādi ſolū reſpicit ſuppoſitū, quod eſt peccās *vt quod*: homo enim eſt, qui habet potentiā peccandi; quia. ſ. habet liberū arbitriū flectibile à prima regula: & iſto modo potentia peccādi eſt quid cōpoſitum, dicēs de materiali ipſam potentiā liberi arbitrij, quæ eſt voluntas: de formali vero ipſā flectibilitatē à prima regula. At poſteriori modo potentia peccandi ſolū ſumitur formaliter pro ipſa flectibilitate liberi arbitrij, à qua ipſum liberū arbitriū formaliter eſt potens peccare. Inde fit, vt potētia peccandi formaliter ſumpta immediatè, & proximè denominet ipſū liberū arbitriū: etenī liberū arbitriū formaliter dicitur potentia peccādi, à qua homo dicitur potens peccare; nam cū ex ſe ſit potentia elicitiua actus, ex hac flectibilitate formaliter dicitur potētia peccandi. Dixi, *quod formaliter dicitur potentia peccandi*; quia licet à Theologis ipſum liberū arbitrium ſæpiſsime dicatur potens peccare; modus tamē loquendi non eſt adeo formalis: quoniā liberum arbitriū eſt ipſa formalis peccandi potētia, qua homo dicitur potēs peccare: vnde modus ille loquendi in bono ſenſu eſt explicandus, vt idem ſit potens peccare, quod potens deflectere à prima regula: liberū enim arbitrium eſt potens ab ea deficere tanquā potentia, non tanquam ſuppoſitū, quod deficit: vnde non eſt potens peccare vltimate *vt quod*. 2. Ordo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm potentia peccandi diuinitus poſsit auferri à creatura rationali. ſ. homine, ita vt per gratiam fiat impeccabilis?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

IN hac quæſtione illud eſt pręmittendū, impeccabilitatem formaliter poſitam eſſe in quadam immobilitate, & inflectibilitate à prima regula: ſicut etiā peccabilitas formaliter non eſt aliud, quā flectibilitas quædam, & mobilitas à prima regula, vt art. 1. diximus. 1. 1. Præmiſ.

Præmittendum eſt ſecundo agens liberum (de quo ſolo eſt ſermo) duobus modis dici poſſe impeccabile: vno modo, quia ipſum eſſentialiter, & per ſe eſt ſua regula: altero modo, quia licet non ſit ſua regula, ſed dirigatur à regula ſuperiori (qualis eſt diuina voluntas:) illi tamē immobiliter, & inflectibiliter coniungitur. Prima impeccabilitas dicitur impeccabilitas per eſſentiam: nam cū 2. 2. Præmiſ.

tale agens liberum eſſentialiter ſit prima regula, ipſum ſibi eſſentialiter eſt ſua regula: vnde non ab alio, ſed à ſe ipſo abſq; vlla dependentia regulatur. Et hæc impeccabilitas ſoli Deo poteſt conuenire; quia cum ſolus ille eſſentialiter ſit primũ ens; ſolus ille eſſentialiter eſt prima regula. Secunda impeccabilitas, eſt impeccabilitas per participationem; quia ſcilicet non à ſe, ſed ab alio habet, quod in agẽdo immobiliter, & inflectibiliter cum prima regula coniungatur: & de hac inquirimus; vtrũ poſsit creaturæ rationali, ſiue homini conuenire?

3. *3. Aduertendum.* Aduertendum tamen eſt hanc impeccabilitatem, cum ſit talis per participationem, non poſſe vlli creaturæ conuenire, niſi ex dono Dei. Cum vero donum iſtud poſsit eſſe donum, vel naturaliter illi communicatum; ita vt talis impeccabilitas illi conueniat ex principijs ſibi naturaliter conceſsis: vel ſolum ſupernaturaliter; ita vt illi ſolum conueniat per ſolam ſupernaturalem gratiam; quæſtio propoſita ſub duplici ſenſu inquiri poteſt; An impeccabilitas creaturæ rationali poſsit cõmunicari? in priori; vt impeccabilitas creaturæ rationali communicari poſsit, vt naturaliter, & per principia ſuæ naturæ intrinſeca illi conueniat. *Duplex ſẽſus quæſt.* In poſteriori vero; vt impeccabilitas per ſupernaturalem gratiam, & per donum ſupernaturale communicetur illi. In priori ſenſu inquiritur; vtrũ poſsit Deus facere aliquam creaturam rationalẽ, quæ per ſuam naturam ſit impeccabilis? in poſteriori vero quæritur, vtrùm poſsit Deus facere, quod creatura rationalis impeccabilis ſit per ſupernaturalem gratiam? 4. Hanc quæſtionem in priori ſenſu olim explicauimus, dũ Scotum interpretaremur in 2. diſt. 6. diſp. 1. art. 1. vbi reſoluimus dari nõ poſſe creaturam intellectiuam, quę per ſuam naturam abſolutè ſit impeccabilis: nunc ſolũ inquirimus; vtrùm Deus poſsit facere, vt creatura rationalis ſit impeccabilis per gratiam.

§. 2.

Referuntur variæ opiniones.

5. *Quid ſit certum.* In hac quæſtione illud, tanquam certiſsimum habendũ eſt, potentiam peccãdi, ſi abſolutè, & generaliter loquamur, poſſe omnino tolli à rationali creatura: etenim eam in Patria à beatis eſſe penitus ſublatam, ſalua fide negari non poteſt, vt late oſtendimus in 2. tom. de Beatitudine animæ q. 16. art. 2. cum ſequẽtibus: vnde neminẽ inueni, qui abſolutè, & ſimpliciter negauerit potentiã peccandi à libero arbitrio creato auferri poſſe. ¶ Controuerſum tñ eſt; an illa ſimpliciter poſsit auferri à viatore? *In quo eſt controuerſia.* In qua cõtrouerſia plures inuenio ſententias. Prima abſolutè negat, potentiã peccandi tolli poſſe à viatore. Quã ſententiam ſatis colliges ex *Vaſquez, Bellomont. 2. to. ad 3. p. diſp.* 120. *c.* 2. *1. Opinio Bellomon.* vbi licet agat de B. Virgine; tñ ex ijs, quę docet, ſatis colligitur, eũ docuiſſe in nullo viatore potentiã peccãdi abſolutè auferri poſſe: ꝓ qua ſentẽtia refert *Durand. in* 3. *diſt.* 3. *q.* 4. & affirmat eam pleriſque Nouiorum placuiſſe, nullo tamen citato.

6. *2. Opinio. Palatius. Medina. Bergomẽſ.* Secundã ſententiam probarunt *Michael de Palat. in* 3. *diſt.* 3. *diſp.* 4 *concl.* 2. *&* *Medina* 3. *p. q.* 27. *ar.* 4. *concl.* 3. *pag.* 602. *col.* 2. *& ſatis videtur conſentire Petrus Bergomenſis in concordãtijs D. Thom. dub.* 383. *&* 319. qui putant viatorem, quandiu eſt in via, reddi nõ poſſe ſimpliciter impeccabilem; bene tamen ſecundum quid. Et pro hac opinione putant ſtare D. Thomam, & Durandum.

7. *3. Opinio. Suarius.* Tertia ſententia referri poteſt, vt potentia peccandi à viatore nequeat ſimpliciter auferri in ſenſu diuiſo: ſi nimirum liberũ arbitrium ſecundũ ſe, & nude ſumatur: bene tñ in ſenſu cõpoſito: ſi nimirũ ſumatur prout per gratiã diuinã in bono cõfirmatur. Hanc opinionẽ ſatis inſinuat *Suar. 2. to. ad. 3. p. diſp. 4. ſect. 4. § ex quo tandem concludo pag.* 67. *col.* 1. *& clarius eam ſignificat in* 1. *to. diſp.* 37. *ſect.* 3. *§: Dicendum ergo pag.* 728. *col.* 2.

8. *4. Opinio. Durand.* 4. Opinio ſatis inſinuatur à *Durando in* 3. *diſt.* 3. *q.* 4. vbi docet viatorẽ ab intrinſeco nõ poſſe reddi impeccabilẽ: bene tñ ab extrinſeco; nimirũ per diuinam aſsiſtentiam: & ſubinde viatorem in eo ſolũ ſenſu nõ poſſe peccare; in quo currẽs nõ poteſt non currere, quandiu currit.

9. Has opiniones ex noſtris Theologis potui colligere: ſingularum fundamenta adducemus inferius §. 7

§. 3.

Vera quæſtionis reſolutio.

10. *Vera reſolutio eſt affirmatiua.*

HIs tamen opinionibus non obſtãtibus, ego puto amplectendã omnino eſſe opinionem, quæ ſimpliciter, & abſolute concedit, *Potentiam peccandi à puro viatore poſſe ſimpliciter auferri: ita vt homo viator ſimpliciter reddatur impeccabilis*. Hæc opinio inter Theologos communis eſt: quam non poſſunt non probare, qui abſolute docent B. Virginẽ ſimpliciter fuiſſe impeccabilem, quos referemus inferius *art.4. §.1. in 4. ſententia.*

11. *Hæc fuit ſententia. D.Thom.*

Quoniam vero aliqui dubitant eam eſſe de mente D.Thomæ; euidenter oſtendemus eum hanc ſententiam expreſſe approbaſſe: etenim *in 3.diſt.3. q.1. art.2. q.3. ad 2.* hæc ſcribit verba: *Potentia peccandi dupliciter tollitur: vno modo, quia liberum arbitrium vltimo fini coniungitur; & hoc modo* (vt ait) *tollitur in patria. Altero modo, quia illi tanta infunditur gratia, quæ omnem ab eo defectum tollat.* Et ibidem docet: *Potentiam peccandi à B. Virgine ſublatam fuiſſe, quamuis in via maneret.* Quid clarius ſcribi poterat? Accedat etiam id, quod ibidẽ in corpore ſcribit: docet enim *in prima ſanctificatione gratiam B. Virgini collatam liberum arbitrium ad bonum inclinaſſe: non tamen fuiſſe ſufficientem ad tollendam flectibilitatem eius ad malum: gratiã tamen in ſecunda ſanctificatione illi ſuperadditam ita potentiam liberi arbitrij impuliſſe,*

12. *vt in contrarium flecti non poſſet.* Admittit igitur in ſecunda ſanctificatione flectibilitatem ad malum fuiſſe penitus ſublatam; idque per immobilem adhæſionem ad primam regulam: flectibilitas autem ad malum formaliter eſt ipſa potentia peccandi, vt diximus art. 1. huius quæſtionis, & ſatis explicat D.Thomas loco citato, quatenus ipſam flectibilitatem ad malum (de qua in corpore) in ſolutione ad 2. appellat potentiam peccandi. Accedat etiam, quod ſcribit 1. 2. *q.114. artic. 9:* etenim docet hominem, qui naturaliter habet liberum arbitrium flectibile ad malum, duobus modis poſſe à Deo obtinere perſeuerantiam in bono: vno modo in patria per gratiam conſummatam: altero modo in via per diuinam motionem liberum arbitrium inclinantem in bonum vſque ad finem per donum perſeuerantiæ, vt declarat ad 1: ſupponit igitur manifeſtè flectibilitatem liberi arbitrij ad malum ſimpliciter tolli per perſeuerantiam in bono vſque in finem, qua inflectibilitas ad bonum determinatur. Satis igitur ſupponit flectibilitatem arbitrij ad malum tolli, tam in patria per gratiam conſummatam, quam etiam in via per donum perſeuerantiæ, quo liberum arbitrium vſque in finem in bono ſtabilitur inflexione vſque in finẽ perſeuerante. Iam vero flexibilitas ad malũ non poteſt ſimul ſtare cum perpetua, & inflexibili adhæſione in bono: repugnat enim vt id, quod inflexibiliter adhæret bono, habeat in ſe flexibilitatem ad malum.

D.Thom. (margin)

Nec obſtat, quod *D.Thomas 3.p.* nunquam docuit fuiſſe B. Virgini cõceſſum, quod non poſſet peccare: etenim ſatis eſt, quod alijs in locis id docuerit. Deinde, quia ſatis id colligitur ex eodem D.Thoma 3.p.q.27.art.5.ad 2. vt dicemus ar.4. Quomodo autem ſit explicandus in locis, qui in oppoſitum obijciuntur, explicabimus inferius in hoc art. Eandem ſententiam abſolute probat Alexander de Ales 3.p.q.9.memb.3.art.2. §.2. vbi ad primum argumentum generaliter docet *non poſſe peccare* non ſolum pertinere ad ſtatum gloriæ; ſed etiam ad ſtatum perfectæ gratiæ, quæ in via dari poteſt: ob quam rationem aſſerit potentiam peccandi non dari in ijs, qui habent donum perſeuerantiæ: & in corpore affirmat, eã non fuiſſe in ſanctificatis in vtero. Satis id ſupponit D.Bonauent. *in 3. diſt.3. art. 2. q.3.* dum B. Mariæ in ſecunda ſanctificatione tribuit impotentiam peccandi aliquod peccatum: & Hieremiæ, & Baptiſtæ concedit impotentiam peccandi mortaliter. Idem ſatis ſupponũt Richardus, Paludanus, & cæteri, quos art.4. pro B. Virginis impeccabilitate citabimus. 13. *Soluitur obiectio.* *D.Bonau.* *Richard. Palud.*

Hæc opinio theologica ratione ſatis efficaciter conuincitur: 14. quoniam potentia peccandi formaliter non eſt aliud, quam liberi arbitrij flexibilitas ad malũ: ſed flexibilitas ad malum in via tolli poteſt per habitus perfectos charitatis, &

virtutum, ſaltem cum aſsiſtentia diuinæ prouidentiæ: ergo potentia peccandi nō ſolum in patria, ſed etiam in via per gratiam tolli poteſt. Maior patet ex primo articulo: minor autem ex eo probatur; quia inter omnes conſtat flexibilitatem, & mutabilitatem in malum non eſſe de ratione liberi arbitrij, vt expreſſe docet

D. Thom. *D. Thomas de Veritate q. 24. art. 3. ad* ... *& de malo q. 16. ar. 5.* imo nec eſſe libertatē, nec partem eius docet *idem D. Thomas de Veritate q. 22. art. 6. in fine, & in d. q. 24. art. 7. ad* 4: quin potius multis in locis docet, poſſe peccare eſſe libertatis defectū, vt ſcribit 1. *p. q. 62. art.* 8. *ad* 3: quæ omnia euidenter inde demonſtrantur; quoniam talis flexibilitas ad malū, nec eſt in Deo, quia eſſentialiter eſt impeccabilis; nec in beatis, qui impeccabiles fiunt per gratiā: cum tamen & in Deo, & in beatis detur liberum arbitrium. Porrò, ſi flexibilitas ad malum non eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij; ſed illius defectus; cur ab eo in via non poterit ſimpliciter auferri? profectò nulla ratio dari poterit, cur id fieri non poſsit, quod euidentius patebit ex ſolutionibus argumentorum: & ſatis

Auguſt. videtur confirmari ex *Auguſtino in libro* 83. *quæſt. q.* 36. dum ait: *Quod nutrimentum charitatis eſt diminutio cupiditatis: perfectio vero, nulla cupiditas.* Satis igitur ſupponit in via (agit enim de viatoribus) poſſe in appetitu ſenſitiuo nullam reperiri inordinatam cupiditatem, & ſubinde nullam flexibilitatem ad malum.

§. 4.

Impugnatur ſecunda ſententia.

15. Contra tertiam ſententiam. 1. ratio.

EX præcedente reſolutione infertur impugnatio ſecundæ ſententiæ: etenim ſi potentia peccandi non ſolum in patria, ſed etiam in via poteſt à libero arbitrio ſimpliciter tolli, ita vt in eo ſimpliciter non maneat, vt oſtenſum eſt: qui fieri poteſt, vt potentia peccandi à viatore ſolum auferatur ſecundū quid? etenim potentia peccandi (vt diximus) nihil aliud eſt, quam flexibilitas ad malū: quare ſi hæc ſimpliciter eſt amouibilis à libero arbitrio viatoris; cum nec ſit de ratione illius pro ſtatu viæ; nec pars eius, ſed ſolum ſit quidam defectus; vtiq; potentiā peccandi in via erit à viatore ſimpliciter amouibilis, non vero ſecundum quid.

Hoc etiam contra eandem ſententiam ex eo euidenter oſtenditur, quoniā Medinæ fundamentum ſupponit vnum falſum. ſ. impeccabilitatem, & inflexibilitatem liberi arbitrij in viatore ſolum eſſe ab extrinſeco; nimirum à ſola diuina aſſiſtentia: cum vero inflexibilitas, quæ ſolum eſt ab extrinſeco, ſupponat flexibilitatem ad malum, quæ illi eſt intrinſeca; & ſubinde ſupponat potentiam peccandi; vtique ſimpliciter, & abſolute dici non poteſt impeccabilitas, ſed ſolum ſecundum quid. Hoc inquam Medinæ fūdamentum fallò ſupponit, impeccabilitatem, & inflexibilitatem liberi arbitrij in via ſolum conuenire poſſe ab extrinſeco: quoniam licet illa compleatur per extrinſecam aſsiſtentiam diuinæ prouidentiæ; in ſe tamen includit, quòd liberū arbitrium immobiliter adhæreat bono per habitus intrinſecos virtutum, vt in ſequenti articulo oſtendemus. Deſtructo autem Medinæ fundamento omnino etiam deſtruitur illius opinio. 16. 2. ratio.

Quæ etiam ex eo deſtruitur; quoniā admiſſo illius fundamento; adhuc liberū arbitrium dici debet ſimpliciter impeccabile, peccabile autem ſecundum quid: & ratio eſt, quia ſolum dicetur peccabile, ſi ſuæ naturæ relinquatur: ſecus quandiu diuinam aſsiſtentiam habet immobiliter ſibi adiunctam: cum vero illam habeat adiunctam, non ſecundum quid, ſed ſimpliciter, quia talis aſsiſtentia ex decreto diuino eſt perpetua; & ideo iam non habet, quod ſuæ naturæ aliquando relinquatur; non poteſt talis impeccabilitas eſſe ſecundum quid talis, ſed ſimpliciter. 17. 3. ratio.

Quod corroboratur exemplo, quod Medina ſumit ex impotentia ad errandum, quam Concilium legitime congregatum habet ex diuina aſsiſtentia: etenim licet illa aſsiſtentia Spiritus Sancti ſit extrinſeca: nullus tamen abſolute affirmabit Concilium legitime congregatum errare poſſe, ſed ſimpliciter, & abſolute fatendum eſt illud errare non poſſe; quanuis ſublata aſsiſtentia errare valeat. Et ratio Confirmatio.

eſt,

eſt, quia talis aſsiſtentia illi non conuenit ſecundum quid, ſed ſimpliciter; cũ Deus ſuppoſita legitimitate ſimpliciter, & abſolute promiſerit. Quare licet daremus impeccabilitatem ſoli conuenire viatori per aſsiſtentiam extrinſecam, cum illa ex diuino decreto perpetuo aſsiſtat; illa ſatis eſt, vt viator per eam dicatur ſimpliciter impeccabilis, non vero ſecundum quid. Et ſubinde illa ſatis erit, vt potentia peccandi ſimpliciter ſit ſublata, & non ſolum ſecundum quid: & ratio eſt; quia talis aſſiſtentia, licet ſit extrinſeca, non tamen concurrit ſolum extrinſece, ſed per intrinſecam motionem ipſius arbitrij perpetuo paratam, vt ait *D. Thomas* 1:2. *q.* 114.*art.*9. & inde eſt, vt iſta diuina aſsiſtentia non extrinſece denominet arbitrium inflexibile ad malum; ſed etiam intrinſece, de quo inferius iterum dicemus.

D. Thom.

§. 5.

Impugnatur tertia ſententia.

18. *Contra tertiam ſentẽtiam.* SEd nec placere debet tertia opinio, quæ affirmat potentiam peccandi non poſſe ſimpliciter auferri à viatore in ſenſu diuiſo; bene tamen in ſenſu compoſito: etenim ſi Philoſophia ſenſus diuiſi, & compoſiti in ordine ad habendum, vel non habendum potentiam peccandi, & flexibilitatem ad malum, diligẽtius expendatur; ex ſenſu diuiſo nullo modo conuinci poteſt, dari in viatore confirmato potentiam peccandi: imô potius ex eo bene explicato oppoſitum conuincetur.

19. *Præmiſſũ.* Pro cuius explicatione, præmittendũ eſt, potentiam peccandi, ſiue flexibilitatem ad malum eſſentialiter non conuenire libero arbitrio creato; imò nec neceſſario, ſi modo ſumatur abſolute, & ſecundum ſuam naturam: quia vt ſic ſolum illi conuenit non repugnantia negatiua ad poſſe peccare: ſi vero ſumatur ſecundum ſtatum ſibi connaturalem, & quatenus eſt denudatum ab omni ſupernaturali gratia illud in bonum inclinante; tũc conuenit illi potentia peccandi poſitiua, & poſitiua flexibilitas ad malum. *1. pars probatur.* Prima pars huius Theologiæ ex eo patet: quoniam flexibilitas ad malum (quæ formaliter eſt potentia peccandi) abſolute non eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij in communi, prout à creato, & increato abſtrahit: quoniam in Deo vere, & formaliter datur liberum arbitrium eſſentialiter impeccabile, vt fides docet. Sed nec eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij creati, vt eſt communis Theologorum doctrina, quam ſuperius oſtendimus, & expreſſe docet D. Thomas in locis ſupra citatis: in quibus oſtendit, tantum abeſſe, *vt poſſe peccare* ſit de intrinſeca ratione liberi arbitrij creati, aut formaliter ſit libertas, aut pars libertatis; vt potius ſit ipſius libertatis defectus, ab eo diuina gratia ſeparabilis: nam de facto ab eo ſeparatur in beatis, vt latè oſtendimus in 2. to. de Beatitudine animæ q.16.ar.2. & actu ſeparatum fuit à libero Chriſti arbitrio, dum fuit in via.

Ex quo infertur confirmatio ſecundæ partis reſolutionis datæ: etenim cum potentia peccandi ſit defectus libertatis, non poterit eſſe naturalis proprietas illius: quia naturalis proprietas, eſt naturalis perfectio eius, cuius eſt proprietas. Quare ſi liberum arbitrium creatum ſecundum ſuam eſſentiam, & naturam cõcipiatur: naturaliter, & poſitiue non vendicat ſibi potentiam peccandi, ſed ſolum negatiue per ſolam non repugnantiam: nam ex eo, quod creatum eſt ex nihilo, per ſe habet, quod ſibi non repugnet poſſe peccare. Ex quibus ſatis efficaciter infertur veritas tertiæ partis noſtræ reſolutionis; vt ſcilicet potentia peccandi ſolum comitetur liberum arbitriũ, quando exiſtit in ſtatu ſibi cõnaturali: in quo tunc exiſtit, quando eſt ſuæ naturæ relictum, & omnino denudatum ab omni ſupernaturali perfectione, & gratia illud ſupra ſuam naturam eleuante. 20. *2. pars probatur.*

Ex quo infertur, liberum arbitrium creatum duobus modis conſiderari poſſe in ſenſu diuiſo: vno modo, prout conſideratur ſecundum ſuam intrinſecam naturam, & ſecundum ea, quæ vt ſic illi per ſe conueniunt. Altero modo, prout conſideratur ſecundum ſtatum ſibi connaturalem; & prout ſub illo exiſtit, nam vtroque modo poteſt conſiderari abſtrahendo à ſenſu compoſito, & ab ijs, quæ illi 21. *Senſus diuiſus duplex.*

conue-

conueniunt, vt ſupernaturaliter eſt eleuatum. Intereſt autem plurimum inter vnum, & alterum ſenſum diuiſum: nam ſi ſolum conſideratur ſecundum ſenſum diuiſum priori modo; *poſſe peccare* ſolum illi conueniet negatiue, & per ſolam non repugnantiam, quæ non poteſt ab eo ſeparari, quantumuis per gratiam confirmationis factum ſit impeccabile: etenim ſi liberum arbitrium in ſtatu patriæ in ſenſu diuiſo conſideretur ſecundum ſolam ſuam naturam, & intrinſecam rationem, non repugnat illi poſſe peccare; quanuis per gratiam patriç, nec vnquam peccabit, nec poſſit peccare: & ratio eſt, quoniam cum non repugnantia ad peccandum per ſe conſequatur ad intrinſecam rationem liberi arbitrij creati; per nullam ſupernaturalem eleuationem poteſt amittere talem non repugnantiam; maxime cum illa ſimul poſſit ſtare cum impeccabilitate, & impotentia ad peccādum, cū formaliter non ſit potentia peccandi; vt fatentur aduerſarij, & cum illis *Suar. 1. tom. ad 3. p. diſp. 37. ſectio. 3. pag. 728. col. 2. A. B.* Porrò, ſi liberum arbitrium conſideretur ſecundum ſenſum diuiſum poſteriori modo explicatum; potentia peccandi, & flexibilitas ad malum neceſſario, & poſitiue illud comitabitur, vt docent aduerſarij, & nos libenter fatemur: etenim talis defectus per ſe conſequitur liberum arbitrium, non abſolute ſumptum, ſed prout eſt in ſuo ſtatu connaturali, & ſubinde denudatum ab omni ſupernaturali perfectione. Verum cum poſſit à tali ſtatu ſeparari, quia poteſt per diuinam gratiam ad ſtatum ſupernaturalem eleuari, poterit etiam ſeparari à potentia peccandi: & ratio eſt, quia potentia peccandi ſolum comitatur liberum arbitrium ratione ſtatus connaturalis. Quare ſicut per gratiam confirmationis exuit illum ſtatum, quia iam non exiſtit nudum, ſed eleuatum, ita per talem gratiam abſolute exuit flexibilitatem ad malum, & ſolum ſecum defert non repugnantiam ad poſſe peccare, & deflecti ad malum: quæ non repugnantia non comitatur potentiam peccandi proximam, ſed ſolum remotam, & radicalē, vt aduerſarij cum Suario fatentur. Ex quo infertur, gratiam confirmationis abſolute excludere à libero arbitrio ipſum poſſe peccare, & poſſe ad malum flecti; ex ea præciſe ratione; quia ab eo abſolutè excludit exiſtentiam in ſtatu ſibi naturali; cū talis ſtatus per ſe includat exiſtētiam omnino denudatam ab omni ſupernaturali eleuatione. Ex quo rurſus infertur, liberum arbitrium coniunctum cum gratia confirmationis, à parte rei nō habere flexibilitatem ad malum, & ex conſequenti nec potentiam peccandi, quanuis habeat non repugnantiā ad peccandum.

Inter vtrūque datur diſcrimen.

22. *Quomodo conſideratur in primo ſenſu.*

23. *Quomodo in ſenſu ſecundo.*

Corollar.

24. *Quæ fuerit cauſa deceptionis?* *1. decept.*

Ex his iam facile colligitur, cauſam deceptionis fuiſſe, non diſtinguere duplicem ſenſum diuiſum, qui niſi diſtinguatur, non poteſt deceptionem nō cauſare. Aduerſarij autem in duobus decepti ſunt: primum eſt, quoniam in libero arbitrio per gratiam confirmato ſolum agnouerunt ſenſum diuiſum ſecundum ſtatum illi connaturalem: cum tamen admittendus etiam ſit ſenſus diuiſus, quo cōſideretur ſecundum ea, quæ illi intrinſece, & per ſe conueniunt, abſtrahendo à quocumque ſtatu: etenim non omnia, quæ conueniunt libero arbitrio ſecundū vnum ſenſum, conueniunt illi ſecundum alterum, vt ex dictis patet. Alterum eſt, quia ſupponunt ſenſum diuiſum ratione ſtatus connaturalis, manere in libero arbitrio ſimul cum confirmatione. Quod eſſe falſum, ex eo probatur, quia ſtatus connaturalis libero arbitrio per ſe includit carentiam omnis eleuationis ſupernaturalis: quam tamen non habet, cum per gratiam eſt eleuatus. Quare licēt liberum arbitrium confirmatum in gratia poſſit conſiderari ſub hoc ſenſu diuiſo; nimirum prout exiſtit in ſuo connaturali ſtatu, & ſecundum ea, quæ vt ſic illi conueniunt: non tamen inde infertur, ea, quæ illi conueniunt ſecundum illum ſtatum, conuenire eidem quando eſt ſub confirmatione: quia illi vt ſic ſolum conueniunt, quæ intrinſecam eius rationem comitantur: cum verò hęc non repugnēt confirmationi, ſimul poſſunt ſtare cum illa: nam licet non repugnantia negatiua formaliter non conueniat libero arbitrio ratione confirmationis; illi tamen conuenit,

25. *2. decept.*

uenit, vt eſt ſub confirmatione. Quare confirmatus habet non repugnantiam negatiuam ad peccandum; quia liberum arbitrium, quod eſt ſub confirmatione, habet non repugnantiam ad peccandum: non tamen habet potentiam peccandi. Quæ omnia in hac materia ſunt quamdiligentiſsimè aduertenda.

26. *Concluditur contra tertiã ſententiam.* Ex hac veriſsima Theologia (vt ad inſtitutum accedamus) neceſſario infertur, non eſſe admittendam tertiam opinionem, quæ affirmat, potentiam peccandi auferri poſſe à viatore in ſenſu compoſito; non tamen in ſenſu diuiſo: nam ſi huius opinionis authores per ſenſum diuiſum intelligunt liberum viatoris arbitrium conſideratum ſecundum ea, quæ per ſe illi conueniunt prout eſt liberum arbitrium, negandum eſt, viatori confirmato conuenire potentiam peccandi, & flexibilitatem ad malum in ſenſu diuiſo: quoniam liberum arbitrium viatoris nõ vendicat ſibi talem flexibilitatem ad malum, & poſſe peccare; ſed ſolum ſibi vendicat non repugnantiam negatiuam ad peccandum; quę, ipſis aduerſarijs conſentientibus, non eſt potentia peccandi, vt ſupra aduertimus: & probari poteſt, tum quia potentia peccandi eſt defectus poſitiuus, cum tamen illa non repugnantia ſit quædam negatio; tum etiam, quia potentia peccandi non eſt de ratione liberi arbitrij, nec proprietas eius, ſed ſolum eſt defectus concomitans illud, non abſolute, ſed prout ſuæ puræ naturæ relinquitur ſine vlla ſupernaturali eleuatione, & quatenus exiſtit in ſuo connaturali ſtatu, vt diximus.
27. ¶ Si vero per ſenſum diuiſum intelligunt liberum arbitrium conſideratum, non præciſe ratione ſuæ intrinſecæ naturæ, ſed ratione ſtatus ſibi connaturalis, admittimus quidem liberũ arbitrium, vt ſic, ſibi vendicare flexibilitatem ad malum, & potentiam peccandi: negamus tamen talem flexibilitatem reperiri in libero arbitrio, quod per gratiã eſt impeccabile: quia liberum arbitrium per gratiam eleuatum non exiſtit in ſuo ſtatu connaturali, ratione cuius vendicat ſibi flexibilitatem ad peccandum.

§. 6.

Impugnatur quarta ſententia.

28. *Impugnatio quartæ opinionis Durandi.* Sed nec placere debet quarta opinio, quam probauit Durandus, quatenus affirmat, viatorem non poſſe reddi impeccabilem ab intrinſeco, ſed ſolum ab extrinſeco per diuinam aſsiſtentiam; quæ (vt vult Durandus) non ſatis eſt, vt viatorem reddat ſimpliciter impeccabilem. Hęc, inquam, opinio placere non poteſt, quia duplici nititur falſo fundamento. Primum eſt, immobilitatem in bono, & inflexibilitatem ad malum, quam impeccabilitatẽ appellamus, viatori conuenire non poſſe, niſi tantum ab extrinſeco: quod eſſe falſum mõſtrabimus in ſequenti articulo, vt ſupra aduertimus §. 4. contra ſecundam ſententiam. Secundum eſt, quod impeccabilitas ab extrinſeco non ponit neceſsitatẽ, niſi ſecũdum quid; ad eum modum, quo Petrus neceſſario currit, quando currit: oppoſitum enim dicemus in articulo ſequente.

Reſolutio dictorum.

29. *Confirmatio reſolutionis poſitæ §. 3.* ¶ Ex his iam patet confirmatio reſolutionis poſitæ §. 3. quæ ſimpliciter, & abſolute admittit potentiam peccandi, & flexibilitatem ad malum poſſe auferri à viatore ita, vt in via per diuinam gratiam reddatur ſimpliciter impeccabilis; quam reſolutionem & ratione confirmauimus, & ſingularum trium opinionum impugnatione. Quare ſolum ſupereſt, vt ſingularum fundamenta, & referamus, & diſſoluamus.

§. 7.

Referuntur argumenta, quibus prima ſententia nobis contraria confirmatur.

30. *Ad arg. oppoſita.* Pro confirmanda prima opinione, quæ ſimpliciter negat potentiam peccandi à viatore tolli poſſe, ita vt ad peccandum liber non maneat, varia adducuntur argumenta: plura refert *Vaſquez Bellomontanus 2. to. ad 3. p. diſp. 120. c. 2. à n. 14. vſque ad 21.* Plura etiam refert Medina author ſecundæ opinionis poſitæ ſupra §. 2. Sed primo loco afferemus argumenta Bellomontani: deinde afferemus argumenta Medinæ.

Bellomon

Pri-

31. 1. argum. Bellom. Primum argumentum eſt: quoniam liberum hominis arbitrium vno tantum ex tribus modis poteſt amittere libertatem ad peccandum: vel viſione clara Dei: vel vnione hypoſtatica: vel perturbatione cogitationis: ſed viator caret viſione clara Dei, vt patet: caret etiã vnione hypoſtatica, vt notum eſt: nec poteſt ſemper eſſe in perturbatione cogitationis, quæ deliberationem tollat: ergo nullus viator poteſt ſimpliciter carere potentia ad peccandum. Ita Bellomontanus n. 14.

32. 2. arg. Secundum argumentum ex eodem n. 15: quoniam viator nihil habere poteſt, ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum antecedens ſuam libertatem, per quod illam amittat, vt peccare nequeat: ergo viator nullo modo poteſt amittere libertatem ad peccandum. Conſequentiã inde probat: quoniam ex ijs, quæ latè docuit 1. *tom. ad 1. p. diſp. 68. c. 4. & 5. & diſp. 89. c. 10. n. 93.* ſola neceſsitas antecedens libertatem ipſius viatoris poteſt ab eo tollere libertatem ad peccandum; non vero neceſsitas ipſam libertatẽ conſequens: quæ fuit expreſſa doctrina D. Anſelmi in lib. de concordia præſcientiæ, ſiue prædeſtinationis, & liberi arbitrij cap. 1. antecedens vero, vt notum ſupponit tanquam alibi à ſe probatum.

33. 3. arg. Tertio in d. n. 15. ita arguit: quoniam ex diuina prouidentia extrinſeca, aut ex concurſu Dei cum humana voluntate libertas viatoris impediri non poteſt: ergo nec ab eo poteſt tolli libertas ad peccandum. Conſequentia eſt nota: antecedens (vt ait) ſatis à ſe probatum eſt 1. to. ad 1. p. diſp. 99. c. 8.

34. 4. arg. Quarto arguit in eodem loco: quoniã libertas ad peccandum non poteſt tolli ex eo, quod fomes in viatore ligetur, aut extinguatur: quod (vt ait) ſatis cõfirmat Durandus. Fundamentum eſt: quoniam anima ſine fomite ſecundum ſe habet libertatem ad peccandum, nõ minus quam Angelus, qui ſine fomite, & incẽdio carnis peccauit.

35. 5. arg. Quinto; quoniam libertas noſtra non poteſt ad vnam partem neceſſario inclinari virtute alicuius habitus; quod affirmat eſſe manifeſtum, & à ſe probatum *1. tom. ad 1. p. diſp. 88. c. 5.* Fundamentum eſt, quia licet habitus minuat inclinationem ad malum, ſicut habitus malus minuit inclinationem ad bonum: tamen nõ poteſt illam penitus extinguere, vt putat ſe probaſſe *2. tom. ad 3. p. diſp. 118. cap. 3. ex doctrina à ſe tradita 1. 2. diſp. 132. c. 7.*

Sexto; quoniam ſi tolleretur libertas ad peccandum à viatore confirmato; id eſſet per amorem Dei, in quo continuo, & omni tempore inſiſteret: ſed ex hoc non tollitur libertas ad peccãdum: quod ex eo oſtendit; quia viator in hoc amore & Dei contemplatione non neceſſario ſemper manet, ſed libere: non poteſt igitur per talem amorem, & continuam cõtemplationem amittere libertatem ad peccandum. ¶ Hęc ſunt argumenta, quibus Bellomontanus putat ſe efficaciter probaſſe, à viatore non poſſe tolli libertatem ad peccandum; quantumcũque in gratia confirmetur. 36. 6. arg.

§. 8.

Afferuntur argumenta Medinæ.

His argumẽtis adiungi poſſunt argumenta, quibus Medina nititur eandem ſententiam confirmare. 37. Argumẽta Medinæ.
Primum eſt, quoniam ſi viatori poſſet ſimpliciter cõuenire impeccabilitas, poſſet ab eo auferri libertas: & ſubinde poſſet dari viator, qui mereri non poſſet, quod ſtatui viæ repugnat. 1. argum. Hęc poſterior ſequela ex ſe eſt nota; quoniam ad meritum requiritur libertas; & per conſequẽs ſi cum impeccabilitate non poteſt ſtare libertas, vt in prima ſequela probatum eſt; vtique cum eadem non poteſt ſtare meritum. Quod vero prior ſequela ſit admittẽda, ita oſtenditur: quoniam oblato aliquo obiecto, circa quod viator teneretur actionẽ elicere; aut potuit actionem non elicere; aut non potuit. Si potuit, potuit peccare, & ſubinde in eo non erat impeccabilitas. Si vero non potuit non elicere talem actionem: ergo non habuit libertatem: etenim qui liber eſt ad aliquid agẽdum, ſicut poteſt illud agere; ita poteſt illud non agere: inde enim laudem, & præmium meretur, ſi agit: pœnã verò, & vituperium, ſi non agit. Quod etiam cõfirmatur; quoniam, ſi ſimpliciter

eſt impeccabilis, neceſſario tendit in id, ad quod ex præcepto tenetur: quia ſi poteſt non agere, iam poteſt peccare.

38. 2. arg. Secũdum argumentũ ex eo ſumitur, quia proprium eſt viatoris poſſe peccare: ergo repugnat aliquẽ ſimpliciter eſſet viatorẽ, & ſimpliciter eſſe impeccabilẽ.

39. 3. arg. Tertio arguitur: quoniam de ratione liberi arbitrij creati eſt, quod ſit flexibile ad malum, & ad bonum: iam vero flexibilitas ad malum eſt potentia peccandi: ergo fieri non poteſt, vt in viatore detur impeccabilitas ſimpliciter.

40. 4. arg. Quarto arguitur: quoniam à viatore non poteſt omnino tolli omnis defectus in ratione: etenim nullus habitus dari poteſt, per quem ratio viatoris ſemper ſtet in actu videndi ea omnia, quæ ad eius ſtatũ pertinẽt: igitur ſẽper poſsibilis eſt aliquis defectus in ratione, vel erroris, vel ignorãtię; vel ſaltẽ incõſiderationis, & inaduertẽtiæ: ſi vero ratio poteſt deficere, volũtas etiã in ſua electione deficere poteſt; quoniã voluntas ductũ rationis ſẽper ſequitur: ergo à viatore ſimpliciter tolli nõ poteſt potẽtia peccãdi; & per cõſequens nõ poteſt fieri ſimpliciter impeccabilis.

41. 5. arg. Quinto; ſi viator poſſet reddi ſimpliciter impeccabilis, talis fieret per aliquem habitũ virtutis gratis illi collatum, cum quo non ſtaret peccabilitas: ſed nullus habitus ad id eſt ſufficiens; etenim nec iuſtitia originalis Adamo collata ſufficiens fuit, vt illum redderet ſimpliciter impeccabilem; cum de facto peccauerit.

42. 6. arg. 6. & vltimo: in libera poteſtate eius, qui cõfirmatus, factus eſt impeccabilis nõ eſt, poſſe tollere à ſe cõfirmationẽ, & impeccabilitatẽ, vt patet ex Aug. in lib. de bono perſeuerãtię c. 6: ergo non eſt in libera poteſtate cõfirmati non peccare: & ſubinde nõ eſt liber ad non peccandum. Probatur ſequela: quoniã ex regula Logicorũ, quando ex aliquo antecedente in bona cõſequentia infertur aliquod cõſequens; ſi antecedẽs eſt ſimpliciter neceſſariũ, conſequens etiã tale erit: ſed ex impeccabilitate ſequitur nõ poſſe peccare, vt diximus: ergo ſi factus impeccabilis nõ poteſt à ſe tollere ipſam impeccabilitatẽ; non poteſt à ſe tollere carentiã libertatis ad nõ peccãdũ. Hæc ſũt argum. Medinę.

§. 9.

Soluuntur argumenta Bellomontani.

HÆc argumenta, quæ in contrariũ adduximus, eodem ordine diſſoluemus; & primo diſſoluemus argumenta Bellomontani: deinde Medinę. 43. *Solutio argumentorũ Bellom. Ad 1.*

Primum argumentum ſatis eſt futile: petit enim principium: negandum eſt igitur, liberum hominis arbitrium illis tantum tribus modis poſſe amittere libertatem ad peccandum: quia poteſt etiã illam amittere per immobilem alligationem arbitrij ad primã regulam, vt ſupra oſtendimus, & communiter admittunt Theologi. Quare Bellomõtanus ne principium peteret, deberet noſtram ſententiam impugnare.

Pro ſolutione ſecundi, nonnulla præmittuntur.

¶ Pro ſolutione ſecundi argumenti admittimus, duplicem diſtinguendam eſſe neceſsitatẽ: vnam antecedentẽ, alterã cõſequentẽ: illam enim doctiſsimè admittit *D. Anſelmus in d. lib. de cõcordia præſcientiæ & prædeſtinationis c. 1. pag. 193. col. 1. A.* dicimus tamen duplicẽ illam neceſsitatẽ admittẽdã eſſe in ſenſu explicato ab ipſo D. Anſelmo, qui lõge aliter eã explicat, atq; Bellomõtanus: etenim apud D. Anſelmũ neceſsitas antecedens illa dicitur, quę ortũ habet ex antecedẽte ſimpliciter neceſſario; qualis eſt neceſsitas ortus ſolis pro die craſtina: hæc enim oritur ex cauſa naturaliter neceſſaria: neceſsitas vero cõſequens illa dicitur, quæ nõ oritur ex antecedẽte ſimpliciter neceſſario, ſed neceſſario ſolũ ex ſuppoſitione: qualis eſt neceſsitas rei futuræ, ſuppoſito quod ſit futura: & neceſsitas rei præſentis, ſuppoſito quod ſit pręſens: & ad hãc neceſsitatẽ reducit neceſsitatẽ futuritionis rei, quam Deus ſciuit eſſe futurã: vide D. Anſelmũ in loco citato. Itaq; neceſsitas tũc dicitur conſequens, cum oritur ex ſuppoſitione rei, quæ vel eſt contingens, vel libera, ita vt ex ſe poſsit eſſe, vel nõ eſſe. ¶ Ex quo infertur, neceſsitatem nõ peccandi in via, eſſe non poſſe neceſsitatem antecedentẽ; quia nulla cauſa dabitur, quæ ex ſua natura neceſsitet ad non peccandum: quare talis neceſsitas ſemper erit cõſequẽs, vt q̃

44. *Pro ſolutione 2. arg. præmittũtur nonnulla.*

D. Anſelmus.

Duplex neceſsitas, antecedẽs, & conſequẽs.

ex aliqua libera ſuppoſitione oriatur.

45. *Opinio Bellomontani.* Aduertendum tamen eſt, Bellomontanum exiſtimare, neceſsitatem ad non peccandum, quæ dicitur cõſequens, quia oritur ex ſuppoſitione libera, per ſe dependere ex libertate ipſius liberi arbitrij, quod ad non peccandum neceſsitatur: quaſi voluntas Dei ideo ſe determinet ad dandum huic homini donum confirmationis, quia nouit illũ cum tali dono libere non peccaturum, ſed bonũ operaturum: quæ eſt imaginatio Bellomontani, quam noſtris his temporibus plures ſequuntur. *Non recipitur Bell.* Qua ſuppoſita Theologia, neceſsitas iſta ad non peccandũ dicitur neceſsitas conſequens, quæ tantum abeſt, vt tollat libertatẽ ad peccandũ, vt potius eam ſupponat, & ea ſuppoſita neceſsitatẽ conſequatur. Hæc tamẽn Bellomontani Theologia à viris doctiſsimis reijcitur, & mihi nunquam placuit, contra quam alio loco plura ſcripſi: quapropter admitto, neceſsitatem iſtam eſſe conſequentem, ortam ex libera ſuppoſitione; non quidẽ pẽdente ex libera determinatione ipſius confirmati; ſed ex libero Dei decreto, quo ſtatuit huic iuſto conferre gratiam doni perſeuerãtię, vt ꝑ illud defectus flexibilitatis in malum ab eius arbitrio tolleretur, & confirmaretur in bono: cum qua confirmatione, licet non poſsit ſtare libertas ad malum; ſtare tamen poteſt ſumma libertas ad bonum, vt dicemus §. 10. Et in hoc deficit Bellomõtanus, quod exiſtimat; neceſsitatem conſequentẽ eſſe illam, quæ ſequitur libertatem noſtram, ita vt inferatur ex ſuppoſitione pendente ex noſtra libera voluntate; quod eſſe falſum inde probatur; quoniam neceſsitas, quod fiat id, quod Deus præſciuit, nõ eſt neceſsitas antecedẽs, ſed conſequẽs: & tamen ex noſtrò libero arbitrio nõ pendet poni, vel non poni præſcientiam diuinam; quicquid ille oppoſitum doceat; ſed pendet ex libera Dei voluntate noſtrum liberum arbitrium ſuauiter determinãte, & cõſentaneẽ ad naturam illius: quod modo ſupponimus tanquam alibi à nobis confirmatum.

46. *Duplex neceſsit[illegible].* Quare neceſsitas conſequens, eſt duplicis generis: vna eſt, quæ ex noſtra libertate dependet: qualis eſt neceſsitas currendi, quando Petrus currit: nã licet Petro currente neceſſe ſit Petrum currere: tamen quod Petrus currat, ex libera ei⁹ volũtate pẽdet. Altera eſt, quæ nõ pẽdet ex noſtra libertate; ſed ex libera Dei volũtate, qualis eſt neceſsitas futuri, quod De⁹ nouit eſſe futurũ: hęc enĩ (vt dixim⁹) nõ pẽdet ex noſtra libertate, ſed ex libertate Dei, qui poteſt omnia ſuauiter determinare ad quam voluerit partẽ. Ad hanc neceſsitatẽ pertinet neceſsitas, quod cõfirmatus in gratia ſemper operetur bonũ: idq; cũ libertate, tũ quoad exercitium; tũ quoad ſpecificationem diſparatam ſub eodem genere, de quo in ſequenti §. 10.

Si vero inquiras, quænam neceſsitas conſequens ſtet cum libertate ad peccandum? & quę non ſtet cum illa? reſpõdebo, 47. *Optima interrogatio.* neceſsitatẽ conſequentẽ, quæ ex noſtra libertate ſimpliciter pendet, poſſe ſimul ſtare cum potentia peccandi: etenim qui libere peccat, licet quando peccat, neceſſario peccet; libere tamẽ peccat, quia poteſt ab illo peccato deſiſtere. Deinde dico, neceſsitatẽ conſequentẽ, cuius ſuppoſitio à noſtra libertate non pendet, ſed à libertate voluntatis diuinæ, tũc poſſe ſtare cũ potentia peccandi, cũ ſuppoſitio, à qua oritur, omnino eſt intrinſeca ipſi libero arbitrio; ita vt nihil in eo ponat, quo immobiliter fiat inflexibile ad malum: ſecus dicendum eſt, quando ſuppoſitio, ad quã neceſsitas conſequitur, eſt intrinſeca ipſi libero arbitrio, & eius naturæ, vt illud ita immobiliter confirmet in bono, vt nequeat deflecti ad malũ: hæc enim neceſſitas omnino tollit potentiam peccandi, quæ eſt libertatis defectus, & quædam imperfectio ab ea ſeparabilis; manẽte tamen integra libertate ad bonum, vt ſtatim dicemus. Et cum hæc doctrina doctiſsimis placeat Theologis, Bellomontan⁹ appertiſsimè petit principiũ, dũ abſolutè docet, neceſsitatẽ conſequentẽ eſſe illam, quæ ita ſequitur noſtrã libertatẽ, vt ex ea pendeat poni, vel non poni ſuppoſitionem, ad quam conſequitur. *Bellomont. petit principium.* Nec eſt quod dicat, ſuam explicationem eſſe D. Anſelmi; qa in hoc aperte fallitur: ſicut etiam fallitur dum ait, neceſsitatem antecedentem, quæ libertatem tollit, eſſe eam, quæ pręcedit noſtram libertatẽ

in

in hoc ſenſu, vt naſcatur ex aliquo, quod poni, vel non poni non pendet à nobis: etenim D. Anſelmus neceſsitatẽ antecedentem longe aliter explicauit, vt ſupra aduertimus. Et falſitas illius explicationis ex eo conuincitur; quia neceſsitas, quod fiat, quod Deus pręſciuit futurum, apud D. Anſelmum nõ eſt neceſsitas antecedens, ſed conſequens: & tamen ſuppoſitio præſciẽtię diuinę non pendet ex noſtra libertate, vt contra Bellomontanum ſæpè aduertimus.

¶ *Solutio ſecundi argumenti.*

48. *Solutio ſecundi arg.* His ita præmiſsis, iam facile patet ſolutio ſecundi argumenti, quod eſt totum Bellomontani fundamentũ: admittimus enim, viatorem nihil, ſiue intrinſecũ, ſiue extrinſecum, habere poſſe antecedens libertatem eius, quod illi ſit cauſa neceſſaria, neceſſario tollens potentiam peccãdi: etenim, vt ſupra diximus, nulla dari poteſt cauſa, quæ ex ſua natura neceſsitet liberum arbitrium ad non peccandum, quæ ſola ex mente Anſelmi dici poteſt neceſsitas antecedens. Et in hoc ſenſu conceſſo antecedente, neganda eſt conſequẽtia: ad illius probationem negamus, ſolam neceſsitatem antecedentem in ſenſu D. Anſelmi à nobis explicato, tollere libertatem ad peccãdum: hanc enim ſimpliciter tolli poſſe per neceſsitatem conſequentem, ſatis patet ex ijs, quæ præmiſimus, vbi oſtẽdimus, D. Anſelmum oppoſitum nõ docere. ¶ Et vt reſolutio iſta fiat euidentior, aduertẽdum eſt, neceſsitatem antecedentem ex ſua natura habere, quod antecedat omnem libertatẽ; tam ipſius viatoris, qui, ex noſtra ſentẽtia neceſsitatur ad non peccandum, quã Dei, qui viatorem ipſum libere facit impeccabilem. Quare non omnis neceſsitas antecedens libertatẽ noſtri liberi arbitrij, dicitur neceſsitas antecedens: quoniã neceſsitas futuri, quod Deus nouit eſſe futurum, non conſequitur noſtram libertatem, ſed eam antecedit: & tamẽ dicitur neceſsitas conſequens: quia licet interdũ antecedat libertatem noſtram; non tamẽ antecedit omnem libertatem: quia non antecedit diuinam. Quod in hac materia, pro tollenda confuſione eſt quamdiligentiſsime aduertendum. *Aduertendum.*

Ad 3. argumentum non ſolum negandum eſt antecedens, ſed etiam neganda eſt conſequentia. Negandum eſt antecedens: quoniã ſupponit, per ſolam extrinſecam Dei aſsiſtentiam non poſſe tolli potentiam ad peccandum: cuius oppoſitum oſtendimus §. 4. Neganda eſt etiam conſequentia, quãuis antecedens admittatur; quoniam potentia peccandi tollitur tum intrinſece, tum extrinſece, vt vidimus ſup. eodẽ §. 4. & ar. ſeq. repetemus. 49. *Ad 3. arg*

Quartum argumentum ſatis eſt futile: quoniam licet impeccabilitas dari poſsit in eo, qui nunquam habuit fomitem; & ideo abſolute tolli poſsit abſque vlla ligatione aut extinctione fomitis: tamen in homine viatore, in quo datur fomes, licet dari non poſsit cum ſola fomitis ligatione; datur tamẽ ſimul cum illius extinctione; quare negandũ eſt antecedẽs. 50. *Ad 4.*

Quintũ argumentum ſolum probat nõ poſſe liberum arbitrium creatum reddi impeccabile ab intrinſeco per ſolum habitum viæ: quod licet plures negent; nos tamen admittemus infra art. 3. 51. *Ad 5.*

Ad 6. primo negari poteſt, libertatem ad peccandum, tolli poſſe per ſolũ amorẽ Dei: quia verior eſt opinio, quod impeccabilitas nõ tollitur ſolum ab intrinſeco; ſed ab intrinſeco, & ab extrinſeco ſimul. Reſpondetur ſecũdo, admiſſa maiore, negando minorẽ. Ad probationẽ dicimus, viatorẽ factũ impeccabilẽ liberè quidem amare, immobiliter tamen; quod ſatis eſt, vt potentia peccandi ab eo auferatur. 52. *Ad 6.*

§. 10.

Soluuntur argumenta Medinæ: & pro ſolutione primi expẽditur, an cũ impeccabilitate ſtare poſsit libertas, & meritũ?

Reſtant ſoluẽda argumẽta, quę ex Medina adduximꝰ §. 8. & pro ſolutione primi expẽdemus, & diſſoluemꝰ difficultatẽ, quã petit 1. argum. quomodo ſ. cum impeccabilitate arbitrij poſsit ſtare libertas, & meritũ? De qua difficultate variæ ſũt Theologorũ ſentẽtię. 53. *Optima difficultas.*

Sunt nonnulli, qui volunt, in confirmatis non manere libertatem ad malum; quia in illis per confirmationem neceſsitatur voluntas ad non peccandum; ita ſimpliciter docet *Alexander de Ales* 3. p. q. 9. 54. *1. opinio.* *Alenſis.*

Alenſis. q.9.memb.3.art.2.§.2. Ex quo colligit Medina *in d.art.4.pag.* 604.*col.*2. Alexandrum negare cõfirmatis libertatẽ ad implenda pcepta; & ſubinde credere, illos non poſſe mereri in præceptorum adimpletione. *Medina falſum imponit Alẽſi.* Sed non eſt, quod Medina doctiſsimo Alenſi hoc imponat: quoniam ex eodẽ 2.*p.q.*73. multis in locis colligitur, talem neceſsitatem, cum ſit neceſsitas gratiæ, non tollere libertatem naturę, quæ poſita eſt in immunitate â coactione: vnde adhuc libere non peccãt, quia id, quod eſt abſtinere â malo, non coacte faciũt. Sed vtrum hęc Alexandri doctrina admittenda ſit? inferius expendemus.

55. *2. opinio Almaini.* Secundo loco accedit *Almainus in* 3. *diſt.*12.*q.*1.*fol.*29.*col.*4. & docet, in confirmatis impeccabilibus ſtante dictamine, quod aliquid eſt faciendum, non eſſe libertatem ad non faciendum: & ſubinde eos adimplere præcepta, non libertate contradictionis, ſed libertate complacentiæ, quæ in beatis reperitur: & inde infert, actus iſtos in confirmatis de lege nõ eſſe meritorios. *Non recipitur. Medina.* ¶ Hæc tamen opinio defendi nequaquam poteſt, vt bene aduertit *Medina* 3.*p.q.*27.*art.*4. *pag.*605.*col.*1: nam abſurdum eſt dicere, B. Virginem, & Apoſtolos, qui per gratiam confirmati erant, de lege non meruiſſe, ſed præter legem, merito quodam improprie ſumpto: *1. arg.* hoc enim in illorum detrimentum cederet: & abſurdius eſſet id dicere de Chriſto Domino: quod ex eo vel euidẽtiſsime probatur; quoniam opera Chriſti, erant vere & proprie opera moralia ab habitu virtutis elicita; & ſubinde de lege erant digna laude. Et hoc ipſum ſimili modo dicendum eſt de operibus B. Virginis. Cur igitur non fuerunt de lege, meritoria? porrò ſi talia fuerunt, falſiſſimum eſt, ea ex vera, & propria libertate non fuiſſe profecta: etenim meritum, & laus, abſque libertate, & rationis dominio non datur, vt omnes concedunt, & inſpecta lege concedit ipſe Almainus.

56. *2. arg.* ¶ Accedit ſecundo: quoniam apud Iſaiã 53. *Chriſtus oblatus eſt, quia ipſe voluit*: ergo libere paſſus eſt. Et Paulus 1. Cor. 3. *Caſtigabat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigebat; ne reprobus efficeretur.* Et 2. Cor. 12. *Rogauit Deum, vt ſtimulus carnis abeo auferretur*: quæ omnia non ſtant ſine libertate, & merito.

57. *3. arg.* ¶ Accedit tertio: quoniam prædeſtinatio non tollit libertatẽ, aut circa peccatum, aut circa bonũ opus finale, vt fides docet; quamuis prædeſtinatus non poſsit non vitare tale malum, & non facere tale finale bonum: ergo cõfirmatio in gratia non tollet eandem libertatem, quantumuis confirmatus non poſsit non vitare peccatum: eadem enim eſt vtrobique ratio: maxime ſi vera eſt quorundam opinio, omnem prædeſtinatum in fine vitæ cõfirmari, ne poſsit peccare.

58. *4. arg.* ¶ Denique de obſtinatis patet, quod libere peccant; etiam, qui ſunt in inferno: quia peccatum de ſua natura habet, quod ſit voluntarium: ergo confirmati liberè faciunt opus bonum, & vitãt malum adimplendo præcepta: nam ſicut peccatum & malum morale adeo eſt voluntarium, vt niſi ſit voluntarium, peccatum nõ ſit, vt ex Auguſtino communiter docetur: ita etiam bonum opus virtutis adeo eſt voluntarium, vt niſi voluntarium ſit, non ſit bonum opus.

59. ¶ Quare conſtituendum eſt tanquam indubitatum, in iuſtis confirmatis, & impeccabilib⁹ adhuc manere libertatem quoad exercitium, quæ ipſa cum per ſe ſit radix meriti, in illis meritũ cauſabit. Reijcienda eſt igitur opinio Almaini.

60. *3. opinio Soti.* Tertio loco difficultas iſta explicatur â Soto *lib.*3.*de natura, & gratia cap.*7.*pag.* 200.*col.*1. qui admittit, in confirmatis, & impeccabilibus dari quidem carentiã libertatis, nõ omnimodam, ſed ad malum: idque ratione cõfirmationis, qua peccare non poſſunt: addit tamen hanc carentiã libertatis non tollere rationẽ meriti: etenim (vt ait) licet Apoſtoli, quia cõfirmati ne mortaliter peccarent, non poterant tranſgredi legem ad mortale obligantẽ; poterant tamẽ pati difficultatẽ, & laborẽ, in cuſtodia talis legis, quam ex obediẽtia obſeruabant, & ob hanc rationẽ merebãtur. Ex qua reſolutione Soti colligit Medin. *in d.ar.*4.*pag.*605.*col.*2. Sotũ docere, cõfirmatos non habere libertatem quoad ſubſtantiam actus pręcepti; ſed ſolũ quoad modũ implendi: ſ. hoc tempore: cum hac difficultate: cum hoc labore: ex obedientia, &c. Et abſque dubio hæc videtur

mens

61. Non recipitur. mens Soti, ſi diligentius expendatur. ¶Sed hunc dicendi modum nihil valere, affirmat Medina loco citato; & merito: nam cum hæc omnia pro tempore, quo pręceptum obligabat, neceſſario comitarentur ipſam ſubſtantiam actus ſimul cũ obedientia: ſicut non poterant nõ adimplere præceptum quoad ſubſtantiã operis; ita etiam non poterant non obedire, aut non pati talem laborem: igitur nulla dabitur ratio, cur mererẽtur ratione obedientiæ, & laboris, nõ vero ratione ipſius actus pręcepti, quẽ adimplebant. Niſi dicas, eos nihil mereri, niſi tunc aliquid facerent, ad quod nõ tenebãtur, & quod ſine peccato poterant omittere: nimirũ, quia alacriori animo obediebant, & maiorem amplecterentur laborem, quam præcepti impletio poſtularet. Sed hæc dicere, adeo eſt abſurdum, vt impugnatione non indigeat: etenim Apoſtoli aureolam martyrij meruerunt propter actum ipſius martyrij; & aureolam Doctorum propter actũ prædicationis, ad quẽ tenebantur; & ideo actus præcepti immerito ſuo defraudantur merito. Addimus, quoniam Paul. ad Philip. 2. aſſerit: *Deum exaltaſſe Chriſtum Dominum, & dediſſe illi nomen ſuper omne nomen propter obedientiam eius vſque ad mortem.* Et ad Hebr. 2. *Vidimus Ieſum propter paſsionem mortis gloria, & honore coronatum.* Chriſtus igitur meruit propter actũ pręcepti ſibi impoſiti, quod nõ poterat non adimplere. Quare Soti opinio non eſt recipienda.

Ad Phil. 2.

Hebr. 2.

62. 4. opinio quorundã. Quarto loco ſunt alij, quos refert Medina in d. art. 4. pag. 606. col. 1. qui dicũt, confirmatos, & impeccabiles, quanuis de lege peccare non poſsint; tamen præter legem habere potentiam peccandi: ſicut de lege nullus poteſt furari; bene tamen præter legem: & addunt, hanc libertatem ſatis eſſe ad meritum.

63. Non recipitur. ¶ Cæterùm ſolutio iſta adeo eſt inepta, vt non indigeat impugnatione: nam quando dicimus aliquẽ de lege non poſſe peccare, agimus de libertate, & de poteſtate tributa à lege, & eſt ſenſus, quod lex non facit alicui facultatem, vt peccet; nec illum relinquit liberum, vt poſsit peccare abſque punitione: quæ libertas, non eſt libertas naturalis, quæ propria eſt liberi arbitrij; ſed eſt libertas debiti, vt docet *Bellarminus lib. 2. controuerſ. c. 29. poſt principium, pag. 1242. D. in fine*: etenim quando lex aliquid non prohibet, liberi ſumus, vt poſſimus illud facere: liberi, inquam, libertate impunitatis; quatenus poſſumus illud impune facere. At vero quando aliquid prohibetur á lege, per ipſam prohibitionem tollitur à nobis libertas debiti; quatenus ſuppoſita lege non debemus illud facere, quanuis abſolute, & per libertatẽ naturalem liberi arbitrij illud facere poſſimus, legem tamen frangendo. Quare licet lex tollat à nobis libertatem impunitatis; non tollit potentiam, vt frangendo legem illud faciamus. At vero confirmatio in bono, & impeccabilitas, omnino tollit potentiam peccandi, ita vt nec ex lege, nec præter legem peccare poſsit, qui factus eſt impeccabilis. Quare authores illius explicationis non ſatis philoſophicè, nec ſatis theologicè dicunt, confirmatos, & impeccabiles, ex lege quidem non poſſe peccare; bene tamen præter legem: hoc enim etiam conuenit non confirmatis, & peccabilibus: nullus enim eſt, qui ex lege peccare poſsit; ſed omnis, qui peccat, præter legem, imo etiam contra legẽm peccat. Quare iſte dicendi modus, vt parum philoſophicus, & theologicus eſt reijciendus.

Bellarm.

Quinto loco fuerunt nonnulli, quos idem Medina refert in d. art. 4. pag. 605. col. 1. in fine, qui exiſtimant, confirmatis, & impeccabilibus, negari non poſſe libertatem, tum contradictionis, tum cõtrarietatis: dicunt tamen, eos ideo peccare non poſſe, quia ipſa confirmatione, & impeccabilitate facti ſunt exempti ab omni lege; & ſubinde non peccare, ſiue hanc, ſiue illam præcepti partem eligant; ideo, quia iam illud contra Dei prohibitionem non operantur. 64. 5. opinio. ¶ Verum hæc opinio ſatis videtur accedere ad hæreſim Bengardorum, & Beguinarum, de qua in Clementina *Ad noſtrum*, de hæreticis: hi enim hæretici aſſerebant, poſſe aliquem ad tam magnum perfectionis gradũ peruenirẽ, vt ab omni legé humana prorſus ſit ſolutus: quẽ errorem damnauit Conc. Viennenſe in d. Clementina. *Ad noſtrũ.* *Reijcitur.*

Si igitur hæreſis eſt,confirmatos in gratia ſolutos eſſe ab humanis legibus : à fortiori hęreſis erit,eos à legibus diuinis, & naturalibus eſſe ſolutos:maxime cum præcepta naturalia,ſaltem primæ tabulę, ſint omnino indiſpenſabilia, etiam per diuinã potentiã. Quomodo igitur Deus confirmando aliquem in gratia, & eum reddendo impeccabilem,poteſt efficere, vt ille non colendo Deum, aut colendo Deos falſos, aut peierando non peccet? Quare Medina merito hanc opinionẽ reiecit tanquã ſacræ Scripturæ repugnãtẽ.

65. *6.opinio Nominalium.*

Sexto adhuc loco eſt modus dicendi Nominalium,qui volunt, cõfirmatos, & per gratiam impeccabiles, ideo peccare non poſſe; quia Deus ſtatuit non cõcurrere cum illis in præuaricatione poſitiua alicuius præcepti; ſed ſolum in adimpletione illius. Et addunt,in omiſsione præcepti obligantis ad culpam,ſtatuiſſe Deũ producere in illis actum, quo tale præceptũ adimpleatur. Si vero quis obijciat, Deum obligare iſtos, vt ipſimet adimpleant præcepta ;& proinde non eſſe ſatis,ſi præceptum adimpleatur per actum non productum ab illis, ſed à ſolo Deo: reſpondent, Deum eos,quos confirmat, & facit impeccabiles,non obligare ad eliciendum actum, quo adimpleant præcepta affirmatiua, ſed dũtaxat ad habendum actum impletiuum præcepti, ſiue talis actus ab illis eliciatur, ſiue à ſolo Deo: & ad hunc modum ſaluant,confirmatos in gratia,peccare non poſſe;quãuis veram habeant libertatẽ. Quod vero attinet ad meritum, inquiunt, iſtos poſſe quidem mereri;quia libere poſſunt abſtinere à peccato, adimplẽdo præcepta negatiua: non tamen neceſſarium eſſe,vt in omni adimpletione præcepti affirmatiui mereantur:quia(vt aiunt)non merebuntur,quando adimpleuerint affirmatiuum præceptum per actum à ſolo Deo elicitum. Ita *Ochamus in 3.q.2.art.1.& 2. Gabriel in 3.diſt.3.q.2. art.3. dub. 1. & communiter Nominales in 2.diſt.7.*

Ocham. Gabr. 66. *Reijcitur. Fr. Franc. à Chriſto. Medina.*

¶ Hæc tamen ſentẽtia omnino eſt fictitia, vt optime aduertit *noſter Frater Franciſcus à Chriſto in 3.diſt.3.q.5.ad 1.argum. & poſt eum Medina loco citato, pag. 605. col. 2*: nam vt omittamus difficultatem, vtrum intellectus poſsit intelligere, & voluntas velle per actus à ſe non elicitos, ſed à ſolo Deo productos? de qua alibi egimus:hæc ſententia ex eo eſt abſurdiſſima, quod aſſerit, Deum per confirmationem in bono,& per impeccabilitatem homini conceſſam, eum deobligaſſe, ne per ſe obſeruet, impleat præcepta affirmatiua : talis enim deobligatio ſine fundamento ponitur,& ſatis redolet hęreſim Beguardorum,& Biguinarũ, quam ſupra retulimus. *1.impugn.* *Secunda.* Fictitium etiam eſt obligare Deum,ne cum confirmatis, & impeccabilibus ſeruet naturalem ordinem, quem ſeruat cum alijs, cum quibus etiã ad mala concurrit generali concurſu, quem nulli denegat. *Tertia.* Fictitium eſt etiã, obligare Deũ ad producendũ actum impletionis præcepti, quando confirmatus non aduertit: nam pręterquam quod ponitur miraculum ſine neceſsitate, & ſine vllo fundamento; confirmatus ipſe nec hoc modo poteſt peccatum effugere:etenim peccatum omiſsionis eſt voluntarium in ſua cauſa, nempe in volitione eius,quod fuit cauſa omiſsionis,& inaduertentiæ, vt eſt communis,& vera doctrina:ergo confirmatus, quando ipſam cauſam voluit,iam peccauit. Adde etiã, quoniam videtur inintelligibile,imò implicatio aperta,quod iſte non aduertat ad pręceptum,ad quod tenebatur;& quod aduertat per actum in eo à ſolo Deo productum. *Quarta.* Denique in hac opinione Nominales admittunt, in cõfirmatis,& impeccabilibus manere potentiam peccandi; quod negandum eſt. Sequela probatur : quoniam ſi ideo non poſſunt peccare, quia Deus non concurrit cum illis ad actũ peccati: ergo ipſi ex ſe poterant peccare:nam ignis Babylonicus non proinde amiſit potentiam comburendi pueros, quia Deus cum illo ad talem combuſtionẽ non concurrit. Quare hæc Nominalium ſententia ſatis eſt improbabilis.

¶ *Vera reſolutio.*

67. *Vera reſolutio.*

Reiectis his opinionibus, vera reſolutio ſit, quod licet impeccabilitas ſimpliciter, & abſolute tollat à viatore potentiam peccandi; non tamen ab eo ſimpliciter, & abſolute tollit libertatem ad bonum: nec illam, quæ per ſe eſt radix, &

cauſa

68. *Notandũ 1.* cauſa laudis, & meriti. ¶ Pro cuius explicatione notandum eſt primo, libertatem nihil eſſe aliud, quam indifferentiã, & indeterminationem voluntatis ad plura, in quæ pro ſuo libito poteſt ferri. *Notandũ 2.* Deinde notandũ eſt, a Philoſophis, & Theologis duplicem diſtingui gradum libertatis: nã quędam eſt libertas quoad exercitium: & quædam quoad ſpecificationem, ſiue quoad obiecta. Hæc poſterior rurſus diuiditur in libertatẽ quoad ſpecificationem diſparatam; & in libertatem quoad ſpecificationẽ contrariam. Quare triplex libertatis gradus diſtinguendus eſt: vnus quoad exercitium, quæ libertas appellatur contradictionis, quia eſt ad contradictoria .ſ. ad agere, & non agere. Secundus gradus eſt quoad ſpecificationem diſparatam; quando .ſ. ad conſecutionem finis ſuppetunt plura media, in quibus eligendis voluntas omnino eſt libera. Tertius denique gradus eſt quoad ſpecificationem contrariam: quæ libertas cõmuniter appellatur contrarietatis: & hæc eſt indifferentia ad bonum, & ad malum: & hanc comitatur potẽtia peccandi.

69. *Notandũ 3.* ¶ Tertio notandum eſt, rationem eſſentialem, & quidditatiuam libertatis, vt eſt libertas, per ſe non includere omnes iſtos libertatis gradus; ſed ſolum includere indifferentiam, & indeterminationem, tum quoad exercitium, tum quoad ſpecificationem diſparatam: etenim perfecta, & quidditatiua libertatis ratio dari poteſt in vtraque illa indifferentia. Indifferẽtia enim quoad contrarietatem per ſe nõ requiritur ad rationem libertatis: etenim Deus perfectam habet libertatis quidditatem: & tamen non habet indifferentiã ad bonum, & malum: ſiquidem ex ſua intrinſeca ratione habet, quod non poſsit peccare. Imò hæc indifferentia non eſt de intrinſeca ratione libertatis creatæ: nã quanuis liberum arbitrium creatum ex eo quod ex ſua natura non habet immobilem coniunctionem cum ſua prima regula, ſi ſibi ſoli relinquatur neceſſario habet hanc indifferentiam ad bonum, & ad malum; & proinde poteſt peccare: tamẽ quia hæc indifferentia potius ſequitur defectum, quam eſſentiam liberi arbitrij; hinc eſt, vt poſsit ab illa liberari: quia poteſt per diuinam gratiam ſuę regulæ immobiliter coniungi.

Ex quibus concludendum eſt, rationem libertatis, ex qua actio moralis per ſe habet rationem laudis, & meriti, non eſſe ſumendam ex libertate contrarietatis: id eſt, ex eo, quod liberum arbitrium poteſt facere bonum, & malum: etenim Deus in ſuis operibus laudandus eſt: & tamen talem potentiam non habet. Imò ſi Deus faceret aliquam creaturam naturaliter indefectibilem quoad præcepta naturalia (quod eſſe poſsibile plerique docent) adhuc creatura illa digna eſſet laude, & merito, dũ bene moraliter ageret: & beati in Patria, quanuis iam ſimpliciter, & ab intrinſeco non poſsint malum agere; tamen quam plurimas actiones obeunt laudabiles, & quæ ex ſeeſsẽt meritoriæ, niſi ſtatus gloriæ omne meritum excluderet. 70. *Concluſio reſolution.*

Ex dictis infertur primo, Franciſcum noſtrum, & Medinam ad ſaluandam in confirmatis, & impeccabilibus potentiã peccandi, fruſtra recurrere ad ſenſum cõpoſitum, & diuiſum: quoniam etiam ſi in illis in ſenſu diuiſo admitteremus impeccabilitatem, adhuc in illis bene moraliter agentibus ſaluaretur laus: vt patet in Deo, & in viatore, qui naturaliter eſſet impeccabilis quoad præcepta naturalia. Cui adde; quoniã diſtinctio de ſenſu diuiſo in ordine ad potentiam ad malũ, argueret, amorem beatificũ, quo Beati Deo adhærent, ex ſe eſſe laudabilem, & meritorium: quoniam licet talis amor non ſit liber in ſenſu compoſito, eſt tamen liber in ſenſu diuiſo: conſequẽs tamen eſt cõtra doctrinam D. Thomæ, qui putat illũ amorem, poſita viſione beata, eſſe naturalem, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium. ¶ Inferes 2. rationem laudis, & meriti in opere moraliter bono per ſe deſumendam eſſe ex libertate cõtradictionis: quę eſt quoad exercitium. Sicut enim Sapiẽs laudat viatorem iuſtũ, ideo quia poterat facere malũ, & non fecit: ita quodcumque agens liberum laudari debet; quia cum poſſet non facere bonum, illud tamen fecit. 71. *1, Corolla.* *2. Corolla.*

Pro cuius doctrinæ maiori explicatio-

72. *Notabile quartum.* ne, notandum eſt 4. loco quam diligentiſsimè, ad rationem laudis, & meriti, neceſſario requiri, & ſatis eſſe, libertatem quoad exercitiũ in ordine ad talem actũ ſimpliciter ſumptum; quãuis ex alia extrinſeca ſuppoſitione voluntas nõ poſsit ipſum non elicere; nimirum concurrẽte præcepto: nam cum talis neceſsitas non ſit neceſsitas ſimpliciter, ſed ſolum ſecũdum quid, non tollit, quod voluntas ſimpliciter ſit libera quoad talem actum: quod in hac materia eſt quamdiligentiſſime aduertendum. Quæ doctrina expreſſe colligitur ex illo Iſaiæ de Chriſto: *Oblatus eſt quia ipſe voluit*: ex quibus verbis conſtat, Chriſtum omnino libere, & ſimpliciter voluntariè paſſum fuiſſe; cũ tamen, præcepto pro illo tempore concurrente, non poſſet non velle pati. Quæ omnia veriora apparebũt, ſi aduertamus, concurrente aliquo præcepto, Deum auxilio efficaci cooperante excitare, & mouere voluntatem, vt faciat, quod pręcipitur: voluntatem autem hoc impulſu excitari, & moueri; nõ vt eſt natura (quo pacto excitatur, & mouetur voluntas beati, quæ mouetur naturaliter, & neceſſario neceſsitate ſumpta ex obiecto) ſed quatenùs eſt voluntas: cum vero Deus omnia ſuauiter moueat, id eſt, conſentaneè ad naturam rei, quæ mouetur: & de ratione voluntatis, quatenus eſt volũtas, ſit libere moueri, & determinari: hinc eſt, vt voluntas à tali diuino impulſu neceſſario moueatur, vt velit: non prout *neceſſario* idem eſt quod *naturaliter* (hæc enim neceſsitas tollit libertatẽ:) ſed prout idem eſt, quod *infallibiliter*: quæ neceſsitas ſimul ſtat cũ libertate, vt omnes fatentur. Ita fit vt talis neceſsitas ſit neceſsitas, nõ ſimpliciter, ſed ſecundũ quid: quæ non tollit, vt voluntas ſimpliciter ſit libera in ordine ad talem actum ſimpliciter ſumptum, id eſt, ſublata circũſtantia præcepti. Et in hoc ſenſu optime recurri poteſt ad ſenſum compoſitũ, & diuiſum, compoſitione cadente ſuper concurrentia præcepti in ordine ad actum; non vero ſupra liberum arbitrium, vt cõfirmatum, vel vt ſumptũ in ſe: quam opinionem, vt lõgem probabiliorem approbamus; de qua alibi latius diſputauimus.

Solutio primi argumenti.

¶ His ita ſuppoſitis, iam patet ſolutio primi argumenti adducti §. 1. etenim negandum eſt, cũ impeccabilitate nõ poſſe ſimul ſtare libertatem, & meritũ: etenim libertas quoad exercitiũ ſimul eſſe poteſt cum impeccabilitate, vt ſupra oſtendimus: idque non ſolum cum impeccabilitate ſecundum gratiam, quæ datur in viatoribus confirmatis: ſed etiam cũ impeccabilitate quodãmodo naturali, qualis eſt impeccabilitas Chriſti Dñi, quæ ratione vnionis hypoſtaticę eſt debita illi homini ex quadam naturali decentia, vt late oſtendimus in materia de Incarnatione: etenim Chriſtus Iſaiæ 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit*: & ex Paulo ad Hebr. 12. *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem*, ſcilicet voluntarie, & ſimpliciter libere. A fortiori igitur ſtare poterit cũ impeccabilitate viatoris confirmati: quare negandum eſt id, quod ſumitur. Ad probationem in contrarium admittimus, confirmatos, & impeccabiles, ꝓ tẽpore, quo præceptum obligat, nõ poſſe nõ elicere actum: & tamen dicimus eos actum illũ libere elicere: non ob rationem, ad quam recurrunt *Franciſcus à Chriſto, & Medina*: quia .ſ. quanuis in ſenſu cõpoſito, ideſt, prout ſunt confirmati, non poſsint actũ illum non elicere: tamen in ſenſu diuiſo, id eſt, ſi ſine confirmatione ſumantur, poſſunt non elicere talem actum; hanc enim rationẽ ſupra impugnauimus notabil. 3. illatione 1. ſed ideo actum illum libere eliciunt, quanuis non poſsint eum non elicere: quia talis impotẽtia ſumitur non ex neceſsitate ſimpliciter, ſed ex neceſsitate ſecundum quid: ſ. ex ſuppoſitione obligationis præcepti: cum hac enim impotentia ſimul ſtat, quod talem actũ ſimpliciter libere eliciant, vt oſtẽdimus, & patet in Chriſto Domino: qui cum nõ potuerit nõ pati pro tempore, quo paſſus eſt: libere tamen, & omnino volũtariè paſſus fuit, vt ex Iſaia, & Paulo oſtendimus: Quare circunſtantia illa obligationis pro tali tempore ſimpliciter nõ tollit potentiam, ſed inducit infallibilitatẽ, quæ ſimul ſtare poteſt cum libera voluntatis determinatione: quod non reperitur in circunſtantia confirmationis: nam cum hæc

73. *Soluitur argum. primum.*

Iſaiæ. 53. Ad Hebr. 12.

74.

75. *Nota.*

hæc ſimpliciter tollat flexibilitatem ad malũ, ponit realẽ impotentiam ad illud. Quod late oſtendere, non eſt huius loci. Nunc dicimus, cõfirmatum pro tempore præcepti ſimpliciter, & abſolute poſſe actum illum non elicere; infallibiliter tamen eum elicere, quia infallibilitas actus non tollit, quod libere fiat, vt diximus.

Ex his iam patet ſolutio ad confirmationem: negandum eſt enim, eũ, qui factus eſt impeccabilis, neceſſario tendere ad actum pręcepti, ſi ſermo ſit de neceſsitate naturali: quanuis infallibiliter tendat: ſed infallibilitas non tollit libertatem, vt diximus.

§. 11.

Soluuntur cætera argumenta.

76. *Ad 2. argum.* SEd iam ad aliorum argumentorum ſolutionem accedamus. Ad ſecundũ igitur argumentum negandum eſt antecedens: etenim Chriſtus Dominus ſimpliciter fuit impeccabilis; & tamen vere fuit viator. Quare antecedens ſolũ erit verum ſeruata lege ordinaria, & cõmuni; quæ non tollit, quominus ex ſpeciali gratia poſsit viator ita confirmari in gratia, vt fiat impeccabilis: ad quem effectum non ſatis eſt ſanctificatio, quæ fit per ſacramenta, & per opera meritoria: quoniã hæc nõ eſt ſatis, vt hominem cõfirmet in bono: & ratio eſt; quia recipitur in libero arbitrio ad modum ſuæ naturæ, quæ eſt, eſſe flexibile ad malum, vt
D. Thom. ait *D. Thomas 3. p. q. 52. artic. 6. ad 3. & q. 79. art. 6. ad 2. & alijs in locis.*

77. *Ad 3.* Ad tertiũ negatur antecedens, ſi ſimpliciter intelligatur: quoniam non eſt de ratione liberi arbitrij creati, quod ſit flexibile ad malum: etenim cum inflexibilitate ad illud, manere poteſt vera, & propria ratio liberi arbitrij, vt patet in beatis: imò in Chriſto cum impeccabilitate ex gratia vnionis datur eſſentialis quidditas liberi arbitrij creati. Quare flexibilitas ad malum conuenit libero arbitrio creato, non abſolute, ſed prout ſumitur nude in ſe ipſo. Ex quo nõ bene infertur, quod flexibilitas ad malũ ſit de ratione eſſentiali illius: etenim creaturæ nude, & ſecundum ſe ſumptæ conuenit *non eſſe*; & tamen *non eſſe* nõ eſt de ratione eſſentiali creaturæ. Ex illo tamen antecedẽte bene infertur, quod peccabilitas neceſſario comitatur liberum arbitrium creatum, niſi ab extrinſeco impediatur; ſicut etiã *non eſſe*, per ſe, & neceſſario comitatur creaturam, ſi ſuæ naturę relinquatur, niſi à Deo per *eſſe* præueniatur.

Ad quartum dicendum eſt, argumentum ſolũ concludere, potentiam peccãdi non poſſe à nobis tolli in via ab intrinſeco, id eſt per aliquem habitum in nobis exiſtentem: & ad hoc iſtud argumentũ adducitur à Durando. Non tamen probare, quod potentia peccandi non poſsit in via tolli à nobis ab intrinſeco ſimul, & ab extrinſeco: de quo in ſequenti articulo dicemus. 78. *Ad 4.*

Ad quintũ dicimus ſicut ad quartum: quoniam ſolum probat, viatorem non poſſe reddi impeccabilem per habitũ intrinſecè inexiſtentem; ſed adhuc indigere coaſsiſtẽtia diuina, quod in ſeq. art. admittem⁹. Vtrũ vero habitus intrinſecus, qui in confirmatis reperitur (.ſ. donum perſeuerantiæ) aliquid habeat, quod nõ habuit iuſtitia originalis in Adamo, ibidẽ explicabimus. Nunc dicimus, donũ perſeuerantiæ nõ ſolum habere vim iuſtitiæ originalis; ſed hoc ſibi vendicare, vt virtute ſua poſtulet infallibilem coaſsiſtentiam auxilij diuini, quam iuſtitia originalis ſibi non vendicauit: & ideo cum iuſtitia originali in Adamo ſimul manſit potentia peccandi: quę tamen omnino tollitur per donum perſeuerantiæ, vt dicemus art. 3. 79. *Ad 5.*

Argumentum vltimum magni facit *Medina 3. p. q. 27. art. 4. fol. 606. col. 1.* & adducit quorundam ſententiam, qui volunt, confirmatos, & impeccabiles, quanuis in ſenſu compoſito, non poſsint facere quod non ſint confirmati, & impeccabiles; poſſe tamen id facere in ſenſu diuiſo: & ſubinde non valere conſequentiam: quorum ſolutionem nõ reijcit. Sed ego non video; quomodo confirmatus, & impeccabilis, poſsit in ſenſu diuiſo facere, vt non ſit talis: etenim licet, ſi ſecũdum ſe, & nude conſideretur, & vt relictus ſuæ puræ naturæ, poſsit peccare, & ſubinde facere id, quod confirmatus non face- 80. *Ad vlt. Non recipitur ſolutio Medina.*

faceret: non tamen poteſt facere, quod non ſit confirmatus, & impeccabilis: etenim cum confirmari, vel non confirmari non pendeta libertate ſui arbitrij.

Vera ſolutio.

¶ Ad argumentum igitur dicimus, inutilem habere conſequentiam: hæc enim conſequentia euidenter eſt inutilis: *Confirmatus facere non poteſt, quod non ſit cõfirmatus: ergo non eſt in libera illius poteſtate non adimplere præcepta pro tẽpore, quo obligãt.* Sicut etiam hęc conſequentia nõ valet: *Non eſt in manu mea, quod Deus heri nõ ſciuerit me hodie lecturum: ergo non eſt in manu mea hodie non legere*: quod nobiſcũ admittit *Medina*.

Medina nõ recipitur.

Si vero ab eo inquiras rationem, cur illa conſequentia non valeat; reſpõdet, rationem eſſe; quia actus & decretum Dei iſtum confirmantis nõ dicit diſpoſitionem aliquam neceſſario inhærentem in confirmato, ſed ſolũ dicit actũ decreti Dei confirmantis; & ideo (vt inquit) non ſequitur, quod ſi actus ille in Deo eſt immutabilis, ita vt non ſit in manu mea illum mutare; obiectũ talis decreti ſit neceſſarium: & in hoc ponit diſcrimen inter conſequentiam allatam, & iſtam aliam; *Petrus currit: egro Petrus mouetur*: nam ideo, quia curſus dicit aliquid inhærens Petro, ſi curſus neceſſario illi ineſt, eidem etiam neceſſario inerit motus. Sed quam extrinſeca ſit hæc ratio, quiſque facile intelliget.

41. *Vera ratio quod conſequentia nõ valet.*

¶ Quare futilitatem conſequentiæ ex eo oſtẽdimus: quia vſus doni, quod à Deo agenti libero conceditur, eſt in poteſtate ipſius agẽtis; quanuis conceſsio aut negatio illius doni non ſit in poteſtate eius: nã ſi Deus alicui homini daret alas ad volandum, quanuis nõ eſſet in libera illius poteſtate alas nõ habere; tamen eſſet in eius libera poteſtate volare, quãdo ei liberet. Similiter etiam in corpore beati poſt reſurrectionem erit donum agilitatis; nec in poteſtate illius erit agilitatem non habere: & tamen pro libito voluntatis illo vtetur dono. Et idem reperies in omnibus donis, & gratijs, quæ agenti libero conceduntur: quare ſicut non valet: *Non eſt in poteſtate huius hominis non habere donum ſibi à Deo conceſſum: ergo nõ eſt in illius poteſtate, vti illo, quãdo ei placuerit*: ita etiã non valet iſta: *Non eſt in poteſtate huius confirmati tollere à ſe confirmationem, & impeccabilitatem: ergo non eſt in libera illius poteſtate non peccare.*

82. *Explicatur regula Dialecticorũ.*

Ad probationem vero ſumptam ex regula Dialecticorũ, dicendũ eſt, regulã illam verã eſſe de antecedente, quod neceſſariem habet habitudinem ad conſequẽs: ſecus vero quando antecedẽs eſt neceſſariũ ob aliã rationẽ, ſecundũ quã non reſpicit ipſum conſequẽs: tũc enim neceſsitas cõſequentis nõ depẽdebit ex neceſsitate antecedentis. Hæc doctrina adducto exemplo fiet euidens: quia neceſſe eſt, hominem habere voluntatem; eſt enim naturalis illius proprietas; & tamen homo non neceſſario vtitur ſua volũtate, ſed libere; quia vſus iſte dependet ex libertate arbitrij: vnde illud antecedens non eſt neceſſarium in ordine ad conſequens, ſed omnino liberum; neceſsitatem autem ſumit ex ſubiecto, nempe ex natura ipſius hominis: quia inter hominem, & ſuam naturalem potentiam datur neceſſaria connexio. Similiter in re propoſita, quanuis, poſita cõfirmatione, in hoc ſenſu neceſſarium ſit, hominem eſſe confirmatum; quia non eſt in illius poteſtate tollere à ſe tale donum, ſed à ſolo Deo id dependeat: illa tamen confirmatio in ordine ad vſum nõ habet neceſsitatem ſimpliciter: ſiquidem donũ confirmationis operatur in nobis iuxta naturam voluntatis, quæ ex ſe eſt libera. Quæ omnia diligenter annotabis pro ſolutione ſophiſmatis, quod in argumento latet.

ARTICVLVS III.

Quomodo quis reddatur impeccabilis?

§. I.

Referuntur opiniones.

1. *Quomodo quis fiat impeccabilis.*

IN præcedenti articulo late oſtendimus, potentiam peccandi non ſolum in Patria, ſed etiam in via, poſſe ab homine auferri; ita vt viator ꝑ diuinã gratiã poſsit reddi ſimpliciter impeccabilis: ſupereſt explicare modum, quo in via poſsit reddi talis? In qua quæſtione conſtat inter omnes, liberum arbitriũ hominis ex eo reddi impeccabile; quia immo-

immobiliter, & inflexibiliter adhæret, & alligatur diuinę regulę; ita vt ab ea deflectere nequeat. Explicãdũ eſt igitur, quomodo liberum arbitrium diuinæ regulæ poſsit immobiliter alligari? quam quæſtionem in beatis late explicauimus 2. to. de Beatitud. animæ lib. 11. q. 16. ar. 3. Sed quoniam ibidem nu. 8. aduertimus, hanc alligationem præſtantiori modo fieri in beatis, quam in viatoribus. vt ſatis docere videtur *D. Thomas de veritate q. 24. art. 9. & art. 11. ad 9. & 4. contra gentes cap. 70. in prima, & 2. ratione*; opportet in ſpecie explicare, quomodo hæc alligatio fiat in via. ¶ Et pro maiori explicatione illud, tanquam certiſsimum, præmittimus, liberum arbitrium primæ regulæ tribus modis poſſe alligari, & reddi impeccabile. Vno modo ab intrinſeco p aliquod donũ ſupernaturale illi inhærens. Secũdo modo ſolũ ab extrinſeco, ſcilicet per diuinã virtutem illi immobiliter aſsiſtẽtem, ne à prima regula deflectat. Tertio modo ab intrinſeco ſimul, & ab extrinſeco: quod tunc fit, cum alligatur primæ regulæ per aliquod ſupernaturale donum illi infuſũ, & ſimul per diuinam aſsiſtẽtiam, & protectionem immobiliter annexam. Hoc ſuppoſito, difficultas in hoc eſt poſita: quonam iſtorũ modorũ alligetur? de quo variæ ſunt ſententiæ.

D. Thom. — *Aduertẽtia.* — *Sẽſus quæſtionis.*

2. *1. Opinio* — *Alex. D. Thom. D. Bonau. Richard.*

Prima affirmat, liberum arbitrium in via immobiliter alligari primę regulæ ab intrinſeco, per aliquã habitualẽ gratiã, & volũt hi authores eã ad hoc ſufficere. Quę opinio tribui ſolet *Alexandro de Ales 3. p. q. 9. memb. 3. ar. 2. §. 2. & D. Thomæ in 3. diſt. 3. q. 1. art. 2. q. 2. & 3. & D. Bonauent. ibidem q. 1. art. 3. & Richard. art. 1. q. 3. & 4.* maximè placet *Paludano in eodẽ loco q. 2. art. 3. concl. 3. & art. 4. concl. 2.*

3. *2. Opinio. Durand. Ocham. Gabriel.*

Secunda opinio defendit, hanc alligationem fieri per ſolam coaſsiſtentiam extrinſecam Dei: ita exiſtimat *Durandus in 3. diſt. 3. q. 4.* & inter Nominales eſt cõmunior ſententia, placet enim *Ochamo in 3. q. 2. art. 1. & 2. Gabrieli in 3. diſt. 3. q. 2. artic. 3. dub. 1. & Maiori q. 3. §. Dubitatur verſ. ad aliud argumentum in fine.*

4. *3. Opinio.*

Tertia ſententia docet, alligationem illam fieri, & ab intrinſeco, & ab extrinſeco: nimirum per habitus gratiæ, & virtutum, quibus quis ad bonum propẽdet, & inclinatur, & ſimul retrahitur à malo: & per ſpecialem, & particularem Dei aſſiſtentiam, & cuſtodiam. Quæ ſententia placuit *D. Thomæ de veritate q. 24. art. 9.* vbi docet, nullum in via poſſe reddi impeccabilem per ſolam gratiam habitualẽ, ſed adhuc eſſe neceſſariam ſpecialem Dei aſsiſtentiam. Quod etiam docet idem *D. Thomas 3. contra gentes cap. 162. in fine*: & eadẽ probat *Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 70. ad finem.* Putat eſſe certiſsimã *Medina 3. p. q. 27. art. 4. pag. 603. col. 2. & Palatius in 3. diſt. 3. diſp. 4. pag. 56. col. 2.* & ſatis videtur placere noſtro *Frãciſco à Chriſto in eodem loco q. 5.*

D. Thom. Ferrarien. Medina. Palatius, Franciſcus à Chriſto.

§. 2.

Vera reſolutio.

5. *Reſolutio authoris.*

Ego puto, hanc tertiam opinionem longe eſſe veriorem. Pro cuius cõfirmatione, pręmittimus, ſtabilem iſtam, & immobilem alligationem liberi arbitrij ad primam regulam, eſſe confirmationem, qua illud confirmatur in gratia, & redditur impeccabile, vt eſt recepta Theologorum doctrina. Cum vero in gratia confirmetur per magnum perſeuerantiæ donum, vt ſatis explicat *D. Thomas 1. 2. q. 114. art. 9.* & cõſentit *Medina ibidem dub. 2. concl. 1. & Veiga lib. 13. in Concilium Tridentinũ cap. 14. pag. 428. col. 2.* oportet oſtendere, quidnam ſit hoc donum perſeuerantiæ, de quo agit Tridentinum *ſeſſ. 6. Cano. 16. 22. & 23.* inde enim facilis erit difficultatis ſolutio.

D. Thom: Medina, Veiga. Tridẽnr.

6. *Quid ſit donum perſeuerantiæ.*

Aduertimus igitur, non ſatis conſtare inter Theologos, quidnam ſit hoc magnũ donum perſeuerantiæ. Communiter dici ſolet, hoc donum nihil eſſe aliud, quã ſpeciale quoddam auxilium, & ſpecialem Dei motũ, & concurſum, quo Deus cum confirmato, & impeccabili cõcurrit, ne labatur in peccatum. Et additur, hoc donum eſſe diſtinctum à gratia iuſtificãte, & à virtutibus: ita ſignificat *Medina 1. 2. q. 109. ar. 10. prop. 4. pag. 1025. & 3. p. q. 27. ar. 4. p. 606. col. 1.* & poſt eũ late id defendit *Cumelius 1. p. q. 23. ar. 3. q. 5. dub. 2. pag. 592.*

1. Opinio. Medina. Cumelius.

7. *Opinio Caietani.*

Caietanus tamen 1. 2. *q. 114. ar. 9.* in ea

eſt

eſt opinione, vt donũ iſtud non ſit aliud, quam cõtinuata productio gratiæ : quod etiam probat *Medina in d.q.109.ad 4. argumentum pag.1026.col.1.*

8. *Neutra placet.*

Neutra tamen opinio vnquam mihi placuit: fundamentum inde ſumo, quoniam hoc perſeuerantiæ donum eſt vnũ tantũ, vt ſatis conuincunt illa verba *Tridentini ſeſſ. 6. Can. 16. Siquis magnum illud vſq; in finem perſeuerantiæ donum*: etenim demonſtrari non poteſt, niſi quod ſingulare eſt, & vnum; vnde cap. 13. doctrinæ Concilium de eo dono loquitur, tanquã de vno, & Auguſtinus in toto libro de bono perſeuerantiæ: Iam vero cõcurſus, & motiones, quibus Deus actu cõcurrit cum confirmatis, quando adſunt tentationes, & impedimẽta, ſunt plures, vt notum eſt. Accedit etiam; quoniam illi cõcurſus ſunt actus ſecundi, qui tranſeunt: donum autem perſeuerantiæ, quó confirmatus perſeuerat, & eſt immobilis à prima regula, non tranſit, ſed ipſum cõfirmatum perpetuo comitatur. Oportet igitur concipere hoc donum per modũ habitus: non eſt igitur admittenda prima opinio. ¶ Sed nec admittenda videtur opinio ſecũda: etenim manifeſte ſupponit in ijs, qui donum habent perſeuerantiæ, dari continuum gratiæ augmentum; quod omnino eſt improbabile; vt omittamus, gratiam, quæ eſt donum perſeuerantiæ, non habere illãm virtutem perſeuerandi ex ipſa formali continuatione gratiæ, vt ex dicendis patebit.

9. *Sententia authoris.*

Quare ſi in re difficillima licet propriũ interponere iudicium: puto, donum perſeuerantiæ, quo quis in gratia confirmatur, & redditur impeccabilis, non eſſe aliud, quam ipſam gratiam gratum faciẽtem, non ſimpliciter ſumptam, ſed prout diuina motione facta eſt virtuoſa, & potens vendicare ſibi diuinam protectionẽ, & coaſsiſtentiam ad protegendum, & cõfirmandum, & adiuuandum ipſum confirmatum, vt diuinæ regulæ ſe ſubijciat, & omnino conformet: ita vt virtute ſibi à Deo communicata ſuó modo Deum liget ad ſibi coaſsiſtendum. Hæc Theologia facile intelligetur exemplo gratiæ ſacramentalis: etenim iuxta veriorẽ ſententiam *D. Thomæ 3. p. q. 62. art. 2. Caieta. Soti*, & plurium aliorum, gratia ſacramẽtalis, quæ per ſacramenta ex opere operato conceditur, nõ eſt aliqua gratia realiter diſtincta á gratia gratum faciente, ſed eſt eadẽ ipſa, non ſimpliciter, ſed quatenus ex vi ſacramenti, quo confertur, virtuoſa eſt, vt inclinet ad proprium effectum ſacramenti, & Deum applicet ad prçſtandum ſpeciale auxilium ad aſſecutionem proprij effectus ipſius ſacramenti: vnde gratia ſacramentalis ſupra gratiam gratum faciẽtem ſolum ſuperaddit hanc virtutem, quod ſpeciali quodã modo hominem inclinat ad aſſequendũ proprium effectum eius ſacramẽti, per quod collata eſt. Eodem igitur modo, donum perſeuerantiæ formaliter eſt ipſa gratia gratum faciens, prout tamen ex virtute ſibi à Deo communicata vendicat ſibi diuinam coaſsiſtentiam ad ſubijciendã voluntatẽ diuinæ regulæ. Et ſicut gratia ſacramentalis virtuoſa eſt ad conſecutionẽ proprij effectus ſacramenti (verbi gratia, gratia ſacramẽti matrimonij virtuoſa eſt, vt coniugati ſeſe adinuicem diligant: & gratia ſacramenti confirmationis virtuoſa eſt, vt fideles in fide cõſtanter permaneant: & gratia Sacramenti Euchariſtiæ vim habet, vt cõmunicãs in bono diu perſeueret, & ſic de cæteris) ideo quia per tale, vel tale ſacramentum collata eſt ex opere operato: ita etiam gratia doni perſeuerantiç virtuoſa eſt, ad ſibi alligandam diuinã coaſsiſtentiam ad hoc, vt voluntatem diuinæ regulæ ſubijciat. Hæc autem virtus gratiæ gratum facienti ideo collata eſt, quia illa voluntatem confirmati illuminauit, vt â Deo hanc ſubiectionem conſtanter, & perſeueranter deprecaretur: etenim ſancti docent, Deum donnm perſeuerantiæ largiri ratione conſtantis, & perſeuerãtis deprecationis, qua iuſtus à Deo poſtulat cuſtodiri, & præſeruari ab omni peccato: ſicut enim gratia gratũ faciens fit ſacramentalis ſpecialiter iuuãs ad conſecutionem effectus ſacramẽti: ita etiam fit gratia perſeuerantiæ ligans voluntatem cum prima regula ex eo, quod mouit habentem, vt inſtanter, & perſeueranter peteret à Deo auxiliũ, ne in peccatum laberetur: inde enim motus eſt Deus, vt ipſam gratiam gratum facientẽ

10. *Explicatur ex gratia ſacramentali.*

11. *Nota de dono perſeuerantiæ.*

conſum-

conſummaret, & perficeret, redderetq; virtuoſam, vt coaſsiſtentiã diuinã ſibi vẽdicaret ad effectũ alligãdi volũtatẽ hominis ad primã regulam, & vt in bono fieret immobilis, & ad malũ inflexibilis. Quæ Theologia inde etiam confirmari poteſt, quia obſtinatio in malo, nõ ſolũ dicit denegationẽ infallibilem auxilij diuini; ſed etiã includit ſpecialem quandã duritiem prauamq; voluntatis affectionem ad malum: ratione cuius Deus ſtatuit auxiliũ efficax eidem perpetuo denegare.

12. *Reſolutio difficultatis propoſitæ in principio.*

His de dono perſeuerantiæ ita præmiſsis, iam infertur propoſitæ difficultatis vera reſolutio, & efficax confirmatio tertiæ ſententiæ, quam probamus: nã cum confirmatio in gratia, & impeccabilitas viæ fiat per magnum perſeuerãtiæ donum, vt cum D. Thoma, & alijs oſtendimus: hoc autem donum ex ſua natura ſupponat gratiã gratũ facientẽ, nõ ſimpliciter, ſed connotando infallibilem coaſſiſtentiam diuinæ protectionis, & auxilij, ne à prima regula deflectens in peccatũ labatur; neceſſario infertur, confirmationẽ in gratia, & impeccabilitatẽ liberi arbitrij fieri, tũ ab intrinſeco per habitus gratiæ, & virtutũ; tũ etiam ab extrinſeco, nimirũ per aſsiſtentiã diuinam, quam gratia gratum faciẽs ſibi vendicat.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm B. Virgo per gratiam facta fuerit impeccabilis.

§ 1.

Referuntur variæ opiniones.

1. *Quæſtio principalis de impeccabilitate B. Virg.*

1. *Opinio negatiua.* *Albert.*

PRæmiſsis ijs quæ de impeccabitate diximus explicanda eſt quæſtio principalis: an .ſ. B. Virgo in via aliquando facta fuerit impeccabilis; ita vt nullam habuerit potentiam peccãdi? De qua difficultate, variæ ſunt ſententiæ. Prima ſimpliciter negat: & hæc placuit *Alberto Magno in 3. diſtinct. 3. artic. 9.* vbi admittit, Beatam Virginem in vtero matris fuiſſe ſanctificatam, & liberam à fomite, pronitateque ad malum: negat tamen ab ea vnquam ablatam fuiſſe potentiã peccandi: & ſubinde putat, nunquã factam fuiſſe impeccabilem; quamuis actu nunquam peccauerit: quam ſententiam, Alberto non citato, late probat *Vaſquez Bellomontanus tom. 2. ad 3. p. diſp. 120. c. 2. vbi num. 12. pro ea citat Durand. in 3. diſt. 3. quæſt. 4.* & affirmat, plures recentiorum illam probaſſe. *Bellom.*

2. *2. Opinio.*

Secunda opinio fere cum prima conſentiẽs affirmat, B. Virginẽ per totã vitã, etiam poſt ſecundam ſanctificationem, ſimpliciter habuiſſe potentiam peccandi: fuiſſe tamẽ impeccabilem ſecundũ quid. *Ita Medina 3. p. q. 27. art. 4. concl. 3. pagina 602. col. 2. & Palat. in 3. diſt. 3. diſp. 4. cõcl. 2.* & ſatis in eã inclinat *Bergom. in Concordantijs D. Thomæ dub. 383. & 819.* & hãc fuiſſe opinionem D. Thomæ, & Durãdi affirmat *Medina vbi ſupra.* *Medina. Palatius. Bergomẽſ.*

3. *3. Opinio. Suar.*

Tertia opinio eſt Suarij affirmantis, B. Virginem in ſenſu diuiſo ſemper habuiſſe potentiam peccandi, & ſubinde in eodem ſenſu nunquam fuiſſe impeccabilẽ: impeccabilem tamen fuiſſe in ſenſu cõpoſito: *ita 2. tom. ad 3. diſp. 4. ſect. 4. pag. 67. col. 1. § Ex quo tandem.*

4. *4. Opinio. Durand.*

Quarta opinio videtur fuiſſe *Durandi in 3. diſtinct. 3. quæſt. 4.* ex quo, ſi bene expendatur, colligitur, Beatam Virginem ab intrinſeco quidem non fuiſſe impeccabilem; bene tamen ab extrinſeco, ſcil. per diuinam aſsiſtentiam inclinantem illam ad bonum, & præſeruantem, ne inclinaretur ad malũ: & ſubinde eo modo non poſſe peccare, quo currens, quãdiu currit, non poteſt non currere.

5. *5. Opinio affirmatiua.*

Quinta opinio ſimpliciter affirmat, B. Virginẽ in via fuiſſe ſimpliciter impeccabilem: aut ſemper à prima illius ſanctificatione: aut ſaltem aliquãdo, ſ. poſt ſanctificationẽ ſecũdam. Et quidẽ quod hoc ſecũdo modo poſt Verbi cõceptionẽ facta fuerit ſimpliciter impeccabilis, eſt ſẽtẽtia fere ab omnibus recepta. Eã probarũt *Alex. de Ales 3. p. q. 9. mẽb. 3. art. 2. §. 2. D. Thom. in 3. diſt. 3. q. 1. ar. 2. q. 2. & 3. D. Bonau. ibidem ar. 2. q. 3. Richar. art. 1. q. 3. & 4. Paludan. q. 2. artic. 3. concl. 1. & 2. Gabriel. q. 2. art. 3. dub. 1. Maior q. 3. §. dubitatur, Marſil. q. 4. art. 1. concluſ. 5. præceptor Frater Franc. à Chriſto q. 5. Vlderic. in ſua Summa lib. 5. relatus à Carthuſ. in 3. diſt. 3. q. 1. ad finem:* in eadẽ ſententia fuit *Ocham. ibidem q. 2. ar. 1. & 2. idem Ocham.*

Alẽs. D. Thom. D. Bonau. Richard. Palud. Gabriel. Maior. Marſil. Franciſ. à Chr. Ocham.

Almain. Pitigian. Ouand. Scot. Valent.

in 3.diſt.12.q.2.& ibid.Almain. q.2. Eãdem probarunt. *Franc.de Pitigianis ad 3. Scoti diſt.3.q.1.art.14.p.154.col.2.& ibidem Ioan.Ouand.q.6. in dubio, An in iſtanti Conceptionis fuerit B.Virgo confirmata in gratia? pag.138.Valent..o.4. diſput.2.q.1. punct.3.in fine pag.414.*Deniq; in Scholis eſt fere receptiſsima.

§. 2.

Prima concluſio pro quarta ſententia contra primam.

6. 1. Cõcluſ.

PRo vera reſolutione, ſequentes ſtatuo cõcluſiones. Sit prima cõcluſio: *Dici nequaquã poteſt, B.Virginẽ, nec in prima, nec in ſecũda ſãctificatione ita fuiſſe confirmatã in gratia, vt ſublata potẽtia peccãdi, & flexibilitate ad malũ, peccare non potuerit.* Hæc ſtatuitur cõtra primã ſententiã. Principale illius fundamentũ ſumitur ex argumẽto, quo vtitur

Auguſt.

Auguſtinus in ſerm.de Aſſũptione Virg. vt probet, corpus B. Virginis poſt mortẽ fuiſſe ab õni corruptione præſeruatũ, ita vt ſtatim cũ immortalitate reſurrexerit, ita enim argumẽtatur: *Si Deus potuit corpus B. Virginis à tali corruptione præſeruare: & decuit, vt illud præſeruaret: ergo illud præſeruauit: aut oſtendatur ratio, quare non decuit.* Eodẽ igitur modo pro impeccabilitate B. Virginis ſublata omni potẽtia peccãdi argumentamur: *Si potuit Deus B. Virginẽ reddere ſimpliciter impeccabilẽ ſublata omni potentia peccãdi; & decuit, vt illã in hoc ſenſu redderet impeccabilẽ: ergo eam ita fecit impeccabilẽ: aut oſtendatur ratio, cur id fieri nõ decuit.* Huius argumẽti cõſequentiã probat Auguſtin. ex alia doctrina, quã ſcripſit lib.3.de libero arbi.c.3. *Quicquid vera ratione melius occurrerit, id ſcias feciſſe Deũ:* his verbis docens, Deum de facto feciſſe, quod melius erat, & decẽtius. Quod etiã docuit Magnes author peruetuſtus in lib. Apologetic. cõtra Theoſtenẽ gentilẽ, vt refert Turrianus in epiſt.de peccat.orig. Quare ſi decuit, B.Vigrginem illo modo

7. reddere impeccabilẽ, vtiq; de facto eã talẽ reddidit: quę eſt noſtra cõſequẽtia. Prima pars antecedẽtis nota eſt: quid enim implicat, B.Virginẽ illo modo fieri impeccabilẽ? 2.vero pars antecedentis ex Auguſtino inde cõcedenda venit, quod aduerſarij illius priuilegij indecentiã nõ oſtẽdunt: nam dũ ait: *aut oſtendatur, quare non decuit,* ſatis docet, decentiã illius doni ſatis eſſe probatã, ſi indecentia ab aduerſarijs non probetur: & merito; quoniã cũ hoc priuilegiũ ad dignitatẽ B. Virginis pertineat; vtiq; decet illud ei cõcedi, ſi id dignitati Chriſti nõ repugnat. Iã vero illud non repugnare patebit ex ſolutionibus argumentorum.

Hæc ratio ex eo etiã confirmatur: quoniam potentiam peccandi, & flexibilitatem ad malum poſſe à viatore ita auferri, 8. 1. Confirmatio. vt ille maneat omnino impeccabilis, ſupra oſtendimus art.2. ergo à B. Virgine ſimpliciter ablata fuit: antecedente autẽ conceſſo, aduerſarij libenter admittunt conſequentiam: & merito; quoniã quod poſsibile eſt, & ad dignitatem pertinet, & nihil derogat Chriſti dignitati, eſt concedendum B. Virgini, vt in vltima quæſtione oſtendemus.

2. Confirmatur: quoniã ex *Tridentino ſeſſ.6.Can.23.* non poſſumus, niſi ex ſpeciali priuilegio, in tota vita vitare omnia 9. 2. Confirmatio. peccata, etiã venialia. Hoc autẽ ſpeciale priuilegiũ, vt omnes Theologi declarant, eſt donũ magnum perſeuerantiæ, de quo agit idem *Conciliũ in d.ſeſſ.6.Can.16.* donũ autem perſeuerantię, vt ſupponimus, eſt donũ confirmationis: etenim qui habet hoc donũ, confirmatus eſt in gratia: ſed B.Virgo ex ſpeciali priuilegio pro tota vita, vitauit omnia peccata, etiam miminima, vt diffinit *idem Tridentinum* Trident. *in dict. Canon.23.* ergo ſine errore, imò ſine hæreſi, non poteſt non concedi, B. Virginem fuiſſe in gratia confirmatam. Sed qui ſimpliciter in gratia eſt cõfirmatus, ita immobiliter bono adhæret, vt in malũ deflecti nequeat, nec peccare poſſit, vt docet *D.Thomas de veritate quæſt.* D. Thom. *24, artic. 9. ad. 2. & in 3.diſtinct.12.q.2. artic.1.& de malo q.7.ar.7 ad 8.*& eſt cõmunis ſententia Theologorum; quicquid Bellomontanus oppoſitum doceat, in hoc non audiendus, vt alibi diximus: ergo Beata Virgo per donum perſeuerantiæ ita fuit confirmata, vt ſimpliciter non habuerit potentiam ad peccandum.

Con-

10. 3. *Confirmatio.* Confirmatur 3, quoniam ex cõmuni
Sanctorũ doctrina, omne priuilegiũ, &
donũ alicui iuſto cõceſſũ, fuit ſpecialiori
S. Idiota. prærogatiua donatum B. Virgini, vt ex
S. Bernar. ſãctiſsimo Idiota, & ex Bernard. diximꝰ
Albertus Mag. & ſatis ꝓbat Abertus Mag. nobis aduer-
ſarijs in *lib. de laudibus B. Virginis*, docens,
hoc prĩcipiũ in Theologia eſſe ꝑ ſe notũ.
Sed negandum non eſt, Apoſtolos in die
Pentecoſtes fuiſſe confirmatos, non ſolũ
ne de facto peccarẽt; ſed ne peccare poſ-
ſent mortaliter, vt ſatis explicat D. Tho-
mas in locis immediatè citatis, & eſt cõ-
munis Theologorũ doctrina, & de Ioan.
Baptiſta id ipſum docet *D. Thom. de ma-*
D. Thom. *lo q. 7. ar. 7. ad* 8. & ſatis deducitur ex ver-
bis Ioannis 14. *Ego rogabo Patrẽ, & alium*
paracletũ dabit vobis, vt maneat vobiſcũ in
æternũ: non quocũq; modo, ſed eos tan-
Pſal. 74. quã colũnas cõfirmãdo, vt dicitur Pſal. 74
Ego confirmaui colũnas eius: quæ verba ad
Apoſtolos eſſe dicta affirmat D. Thomas
ibidẽ: Apoſtoli igitur confirmati ſunt in
bono firmi tãquam colũnę, quę in ſe ipſis
habẽt immobilitatẽ: quã ſatis ſignificat
Paul. ad Rom. 8. *Scio, & certus ſum, quod*
nec mors, & cæt. nos ſeparabit à charitate
Chriſti: quia nimirũ Apoſtoli vt colũnę ita
fuerunt in bono immobiles, vt flecti ne-
quirẽt: quæ immobilitas õnino expellit
à ſubiecto intrinſecã flexibilitatẽ ad ma-
lũ, quę formaliter eſt potentia peccandi.
Porrò ſi Apoſtolis, cęteriſq; confirmatis
potẽtia peccãdi mortaliter, & flexibilitas
in malũ mortale fuit omnino ſublata, ita
vt ſimpliciter fuerint impeccabiles, ne
poſſent mortaliter peccare: cũ hæc gratia
in B. Virgine longe fuerit abũdantior, &
firmior: vtique eam in bono ita immo-
biliter cõfirmauit, vt nec ad malũ, etiam
minimũ, flecti poſſet, potentia peccandi
ab ea penitus ſublata.

11. 4. *Cõfirm.* Quarto: hæc reſolutio cõfirmatur au-
Richard. thoritate *Richardi de S. Victore lib. 2. de*
Victorin. *Emmanuele in 2. p. c. 30. & 31. & in Cant. c.*
26. quibꝰ in locis ſatis explicat, in B. Vir-
gine ſimpliciter fuiſſe impotentiã peccã-
di, quæ ex diametro cõtradicit potentiæ
peccãdi: cuius authoritas potius probãda
Nicolaus eſt, quã Bellomontani. Sicut etiã potius
Cuſan. ſtandũ eſt authoritati doctiſsimi *Nicolai*
Cuſani Cardinalis in 3. lib. exercitationum,
ad aliud dictum, *Cœlum, & terra tranſibũt*:
vbi noſtram ſententiam probat.

Demq; hæc reſolutio ex eo cõfirma-
tur, quia inter Theologos eſt cõmunis; cũ 12.
tñ oppoſitum ex antiquioribus, vnus tã- 5. *Cõfirm.*
tũ amplectatur Albertus Mag. ex Nouio-
ribus autẽ vnus Bellomontanus: qui ſolus
abſolutè negat, B. Virginẽ ita fuiſſe im-
peccabilẽ, vt nõ habuerit potentiã peccã-
di: nã Medina, Palatius, Suarius, & Du-
randus, quanuis ad oppoſitam ſententiã
accedant; abſolutè tñ eam non probant;
ſed via quodammodo media incedunt.
Quod cõmunis Theologorum antiquorũ
& moderniorum ſententia ſimpliciter
doceat, B. Virginem in via, ſaltem pro ali-
quo tempore, ita factã fuiſſe impeccabi-
lem, vt ſimpliciter, & abſolutè non ha-
buerit in ſe potentiam peccandi, facilè
oſtendemus, ſi ſingulorum verba expẽ- *Eſt D. Thomæ.*
damus. Quod D. Thomas eam ſimplici-
ter approbauerit, euidenter patet: quia
in 3. diſtinct. 3. q. 1. articul. 2. quæſt. 3. ad 2.
poſt quam oſtendit, potentiam peccãdi
auferri per hoc, quod gratia tanta infun-
ditur, vt omnem defectum tollat; addit
hæc verba: *Et ſic in Beata Virgine, quan-*
do concepit Dei filium, ablata eſt potentia
peccandi, quamuis in ſtatu viæ permaneret.
Et in corpore articuli ſcribit: *Beatæ Vir-*
gini in ſecunda ſanctificatione gratiam ſu-
peradditam fuiſſe, quæ ita liberum arbitriũ
impelleret, vt in contrarium flecti non poſ-
ſet. Quibus verbis ſatis ſignificat, gra-
tiam illam fuiſſe ſufficientem, & effica-
cem ad tollendam à libero arbitrio fle-
xibilitatem ad malum, ad cuius ablatio-
nem non fuit ſufficiens gratia primæ
ſanctificationis, vt immediatè dixerat.
Nõ eſt igitur dubitandum D. Thomam
noſtram ſententiam ſimpliciter appro-
baſſe. Eandem ſimpliciter approbauit 13.
Alexand. de Ales 3. p. quæſt. 9. membr. 3. *Eſt Alex.*
ar. 2. §. 2. in hęc verba: *Sicut in Angelis cõ-* *de Ales.*
firmatis poſt ſuam confirmationem non re-
manſerat potentia ad peccandũ: ita in glorio-
ſa Virgine poſt ſanctificationem, quam ha-
buit in Conceptione filij. Et inferius ex-
preſſe ſcribit: *Beatam Virginem poſt con-*
ceptionem Verbi habuiſſe neceſsitatem ad
non peccandum: & in hoc ſenſu non habuiſ-
ſe potentiam peccandi.

14. *Eſt D. Bonauen.* Diuus etiam Bonauentura *in 3. diſt. 3. art. 2. q. 3.* expreſſe cõcedit, *B. Virginem in ſecunda ſanctificatione, non ſolum ſanctificatã fuiſſe ad impotentiam ad peccandum; ſed etiã ad impoſsibilitatem habendi peccatum.* Quæ verba ſunt notatu dignißima.

15. *Eſt Richardi.* Richardus etiam, *ibidem art. 1. q. 4. in principio*, expreſſe docet, *poſsibilitatem peccandi in ſecunda ſanctificatione fuiſſe ab ea totaliter ſublatam*: & idem explicat in ſolutione ad 3. & iterum q. 3. ſatis expreſſe ſignificat, ab ea totaliter fuiſſe ſublatam flexibilitatem ad malum. *Authores huius opinionis.* Idem teſtantur *Paludanus, Ochamus, Gabriel, Marſilius, Almainus, & cæteri*, quos pro quarta opinione citauimus. Ex quibus patet, hãc ſententiã inter Theologos eſſe longe cõmuniorem.

Statuũtur tres aliæ concluſiones.

16. ¶ Ex ijs, quæ diximus in confirmationẽ quartæ opinionis contra primã, infertur impugnatio triũ aliarum opinionũ. Sed
17. vt veritas clarius appareat cõtra ſingulas, ſingulas concluſiones ſtatuemus.

2. Concluſio contra opinionem ſecundam. Sit igitur 2. concluſio cõtra ſecundã ſententiã: *Non eſt admittendũ, B. Virginẽ ſimpliciter, & abſolute habuiſſe potentiã peccãdi; ſecundũ quid autem ea caruiſſe: & ſubinde falſum eſt, B. Virginem ſimpliciter fuiſſe peccabilem; ſecundũ quid vero impeccabilẽ.* Hæc ſtatuitur contra ſecundã opinionẽ, & neceſſario infertur ex prima cõcluſione: etenim ex ijs, quæ diximus, euidẽter oſtẽditur, B. Virginẽ non ſecundũ quid, ſed ſimpliciter fuiſſe impeccabilẽ: Deus enim potuit eã facere impeccabilẽ ſimpliciter; ita vt potẽtia peccãdi nullo modo in ea maneret: & decuit, vt illã ita redderet impeccabilẽ, vt potẽtia peccãdi ab ea penitus auferretur: ergo de facto Deus in hoc ſenſu eam fecit impeccabilem, vt potentia peccandi in ea nullo modo maneret. Sed qui in hoc ſenſu eſt impeccabilis, nõ eſt talis ſecundũ quid; quia impeccabilitas ſecundũ quid, neceſſario ſupponit peccabilitatem ſimpliciter manentẽ: ergo ſi B. Virgo ita fuit impeccabilis, vt in ea nullo modo mãſerit potẽtia peccandi: vtiq; nõ ſecundũ quid, ſed ſimpliciter fuit impeccabilis. Quod vero Deus potuerit eã in ſenſu explicato impeccabilẽ facere, ex dictis in 1. concluſione patet: id enim nõ implicat, nec derogat dignitati Chriſti, & excellẽtiæ redẽptionis eius, vt patebit ex ſolutionibus argumẽtorũ: nec repugnat ſtatui viatoris: quia nõ repugnat merito, ſed ſimul cũ eo ſtare poteſt vt ar. 2. oſtendimus: nec repugnat naturę liberi arbitrij creati: quia flexibilitas ad malum, cum non ſit de intrinſeca ratione liberi arbitrij, nec naturalis proprietas eius; ſed potius ſit quidam effectus, & imperfectio illius, illud non neceſſario concomitans, ſed ſolum ſecundum ſtatũ, in quo ſuæ purę naturæ relinquitur, ſecluſa omni perfectione ſupernaturali, vt diximus in 1. cõcluſione: cur igitur denegabitur diuinæ potentiæ poſſe facere noſtrũ liberũ arbitrium ſimpliciter impeccabile pro ſtatu viæ, ſublata omni potentia peccãdi? Hoc autẽ admiſſo; cũ negari non poſsit, talẽ impeccabilitatẽ, & carentiã potentiæ peccandi, & flexibilitatis ad malũ, eleuare ipſum liberũ arbitrium ad ſtatũ perfectiorem; vtiq; negari nõ poterit, ad excellentiã B. Virgini debitã pertinere, habere liberũ arbitrium purum ab omni potentia peccandi, & ſubinde ſimpliciter, & abſolutè impeccabile, cũ neceſsitate nõ peccandi, vt ait D. Bonauentura. His ſi adiungamus, hanc eſſe cõmunem omnium Theologorũ doctrinam, vno Medina, & altero Palatio excepto, euidens manebit veritas huius ſecundæ aſſertionis: cui D. Thomas nõ repugnat, vt videbimus §. 4.

Sit 3. concluſio: *Non eſt admittendũ, B. Virginem in ſenſu diuiſo habere potentiam peccandi: ea tamen carere in ſenſu compoſito.* 18. *3. Concluſ. cõtra 3. opinionem.*
Statuitur cõtra tertiam opinionem, & ſatis confirmatur ex ijs, quæ contra eandẽ tertiã opinionem late ſcripſimus art. 2. §. 2. ex illis enim manifeſte apparet, B. Virginem non habere potentiam peccandi, ſi conſideretur in ſenſu diuiſo quoad ea, quæ illi conueniunt ſecundum naturam ipſius liberi arbitrij, & quoad ea, quæ in eo manent ſimul cum gratia illud confirmante: nam hoc modo liberum arbitrium ſolum habet non repugnantiam negatiuam ad peccandum, quæ ipſa manet quidẽ ſimul cum gratia confirmãte, & tñ non eſt potentia peccandi, vt aduerſarij expreſſe fatẽtur: vnde B. Virgo per

gratiam confirmata in hoc ſenſu diuiſo, peccandi potentiam non habet. Si vero conſideretur in ſenſu diuiſo, quatenus, ſ. conſideratur relicta puræ ſuæ naturæ, ſecluſa omni gratia ſupernaturali; admittimus, eam, ſi ſub illo ſtatu actualiter fuiſſet, habituram fuiſſe veram, & propriam peccandi potentiam, & veram arbitrij flexibilitatem ad malum. Sed gratia illam confirmans, ſub qua non formaliter, ſed ſolum materialiter cõſideratur, illum ſtatum ab ea excludit, & per conſequens etiam excludet ab ea peccandi potentiam. Et hoc non diſtinguere, fuit cauſa erroris. Quare abſolutè concedendum eſt, B. Virginem, ſi ſub gratia confirmationis, non formaliter, & in ſenſu compoſito cõſideretur, ſed materialiter, & in ſenſu diuiſo, adhuc non habere potẽtiam peccandi, licet habeat nõ repugnãtiam ad eam; quam non habet in ſenſu compoſito. Quod in hac materia eſt diligenter annotandum.

19. 4. Concluſio contra 4. opinio.

Quarta concluſio: *Non eſt admittendũ, B. Virginem in hoc ſolo ſenſu potuiſſe non peccare, in quo currens non poteſt non currere, id eſt, quandiu eſt ſub curſu.* Statuitur contra quartam opinionem Durandi, & euidenter confirmata manet per ea, quæ contra eandem Durandi ſententiam adduximus ſupra ar. 2. §. 2 in impugnatione quartę opinionis: in duobus enim deficit hæc Durandi imaginatio: deficit primo, quatenus ſupponit, liberum arbitrium viatoris non poſſe reddi impeccabile per aliquam gratiam, & habitũ in eo exiſtentem; ſed per ſolam extrinſecam aſsiſtentiam Dei. Deinde deficit, quatenus exiſtimat liberum arbitrium viatoris per diuinam aſsiſtentiam ſolum cõfirmari extrinſecè: non vero intrinſecè: vtrũque autem impugnauimus loc. cit.

§. 3.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta contra quatuor concluſiones propoſitas.

20. Ad arg. contra primã concl.

CONtra quatuor propoſitas aſſertiones nonnulla adducuntur, quæ oportet ſoluere. Contra primam concluſionem adducuntur omnia argumenta, quæ ſupra ar. 2. adduximus contra quintam opinionem, quam approbauimus: poſſe. ſ. liberum arbitrium viatoris ſimpliciter reddi impeccabile per omnimodam extinctionem potentiæ peccandi, & flexibilitatis ad malũ. Singulorum ſolutiones in eodem loco videbis.

21. Ad argu. Bellomon.

Secundo contra eãdem argumentatur *Bellomontanus 2. to. ad 3. p. diſp. 120. c. 2. in 4. argumento nu. 17.* etenim, vt ait, potentia, libertasque ad peccandum non poteſt tolli per amorem Dei, etiamſi B. Virgo in hoc amore, & Dei contẽplatione cõtinuo manſerit: etenim cum in hoc amore non neceſſario ſemper fuerit, ſed libere, vtiq; talis amor nõ modo nõ potuit tollere libertatẽ ad peccandum; ſed eã neceſſario ſuppoſuit.

22. Solutio.

¶ Hoc argumentũ petit ſolutionem difficultatis, quo modo potentia peccãdi fuerit à B. Virgine ſublata, & cõceſſa inflexibilitas ad malum? de quo in 6. art. dicemus. Nunc dicimus, cũ neceſſitate ad non peccandum, imò etiam cum impeccabilitate ad peccandũ poſſe ſimul ſtare libertatem contradictionis ad amãdum, & non amandũ, vt ibidem dicemus, & patet ex dictis art. 2. in ſolutione huius difficultatis: & mirum eſt, quod Theologus doctiſsimus Theologiã ibi explicatã non viderit.

23. Ad argu. contra 2. concl.

¶ Contra ſecundam concluſionem aduerſarij nihil obijciunt, quod difficultatem faciat, vt patet ex ijs, quæ diximus ſupra artic. 2. Pro illis tamen hoc ſolum adduci poteſt, quod Medinę, & Palatij opinio videatur Diui Thomæ: etenim (vt volunt) Diuus Thomas docuit, nullum viatorem poſſe in gratia ſimpliciter confirmari, ſed ſolum aliquo modo: ita ex *D. Thoma refert Bergomenſis in Concordantia 383. vbi citat Diuum Thomam 3. p. quæſtione 52. artic. 6. ad 3. & quæſtio. 79. artic. 6. ad 1. & 2. & 4. contra gentes cap. 70. in ſecunda ratione, & de veritate q. 24. articulo nono in corpore, & articul. 11. ad 9.* quod autem aliquo modo eſt tale, ſimpliciter non eſt tale, ſed ſecundum quid.

D. Thom. nihil cõtra nos ait.

¶ Ad hoc tamen reſpondemus, D. Thomam in illis locis citatis nihil dicere, vt legenti patebit: quanuis de *veritate in d. q. 24. ar. 9.* id videatur ſignificare. Sed ibi ſolum illum ſimpliciter confirmatum appellat, qui perfectiſsimo modo confirmatus eſt: talis autem nullus eſt in via, ſed ſolum in Patria.

23. *Contra 3. & 4. cōcl. nihil obijcitur.* ¶ Contra tertiam, & quartam aſſertionem nulla argumenta afferuntur: & quę poſſent afferri, facilè ſoluentur ex ijs, quæ in ſingulis illis concluſionibus aduertimus, & ex ijs, quæ contra tertiam, & quartam ſentētiam diximus ſupra ar. 2. §. ſecundo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm B. Virgo facta fuerit impeccabilis in prima, an ſolū in ſecunda ſanctificatione?

§ 1.

Referuntur variæ opiniones,

1. *1. Opinio negatiua.* *D. Thom.* *Alexand.* *Bonau.* *Richard.* *Marſil.* *Alderic.* *Carthuſia.* *Palat.* *Medina.*

IN hac quæſtione non conueniunt Theologi: quidam exiſtimāt, B. Virginem in prima in vtero ſanctificatione non fuiſſe in gratia confirmatam, nec factam impeccabilem, ſed ſolum in ſecunda, quando Verbum concepit: *ita D. Thomas in 3. diſt. 3. q. 1. art. 2. q. 2. & 3.* quā ſatis ſignificauit *3. p. q. 27. ar. 4. ad 1. & ar. 5. ad 2. & Opuſc. 60. art. 3.* probarūt *Alex. de Ales 3. p. q. 9. memb. 3. art. 2. §. 2. Bonauentura in 3. diſt. 3. ar. 1. q. 3. Richard. ibidē art. 1. q. 3. & 4. Marſil. in 3. q. 4. art. 1. cōcl. 5. & 6. Alderic. in ſua Summa lib. 5.* quem refert, & probat *Carthuſia in 3. diſt. 3. q. 1. ad finem, & Palat. diſp. 4. concl. 2. & ſatis Medina 3. p. q. 27. ar. 4. concl. 3.* qui omnes in hoc conueniunt, vt à prima ſanctificatione vſque ad ſecundam habuerit potētiam peccandi, quanuis nunquam peccauerit: eam tamē amiſiſſe in ſanctificatione ſecunda.

2. *2. Opinio affirmatiua.* *Maior.* *Franciſ. à Chriſto.* *Pitigian.* *Ouand.*

Secunda opinio eſt eorū, qui volunt, B. Virginē ſtatim à prima ſanctificationē ita fuiſſe confirmatam in bono, vt facta ſit ſimpliciter impeccabilis ſublata penitus potentia peccandi, tam quoad mortalia peccata, quam quoad venialia: ita docuerunt *Maior in 3. diſt. 3. q. 1. §. dubitatur: verſ. ad aliud argumentum; in fine: noſter Franciſcus à Chriſto quæſtione 5.* & his temporibus inter Nouiores vnanimi fere cōſenſu eſt recepta. Eam defēdit *Franciſcus de Pitigianis in 3. diſtinct. 3. art. 14. concluſ. 3. & quarta. Ioann. Ouandus. ibidem artic. 6. §. primo,* vbi hanc opinionem probat, quanuis ſatis confuſe. Eandem expreſſe probauit *doctiſſimus Nicolaus Cuſanus Cardinalis lib. 5. exercit. ad illud dictum, Cælum, & terra tranſibunt* : & pro ea poteſt referri *Durand. in 3. diſt. 3. q. 4* nam eam confirmationē, & impeccabilitatem, quā in B. Virgine admittit, in ea admittit non in ſecunda, ſed in prima ſanctificatione. *Cuſanus.* *Durand.*

Tertia eſt ſentētia veluti media, vt B. Virgo ſtatim in prima ſanctificatione fuerit cōfirmata, ne poſſet mortaliter peccare; in ſecūda vero fuerit confirmata, vt nec mortaliter, nec venialiter peccare poſſet. Quare in prima ſanctificatione ſolum facta fuit impeccabilis in ordine ad peccatum mortale; non tamen ad veniale: vnde non habuit potentiā peccandi mortaliter: bene tamen habuit potentiam, ad peccandum venialiter, quanuis nunquā venialiter peccauerit. At vero in ſecunda ſanctificatione ita facta eſt impeccabilis, vt nullam habuerit peccandi potentiam, ſiue mortaliter, ſiue venialiter. Ita *Ocham. in 3. q. 2. art. 1. & 2. Paludan. in 3. diſt. 3. q. 2. art. 3. concl. 1. & 2.* ad quam videtur accedere *Gabriel ibidem quæſt. 2. art. 3. dub. 1.* 3. *3. Opinio.* *Ocham.* *Paludan.* *Gabriel.*

§. 2.

Reſolutio Quæſtionis.

PRo reſolutione ſtatuenda eſt hæc concluſio: *B. Virgo ſtatim in prima ſanctificatione in vtero cōfirmata fuit in gratia, & facta ſimpliciter impeccabilis; ita vt non habuerit potentiam peccandi mortaliter, aut venialiter.* Hæc ſtatuitur pro ſecunda opinione contra primam, & tertiam: quam puto longe eſſe veriorē, & doctrinæ Sanctorum magis conſonā. 4. *Concluſio.*

Confirmatur primo: quoniam Concilium Tridentinum ſeſſion. ſexta de iuſtificatione Cano. 23. ſimpliciter docet, Beatam Virginem, ſpeciali Dei priuilegio, per totam vitam omnia peccata, etiam venialia, vitaſſe: hoc autem ſpeciale priuilegium, vt omnes intelligunt, fuit magnum donum perſeuerantiæ, & confirmationis: ergo Beata Virgo per totam vitam habuit hoc priuilegium: ergo illud habuit ante Verbi Incarnationem. 5. *1. Confirmatio.*

¶ Hæc

¶ Hęc ratio vrget me, vt putē hanc opinionem eſſe veriſsimam: ſuppoſio enim tali priuilegio pro tota vita, quo in gratia confirmata eſt, ne peccare poſſet; negari non poteſt eam illud habuiſſe ante ſecũdam ſanctificationem: & per conſequens illud habuit in prima, in qua (vt diceremus) ſtatim habuit vſum rationis.

6. 2. *Confirmatio.* Secundo probatur: quoniam, ex communi Patrum doctrina, B. Virgini omnia illa priuilegia ſtatim in prima ſanctificatione ſunt cõcedenda, quæ eam reddant digniorē ad maternitatem Verbi: etenim Deus à principio talem ſibi fecit matrē, qualem ſe decere intelligebat, & qualem ſibi nouerat placituram, vt ait *D. Bernardus homil. 2. Super Miſſus eſt*: ſed confirmatio in gratia, & impeccabilitas, perpetuaq; ſtabilitas liberi arbibrij cũ prima regula, eam longe digniorē reddebat, vt in matrem Dei eligeretur: ergo hanc confirmationē habuit ſtatim in prima ſanctificatione. Maior eſt communis doctrina Patrũ: minor autē ex eo probatur, quia nulla ratio adduci poteſt, cur negandum ſit, hanc confirmationem ſtatim in prima ſanctificatione non pertinere ad plenitudinem diſpoſitionis, qua Beata Virgo diſponebatur, vt fieret digniſsima ſtatim ab illo tempore, quæ in matrem Dei eligeretur: quis enim negabit puritatē ſanctitatis, & immunitatem ab omni peccato per ſe fuiſſe diſpoſitionem neceſſariã, vt B. Virgo fieret digna, quæ in matrem Dei eligeretur? cur igitur puritas perfectiſsima ſanctitatis, & perfectiſsima immunitas à peccato, per ſe, & ex natura ſua, non erit diſpoſitio, vt illa fieret dignior tali maternitate? Etenim nõ video, cur hęc immunitas per omnimodam impeccabilitatem potius cõſequatur ad maternitatem, tanquam effectus eius; quam eam antecedat, tãquam pefectiſsima diſpoſitio, qua digniſsima fiat tali maternitate. Hoc autem ſuppoſito, negari non poteſt, B. Virginem hanc impeccabilitatem ſtatim in prima ſãctificatione obtinuiſſe: etenim quæ ad perfectionem, & plenitudinem diſpoſitionis ſpectant, fuerunt B. Virgini conceſſa ſtatim in prima ſanctificatione: in ea enim conſecuta eſt omnē gratię plenitudinē, quæ requiritur vt illa digna fiat, quæ in matrē Dei eligatur: quam *D. Thomas 3. p. q. 27. ar. 4. ad 2.* appellat perfectionem diſpoſitionis.

Probatio minoris.

Sed obijcies: quoniam in naturalibus in materia primo eſt perfectio diſpoſitionis ad formã: deinde aduenit perfectio cõſequēs, & conſeruãs formã, quę ſēper eſt maior, & perfectior, quã calor v. g. diſponēs ad formã ignis. Eodē igitur modo opus fuit, & decēs, vt B. Virgo prius diſponeretur ſanctificatione diſpoſitiua ad maternitatē Dei; deinde perficeretur talis ſãctitas poſt Verbi Incarnationē: hæc autem perfectio poſita eſt in confirmatione ipſius ſanctificationis per donum perſeuerantiæ. 7. *Obiectio.* ¶ Huic obiectioni (quæ eſt fundamentũ D. Thomę) dicimus, in ea ſupponi id, quod erat probandũ: admittimus enim gratiã in prima ſanctificatione collatã eſſe diſpoſitiuã: negamus tñ gratiã confirmationis nõ eſſe huius generis: quare hoc erat probandũ: etenim admittimus poſt Verbi conceptionē, quæ eſt velut terminus præcedētis diſpoſitionis, gratiã Verbũ Incarnatum cõcomitantē fuiſſe maiorē, & multo perfectiorē: non tñ fuiſſe gratiã confirmationis, sed aliã, qua gratia puritatis B. Virginis fieret illuſtrior, & longe abũdantior: de quo in vltima quæſtione. *Solutio.*

8. 3. *Confirmatio.* *Cannis.* Tertio cõfirmatur: quoniã ea, quæ de B. Virginis infantia atq; pueritia, ętateq; vſq; ad conceptionē Verbi dicuntur (de quibus latē *Canniſius lib. de Maria Deipara c. vlt.*) ſine dono perſeuerantiæ, & confirmationis non donantur.

9. 4. *Cõfirm.* 4 Confirmatur: quoniã in prima ſanctificatione, fomes peccati fuit à B. Virgine omnino extinctus, vt tãquam lõge probabilius oſtẽdimus ſupra q. 2. ar. 8. §. 3. ſed extinctio fomitis per ſe arguit cõfirmationē in bono, & õnimodã inflexibilitatē ad malũ, quæ eſt impeccabilitas, vt etiã aduerſarij concedunt: ergo hanc impeccabilitatem habuit ſtatim in prima ſanctificatione. Quin potius eam habuit, quanuis demus, fomitem in prima ſanctificatione manſiſſe ligatum tantũ: quoniã licet ligatio fomitis ex ſua natura non ſatis ſit ad confirmationem: tamen ſine ea dari non poteſt, ſaltem quando totaliter ligatur, vt diximus ſupra q. 2.

10. *Poſtrema confirmatio.* Deniq; ex eo confirmatur: quoniam Baptiſta per ſanctificationem in vtero cõfirmatus fuit in gratia, ita vt nec mortaliter, nec venialiter peccare poſſet, vt plures volunt: hoc enim videntur ſignificare illa verba Luc. 1. *Et Spiritu Sancto replebitur ab vtero matris ſuæ*: quæ verba ſatis ſignificant, repletionem illam fuiſſe conſummationem, quę fit per confirmationem in bono. Hac autem opinione ſuppoſita, non poteſt eadem confirmatio negari B. Virgini in ſua in vtero ſanctificatione: etenim ex doctrina Sancti Bernardi, non eſt Virgini negandũ, quod alicui Sanctorum fuit conceſſum. Argumentum tamen non ſatis eſt efficax; quoniam nõ ſatis eſt certum, quod Baptiſta venialiter non peccauerit.

§. 3.

An noſtra ſententia ſit omnino certa.

11. *An ſit omnino certa.* Sed dubitare quis poterit, an hæc noſtra reſolutio ita ſit certa, vt oppoſita non ſit probabilis? Cui dubitationi locum fecerunt quidã Theologi, quos refert *Medina 3. p. q 27. art. 4. poſt tertiam cõcluſionem pag. 514. col. 2. in fine*, qui hęſis damnant opinionem, quę docet, Beatã Virginem ante Verbi Incarnationẽ potuiſſe peccare: quos idem Medina, ſi nõ expreſſe, tamen tacite, & aliquo modo videtur probare.

Quidã putant eſſe hæreticam

22. *Reijciũtur* ¶ Sed quomodo hæreſis damnanda eſt opinio, quam Diuus Thomas, Diuus Bonauentura, Alexander de Ales, & alij præſtantiſsimi Theologi, & inter eos Richardus de S. Victore probauerunt: etenim licet doceãt, B. Virginem ante ſecũdam ſanctificationem habuiſſe potentiã peccandi, & potuiſſe peccare: conſtanter tamen defendunt, eam nec minimũ peccatum vnquam commiſiſſe: quare reprehendendi ſunt præcitati Theologi, & audaciæ damnandi: maximè cum argumẽta, quibus nituntur, futilia ſint, & nullius valoris, vt ex ſequentibus patebit.

13. *Ad 1. arg.* Primo igitur ita arguunt: quoniã ſi B. Virgo ante conceptionem Verbi peccare potuit; vnde habuit, quod in tam longo temporis ſpatio non peccauerit? ¶ Sed futile eſt argumentum: quoniam ſine dono confirmationis poteſt Deus etiam pro longo tempore ſinę peccatis ſeruare quem voluerit: vt ipſe Medina ibidem concedit.

Secundo obijciunt verba Angeli Luc. 1. *Aue gratia plena*: ſed cum gratiæ plenitudine non poteſt ſtare peccatum: ergo ante incarnationem Verbi, fuit cõfirmata: ſed hoc etiam argumentum ſatis eſt inefficax: quoniã B. Virgo ante ſecundã ſanctificationem fuit gratia plena plenitudine ſufficientiæ ad continuũ meritũ; & ad promptitudinem ad omne bonum: non tamen plenitudine confirmationis, vt ait *Marſilius in 3. q. 4. artic. 1. concl. 6. in corollario*. Quæ ſolutio iuuari poteſt ex doctrina *D. Thomæ 3. p. q. 27. art. 5. ad 2.* dum ait, B. Virginẽ pro toto tempore ante Verbi incarnationẽ habuiſſe plenitudinem gratiæ diſponentis eam vt eſſet idonea, quæ eſſet mater Dei: non tamen habuiſſe plenitudinem confirmationis, & ſtabilitatis; quia hæc tanquam perfectior debebat comitari ipſum Verbum, quod erat forma, ad quam recipiendam diſponebat: decet autem, vt perfectio cõcõmitans formã ſit maior, quã perfectio, ad formam diſponens. Vide D. Thomã. 14. *Ad 2.* *D. Thom.*

Tertio obijciunt: quoniam ſi B. Virgo pro toto tempore ante Incarnationem Verbi fuit ſine peccato, poſſet eodẽ modo permanere pro toto reliquo vitæ ſpatio. Ad quid igitur opus fuit gratia confirmationis? ¶ Sed hoc argumentũ cæteris eſt futilius; quoniã, vt ait D. Thomas, decet vt maior ſit perfectio cõcomitans Verbũ iam incarnatum, quã diſponẽs ad incarnationem: in quo omnes Patres conueniunt: Verbum autem incarnatũ ex ſe poſtulabat ſummam puritatẽ ſanctitatis, & vt mater ſua ſanctificaretur ſanctificatione tam perfecta, & ſublimi, vt & fomes ab ea totaliter tolleretur, & gratia conſummaretur dono confirmationis, & impeccabilitatis. 15. *Ad 3.*

4. Loco obijciũt argumẽta, quibus noſtram reſolutionẽ confirmauimus. ¶ Sed illa non ita eam confirmant, vt oppoſita ſententia ſit improbabilis, ne dum vt indigeat cenſura. Quod facile intelliges, ſi D. Thomæ fundamentũ expẽdas, quo 16. *Ad 4.*

non

non improbabiliter probatur, decẽs fuiſſe, vt gratia ante incarnationem collata ſolum eſſet diſponens, vt B. Virgo digna fieret, quæ in Dei matrem eligeretur: at vero poſt incarnationem daretur illi gratia non diſponens ad formam, ſed conſequens eam. Et hæc ſatis ſunt, vt prima opinio ab omni cenſura liberetur.

ARTICVLVS VI.

Quomodo B. Virgo facta ſit impeccabilis?

1. RESOLUTIO huius quæſtionis pendet à reſolutione alterius, quæ inquirit, quomodo liberum arbitrium viatoris reddatur ſimpliciter impeccabile: etenim cum B. Virgo tam in prima, quam in ſecunda ſanctificatione fuerit viatrix; eo modo facta fuit impeccabilis, quo viator impeccabilis reddi poteſt. Quare de hac difficultate tres inueniuntur opiniones. Prima ſimpliciter affirmat, B. Virginem factam fuiſſe impeccabilem ab intrinſeco, id eſt, per tantam plenitudinem gratiæ, vt omnem defectum tolleret, & ita liberum arbitrium impelleret in bonum, vt in malum flecti non poſſet. *Ita D. Thomas, Alexander de Ales, D. Bonauentura, Richardus, atq; Paludanus, quos citauimus ſupra art. 3. in prima opinione:* quam ſententiam ſatis explicat *Richardus de Sancto Victore in libro 2. de Emmanuele cap. 30.* vbi totam cauſam impeccabilitatis reducit in amorem, ita inquiens: *Diuinus amor in ea adeo conualuit: adeo ipſam in bono ſolidauit, vt de cætero ſpiritualis qualiſcunque defectus in eam incidere omnino non poſſet.* Idem etiam ſignificat *in Cantic. cap. 26.* dum pro cauſa inflexibilitatis in malum reddit virtutẽ Altiſsimi, qua obumbrata eſt.

1. opinio. *D. Thom. Alenſis. D. Bonau. Richard. Paludan. Richard. de S. Vict.*

2. *2. opinio.* Secunda opinio defendit, B. Virginem in bono immobilem, & confirmatã fuiſſe ab extrinſeco per ſolam coaſſiſtentiã Dei: ita *Durandus, Ochamus, Gabriel, & Maior, quos in dicto art. 3. §. 1.* in ſecunda opinione addpximus.

3. *3. opinio.* Tertia ſententia docet, B. Virginem primæ regulæ fuiſſe immobiliter alligatam, vt peccare non poſſet, tum ab intrinſeco per gratiam, & virtutes; tum ab extrinſeco per aſſiſtentiam diuinæ prouidentiæ: quæ fuit ſententia *D. Thomæ in 3. diſt. 3. q. 1. art. 2. q. 3.* quam etiam probauit *de Veritate, & in 3. contra gentes,* vt loco citato diximus, & pro ea retulimus *Ferrarienſem, Medinam, Palatium, & doctiſsimum præceptorem Fratrem Franciſcum à Chriſto locis ibidem citatis.* *Authores huius opinionis.*

4. *Approbatur 3. opinio.* Nos hanc ſententiam tanquam longe veriorem probamus, quam in viatore cõfirmato latè probauimus in d. art. 3. §. 2. vbi videbis fundamenta: facta eſt enim impeccabilis per gratiam doni perſeuerantiæ, quæ ipſa à Deo facta eſt virtuoſa, & efficax, vt ex ſe diuinam aſſiſtentiam ſibi vendicet, vt ibidem diximus: vnde & ab intrinſeco, & ab extrinſeco facta fuit impeccabilis. Et hæc de B. Virginis impeccabilitate dicta ſint.

QVÆSTIO IIII.

Vtrùm gratia B. Virgini in ſua conceptione collata, ita eam eleuauerit, vt vſum rationis ſtatim habuerit?

IN hac queſtione plures erunt articuli. Primus erit, vtrum B. Virgo in inſtanti ſuæ ſanctificationis habuerit perfectum vſum rationis? Secundus, quinam fuerit iſte rationis actus? Tertius, an iſte actus in ipſa perpetuo permãſerit? Quartus, & vltimus, an per iſtum actum ſe ad gratiam diſpoſuerit? *Articuli excitandi.*

ARTICVLVS I.

An B. Virgo in primo conceptionis inſtanti habuerit perfectum vſum rationis?

§. 1.

Refertur pars negatiua.

PARTEM negantem probauit *D. Thomas 3. p. q. 27. art. 3. parum ante finẽ:* vbi expreſſe docet, B. Virginem in vtero matris non habuiſſe vſum rationis, ſiue liberi arbitrij. Hanc opinionem nõnullis placuiſſe ſatis ſignificat *Suar. tom. 2. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 6. §. Mirum eſt autem:* nullum tamen authorem citat. *Pars neg. D. Thom.* *Suar.*

2. 1.*arg.* Huius opinionis nullum aliud fundamentum adducit D. Thomas, niſi quia tale priuilegium fuit ſpeciale Chriſti Domini.

3. 2.*arg.* Secundo adduci poteſt pro ea; quoniã hæc perfectio ad maiorem ſanctitatem minime pertinet: ergo non oportuit eam B. Virgini concedi: nam ideo non fuit conceſſum illi, vt longiori, quam omnes, vita viueret: quia hoc ad maiorem ſanctitatem non pertinebat.

4. 3.*arg.* Tertio obijcitur: quoniam vſus rationis pro ſtatu viæ haberi non poteſt ſine conuerſione ad phantaſmata: iam vero B. Virgo in illo primo inſtanti hanc conuerſionem non habuit.

§. 2.

Pars affirmatiua eſt probanda.

5. *Vera eſt pars affirmans.* HIs tamen non obſtantibus, partẽ affirmãtem probauit communis Theologorum opinio. Ex Thomiſtis eam probarunt *Caietan.* 3.*p. in d.q.* 27.*art.*3. *ante finem commenti,* §. *Circa primum modum vinculi, Viguer. in inſtit. theolog. c.*5. §.3. *verſ.*9. *ex alijs Bernardin. Senenſ. tom.*1. *ſermonum ſerm.*61. *art.*3. *c.*7. *& tom.*2. *ſerm.*51. *cap.*2. *Carthuſian. in lib. de laudibus Virginis ar.*12. *tom.*1. *refertur Iacobus Chriſtopolitanus Epiſcopus in Canticũ eiuſdem Virginis, Bernard. de Buſti in ſuo Mariali p.*12. *ſerm.*1. *fol.*380. *Barrad. tom.*1. *concord. lib.*6. *cap.*3. §. *Quarta gemma eſt vſus rationis, Petrus Ribadaneira in feſto Præſentationis Mariæ in templo, latè Suar. tom.*2. *ad* 3.*p, diſp.*4. *ſect.*7. *per totam, Vaſq. Bellom. tom.*2. *ad* 3.*p. diſp.*119. *c.*3. *Petrus Morales de Chriſto, & B. Maria lib.*1. *tract.* 9. *n.*13. *Frater Franciſcus de Pitigianis ad* 3. *Scoti diſt.*3. *q.*1. *art.*8. *& Ioan. Ouand. ibidem q.*5. *de vſu gratiæ, pag.*136. deniq; inter nouiores eſt ſententia recepta, quã ego vt longe veriorem amplector.

Caietan. Viguerius. Bernard. Senenſis. Chriſtopolitanus. Buſti. Barradas. Ribadaneira. Suarius. Bellomon. Morales. Pitigian. Ouandus.

6. *Fundamẽtũ efficax* Vnicum, illudque in Theologia efficaciſsimum, huius opinionis fundamentum ex eo ſumitur, quod omne priuilegium eſt concedendum B. Virgini, quod alicui puro homini conceſſum fuit. Sed Ioanni Baptiſtæ fuit conceſſum, vt in vtero matris habuerit vſum rationis: ergo hoc priuilegium non poteſt non concedi B. Virgini: cum vero illud conceſsũ fuerit Baptiſtæ in primo inſtãti ſuæ ſanctificationis, in eodem etiam inſtanti cõceſſum fuit B. Virgini: cum autẽ illa in primo conceptionis inſtanti fuerit ſanctificata, & præſeruata ab omni originali macula; concedendum eſt, vſum rationis illi fuiſſe conceſſum ſtatim in primo ſuæ conceptionis inſtanti. ¶ In hoc argumenti diſcurſu, ſuppoſito priori, poſterior negari non poteſt; maior prioris patet ex communi Patrum, & Theologorum conſenſu. Sola reſtat probatio minoris: ea autẽ manifeſte cõfirmatur apertiſsimis fere omniũ Patrum teſtimonijs,

7. *Baptiſta habuit vſum rationis in vtero. Patres qui id probãt.* quæ latè referunt Suarius, & Bellomontanus: Baptiſtam habuiſſe vſum rationis, quando ad Mariæ, & Chriſti præſentiam in vtero matris exultauit expreſſe affirmant Ambroſius, Leo Papa, Hieronymus, Beda, Auguſtinus, Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, vterque Cyrillus, Chryſologus, Sanctus Maximus, D. Gregorius, D. Bernardus, Nicephorus, Metaphraſtres, & Paulus diaconus, quos omnes vide apud Suariũ, & Bellomontanum. Vt omittamus hanc eſſe ferè omnium ſcholaſticorum, & interpretum ſacræ Scripturæ opinionem, quam probauerunt Patres Concilij Baſilienſis ſeſſ. 43. dum ſcribunt Ioannem in vtero Chriſtũ cognouiſſe. Hanc opinionem ſatis ſignificat Eccleſia cum in hymno illius canit: *Senſeras regem thalamo manentem,* & dum ita concinit: *Hinc parens nati meritis vterque abdita pandit:* mereri autem in vtero non potuit, ſine vſu rationis. Eandem opinionem non ſine efficacia confirmant verba Eliſabethæ matris Baptiſtæ Luc. 1: *Exultauit in gaudio infans in vtero meo:* quæ verba ſatis

8. ſignificant, infantem præ gaudio exultaſſe; ita vt ipſa exultatio cauſata ſit ex lætitia, & gaudio; vt ſit ſenſus: *infans exultauit in vtero propter gaudium, & lætitiam, quam ex ſui Saluatoris præſentia habuit:* hunc enim ſenſum denotat illa præpoſitio *in*, vt bene aduertit Bellomontanus *in dicto cap.*3. *num.*38: etenim motus exultationis, ac veluti ſaltationis, & tripudij ex aliquo gaudio oritur, vt patet: gaudium autem cognitionem

aliquam

aliquam conſequitur: iam vero cur infanti ſupra naturam concederetur cognitio ſenſitiua,& non intellectiua? Vide quæ de his verbis ſcribunt Suarius, & Bellomontanus. Ex quibus intelliges nō

9. *Non admittitur Iāſenius.*

eſſe audiendum Ianſenium *in ſua concordia c. 4.* quatenus verba iſta non de gaudio, & lætitia mentis, ſed de quadam geſticulatione intelligenda putat. Quomodo autem *Auguſtinus in epiſt. 57.* in qua

Explicatio Auguſtini & D. Thomæ.

videtur nobis cōtrarius, ſit intelligendus; & *D. Thomas 3. p. q. 27. art. 6. cum Eucherio q. 3. in Lucam*; vide apud Suarium vbi ſupra, pag. 75. Cæterum Auguſtinus ea, quæ ibi ſcribit de ſanctificatione Baptiſtæ, non aſſerendo ſcribit, ſed diſputando, ſiue dubitando: nam *lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarū cap. 15.* ſatis explicat, Ioannem in vtero matris Chriſtum cognouiſſe. Quare minor noſtræ argumentationis ſatis probata manet. Ea autem ſuppoſita, negari non poteſt, vſum rationis fuiſſe B. Virgini conceſſum in prima ſua ſanctificatione: cum inter omnes cōſtet, omne priuilegium illi eſſe concedendū, quod alicui alij conceſſum fuit.

10. *B. Brigitta.*

In cuius confirmationem accedit, hoc fuiſſe B. Brigittæ reuelatum, vt Carthuſianus, & Barradas referunt, in hæc verba: *Cum anima mea ſanctificabatur, & ſuo corpori iungebatur, tanta animæ meæ aduenit lætitia, vt impoſſibile ſit affatu.*

§. 3.
Solutio argumentorum.

11. *Ad 1. arg.*

AD primum argumentum in oppoſitum negandum eſt, hoc priuilegium vſus rationis in vtero eſſe Chriſto ſpeciale: oppoſitum enim conſtat ex communi doctrina Patrum, dum concedunt Baptiſtæ adhuc in vtero exiſtenti rationis vſum. Non eſt tamen negandum priuilegium iſtud ex longe diuerſo titulo conuenire Chriſto, quam B. Virgini, aut Baptiſtæ conueniat: quoniā Chriſto ratione vnionis hypoſtaticę hoc priuilegium erat debitum; quia & illi debita erat viſio beatifica: at verò B. Virgini, & Baptiſtæ hoc priuilegium mere gratis datum fuit.

12. Ad ſecundum dicimus, rationis vſum abſolute ſumptum non neceſſario pertinere ad ſanctitatem, ne dum ad maiorem ſanctitatem: inde tamen non bene infertur, non oportuiſſe illum B. Virgini donari: quia licet abſolute non ſit neceſſarium; poteſt tamen eſſe ſignum ſingularis cuiuſdam ſanctitatis. In hoc autem ſenſu, conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: cuius probatio ad rem non facit: quoniam maior vitæ lōgitudo nullo modo pertinet ad ſanctitatem: quia nec ſignum eſt maioris, aut extraordinariæ ſanctitatis. *Ad 2.*

Ad tertium admittimus maiorem, ſi intelligatur ſeruato naturali ordine: quod non tollit, quominus in via à Deo alicui valeat concedi, vel intelligere ſine vſu phantaſmatum; vel phantaſmatibus vti, etiam in vtero. 13. *Ad 3.*

ARTICVLVS II.
Quiſnam fuerit iſte actus?

SVppoſita opinione, quod B. Virgo in primo ſuæ conceptionis inſtanti vſum rationis habuit; inquirendum eſt, quiſnam fuerit iſte actus? quæ quæſtio nullam habet difficultatem; omnes enim huius priuilegij authores in hoc cōueniunt, quod talis actus fuit ſupernaturalis, & potiſsimum verſatus circa Deū, & Chriſtum; ita vt cognouerit B. Virgo myſterium Trinitatis, atque etiam Incarnationis filij Dei quoad ſubſtantiam, quanuis non quoad omnes illius circunſtantias. Ita *Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 4. ſect. 6. dicto 2. & 3. pag. 72. col. 1. & 2. & latius diſput. 19. ſect. 1. §. Sed quæret aliquis. pag. 124. col. 2.* conſentiunt *Ouand. ad 3. Scoti diſt. 3. q. 5. pag. 136. & Pitigianis ibidem art. 8. dicto 2. & 3. pag. 148. col. 2.* Et quidem quod actus ille fuerit ſupernaturalis dubitari non poteſt; quia fuit actus à Deo per ſe infuſus. Quod vero fuerit circa Deum, & Chriſtum, non indiget probatione, vt bene aduertit *Suarius in d. diſp. 4. ſect. 6. §. Dico ſecundo*: probari tamen poteſt: tum, quia cum fuerit diſpoſitio ad ſanctificationem B. Virginis viatricis, debuit eſſe actus fidei: quia fides ad ſanctificationē viatoris eſt neceſſaria: 1.

Fuit actus ſupernaturalis circa Deum, & Chriſtum.

Suar. Ouand. Pitigian.

Quod fuit circa Deū.

cum

cum *ſine fide impoſsibile ſit placere Deo*; iam vero fides principaliter verſatur circa myſterium Trinitatis, & Incarnationis: tum etiam; quoniam Baptiſta per actum fidei, & Deum cognouit, & Chriſtum: tum tertio; quia & Angeli, & Adamus in ſua prima ſanctificatione hunc actum habuerunt. Quod is fidei actus in ea fuerit perfectus, docet *Suarius in dicta diſput. 19. ſect. 1.* vbi oſtendit, talem actum non fuiſſe perfectum perfectione intenſiua: quoniam B. Virgo, ſicut ſemper creuit in gratia, & in cæteris virtutibus, ita etiam ſemper creuit in fide; fuiſſe tamen perfectum quoad hoc, quod in ea omnem dubitationis motum excluſit: etenim ſtatim à principio caruit omni motu fomitis, vt oſtendimus in præcedenti quæſtione tertia. Fuit etiam perfectus circa obiecta in hoc ſenſu, vt fides illa fuerit explicita myſterij Trinitatis: quia talis cognitio neceſſaria eſt ad primariam fidei perfectionem: fuit etiã explicita myſterij Incarnationis quoad ſubſtantiam illius; quod. ſ. Verbum diuinum carnem humanam erat aſſumpturũ: nam hæc etiam cognitio pertinet ad primariam fidei perfectionem. Non fuit tamen perfectus quoad omnes illius myſterij circunſtantias: quia nec tunc cognouit, ex quanam fœmina carnem deberet aſſumere; nec quo tempore, aut quo loco: denique nec quoad alia plurima: & inde eſt, vt B. Virgo ſucceſſu ipſo temporis plurima obſeruaret, & ſecum conferret, quæ ignorabat, vt patet ex Euangelio.

3. *Quemodo fuit perfectus? Suarius.*

ARTICVLVS III.

An actus rationis in B. Virgine permanſerit?

Conſequenter inquirendum eſt; an actus rationis, qui in primo conceptionis inſtanti fuit in B. Virgine, fuerit in ea permanens? Negantem partem probauit *Caietan. 3. p. q. 27. art. 4.* vbi docet, D. Thomam, quando negauit, B. Virginem in vtero habuiſſe rationis vſum, intelligendum eſſe de vſu, actuq; permanente: hoc enim priuilegium ſolus Christus habuit. Sentit igitur Caietanus, actum rationis, qui in B. Virgine in prima ſui conceptione admittitur, non fuiſſe in ea permanẽtem, ſed ſolum tranſeũtem. Et hunc dicendi modũ probabilẽ eſſe, ſcribit *Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 4. ſect. 6. § Sed obijci poteſt, pag. 77. col. 2. A.* vbi ait, ſatis eſſe, quod B. Virgo per actualẽ, tranſeuntem tamen, reuelationem habuerit vſum rationis, tum in primo conceptionis inſtanti; tum poſtea in vtero pro alicuius temporis, & occaſionis opportunitate.

1. *An ... erit perm... ſes?* 1. *opinio Caiet. negat.* *Suarius cõſentit.*

Oppoſitam tamen ſententiam probarũt omnes Theologi, qui hac de re ſcripſerunt: ita *Bernardin. Senenſ. ſerm. 55. de B. Virgine cap. 2. art. 1. latè Bellomont. 2. tom. ad 3. p. diſp. 119. cap. 4. per totum*; *Ioannes Ouand. ad 3. Scoti diſt. 3. q. 5. concl. 3. pag. 136. Franciſcus de Pitigianis ad eundem locum art. 8. in 4. dicto*: hanc ſententiam eſſe longe probabiliorem ſcribit *Suar. in dicta diſp. 4. ſect. 7. dicto 4. pag. 76. col. 2.* Deniq; *Barrad. tom. 1. Concordiæ lib. 6. cap. 3. §. Quarta gemma, pag. 472. col. 1.* ¶ Quam opinionem puto eſſe veriſsimam, & Patrum doctrinæ ſatis conſentientem. Primo; quia hoc conceſſum fuiſſe Baptiſtæ expreſſe ſcribit *Ambroſius lib. 2. in Luc. in cap. de mora Mariæ cum Eliſabetha*: cuius verba refert, & ſatis expendit Bellomontanus, atque etiam *Origenes homil. 8. & 9. in Lucam*: cuius etiam verba habes apud eundem Bellomontanum. Deinde, quia ſatis id colligitur ex eo, quod Beata Virgo, cum trium eſſet annorum, & in templo præſentaretur, perfectiſsimũ habebat rationis vſum; adeo vt ſimul cum parentibus ſeſe Deo obtulerit; prout refert *Ludulphus Carthuſianus 1. part. de vita Chriſti cap. 2.* & ſatis colligitur ex Gregorio Nyſſeno *in oratione de Chriſti natiuitate, & ex Damaſceno lib. 4. fidei cap. 15.* cũ pluribus alijs, quos vide apud *Canniſiũ lib. 1. de Maria Deipara cap. 12*: vide etiã *D. Antoninum 1. p. ſuæ hiſtoriæ titulo 4. c. 6.* Cum vero Sancti Patres perfectũ vſum permanentem ex eo concedant Baptiſtę, quia in tenera ætate in eremum ſe contulit, vt patet ex *Chryſoſtomo homil. 38. in Matthæum, & ex Origine homil. 9. in Lucam. & ex Nicephoro lib. 1. hiſtoriæ cap. 14*:

2. *Oppoſita ſentẽtia eſt communis.* *Bernard. Senenſis. Ouand. Pitigian. Suar.*

3. *Placet authori.* *Ambr.* *Origen.* *Confirmatio.* *Ludulph. Nyſſenus.* *Damaſc. Canniſius. Antonin.* *Chryſoſt. Origenes. Niceph.or.*

non

non ſine fundamento nos etiam talem rationis vſum B. Virgini à principio collatum in ea fuiſſe permanentem, affirmabimus: maximè cum hoc priuilegium dignitati B. Virginis maxime ſit conſentaneum; & dona Dei ſint ſine pœnitentia.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm B. Virgo per vſum rationis ſeſe ad gratiam diſpoſuerit?

1. VLtimo loco inquiremus; vtrum B. Virgo fuerit in vtero ſanctificata per propriam diſpoſitionẽ; ita vt ipſa ſeſe ad gratiam præparauerit? De hac difficultate latius, quam cæteri diſputat *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 4. ſect. 8.* & poſt eum explicat *Ouandus ad 3. Scoti diſt. 3. q. 5. §. Ex dictis conſtat*: & latius *Franciſcus de Pitigianis ad eundem Scotum art. 9*: de hac etiam re agit *Bernardinus Senenſis in dicto ſerm 55. de Virgine cap. 3.* Qui omnes in parte affirmatiua conueniunt: non tamen omnes eodem modo explicant, quo diſpoſitionis modo ſe diſpoſuerit. Et pro huius rei explicatione aduertit Suarius, duobus modis intelligi poſſe, B. Virginis ſanctificationem per propriam factam eſſe diſpoſitionẽ. Vno modo; vt hæc diſpoſitio ſit præparans ipſam ad receptionem habitus gratiæ: altero modo; vt diſpoſitio illa non ſit præparans, ſed perficiens, & conſummans ipſam ſanctificationem. Inter vtramque diſpoſitionem hoc intereſt, vt diſpoſitio præparans non fiat ab habitu, ad quem diſponit: ab eo tamẽ fiat diſpoſitio perficiens, & conſummans. Dubitant igitur præcitati authores, quonam modo Beata Virgo ad ſanctificationem ſe diſpoſuerit? an diſpoſitione præparante? an vero ſolum perficiente, & conſummante? Quidam hanc; alij illam ſequuntur opinionem.

Suarius. Ouandus. Pitigian. Bernardi. Senenſis.

Duplex diſpoſitio.

2. *Præmiſſũ.* Pro reſolutione illud præmitto, nomen diſpoſitionis propriè ſumi pro diſpoſitione antecedente, & præparante ad formam: nam diſpoſitio formam concomitans, ſiue conſeruans, propriè loquendo, non eſt diſpoſitio. Quare, ſi propriè loquendum eſt, ſenſus quæſtionis erit, an B. Virgo per ſuum actum ſe præparauerit, & diſpoſuerit ad recipiendam gratiã; qua in primo conceptionis inſtanti fuit ſanctificata? Nam in hoc ſenſu intelliguntur ſimiles aliæ quæſtiones, an ſcilicet Chriſtus Dominus ſe ad gratiam diſpoſuerit, & præparauerit? an Angeli, & Adamus in inſtanti ſuæ creationis ſe ipſos præparauerint ad gratiam, in qua ſunt creati?

Quæſtione igitur in hoc ſenſu excitata, duas inuenio oppoſitas ſententias: vnam affirmatiuam; alteram negatiuam. Affirmatiuam defendit Suarius vbi ſupra, & poſt eum Pitigianis, qui eam tribuit Bernardino de Senis. Sed ego puto oppoſitum eſſe longe probabilius, & cedens in maiorem B. Virginis honorem. Quam ſeutentiam poſtea inueni apud *Bellomontanum 2. tom ad 3. p. diſp. 119. c. 6. num. 53*: etenim ad illius perfectionem pertinet, quod primus actus liberi arbitrij, fuerit maximè perfectus: iam vero perfectior eſt actus procedens ab habitu, quam ille, qui ab habitu non procedit: ob quam rationem diximus, Chriſtum Dominum non habuiſſe gratiam per aliquã diſpoſitionem præcedentem; quam ſententiam latè confirmauimus in materia de merito Chriſti, & rurſus apud *Scotum in 2. diſtin. 4. & 5. in materia de Angelis*; quam probauerunt *Richardus, & D. Bonauentura in 3. diſt. 18.* cum alijs ibidem citatis: quam etiam probauit *Suar. 1. tom. ad 3. p. diſp. 40. ſect. 2 in fine*; & nouiſsimè *Ouandus ad 3. Scoti diſt. 13. q. 2. in propria hac quæſtione*. ¶ Hac autem ſuppoſita opinione non video, cur B. Virgini hanc perfectionem (quam tãquam perfectionem habuit filius) non tribuamus: cui id, quod eſt dignius, concedendum eſt. 4.

3. *Duæ opiniones.*

Opinio authoris.

Bellomon.

Richard. D. Bonau. Ouand. Suarius.

Reſolutio. Dicimus igitur, B. Virginem ſtatim à primo inſtanti ſuæ conceptionis habuiſſe vſum liberi arbitrij circa myſteria Trinitatis, & Incarnationis Verbi: actum tamen illum non præceſsiſſe infuſionem gratiæ, qua eſt ſanctificata; ſed ab ipſa gratia fuiſſe elicitum, ſicut de Chriſto concedimus, & de Angelis, atque Adamo concedit probabilior opinio.

Ex qua reſolutione infertur, primum 5.

actum

Corollar. de merito primi actus. actum liberi arbitrij, quem ſtatim in primo inſtanti conceptionis habuit, fuiſſe meritorium; non quidem gratiæ ſibi collatæ, quia ab ea profectus eſt; ſed gloriæ: de quo vide *Suar. in d. diſp. 4. ſect. 8. ad fin.* §. *Ex hac doctrina infertur, & Pitigianum in dicto art. 9. in fine.* Et de his ſatis diximus, vt huic libro finem imponamus. *Suar. Pitigian.*

QVÆSTIO V. & Vltima.

ARTICVLVS VNICVS.

De nonnullis alijs priuilegijs gratiæ B. Virgini collatis in prima ſanctificatione.

1. PRO perfectione huius libri de effectis gratiæ, qua Beata Virgo in primo inſtãti ſuæ conceptionis fuit præſeruata ab originali, ſunt hoc loco breuiter explicanda nonnulla alia priuilegia, quæ ſimul cum illa gratia fuerunt illi conceſſa.

§. 1.

Habuit maiorem gratiam, quam cæteri.

2. *Maiorem præ cæteris omnib⁹ gratiã habuit.* DIcimus igitur primo, *B. Virginem maiorem gratiam præ cæteris omnibus obtinuiſſe.* Ita ſcribit D. Thomas *3. p. q. 27. art. 5. & in 3. diſt. 3. q. 1. art. 2. quæſt. 3.* & multis alijs in locis: & eſt doctrina apud omnes indubitata. Quæ primo probatur ex verbis Angeli Lucæ 1. *Aue gratia plena.* (*Luc. 1.*) Quæ verba exponens Author ſermonis de Aſſumptione Virginis apud Hieronymum, Sophronius, (*Sophron.*) inquam, ita ait: *Bene gratia plena: quia cæteris per partes præſtatur gratia; Mariæ vero ſe totam ſimul infudit plenitudo gratiæ.* Et quamuis locus iſte ſolum intelligatur de gratia, qui eſt Chriſtus, quem totum ſimul concepit: tamen ex illis verbis colligitur ratio, qua vtitur D. Thomas *in d. art. 5*: nam ſi Beata Virgo in vtero concepit totum authorem gratiæ, qui eſt Chriſtus; *Gratia enim & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ioan. 1. vtique Beata Virgo proximius, & intimius acceſſit ad authorem gratiæ, quam cæteri omnes: & ſubinde maiorem cæteris omnibus gratiam accepit: etenim ex vulgata philoſophia, quo quis magis appropinquat principio in quolibet genere, eo magis participat de principio illius generis: ob quam rationem Angeli Deo propinquiores de diuinis bonitatib⁹ magis participant, quam Angeli ordinis inferioris, vt ait *Magnus Dionyſius de cæleſti Hierarchia cap. 4. ante medium.* (*Dionyſius.*) Quare cum B. Virgo cæteris omnibus ſit propinquior Chriſto, qui eſt totius gratiæ principiũ: vtique maiorem præ cæteris gratiam accepit. Quæ reſolutio ex dicendis magis patebit.

§. 2.

Habuit gratiæ plenitudinem.

3. *Habuit gratiæ plenitudinem, & quomodo?* DEinde dicimus, *B. Virginem habuiſſe gratiæ plenitudinem.* Hæc propoſitio aſſerta eſt ab Angelo Luc. 1. *Aue gratia plena*: vnde ita ſimpliciter prolata eſt, de fide: eſt tamen ita explicanda, vt in ea ſimpliciter non ſit tota plenitudo gratiæ; quia hæc ſoli Chriſto debetur, cui ratione vnionis hypoſtaticæ debetur plenitudo gratię capitalis, â quo, tanquam â capite in membra, deriuetur, iuxta illud Ioan. 1: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre; plenum gratiæ, & veritatis.* (*Ioan. 1.*) Et ſtatim additur: *& de plenitudine eius omnes accepimus.* Quare plenitudo gratiæ Beatæ Virginis non fuit plenitudo capitis gratiæ; ſed plenitudo membri gratiam â capite recipientis: fuit igitur in ea gratiæ plenitudo plenitudine ſtatus: quia in ea ſemper fuit tota gratia, quam ſinguli illius ſtatus poſtulabant. Vnde talis plenitudo non eſt intelligenda de plenitudine intenſionis ipſius gratiæ; nec de plenitudine omnis priuilegij: quia (vt dicemus) illa ſemper in gratia profecit; & diuerſa pro diuerſitate ſtatus priuilegia obtinuit.

§. 3.

Habuit gratiam ſanctificantem ſimul cum omnibus virtutibus, & dotibus Spiritus Sancti.

4. *Habuit gratiam cũ omnib⁹ virtutibus, & donis.* TErtio dicimus, *B. Virgini datam fuiſſe gratiam ſanctificantem ſimul cum omnibus virtutibus per ſe infu-*

ſis, & omnibus Spiritus Sancti donis. Hoc eſſe certum affirmat *Suarius in dicta diſp. 4. ſectione 2. §. Primo ergo certum eſt*, & cum ea doctrina ſit indubitata, & aſſerta ab Athanaſio, & Bernardo, ſatis ſint ea, quæ affert *Suarius*, & poſt eum *Pitigianus ad 3. Scoti diſt. 3. art. 10. §. Dico ſecundo*: apud quos videbis, vtrum in ea datæ fuerint virtutes, quæ aliquam ſupponunt imperfectionem; quales ſunt pœnitentia, continentia, & aliæ huius generis virtutes. *Suarius. Pitigian.*

5. *Habuit gratias gratis datas.* Fuerunt etiam illi conceſſæ omnes gratiæ gratis datæ: quamuis omnium illarum vſum non habuerit: de quo vide *Pitigianum vbi ſupra, §. Dico tertio.*

6. *Habuit omnes virtutes morales.* Habuit etiam omnes virtutes morales: de quo vide *Suarium in dicta ſect. 2. §. Secundo addimus*; & *Pitigianum in dicto §. Dico tertio.*

§. 4.

Non habuit gratiam conſummatam patriæ.

7. *Nō habuit gratiā conſummatam patriæ.* QVarto loco dico, *B. Virginem non accepiſſe in via gratiam conſummatam patriæ*: etenim per ſe fuit viatrix: & ideo non fuit ſemper beata viſione diuinæ eſſentiæ; quia hoc proprium fuit Chriſto. Et quia hoc etiā eſt indubitatum, ſatis ſit lectorem remittere ad *Suarium in dicta diſput. 4. ſect. 1. in principio.* Vtrum autem in via fuerit illi communicata viſio clara diuinæ eſſentiæ? explicauimus in noſtro 2. tomo de Beatitudine animæ. Vbi vide. *Suarius.*

§. 5.

Non ſtatim accepit gratiam ſumme intenſam.

8. *Nō ſtatim accepit gratiā ſumme intenſam.* QVinto loco dicimus, *B. Virginem in prima ſanctificatione non ſtatim accepiſſe gratiam ſummo intenſam: eam tamen accepiſſe longe intenſiorem, quam vllus aut Angelus, aut homo in prima ſanctificatione acceperit. Imo etiam accepit gratiam intenſiorem ſuprema gratia, quam aut Angeli, aut homines in tota via acceperunt, & in cœlo habent.* Hæc reſolutio quoad duas priores partes ab omnibus recipitur; quoad tertiam vero non recipitur à *Caietano 3. p. q. 27. artic. 5.* Quam tamen puto eſſe veriſsimam: ſed quia hoc latiorem poſtulabat diſcuſsionem; & tempus eſt, vt huic libro finem imponamus; ſatis ſit remittere lectorem ad ea, quæ doctiſſimè ſcribit *Suarius in dicta diſput. 4. ſect. 1. §. Tertio addo; vſque in finem*: quem per omnia ſequitur *Pitigianus loco citato artic. 11.* quem vide. *Non recipitur Caietan. Suarius.*

§. 6.

Nunquam ceſſauit ab actu.

9. *Nunquam ceſſauit ab actu.* SExto loco dicimus, *Veriorem eſſe ſententiam, quæ docet, B. Virginem à primo inſtanti conceptionis, in quo vſum rationis habuit vſque ad finem vitæ nunquā ab eo ceſſaſſe: nec eum vnquam interrupiſſe.* Hanc opinionem latè defendit *Ioannes Ouandus ad 3. Scoti diſt. 3. quæſt. 5. art. 1.* & pro ea refert *Albertum Magnum in lib. de Virgine cap. 176. 177. & 197*: eamque confirmat authoritate *Ruperti Abbatis lib. 5. in Cantic. in principio, & Bernardini Senenſis ſerm. 51. artic. 1. & Bernardini de Buſto in ſuo Mariali 3. p. ſerm. 1. pag. 3.* & tandem confirmat tum ratione, tum ex quibuſdam Auguſtini verbis. Ad quam ſententiam fere accedit *Suar. 2. tom. ad 3. partem diſp. 18. ſect. 2*: quamuis addat, ſi aliquando vſus rationis in ea fuit interruptus, hoc fuiſſe per breuiſsimum tempus. *Ouand. Alb. Magnus. Rupertus. Bernardinus Sen. Buſti. Suar.*

10. *Sēper profecit in merito. Ijdē, qui ſupra. Caniſius. Ouandus.* Inde infert, B. Virginem pro tota vita ſemper profeciſſe in merito. Quod etiam affirmant *Albertus Magnus vbi ſupra, Sanctus Antoninus 4. part. ſuæ hiſtoriæ, titulo 15. cap. 20. §. 6. Bernardinus de Buſto 4. p. ſerm. 9. §. vltimo, Caniſius lib. 5. de Maria Deipara cap. 1. & Ioannes Ouandus vbi ſupra in dicta quæſtione 5. artic. 1.* Quomodo autem ſemper profecerit, latiſsime explicat *Suar. 2. tom. ad 3. partem diſput. 18. ſect. 4. §. Tertio conſiderandum*: affirmans, actum ſequentem duplo merito præcedentem ſemper exceſiſſe. Vide illum, vt intelligas, Beatam Virginem in fine vitæ perueniſſe ad immenſam, & vix comprehenſibilem gratiæ intenſionem: & ita immenſam, vt non ſolum fuerit longe intenſior, quam ſit in ſupremis *Suari[us].*

Ange-

Habet maiorem gratiam omnibus Sāctis, & Angelis collectiuè ſumptis.

Suar.

Morales.

Angelis, & hominibus ſanctiſsimis diuiſiue ſumptis (quod certiſsimum eſt) ſed etiam fuerit intenſior, quam ſit in omnibus Angelis, & hominibus collectiue ſumptis, vt multis oſtendit idem *Suarius in d. diſp.* 18. *ſect.* 4. §. *Dico ſecundo*, quem omnino vide, & teſtimonia, quæ adducit. Eandem piam doctrinam latiſsimè confirmat *Petrus Morales lib.* 3. *de Chriſto & Maria tract.* 9. *concl.* 2. *à num.* 18. *pag.* 226. 227. *cum ſequentibus*, quem etiam vide: vide etiam *Henriquez de fine hominis cap.* 10. *& Barradam lib.* 6. *ſuæ Concordiæ cap.* 10. *ad finem, pag.* 525. *col.* 1. *cum ſequētibus*. Videndus eſt *D. Bonauentura in ſpeculo B. Virginis cap.* 3. *&* 7. vbi illud Eccleſiaſtic. 1: *Omnia flumina intrant in mare*, explicat de fluminibus Sanctorum introeuntibus in ipſum mare B. Virginis: illa etiam verba *in plenitudine Sanctorum detentio mea*: denique illa Prouerb. 31. *Multæ filiæ congregauerunt ſibi diuitias; tu vero ſuperegreſſa es vniuerſas*: vniuerſas, inquam, non diuiſiue, ſed collectiuè ſumptas.

Henriq.

Barradas.

D. Bonau.

Eccleſiaſt. 1.

Prouerb. 31.

11\.

Solus Deus nouit gratias Beatæ Virginis, ex D. Berdo.

Damaſc.

Et vt rem concludamus; cum ſolus Deus cognoſcat numerum gratiarum, & perfectionum Beatæ Virginis, vt affirmat *D. Bernardus ſerm.* 15. *de feſtiuitatibus eiuſdem Virginis*: & cum illa verè ſit abyſſus gratiæ, vt teſtatur *Damaſcenus Orat.* 1. *de Aſſumptione*, finē huic articulo imponamus, quia ad finē gratiarū illius nunquam peruenire poſſemus. Et pro omnium laudum concluſione, remitto Lectorem ad Præfationem, quam initio huius Tractatus poſuimus cum B. Virgine loquentes.

¶ Et ita impoſitus eſt finis huic libro quarto, & toti diſputationi de immaculata Conceptione Beatiſsimæ Virginis.

LAVS DEO,
& Beatæ Virgini.

CONIMBRICÆ,

Cum facultate Superiorum.

Apud Didacum Gomez de Loureyro Vniuerſitatis Typographum. Anno Domini 1617.

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
Quæ in hoc opere explicantur.

GEn. 3. *In quacunque die comederis, morte morieris. fol.* 271. *n.* 23.

Ibid. Inimicitias ponam inter te, & mulierẽ; ipſa conteret caput tuum. fol. 143. *nu.* 33. *& deinceps, & fol.* 281. *nu.* 28. *&* 29. *& deinceps.*

Gen. 15. *Congregatus eſt ad populum ſuum fol.* 52. *nu.* 15.

Gen. 17. *Paruuli pactum* Dei *irritum fecerunt fol.* 37. *nu.* 6.

Ibid. Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo fol 49. *n.* 1. *&* 2. *& deinceps. & fol.* 51. *n.* 12.

Ibid. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, & omne maſculũ in generationibus veſtris. fol. 49. *nu.* 5.

Gen. 47. *Dormiam cum patribus meis. fol.* 52. *n.* 15.

Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitũ, quod aperit vuluam, &c. fol.* 3. *n.* 8.

Cap. 19. *Sanctifica illos hodie, & cras. ibi.*

Cap. 128. *Quæ obtulerunt, & ſanctificauerũt filij Iſrael in cunctis muneribus, & donarijs ſuis. ibidem.*

Cap. 31. *Qui polluerit Sabbatum meũ, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima eius de medio populi ſui. fol.* 50. *num.* 6.

¶ *Leuit.* 17. *Quaſi ſi ſanguinem fuderit, ſic peribit de medio populi ſui ibid.*

¶ *Tertio Reg.* 1. *Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores. fol.* 46. *n.* 3.

3. *Reg.* 10. *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, &c. fol.* 279. *n.* 18.

Ibid. Duæ manus hinc, & hinc tenebant ſedile. ibid. n. 19.

Ibid. Et non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. ibid. n. 20.

3. *Reg.* 11. *Dormiuit cum patrib. ſuis. fol.* 51. *num.* 15.

¶ *Primo Eſther* 15. *Quid habes Eſther? ego ſum frater tuus, noli metuere, non morieris; non enim pro te, ſed pro omnibus, &c. fol.* 102. *n.* 71. *& ſeqq. & fol.* 105. *nu.* 85.

¶ *Iob* 3. *Expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ. fol.* 144. *num.* 34. *& fol.* 283 *nu. n.* 35.

Ibid. Obtenebrentur ſtellæ eius caligine fol. 283. *nu.* 36.

¶. *Pſalm.* 45. *Sanctificauit tabernaculum ſuũ Altiſsimus. fol.* 284. *nu.* 41.

Pſalm. 77. *Eduxit illos in nube diei. fol.* 195. *num.* 35.

Pſalm. 84. *Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. fol.* 144. *nu.* 35. *& fol.* 285 *num.* 44.

Pſal. 86. *Fundamenta eius in montib. ſanctis. fol* 144. *nu.* 35. *& fol.* 285 *nu.* 46.

Pſal. 88. *Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, &c. fo.* 144. *n.* 37. *& deinceps, & fol.* 285. *nu.* 41.

Pſal. 118. *Præuaricãtes reputaui omnes peccatores terræ. fol.* 47. *col.* 2. *in principio.*

Pſal. 120. *Dominus cuſtodiat introitum tuũ, & exitum tuum. fo.* 285. *nu.* 45.

¶ *Prou.* 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum fol.* 284. *n.* 40.

Prou. 31. *Non extinguetur in nocte lucerna tua. fol* 103. *n.* 73.

¶ *Eccleſiaſtes cap.* 7. *Virum de mille vnum reperi: mulierem autem ex omnibus non inueni. fol.* 288. *n.* 58.

¶ *Cant.* 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. fol.* 286. *nu.* 47.

Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, &c. fol.* 145. *nu.* 40.

Ibid Hortus concluſus ſoror mea ſponſa. fol. 286. *nu.* 49.

Cant. 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? fol.* 145. *nu.* 41.

¶ *Sap.* 7. *Eſt enim ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum; & luci comparata inuenitur prior. fol.* 285. *num.* 43.

Sap.9.Sapientia ædificauit ſibi domum.fo. 25. *nu.*6.

¶ *Eccleſiaſtic.* 42. *Sol illuminans per omnia reſpexit & gloria Domini plenum eſt opus eius fol.*285.*num.* 42.

¶ *Iſai.*2. *Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium .fol.* 25 *nu.*6.

Iſai. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, &c.fol.*280. *n* 21.

¶ *Hierem.* 1. *Antequam exires de vulua ſanctificaui te,&c. Explicatur de ſanctificatione per prædeſtinationem tantum; fol.* 18.*nu.*8. *Et de ſanctificatione per gratiam habitualem. fol.*20.*nu.*15. *& ſequentib.*

¶ *Ezech.*43. *Hæc eſt lex domus: Omnis finis eius in circuitu ſanctum ſanctorum. fo.* 145.*n.*38 *& fol.*280.*num.* 23.

Ib. In quacunque die fuerit fabricatum, vt offeratur ſuper illud holocauſtum.fol 280. *num.*23.

¶ *Dan.*4. *Succidite arborem,&c. Veruntamẽ germen radicum eius ſinite. fol.*280.*num.* 24.*& deinceps.*

Dan. 12. *Plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia. fol* 256. *nu.* 18.

Ib. Et multi dormientium in terræ aggere exurgent. fo. 265. *nu.*16.

¶ *Oſeæ* 6 *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me fo.* 48 *num.* 1.

¶ *Ioel.*2. *Deus præcepit filijs Iſrael,vt Eccleſiam ſanctificarent. fol* 3 *nu.*8.

¶ *Matth.*11. *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta fo.*192.*n.*32.

Matth. 12. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? &c. fol* 394. *& deinc latè.*

Matth 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues,quæ perierunt,domus Iſrael.fol.*57.*n.*7 *&* 8.

*Matth.*20.*Venit dare animam ſuam pro multis fol.*264.*nu.*16.

Matth. 26. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur. ibidem.*

¶ *Luc.* 1. *Aue gratia plena: benedicta tu inter mulieres.fol.* 146.*n.*43.*& fol.*286.*n.* 50.*& deinceps.*

Ib. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? fol 383.*num.*35.*& deinceps. Ex Auguſtino fol.*384. *nu.*37. *Ex Ambroſio.nu* 36.*Ex Bernardo.nu.*38.*Et alio ſenſu ex alijs Patribus.fol.* 385.*num.* 41.

Ib. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo fol. 58. *nu.* 10.

*Luc.*2.*Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.fol.* 387.*nu.*48.*& deinceps latè. Et verus ſenſus.fol* 390.*nu.* 56.

*Ib. Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis, &c.fol.*397.*nu.* 89.

¶ *Ioan.*2. *Vinum non habent fo.*390.*nu.*57.

Ib. Quid mihi,& tibi mulier? ibid.

¶ *Rom.*5 *In quo omnes peccauerunt.fol.*37. *nu.*6.*& latè, fol.*44.*nu.*1.*& deinceps.*

Ib. Si ex vnius delicto multi mortui ſunt. fol. 45 *col.*2 *nu* 2.

*Ib. Sicut per vnius delictum in omnes homines.fol.*46.*num.*3. *Et latè.fol.*265.*n.*25. *& deinceps.*

*Ib. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi. fol.*37.*nu.* 9 *& latè.fol.*46 *col.*2.*nu.*3.

Ib. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. fol. 353.*n* 2.

Rom. 14. *Nequis diem iudicet. fol.*13 *num.* 26.

¶ *I.Cor.*15. *Non prius quod ſpirituale eſt, ſed prius quod eſt animale, deinde quod eſt ſpirituale. fol.*30.*n.*8.

Ib. Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. fol. 47. *col.* 1.*in princ. Et explicatur de morte corporali; quæ duplex aſsignatur fol.*56. *n* 4.

2.*Cor.* 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt,&c fo.* 57.*nu.*6.

¶ *Galat.* 1. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, vt reuelaret,&c.fol.*20.*nu.*18.

Galat. 4. *Obſeruari dies, annos, & tempora. fol.*13 *nu.* 27.*ad fin.*

¶ *Epheſ.* 2. *Eramus natura filij iræ.fol.*272. *num.* 27.

¶ *Coloſ.* 2. *Nemo vos iudicet in cibo,&c.fo.* 13.*num.*27.*ad finem.*

¶ *Hebr.* 9. *Vt animam ſuam det pretium redemptionis pro multis. fol.*264.*n.*16.

FINIS.

IN-

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ In hoc volumine continẽtur, ordine alphabetico digeſtus.

A.

Academiarum generalium authoritas. fol 324.n.12.

Academiæ omnes immunitatẽ B.Virginis ab originali acriter defendunt.fo. 324.n.12.

Academia Pariſienſis obligat iureiurando Doctores ſuos in ſuſceptione Doctoratus ,ad defendam ſemper B Virginis immunitatẽ ab originali .fol.324. n.14.

¶ Actio peccaminoſa,& macula inde reſultans, in omni peccato quomodo differant? quem inter ſe ordinem ſeruent? & quomodo ſubiectum denominent? fol.66.n.24 & deinceps.

Actio peccaminoſa, & macula inde reſultans quomodo in peccato originali inueniãtur? fol 66.n.28 & fo. 113.n.10.

¶ Adamus caput hominum à Deo conſtitutus; & in quo ſenſu id ſit intelligendum? fo. 40 n.2.& fo.71.n 43.

Adamus cum gratia ſanctificante fuit creatus. fol.2.nu.7.

¶ Ætas B.Virginis fol. 177.num.29 & deinceps.

¶ Alligatio liberi arbitrij ad primam regulã ne poßit peccare,quomodo fiat? fol 443 num. 5.

¶ Ambroſij regula, Qui ſine originali concipitur, ex commiſtione viri, & fœminæ non concipitur; explicatur. fol.194.n.37.

¶ And eæ Apoſtoli verba pro immunitate Virginis ab originali fol 194n.32.& 33.

¶ Angeli creati ſunt in gratia. fol.2.n. 7.

¶ Anima B Virginis non prius fuit ſanctificata,quã corpori eius infuſa fol 353 n 2.

Animam deleri de populo ſuo , in Scriptura Sacra quid ſit? fol 50.n.6.

¶ Anſelmus pro immunitate Virginis ab originali. fol.189.n 17.

¶ Antecedens neceſſariũ quando inferat neceſſario ſuum conſequens? fo 442 nu.82.

¶ Antiquitas feſti Conceptionis,& ſententiæ, quæ fauet immunitati B.Virginis ab orig. fol.248.n.8.& 9 & fol.257.n.23 & fo. 292.n.15.& deinc.& accuratius,fo.317.à num.215.

¶ Appetitus ſenſitiuus eſt ſubiectum fomitis peccati .fol.400.n.18.

Appetitus ſenſitiuus vt eſt rationalis per participationẽ,ſibi relictus, toto impetu fertur in bonum ſenſibile præter rectam rationẽ. fol 401.nu.22.in fine.

¶ Apponi ad Patres ſuos, quid in Scriptura Sacra ſignificet? fol 52.n.15.

¶ Apoſtoli ſoli electi, & deſtinati ſunt à Deo pro fundanda Eccleſia fol.183.n.56.

Apoſtoli nõ omnia fidei dogmata ſcripta tradiderunt. fo.183.n.57.Nec tam clare omnia propoſuerunt , vt ab omnibus poſſent intelligi. ibi.n.58 Vide,Fides.

In die Pentecoſtes fuerunt cõfirmati in gratia ne peccare poſsẽt mortaliter f.447.n.10.

Concilia aliqua celebrarunt ante mortem B. Virginis. ſol.176.n.25.

Eorum conuentus ad componendum Symbolũ, & prædicatores per orbem dimittẽdos, fuit vera Synodus.fol.176 n.25. ad finem.

Quomodo, & quando, Symbolum compoſuerunt? ibidem.

Probabile eſt,eos, antequã ad prædicandum diſpergerẽtur, articulos Symboli per modũ Cathechiſmi explicuiſſe. fo.180.n.38.

Natiuitatem Virginis fuiſſe ſanctam docuerunt.fol.184.n.52.Et eam nunquam peccaſſe actualiter. ibid.

Probabile eſt,eos etiam diffiniiſſe immunitatem Virginis ab originali in ſui Conceptione : & quibus ad id duci poſſent occaſionibus? fo.180.n 40 & ſequentib.

¶ Arbor à Nabuchodonoſor viſa, Dan.4. & iuſſa ſuccidi,&c. B Virginis immunitatẽ ab originali figurat.fol.280.n.24.

¶ Arca teſtamenti figura Conceptionis immaculatæ. fo 279.n.17.

¶ Argumentũ pro immunitate Virg. ab originali,deſumptũ ex celebratione feſti Conceptionis,an ſit ſatis efficax? fol. 289 à n 1.Et vera reſolutio fo.292.n. 14.& deinceps:

ceps:ſed præcipue fol.301.n.53.& deinc.
Argumentum pro eadem immunitate ex inſtitutione Monialium ſub titulo Conceptionis immaculatæ, an ſit ſatis efficax? fol. 319.à n.4.
Argumentum pro eadem ex communi fidelium conſenſu fol.320.n.1. & deinceps.
Argumentum pro eadem ſumptum ex reuelationibus, an ſit ſatis efficax? fol.331.n.1.
Argumentum infallibile fidei ſumi non poteſt ex Patrum dictis pro immunitate B. Virginis à macula originali, aut contra illam. fol 253. n.8.
Neque ex communi fere recentiorum Theologorum conſenſu, antequam Apoſtolicæ Sedis iudicium interponatur. fol. 254. n. 14.& deinceps.
¶ Articulos Symboli ab Apoſtolis per modũ Cathechiſmi fuiſſe explicatos antequam ad prædicandum diſpergerentur, probabile. fol.180. n.38.
¶ Aſcenſus Pauli in Hieruſalem de quo ipſe ad Gal.2. eſt idem de quo Lucas Act.15. fol.174.n.24. Et quo tempore contigerit? fol.173. n.23.
Vltimus Pauli aſcenſus in Hieruſalem quo tempore contigerit? fol.174.n.24.
¶ Aſſumptio Virginis quomodo ab Auguſtino probata. fol.413.n.26.
¶ Auguſtinus liberans B. Virginem ab originali. fol.203.n.70.& deinceps.
Auguſtinus ab omni quæſtione de peccato B. Virginem excipiens, tam de originali, quã de actuali intelligendus eſt. fol. 204. n. 73.& deinceps.
Auguſtini regula de neceſſaria, & mutua cõſecutione peccati originalis, & actualis, quomodo intelligenda? fol.205.n.81.& ſequentib.
¶ Authores exiſtimantes, B. Virginem contraxiſſe originalem maculam. fol. 156. à n.1. Et eorum rationes.n.5.& deinceps.
Authores contendentes, B. Virginem in Adamo non peccaſſe. fol.53.à num.1. Et varij modi, quibus propoſitio hæc defenditur. fol.54.n.5. Omnes impugnantur. fol.59. à num.1.
Authores defendentes immaculatam Virginis Conceptionem. fol.157.n.15.& deinc.
Authores qui dee ndunt, B. Virginem in Adamo peccaſſe. fol.55.à n.1.
Authores exiſtimantes, immunitatem B. Virginis ab originali, ſacris literis repugnare, & eorum fundamenta. fol. 259. n.1. & ſequentib. Soluuntur fundamenta. fol.261. à n.8.& plenius. fol.288.à n.55.
¶ Authoritas Academiarum generalium in ijs, quæ ſpectant ad fidem, & diuinum cultum. fol.324.n.12.
Authoritas reuelationũ S.Brigittæ. fol.333. n.9.& ſequentib. Et quod ſit maior quam authoritas reuelationum S. Catharinæ Senenſis. fol.334.n.15.
Authoritas Eccleſiæ ſimpliciter ſine diffinitione aliquid affirmantis, aut approbantis, anteponenda eſſet cõmuniori Patrum ſententiæ, ſi forte in contrarium propenderet. fol.299.n.44.
¶ Authoritates Patrum vniuerſales de peccato originali quomodo explicandæ? fol. 243.n.172.

B.

Bamba rex Conceptionis immaculatæ deuotiſsimus. fol. 327. n. 26.
¶ Bandellus errat turpiter dum ait, ex ſolo Patrum conſenſu eſſe de fide, quod B.Virgo contraxerit originale, & oppoſitum damnat vt hæreticum. fol.254 n.11.
¶ Baptiſta fuit in vtero matris ſanctificatus. fol.21.n.23. Et in gratia confirmatus, ne, etiam venialiter, peccaret, vt plures volũt. fol.452.n.10. Cum ſanctificatione accepit vſum rationis. fol.454.n.6.& 7.
¶ Baſilienſe Concilium an ſit legitimum? fol. 170.n.8.
Baſilienſe Concilium non diffiniuit controuerſiam de immaculata Virginis conceptione; nec, etiam ſi diffiniret, id eſſet de fide. fol. 170.n.6. Prior pars probatur.n.7.& poſterior.n.8.
¶ B.Virgo. Vide Maria Virgo.
¶ Bernardus pro immunitate B. Virginis ab originali. fol.190. n.21. & deinceps.
Oppoſitum docuit alibi fol.238.à n.148 Sed præcipuè n. 150. Et vtram controuerſiæ partem prius habuerit, aut poſterius? fol. 240. n.158. & deinceps.
Contra B. Virginis immunitatem non firmiter, ſed cum trepidatione ſtetit. fol.241.n. 161. Et ſi nunc viueret, immunitatem B. Virginis defenderet. fol. 300. n.47.
¶ S.Brigitta fuit vere canonizata. fol.332. num.8.

Reuelatio ei facta de immunitate B. Virginis ab originali. ibid. n.6.
Veritas & autoritas reuelationum S. Brigittæ. fol. 333.n.9.
Reuelationes S. Brigittæ, & S. Catharinæ Senenſis comparantur. fol.334.n.15.
¶ *S. Bruno pro immunitate Virginis ab originali. fol.190.n.19.*

C.

Caietanus hallucinatur dũ ait, immunitatem B.Virginis ab originali non poſſe de fide diffiniri. fol.254.n.12.
Caietani ſolutiones ad argumẽta pro immunitate Virginis facta reprehenduntur, & refutantur. fol.328.n.31.& deinceps.
¶ *Canonizatio quid ſit? fol. 307. nu.73. Et quibus verbis fiat? fol.305.n.65.*
Canonizatio non perſonis tantum cõuenit, ſed etiam rebus. fol.307.n.73.& 74.
Canonizatio pertinet ad ſolum Summũ Pontificem. ib.n.75.
Canonizatio S.Brigittæ an fuerit legitima? fol.332.n.8.
¶ *Capella Virgini in monte Carmelo à ſucceſſorib. Eliæ dicata in honorem Conceptionis immaculatæ. fol.187.n.8.*
¶ *Captiuitas duplex neceſſario diſtinguenda. fol. 360.n.5. Et vtriuſque differentiæ notandæ. ib.n.6.& 7. Captiuitas formalis adhuc ſubdiuiditur in incompletam, & cõpletam. fol. 361.n.9.*
Captiuitas, quæ ſupponitur ad redemptionem, quomodo debeat eſſe prior illa? fol.359.n.1.& 361.n.12.& deinceps.
Captiuitas, quæ ſupponitur ad redemptionem pure præſeruatiuam, non maculat habentem: maculant vero quæ ſupponuntur ad alias redemptiones. fol.363.n.18.
¶ *Caro peccati quidnam ſit? fol.86.n.36.& fol.94.n.37.& fo.218.n.53.& deinceps.*
Caro B.Virginis fuit caro peccati. fol.56.n.5. & fol.73.n.45. & latius ex Patribus fol. 93.n.33.& deinceps. Eſtque de fide. fol. 219.n.57. Inde tamen non ſequitur, quod B. Virgo peccatum aliquod contraxerit. fol. 219.n.55.
Carnem peccati eſſe eam, in qua culpa fuit, & pœna, ex Auguſtino, quomodo intelligi debeat? fol.219.n.56. vbi alia ſimilia loca explicantur.
Carnem eſſe ex propagine peccati ſatis eſt, vt quis debito præuaricationis Adami ſubiaceat. fol.94. n.38.
Caro perſonæ genitæ prius natura inficitur imputatione culpæ originalis, quam actuali reſultatione maculæ. fol.113.n.10.
Caro perſonæ genitæ nullam habet infectionẽ, niſi ex imputatione culpæ originalis. fol. 113.n.10.
Caro Chriſti Domini nec in parentibus dici potuit culpæ obnoxia. fol.214. num.33. Secus caro, quã Chriſtus aſſumpſit, antequã eſſet caro Chriſti. fol.235.n.136.
Caro B.Virginis non fuit mundata ab immunditia originali ante animæ infuſionem fol. 352.n.4.
¶ *Caſtitas B.Virginis cur in ebore figuretur? fol.279.n.18.*
¶ *Catharinus quomodo defendat, Virginem in Adamo non peccaſſe, & fuiſſe nihilominus à Chriſto redemptam fol.61.n.1.& 2.*
Impugnatur latè. ibid. à n. 3. Et qua cenſura ſit damanda eius doctrina? ibid.n.5. Nec conſequenter loquitur. fol. 69. n. 36. & deinceps.
¶ *Cecilius martyr pro immunitate Virginis ab originali. fol.187.n.9.*
Multis Apoſtolorum Concilijs intereſſe potuit. fol.179.n.37.
A quonam miſſus fuerit in Hiſpaniam, & quo tempore? fol.174.n.25.& 175.n.27.
Eius liber ab aliquibus non recipitur fol.171 n.12.& quas patiatur difficultates? ibid. à n.13. Sed vere eſt recipiendus fol.173. n.22.& difficultates oppoſitæ ſoluuntur. ibid à n.23.
Comminationes, quæ in eo libro habentur in aduerſarios Conceptionis immaculatæ, non ſunt verba diffinitionis à Concilio Apoſtolorum factæ, ſed ipſius Cecilij fol.181. num.48.
¶ *Celebratio feſtorum, etiam ex authoritate Eccleſiæ, non infert, id, quod celebratur, continere doctrinam fidei. fol.171.n.10. Et quando ſit tacita rei celebratæ diffinitio & quando non? ibid.n.11.*
Celebratio feſtorum pertinet ad diuinum cultum, & ad tertium Decalogi præceptum. fol.303.n.60.
Celebratio feſti Conceptionis immaculatæ, etiam ab Eccleſijs particularibus inſtituta, ſatis confirmabat immunitatem Virginis

ab originali. fol. 314. num. 102.
Celebratio feſti Conceptionis ſub titulo immaculatæ, non conuincit, immunitatem Virginis ab originali eſſe de fide. fol. 301. n. 53.
Conuincit tamen, ſententiam, quæ eam fouet, longe eſſe probabiliorem, quam oppoſitã. fol 298. n. 42. & deinceps, latè, & efficacißimè.
Imo conuincit, ſententiam hanc ita eſſe verã, vt falſa eſſe non poſſit, atque adeo ſine vlla formidine partis oppoſitæ. fol. 301. n. 54. & deinceps.
¶ Cenſura omnis propoſitionum in ordine ad fidem ſupponit ſemper veritatem in omni propoſitione, quam, etiam vt fidei tantum conſonam, admittit. & falſitatem in omni propoſitione, quam iudicat modo aliquo à fide diſſonare. fol. 311. n. 90.
¶ Cereus qui in officio maioris hebdomadæ non extinguitur, inextinctã B. Virginis in morte filij fidem ſignificat. fol. 387. n. 49.
Chriſtus Dñs fuit filius Adæ ſecundum corpulentam ſubſtantiam, ſed non ſecundum rationem ſeminalem. fol. 107. n. 97.
Chriſtus quomodo mortuus eſt propter peccatum Adami? fol. 56. n. 4.
Quomodo ſolus Chriſtus mortuus eſt ſine peccato, cum B. Virgo peccatum nullum habuerit? fo. 218. n. 52.
Pro omnibus, & ſolis peccato mortuis mortuus eſt. fol. 57. n. 8. & 9.
Non moreretur pro hominibus ſi Adamus non peccaſſet; quamuis fortaſſe in mundum venturus fuerit etiam eo non peccante. fo. 70. n. 37.
Eius caro an in matre, & maioribus eius dici potuerit peccato obnoxia? fol. 214. n. 33. & fo. 235. nu. 136.
Eius impeccabilitas non tollit eius libertatẽ, etiam in præceptis Patris adimplẽdis. fol. 440. n. 73. & 74.
Matrem non reprehendit cum dixit; Quid mihi, & tibi mulier? fol. 390. n. 59. & deinceps: & fol. 393. n. 71. Nec cũ dixit: Quid eſt quod me quærebatis? &c. fol. 397. nu. 89.
¶ Chryſoſtomus B. Virginem à culpa actuali omnino non liberauit. fol. 223. n. 71. Et quam in ea culpam agnouit? fol. 391. nu. 64. Sed in hoc nimis exceßit. ib. & fo. 395. num. 83.
¶ Comminatio in impugnatores Conceptionis immaculatæ in libro S. Cecilij martyris facta non eſt Apoſtolorum diffinientium, ſed ipſius S. Cecilij. fol. 181. n. 48.
¶ Conceptio hominis duplex. fol. 239. num. 152. & fol. 246. n. 184.
Conceptio B. Virginis fuit immaculata. fol. 160. n. 25. Hoc tamen non eſt de fide fol. 162. n. 4. Et an aliquando fuerit? fol. 169. à nu. 1.
Conceptio Chriſti, & Virginis quomodo differant? fol. 193. n. 26.
Conceptionis feſtum fidelibus ab Eccleſia propoſitum cur non efficiat erroneam ſententiam, quæ eius impugnat ſanctitatem? fol. 171. n. 11.
Conceptio Virginis ſemper fuit celebrata ſub titulo immaculatæ. fol. 294. nu. 23. & fol. 328. n. 33. & deinceps. Et oppoſitum aſſerens incurrit excommunicationẽ. fol. 329. nu. 34. Et an hoc ſatis conuincat Virginis immunitatem ab originali? fol. 292. num. 14. & deinceps: ſed præcipuè. fol. 301. n. 53. & 54. & deinceps. Vide. Feſtum.
¶ Concilia aliqua ab Apoſtolis fuerunt celebrata ante mortẽ B. Virginis fol. 176. n. 25.
Cõciliũ illud Apoſtolorũ de quo Act. 15. quo Chriſti anno fuerit celebratum? fol. 174. n. 4. Et quod coactũ fuerit B. Virgine ad huc viuente. fo. 176. n. 26.
Concilium Baſilienſe. Vide, Baſilienſe.
Concilium Tridentinum, Vide Tridentinum.
¶ Confirmatio in gratia excludit poſſe peccare; non tamen excludit non repugnantiam ad peccandum. fol. 430. n. 23. Et quomodo fiat? fol. 443. n. 5. & deinceps.
Non tollit confirmati libertatem. fol. 438. n. 67.
Confirmatus, in gratia inſtãte præcepto, poteſt, abſolute loquendo, actum præceptum non elicere: eũ tamen eliciet infallibiliter. fol. 441. n. 75.
Vide, Impeccabilitas, Liberum arbitrium, & Perſeuerantia.
¶ Confirmatio in gratia data eſt Virgini in prima ſanctificatione. fol. 450. n. 4. Et pertinet ad plenitudinem diſpoſitionis matris Dei fol. 451. n. 6.
¶ Congregari ad populum ſuum, in ſacris literis quid ſignificet? fol. 52. n. 15.
¶ Conſenſus actualis in actũ peccaminoſum

eſt ipſa actualis peccati macula. fol.31. n.9.

Conſenſus communis Academiarum, & Religionum B. Virginem liberat à contractione originalis peccati fol.194.n.31. Item cõſenſus communis fidelium. fol.320. n.1.& deinceps. Et an id ſatis eius immunitatem probet? ibid.

Conſenſus Patrum communis quando faciat certitudinem infallibilem? fol.235.nu.8. & deinceps.

Conſenſus vnanimis Doctorum Eccleſiæ iunioris potius ſequendus, quam communior Doctorum, & Patrum Eccleſiæ antiquioris. fol.256.n.20.

¶ Conſequentia D. Ambroſij: Qui ſine originali concipitur, ex commiſtione viri & fœminæ non concipitur; quomodo ſit intelligenda? fol.215.n.37.

Conſequentia Auguſtini de peccati originalis, & actualis neceſſaria conſecutione adinuicem, explicatur. fol.205. n.81. & ſequentib.

¶ Contradictoriè oppoſita non poſſunt eſſe in vno ſubiecto in eodem temporis inſtanti, etiam pro diuerſis ſignis naturæ. fol.117. n.27.& deinceps.

¶ Contrahere maculam peccati, non eſt idem quod peccare. fol.36.n.6.& fo.60.n.5.

¶ Controuerſia de immaculata Virginis conceptione à Catholicis olim contra hæreticos tantum excitabatur fol.190.num.20. Et quando cœperit inter Doctores Scholaſticos agitari? fo.252.n.16.

Controuerſia hæc eſt materia pertinẽs ad fidẽ, & quæ poteſt ab Eccleſia diffiniri. fo.340. à num.5. Et ſi eſſet diffinienda, pro vtra partiũ diffiniretur. fol.256.nu.17.& fol. 341.nu.11.

Controuerſia hæc quomodo venire poſſit in diſputationes publicas? fo.343.n.1.& 2. Et quomodo in conciones? fol.344. n.5. & deinceps.

¶ Conuerſio Pauli quo tẽpore, aut quo Chriſti anno facta fuerit? fol.173.n.23.

¶ Corpus D. Iacobi à quonam, & quo tempore, in Hiſpaniam fuerit delatũ? fol.175. num.25.

¶ Creatio Adami ex terra nunquam maledicta figuratè probat immaculatam B. Virginis conceptionem. fol.278.n.12.

¶ Creatura rationalis ex principijs ſuæ naturæ habet, quod ſit moraliter defectibilis. fol.360.n.4.

¶ Culpa duplex in omni peccato diſtingui debet. fo.66.n.24. Et vtralibet ſatis eſt, vt nos reddat Deo inimicos. ibi. nu.25. Et in quo differãt? fo.67.n.26. Et vtra ſit prior? ib. n.27. Et vtriuſq; diuerſitas in peccato originali, & actuali. ibid. nu.29.

Culpa actualis, quam in Adamo cõmiſimus, non eſt in nobis actu, ſed reatu, cum concipimur fol.219.n.57.

Culpa, quam in Adamo commiſimus, ex diuina inſtitutione cauſa eſt fomitis in nobis exiſtentis. fol 408.n.10. & fo.418 n.40.

Culpa originalis non fuit remiſſa B. Virgini in lumbis parentũ exiſtenti fo.348.n.4. Sed in inſtanti ſuæ Cõceptionis. fol.354.n.1.

D.

¶ De debito in communi.

DEbitum ad peccatũ originale duplex neceſſario diſtinguendum fol 64.n.16.& fol 81.n.12.& fol.88.n.1. Et vtrum eorum requiratur, vt efficiamur inuiſi Deo, & ſimus capaces redemptionis per Chriſtũ? fol 65 n.22.& fol 66.n.23. & fol.91.n.24 & fo.98.n.52.& deinceps.

¶ De debito peccandi ratione naturæ.

¶ Debitum ad peccandum in Adamo ratione naturæ tantum non ſufficit vt quis dicatur à Chriſto redemptus fol.58.n.11.& 68. n.32 & 98.n.52. Nec vt reddat nos Deo inimicos fol.65.n.22.& 98.n.52.& ſequentib.

Tribus modis à quibuſdã dicitur nobis ineſſe. fol 98.n.51.

Poteſt eſſe ſimul cum gratia ſanctificãte, vt de facto eſt in iuſtis non confirmatis in gratia. fol.98.n.54.

Nõ poteſt dici eſſe ab Adamo. fo.81.n.15. Et probatur fol 82.à n.16.

Quomodo differat à debito peccandi orto ex peccato Adami? fol.68.n.51.

¶ De debito proximo & remoto.

¶ Debitum proximum & remotũ, quid apud varios ſignificent? fol 92.num 26.& fol. 108. àn 1. Expenduntur eorum declara-

tiones fol. 109. à n. 6. Et vera debiti proximi, & remoti declaratio aſſignatur. ibid. à n. 9. Et quodnam eorum in B. Virgine ſit admittendum? ibi. n. 11. Et quomodo in ea admitti debeat? fol. 111. n. 6. & deinceps.

Debitum remotum duplex, proximum vero vnum tantum admittendum. fol. 109. n. 9.

¶ De debito peccandi in B. Virgine.

¶ Debitum peccandi in B. Virgine nullum fuiſſe, non eſt in fide tutũ aſſerere, etiã admiſſo, quod in Adamo non peccauerit. fol. 82. n. 18.

Debitum etiam contrahendi peccatum originale in ea non fuiſſe, non eſt tutum aſſerere fol 80. n. 11. & fol 85. n. 28. Disputatur latè de eius probabilitate fol. 79. nu. 1. & deinceps.

Aliqui in ea admittunt debitum peccandi in Adamo, docentes tamen, eam actu in illo non peccaſſe: & quomodo id explicent? fo. 65. n. 21.

Quomodo Caietanus debitum contrahendæ originalis maculæ in B. Virgine explicet? fol. 372. n. 15. & deinceps. Impugnatur, fol. 373. n. 17. & ſequentib.

Admittendum eſt in B. Virgine debitum contrahendi maculam originalem, ortum ex peccato Adami. fol. 91. n. 24. & deinceps. Et oppoſitum non ſatis tutò in fide aſſeritur. fol. 154. n. 100. Quod tamen debitum in illius perſona intrinſece non fuit, ſed tãtum extrinſece, hoc eſt toto tempore antecedente inſtans Conceptionis. fol. 111. n. 6. & deinceps. Et demonſtratur latiſsime rationibus, & Patrum teſtimonijs. à fol. 114. n. 12. vſque ad fol. 121. excluſiue.

¶ De debito contrahendi peccatum originale.

¶ Debitum contrahendi maculam originalẽ quid ſit? fol. 114. n. 12. Et quomodo ortum habeat ex merito, vel potius, ex demerito Adami? fol. 130. n. 77.

Vaſquius admiſit illud ſimul cum gratia in B. Virgine, etiam poſt inſtans generationis: ſed reijcitur. ibid. n. 78.

Non poteſt eſſe ſimul cum gratia in eodem ſubiecto, etiam pro diuerſis naturæ inſtantibus, ſeu ſignis. fol. 116. n. 21.

Non eſt formaliter relatio, ſed obligatio quædam. fol. 129. n. 77.

Defert ſecum imputationem culpæ in Adamo commiſſæ fol. 117. n. 24.

Non poteſt dici macula, etiam initiata. fol. 124. n. 59.

Dupliciter aufertur; ſolutione, & remiſsione. fol. 130. n. 79. Vnde non eſt in perſona, etiam maculam contrahente, intrinſece, ſed extrinſece. fol. 114. n. 12. Et nihilominus poteſt eſſe perſonæ proprium. fol. 126. num. 65.

Facit debentes inuiſos Deo, etiam antequam in proprijs perſonis maculam contrahant. fol. 365. n. 9.

Sufficit quod exiſtat immediate ante inſtans Conceptionis, vt, etiam impedita per gratiam maculæ reſultantia, reſultet nihilominus fomes peccati, ex lege. fol. 408. n. 9.

Debitum culpæ, & debitum pœnæ, quomodo ſeſe mutuo habeant penes maiorem, aut minorem grauitatem? fol. 106. n. 90.

Debitum qualecunque habendi peccatum ſufficit, vt ab eo præſeruatus dicatur redemptus. fol. 364. n. 7. Non tamen vt debens fiat Deo inimicus. ibid.

¶ Decens eſt, vt filij parentes omni, quo poſſunt, honore afficiant fol. 338. n. 3.

Decens fuit, B. Virginem ante natiuitatem ex vtero ſanctificari: & inde infertur efficaciter fuiſſe ita de facto ſanctificatam. fol. 24. à num. 1.

Decens eſt ea omnia priuilegia B. Virgini cõcedere, quæ ad eius faciunt dignitatem, dũ modo nec dignitati Chriſti derogent, nec fidei repugnent. fol. 411. n. 15.

Decens non fuit, vt immunitas à fomite peccati prius eſſet in Chriſto, quam in alijs, quibus per virtutem Chriſti conceditur. fol. 414. n. 19. & ſequentibus. Et maior ratio de fomite, quam de alijs, quæ nulli, priuſquam Chriſto, ſunt conceſſa. ib. n. 21. & deinceps.

¶ Decentia priuilegiorum omnium B. Virginis, ex Auguſtino, ſufficienter probatur, dum eorum non probatur indecentia. fol. 414. n. 16. Idem conſequenter dicendum de decentia præſeruandi eam à fomite peccati. fol. 413. n. 26. & 27.

¶ Decretum Eccleſiæ canonizantis eſt infallibiliter certum. fol. 36. n. 70. Et oppoſitũ qua ſit dignum cenſura. ibid. & n. 71.

¶ Defe-

¶ Defectibilitas moralis ſequitur principia naturæ creaturæ rationalis. fol.360.n.4.

¶ Deformitas in omni peccato in genere moris vnica, ſed in genere rei eſt duplex; actualis, & habitualis. fo.66.n.24.& f.365. n.10.& 11. Vtralibet ſatis eſt, vt faciat nos Deo inimicos. fol.66.n.25. Et ſunt ſeparabiles. fol.365.n.10.& 11. Et in quo differãt? fol.67.n.26. Et quem inter ſe ſeruẽt ordinem prioritatis, & poſterioritatis? ib. n.27. In peccato actuali ſunt ſimul tempore: ſecus in originali. fol.67.nu.26.& 27. & 28.& fol.365.n.11.

¶ Deleri animam de populo ſuo, in ſacris literis quid ſignificet? fol.50.n.6.

¶ Dependentia fomitis ab originali non eſt naturalis, ſed legalis. fol.407.n.6.& 7.& fol 408.n.10.

¶ Deſitio, & inceptio rerum quomodo fiat? fo. 112. à n.7.

¶ Deuotio fidelium vniuerſalis in feſtum Cõceptionis immaculatæ. fol.328.n.30.

¶ Difficultas ad bonum rationis reſultat ex pronitate appetitus in bonum ſenſibile. fol. 401.nu.23.& fol.423.nu.15.

Aliqua tamen ſæpe naſcitur ex ipſis obiectis honeſtis. ibi.nu.24.

Difficultas ad bonum proueniens ex fomite nõ eſt admittenda in B.Virgine. fol.423.nu. 13. & ſequentibus.

¶ Diſpoſitio proprie ea tantum dicitur, quæ præparat ad formam antecedenter. fo.457. nu.2.

¶ Doctorum perpetuam ſucceſsionem Deus Eccleſiæ promiſit in illius ædificationem. fol.255.n.14. Qui in duplici ſunt differẽtia. ibid. Et quando non poſsint errare in rebus fidei explicandis? ibi.nu.15.

In quocunque tempore habent æqualem poteſtatem cum Doctoribus antiquioribus ad res fidei diſcutiendas, & diffiniendas. ibid.

¶ Doctores Eccleſiæ iunioris quomodo poſſint à Doctoribus Eccleſiæ antiquioris diſſentire? fol.256.n.19.

Doctorum iuniorum conſenſus vnanimis potius eſt ſequendus, quam communior conſenſus antiquiorum. fol.256.nu.20.

¶ Doctores antiqui, qui contra immunitatem Virginis ſenſerunt, ſi nunc viuerent, mutarent ſententiam. fol.335.nu.22. Et qui eã de facto mutarunt. ibi.n.21.in fine.

¶ Doctores Pariſienſes in ſuſceptione Doctoratus iureiurando ſe aſtringunt, ad defendendam ſemper immunitatem Virginis ab originali fol.324.n.14.

¶ Dogmata fidei non omnia ſunt ad ſalutem neceſſaria. fol.181.nu.49. ad finem, & deinceps.

¶ Dominicani non omnes ſequuntur D. Thomam in quæſtione de immunitate Virginis ab originali. fol 327.n.24. Et quinã exiſtiment eam non contraxiſſe originale? fol. 159.nu.23 & fol.326.nu.22.

¶ B. Dominicus tuetur immunitatem Virginis ab originali. fol.201.nu.65.

¶ Domus, & altare, de quibus Ezech. 43. figurant immunitatem B. Virginis ab originali. fol.280.n.22.

¶ Dormire cum Patribus ſuis; quid in Scriptura Sacra ſignificet? fol.52.n.15.

¶ Dubitatio eſt duplex; admirationis, & incredulitatis. fol.385.n.42.& fol.388.nu. 52.

Dubitationem admirationis in B.Virgine extitiſſe in Annunciatione Domini, admitti poteſt; non autem, dubitationem incredulitatis. fol.385.n.42. Sed in paſsione Domini, nec dubitatio admirationis in ea eſt admittenda fol.389.n.52.

E.

EBur cur B. Virginis ſit figura? fol.279. nu.18.

¶ Eccleſia non poteſt errare in inſtituendis Sanctorum ſolennitatibus. fol 9. col.1.per tot.& fol.303.n.58 & ſequentib. Et cur eas inſtituat? fol.10.n.12. Et quidam hac de re hæreticorum error. fol.7.n.5.

Nec poteſt errare in canonizatione Sanctorũ. fol.304.n.63. Et oppoſitum qua notandum ſit cenſura? ibi.n.64.

Nec poteſt moueri ad canonizandũ per probationes à parte rei falſas; & oppoſitũ qua ſit dignum cenſura? fol.305.n.66.

Nec omnino poteſt errare in rebus ad diuinũ cultum pertinentibus. fol.303.n.59.

Cum inſtituit feſtum Sancto alicui, aut myſterio, ſanctitatem eius Sancti, aut myſterij vere canonizat. fol.307. nu.72.

Nihil poteſt de nouo facere de fide. fol.182. num:51.& 53.& fol.183.nu.55.& fol. 276.n.12. Et quomodo de nouo aliquid de fide diffiniat? fo.256.n.18.

Eccleſia celebrando feſtum Conceptionis non approbat immunitatem B. Virginis tantũ vt probabilem, ſed vt infallibiliter certam. fol. 311. n. 91. & deinceps.
Quomodo nihil adhuc de immunitate Virginis ab originali diffiniuit, ſi eam Apoſtoli diffinierunt? fol. 181. n. 49. & deinceps.
Eccleſia iunior æqualem habet poteſtatem cũ antiquiori ad res fidei explicãdas fol. 255. num. 15.
¶ Elephas inter animalia caſtiſsimus; & proinde Ebur B. Virginis accõmodata eſt figura. fol. 279. n. 18. Ad ſecundam fœminam non accedit. ibidem.
¶ Elias ſuis diſcipulis immunitatem B. Virginis ab originali reuelauit. fol. 186. n. 8.
¶ Emmanuel Imperator Conceptionis feſtũ maxime fouit. fol. 327. n. 27.
¶ Encomia Apoſtolorum de B. Virginis puritate, ex Appocalypſi noua B. Amadei; & verus illorum intellectus. fol. 150. nu. 62 & deinceps.
Encomia Sanctorum Patrum de eadem puritate; & verus illorũ intellectus fol. 118. nu. 31. & deinceps, & fol. 147. nu. 52. & deinceps. Vide, Teſtimonia Patrum de puritate, &c.
¶ Epiſcopos poſſe in ſua Diœceſi quod Papa poteſt in tota Eccleſia, quomodo ſit intelligendum? fol. 315. n. 105.
Ante Alexandrum 3. & Innocentium 3. poterant Epiſcopi in ſuis Diœceſibus canonizare. fol. 314. n. 104. Idque ſaltem ex tacita approbatione, & conſenſu Summorum Pontificum fol. 315. n. 105.
¶ Eremitarum S. P. Auguſtini Ordo annis ab hinc pluſquam trecentis, nemine diſcrepãte, immunitatem B. Virginis ab originali vbique terrarum amplectitur, & defendit. fol. 325. nu. 18.
¶ Erroneum nunquam à parte rei poteſt ab errore vendicari fol. 254. n. 13.
Erroneum eſt aſſerere, Eccleſiam errare poſſe in celebratione feſtorum fol. 171. n. 11. Non tamen eſt hæreticum ibi. n. 10.
Erroneum eſt, & forte hæreticum, dicere, ſententiam, quæ B. Virginem ab originali liberat, eſſe erroneam, ſcandaloſam, aut temerariam; vel ſine peccato, ſaltem veniali, teneri non poſſe. fol. 167. n. 22.
Non tamen erit erroneum id dicere de ſentẽtia oppoſita; erit nihilominus falſum, temerarium, & non tolerandũ fol. 168. nu. 23.
Nec erit erroneum aſſerere, quod hæreticum ſit, tribuere B. Virgini peccatum originale; erit tamen falſum, & temerariũ. fol. 166. nu. 16.
¶ Euæ creatio immaculatum B. Virginis Cõceptionem figurauit fol. 278. n. 15.
¶ Euthymius exiſtimauit, B. Virginem non credidiſſe myſterio Incarnationis ſibi annunciato, cum Angelo annuncianti reſpõdit, Quomodo fiet iſtud, &c? fol. 386 n. 46. & deinceps. Eam tamen in hoc à culpa liberat fol. 387. n. 47.
Agnoſcit tamen in illa affectũ vanæ gloriæ, dum in nuptijs defectum vini Chriſto Domino indicauit; Ioan. 2. In quo exceſſit. fol. 391. n. 65. & deinceps.
¶ Exemplum Eliſabethæ ſterilis non fuit B. Virgini ab Angelo in Annunciatione Domini adductum, vt ſe crederet parituram. fol 385. n. 40.
¶ Excipi poterat B. Virgo à regulis generalibus fidei de peccato originali ante Sixtum 4. & Tridentinum. fol. 221. n. 66.
¶ Excommunicationem incurrit, qui aſſerit, feſtum Conceptionis fidelibus ab Eccleſia non prponi celebrandum ſub titulo immaculatæ. fol. 329. n. 34.
Et an incurrat, qui alterutram controuerſiæ, de immunitate Virginis, partem damnat erroris, ſcandali, aut temeritatis? fol. 168. n. 24 & deinceps.
¶ Eximere aliquem, præter B Virginem, à contractione maculæ originalis, etiam ex priuilegio, eſt hæreticum fol. 274. num 4. Et quare? fol. 275 n. 6.
Eximi à præcepto poſito Adamo, & poſteris, etiam ex meritis Chriſti, quomodo potuerit B. Virgo ante præuiſam Chriſti paſſionem? fol. 99. n. 59.
Repugnat, B. Virginem fuiſſe per merita Chriſti exemptam à præcepto, quod poſitũ fuit Adamo, aut ne in ipſo de facto peccaret. ibid. & deinceps.
¶ Explicationes Patrum pro immunitate B. Virginis ab impugnationibus aduerſariorum, præſertim Caietani, defenduntur. fol. 242. à nu. 165. & deinc.
Explicatio triplex propoſitionum vniuerſaliũ Sacræ Scripturæ de peccato originali; & quæ illarum ſit admittenda? fol. 261. num. 8.

F.

FAcultas ab Eccleſia conceſſa opinandi vtramlibet partem alicuius controuerſiæ, non tollit quominus altera partium ſit infallibiliter certa certitudine ad fidē pertinente fol. 313. n. 96.

¶ Ferdinandus Hiſpaniæ rex quanta deuotione fouerit feſtum Conceptionis immaculatæ? fol. 328. n. 28.

¶ Feſtiuitates veteris teſtamēti literaliter ſignificabant ſingulare aliquod beneficiū Hebræis collatum; & ſimul etiam figuræ erāt myſteriorum futurorū fol. 10 n. 14. & 15.

Feſtiuitates Eccleſiæ inſtitutæ ſunt ad ſignificationem myſterij fol. 11. n. 17. Item doctrinæ gratia fol. 12. nu. 21. Et ad bonum regimen ibi. n. 22. Et ad politiam Eccleſiaſticam. ibid. n. 23. At ob ſolam futuri officij deſtinationem nequaquam fol. 14. n. 30.

Feſtiuitates Sanctorum cur ab Eccleſia inſtituantur? fol. 10. nu. 12. Et quid de hoc putent hæretici? fol. 7. n. 5.

Feſtiuitatum inſtitutio, aut celebratio, etiam ex authoritate Eccleſiæ, non ſemper infert id, quod celebratur, continere doctrinam fidei. fol. 171 n. 10. Et quando ſit tacita rei celebratæ diffinitio, & quando non? ibid. n 11.

Feſti Conceptionis antiquitas fol. 317. à nu. 215. Annotatur in Martyrologio D. Hieronimi fol. 318. nu. 220. Et in Kalendario S. Iſidori. ibid. n. 219.

Semper fuit in Eccleſia celebratum ſub titulo immaculatæ, & ab originali præſeruatæ. fol. 294. n. 23. & fol. 328. nu. 33 & deinceps. Et oppoſitum aſſerens incurrit excōmunicationem. fol. 329. nu. 34. Et an hoc ſatis conuincat immunitatem Virginis ab originali. fol. 292. nu. 14. & deinceps. Sed exactius. fol. 301. nu. 53. 54. & deinceps.

Non fuit ſimpliciter propoſitum ab Eccleſia vt celebraretur, ſed pie tantum, & dignū à fidelibus celebrari fol. 171. n. 11.

A Dominicanis olim in tota prouincia Bætica celebrabatur ſub titulo immaculatæ. fol. 260. n. 23. Idque cum Octaua; & ſimiliter in pleriſque alijs eiuſdē Ordinis monaſterijs. fol. 326 nu. 22.

A regibus Catholicis ſumma quondam cum deuotione fuit receptum. fol. 327. n. 26. & deinceps.

¶ Fides eſt fundamentum Eccleſiæ. fol. 183. num. 56. Plura eius dogmata non ſunt ad ſalutem neceſſaria. fol. 181. nu. 49. & deinceps.

Articulum nouum fidei non poteſt Eccleſia facere à Chriſto, aut Apoſtolis non traditum fol. 183. nu. 55.

Multa fidei dogmata ab Apòſtolis verbo tantum ſunt tradita. ibid. nu. 57. Et quæ ad ſalutem non vſque adeo erant neceſſaria, non ita diſtincte ab illis ſunt propoſita, vt ab omnibus poſſent intelligi. ibidem. n. 58.

Dogmata fidei ab Apoſtolis tradita quomodo certitudinem fidei poterant amittere? fol. 184. n. 59.

Quæ fidei dogmata oporteat explicitè credere; & quæ ſufficiat credere implicitè? fo. 184. num. 60.

Fides B. Virginis ſemper, etiam in morte filij, inextincta, qua cæremonia ab Eccleſia in officio maioris hebdomadæ ſignificetur? fol. 387. n. 49.

¶ Figuræ ex Scriptura Sancta pro immunitate Virginis ab originali fol 278 à nu. 11.

¶ Filiatio ab Adamo vnde habeat vim transfuſiuam maculæ originalis. fol. 113. n. 10. & fol. 128. n. 73. & deinceps.

¶ Flexibilitas ad malum formaliter eſt ipſa peccandi potētia ſeu peccabilitas fol. 427. n. 12. Neque eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij, neque proprietas eius, ſed defectus ab eo ſeparabilis. fol. 428 n. 14. & fol. 448. n. 17. Poteſt auferri, etiam à viatore. fol. 427. n. 10.

De fomite peccati in communi.

¶ Fomes peccati quid ſit? Variæ opiniones. fol. 398. col 2. à nu. 2. Vera reſolutio fol. 400. nu. 22. Idem eſt quod concupiſcentia. fol. 399. nu. 12. Non eſt formaliter peccatū. ibid. num. 11. Nec eſt de intrinſeca ratione illius quod ſit ex peccato. fol. 401. nu. 25. Pendet tamen in fieri, ex inſtitutione diuina, à peccato originali, non autem ex natura ſua. fol. 407. n. 6. & 7.

Poteſt de lege eſſe in eo, qui non cōtraxit maculam originalem. fol. 407. n. 5.

Debitum maculæ originalis contrahendæ immediate antecedens inſtans conceptionis ſufficit, vt fomes de lege ordinaria reſultet. fol. 408. num. 9.

Cur de facto ſit pœna peccati in Adamo commiſſi? ibid. nu. 11.
Eius cauſa non eſt macula, quam contrahimus in proprijs perſonis; ſed culpa actualis, quã in Adamo commiſimus. fol. 408. nu. 10. & fol. 418. nu. 4.
Subiectum eius eſt appetitus ſenſitiuus. fol. 400. nu. 18. & fol. 402. art. 3. nu. 1.
Eſſet in homine creato in puris naturalibus. fol. 401. n. 27. & fol. 407. num. 7. Et æque tunc in malũ inclinaret atque nunc inclinat. fol. 402. nu. 61.
Non cauſat difficultatem ad bonum, niſi quia inclinat ad malum. fol. 423. nu. 15.
Non eſt idem cum vitio naturæ quatenus eſt transfuſiua originalis peccati in prolem quam naturaliter generat. fo. 424. n. 5.

De ligatione, & extinctione fomitis.

¶ *Fomitem ligari, quid ſit? fol. 402. artic. 4. n. 1. Et quomodo ligari poſſit? fol. 403. n. 2. & deinceps.*
Ligari totaliter, & non totaliter, quid ſit? fo. 402. art. 4. n. 1.
Fomes poteſt, etiam in via, totaliter ab homine tolli. fol. 403. nu. 3. Et quomodo? fol. 404. num. 1. & deinceps.
Poteſt etiam ligari quin totaliter extinguatur. fol. 417. n. 34. Nec deſunt rationes vt ita ſæpe fiat. fol. 418. nu 34.
Non poteſt extingui per ſolas virtutes, etiam in gradu perfectiſſimo, niſi Deus maiorem aliquam virtutem eis addat, quam ex natura ſua habeant. fol. 405. n. 7.

De fomite in ordine ad B. Virginem.

¶ *Fomes peccati, an fuerit in B. Virgine? Variæ opiniones. fol. 406. nu. 11. & 12.*
Si contraxit originale, ſequitur habuiſſe fomitem ibid. n. 13. Non tamen ſequitur, quod ſi originale non contraxit, nec fomitem habuerit. fol. 407. nu. 5. & ſequentibus.
Si aliquando in ea fuit, non manſit ſemper, ſed in ſecunda ſanctificatione fuit extinctus. fo. 419. n. 2 Nunquam tamen fuit ſolutus. fo. 421. n 4. Nec fuit ablatus ante Conceptionem Verbi, ſed poſt eam, ex mente D. Thomæ fol. 417. nu. 32.
Probabilius eſt, fomitem nunquam in B. Virgine fuiſſe, ſed in prima ſanctificatione penitus fuiſſe ſublatum. fol. 413. num. 24.
¶ *Fons ſtatim à principio irrigans Paradiſũ, figurat Conceptionem Virginis immaculatam. fol. 278. nu. 17.*
¶ *Formido de oppoſito tolli poteſt ſine certitudine fidei. fol. 316. n. 213.*
¶ *Fratres Minores Conceptionis immaculatæ defenſores indefeſſi. fol. 319. num. 3. & fol. 322. nu. 4. Vide, Minores.*
¶ *Frutex, & germen appellari cõmode poſſunt peccatum originale, & actuale, per figuram. fol. 200. nu. 54.*
¶ *Fulbertus pro immunitate Virginis ab originali. fol. 188. nu. 15.*
¶ *Fundamentum ædificij B. Virginis eſt eius Conceptio. fol. 285. n. 46.*
Fundamentum Eccleſiæ eſt fides. fol. 183. nu. 56.
Ex hominibus ſoli Apoſtoli pro fundanda Eccleſia deſtinati. ibid.

G.

Generatio quomodo habeat vim transfũdendi peccatum, vel gratiam in poſteros; & quomodo dici poſsit munda, vel immunda, tum ratione principij, tum etiam ratione termini? fol 71 n. 41. & 42.
Generatio ab Adamo quomodo, aut vnde vim habeat transfuſiuam maculæ originalis? fol 113. nu. 10. & fol. 128. n. 73. & deinceps.
¶ *Germen, & frutex; peccatũ actuale, & originale fol. 200. nu 54.*
¶ *Gloria parentum cedit in honorem filiorũ. fol. 338. nu. 3.*
¶ *Gloſſæ tres, quibus Sanctorum authoritates de peccato originali, pro immunitate B. Virginis explicantur. fol 242. nu. 166 Defẽduntur ab impugnationibus Caietani; prima; fol. 243. n. 172 & deinceps. Secunda; fol. 244. nu. 177. & deinceps. Tertia; fol. 245. nu. 181. & deinceps.*
¶ *Gratia ſanctificans, & iuſtificans in quò differant? fol 62. num. 6.*
Gratia præſeruans à contractione peccati in quo differat à prima iuſtificatione per merita Chriſti? fol. 142. nu. 26.
Gratia iuſtificans includit remiſsionem culpæ; & ſanctificationem perſonæ: & quomodo. hæc duo ſeſe mutuo habeant? fol. 113. nu. 11. & fol. 127. num. 69. Et qua ratione ſit

remiſſiua; & qua ſanctificatiua? fo. 131. n. 84.
Gratia iuſtificans ex inſtitutione diuina ſupponit perſonam in ſe ipſa conſtitutam, & exiſtentem. fol. 353. num. 3.
Gratia iuſtificans omnibus Adami poſteris de facto eſt neceſſaria, vt ab originali liberentur. fol. 349. nu. 12. & deinceps. Etiam B. Virgini. fol. 58. nu. 12.
Gratia, ad vincendum peccatum, non ſupponit, illud actu ineſſe. fol. 220. nu. 58.
Non poteſt eſſe ſimul tempore cũ debito culpæ originalis contrahendæ, etiam per ordinem ad diuerſa naturæ inſtantia. fol. 116. nu. 21. & ſequentib.
Solam animam emundat, & ſolam ſpiritualẽ nequitiam expellit. fol. 374. nu. 21.
Recipi non poteſt, niſi in creatura rationali in propria perſona exiſtente. fol. 349. nu. 9.
Gratia ſanctificans, quomodo habeat rationẽ doni perſeuerantiæ? fol. 444. num. 9. Et vnde virtus hæc ei adueniat? ibid. n. 11.
Gratia accepta per ſacramenta, & opera bona, cur non ſufficiat ad homines in bono confirmandos? fol. 441. nu. 76.
¶ Gratia confirmationis excludit à libero arbitrio poſſe peccare; non tamen excludit non repugnantiam ad peccandum. fo. 430. nu. 23.
Collata fuit Beatæ Virgini in prima iuſtificatione. fol. 450. num. 4. Et pertinet ad plenitudinem diſpoſitionis Matris Dei. fo. 451. nu. 6.
¶ Gratia redemptionis Chriſti per ſe ſupponit mortem peccati. fol. 62. à num. 6. & fol. 139. num. 23. Et ideo ſemper incipit à contrario. fol. 62. num. 13. Et ſolos comprehendit inimicos. ibidem num. 15. Diciturque reconciliatiua. ibid. num. 8. Et pacificans. ibid. n. 9. Et propitians. ib. nu. 10. Et iuſtificatiua. ibid. num. 11. Et viuificatiua. ibid. num. 12. & fol. 96. nu. 47. Eſtque hoc de fide. ibid.
¶ Gratiæ B. Virginis quomodo probandæ, ex Auguſtino? fol. 411. n. 15.
Gratiæ omnes, & priuilegia quibuſcunque Sanctis concessa longe perfectius Beatæ Virgini ſunt donata. fol. 23. num. 32. & deinceps.
Gratiæ omnes ſunt illi concedendæ, quæ eius commendant dignitatem, dummodo dignitati Chriſti, aut fidei non repugnent. fol. 411. num. 15.
Gratia præueniens non eſſet ei neceſſaria ad non contrahendam maculam originalem, ſi in Adamo non peccaſſet. fol. 58. num. 12. & latius. fol. 72. n 45. & deinceps. Item ſi debitum eam contrahendi non haberet ortum ex peccato Adami fol. 101. n. 64. & ſequentibus.
Gratia, qua fuit ab originali præſeruata, fuit reconciliatiua. fol. 353. num. 4. Et in ipſo Conceptionis inſtanti animæ illius infuſa. fol. 354. num 1. Non prius, etiam natura, quam anima infunderetur corpori. fol. 353 à num. 2. Prius natura fuit culpæ remiſſiua, quam ſanctificatiua perſonæ. fol. 374. num. 23. in fine.
Fuit illi gratia confirmationis. fol. 450. num. 4.
Gratiæ plenitudo quomodo aliter in Chriſto, aliter in B. Virgine? fol. 200. num 55. & 56. Et quomodo B. Virgo ſemper fuerit gratia plena? fol. 458 num. 3.
Semper profecit in gratia. fol. 459. num. 10.
Habuit gratiam intenſiorem, quam ſit in omnibus Angelis, & hominibus puris, etiam collectiue ſumptis. fol. 460. num. 10.
Gratia, quam accepit in ſecunda ſanctificatione, fuit longe perfectior ea, quam accepit in prima. fol. 451. num. 7.
¶ Gratia ſacramentalis quid ſit? fol. 444. n. 10.
¶ Guillelmus Pipinus Dominicani Ordinis pro immunitate Beatæ Virginis ab originali. fol. 159. numer. 23. & fol. 326. num. 22.

H.

Hæreſim nunquam poteſt continere, quod ſemel Eccleſia ſolenniter feſti celebratione colit. fol. 342. num. 13.
¶ Hæretici negantes immunitatem B. Virginis ab omni culpa actuali. fol. 375. nu. 1. Et eorum fundamenta. ibidem. num. 2. & deinceps. Sed damnantur. fol. 377. num. 8. Et eorum fundamenta ſoluuntur. fol. 383. num. 35. & deinceps.
Hæreticorum impudentia, Summos Pontifi-

ces, & Patres Tridentinæ Synodi ignorantiæ inſimulantium. fol. 260 nu. 7.
Hæretici quidam recentiores, propter feſtum Conceptionis à Catholicis celebratum, exiſtimant, immunitatem B. Virginis ab originali ipſis eſſe de fide. fol. 170. n. 9.
¶ Hæreticũ eſt aſſerere, hæreſin eſſe, aut peccatũ mortale, credere, aut tenere, quod B. Virgo ſine originali fuerit concepta. fol. 164. num. 9. Et vera huius rei probatio. ibidem num. 12.
Non tamen erit hæreticum dicere, hæreſin eſſe, quod fuerit concepta cum originali. fol. 166. n. 16.
Erit nihilominus falſum, & temerarium; & quare? ibidem.
An ſit hæreticum, ſententiam, quæ B. Virginem ab originali liberat, damnare tanquam erroneam, ſcandaloſam, aut temerariã; vel peccatum, etiam veniale, continentem. fol. 167. num. 22. Et an eam ita damnans ſit excommunicatus? fol. 168. num. 24.
Hæreticum non erit aſſerere, Eccleſiam errare poſſe in celebratione feſtorum. fo. 171. nu. 10. Erit tamen erroneum. ibidem nu. 11.
Hæreticum eſt, aliquem, præter B. Virginem, à contractione originalis maculæ, etiam ex priuilegio, eximere. fol. 274 nu. 4.
¶ Hieremias an fuerit in vtero matris ſanctificatus? fo. 16. nu. 3. & deinceps. Vtraque pars defendi poteſt. fol. 18 n. 11. Sed affirmatiua longe eſt probabilior. fo. 19 n. 12.
¶ Holcoth Ordinis S. Dominici pro immunitate Virginis ab originali. fo. 326. n. 22.
¶ Homogenitus poteſt in inſtanti cõceptionis conſiderari ſine macula originali; non tamen ſine culpa actuali in Adamo commiſſa; & quare? fol. 68. n. 29.
Poteſt etiam toto tempore antecedente inſtans generationis concipi cum ſola actione peccati in Adamo cõmiſſi; idque ſatis eſt, vt concipiatur inuiſus, & inimicus Deo. ib. num. 30.
¶ Hugo Cardinalis Ordinis S. Dominici pro immunitate Virginis ab originali. fo. 159. num. 23.

I.

Iacobus Apoſtolus pro immunitate Virginis ab originali. fol. 194. n. 33.
Quo tempore obierit; & à quonam, & quando, corpus eius in Hiſpaniam ſit delatum? fol. 175. nu. 25.
¶ S. Idiota pro immunitate Virginis ab originali fol. 188. num. 14.
¶ S. Ildephonſus pro immunitate Virginis ab originali. fol. 187. nu. 10.
¶ Immaculata in quo ſenſu B. Virgo à Patribus communiter dicatur? fol. 196. n. 39.
¶ Immunitas B. Virginis ab originali an repugnet ſacris literis; Et quinam repugnare arbitrentur? fol. 259. nu. 1. & 2.
Eorum fundamenta. ibidem nu. 3. Soluuntur. fol. 261. à n. 8. Et magis in forma. fo. 288. à nu. 55. Confirmatur figuris Scripturæ Sacræ. fol 278. à n. 11. Et locis myſtice intellectis ex eadem Scriptura. fol. 281. à n. 28. Et alijs locis intellectis ſpiritualiter. fo. 284. à num. 39.
Fuit ab Apoſtolis tradita; & quando? fol. 179. num. 38. Et quomodo certitudinem traditionis, & fidei in Eccleſia ſemper non obtinuit? fo. 138. n. 54. Et quomodo nihilominus intelligendum ſit, eam ab Eccleſia nondum fuiſſe diffinitam? fol. 181. nu. 49. & deinceps.
Pertinet ad fidem, & poteſt de ea diffiniri. fol 340. à num. 5. Et pro ea moriens eſſet vere martyr fol. 343 n. 16.
Solos hæreticos quondam habuit aduerſarios. fol. 190. nu. 20.
Redditur infallibiliter certa, & vera, ex eo, quod in Eccleſijs particularibus olim feſtum Conceptionis celebrabatur ſub titulo immaculatæ. fol. 314. numero 102.
Satis efficaciter probatur ex celebratione feſti Conceptionis. fol. 292. num. 14. & deinceps. Sed præcipue; fol. 301. num. 53. 54. & deinceps. Et huiuſmodi feſti celebratione non iudicat Eccleſia, immunitatem hanc eſſe tantum probabilem ſed infallibiliter certam. fo. 311. n. 91. & deinceps.
Confirmatur efficaciter miraculis. fol. 336. n. 1. & deinceps.
Confirmatur efficaciter reuelationibus de ea factis. fol. 332. num. 6. & fol. 334. nu. 16. & 17. & fol. 335. num. 19.
Confirmatur rationibus. fol. 337. nu. 1. & deinceps. Et omnes ad vnam reducuntur. fol. 338. num. 3.

Confirmatur ſatis efficaciter ex inſtitutione Religionis Monialium facta ſub titulo Cōceptionis ĩmaculatæ. ſ.319.n.4. & deinc.

Immunitas B. Virginis a b originali non continuo infert, eam fuiſſe immunem à fomite peccati. fol.407.nu.5. & ſequentib.

Immunitas ab originali eſt ſuprema inter omnes ſāctitatis, & puritatis excellentias, quæ hominibus poſſunt conferri. fol. 338. n.4.

¶ *Immunitas carnis Chriſti D. à fomite nullā habet cauſalitatem reſpectu noſtræ liberationis ab eodem fomite. fol.414.nu.20.*

Immunitatem a fomite non decuit prius extitiſſe in Chriſto quā in cæteris, quemadmodum decuit immortalitatem, & alia. fol. 414. n.19. Et diuerſa ratio in fomite, atq; in cæteris. ibid.nu.20. & deinceps.

¶ *Impeccabilitas formaliter ſumpta, quid ſit? fol. 425.col. 2. nu.1. Data eſt Virgini in prima ſanctificatione. fol.450.nu.4.*

Dupliciter poteſt conuenire. ibid.n.2.

Creaturæ rationali non poteſt eſſe naturalis. fol. 426. num. 4.

Pertinet ad plenitudinem diſpoſitionis Matris Dei. fol. 455. nu. 6.

Poteſt per gratiam conferri viatori. fol.427. nu.10.

Conciliatur cum libertate. fol.438. n.67. & deinceps.

Eſt donum Dei. fol. 426. num.3.

Impeccabilitas Chriſti non tollit eius libertatem. fol.440. nu.73. & 74.

¶ *Imputatio culpæ in Adamo comiſſæ eſt cauſa, vt in perſona genita reſultet macula originalis cum primum gignitur. fol. 113. n.10. & fol. 128.n.73. & deinceps.*

Prius natura eſt in perſona genita, quam reſultet macula. fol.113. num.10.

Non poteſt exiſtere in eodem inſtanti temporis in ſubiecto cum gratia ſanctificante. fo. 116.nu. 21.

¶ *Inceptio, & deſitio rerum quomodo fiat? fol. 112. à nu. 7.*

¶ *Inclinatio appetitus in bonum ſenſibile eſt naturalis quædam illius perfectio per ſe à natura intenta. fol.400.n.19.*

¶ *Indecens nihil in B. Virgine admittendum docent Patres. fo.421. n.4. & deinceps.*

¶ *Infallibilia eſſe docet fides, quæ Eccleſia non ſolum diffin[illegible] ſed etiam abſque diffinitione indicat eſſe in fide certa, aut pietati fidei conſona: quæ proinde falſa eſſe, aut improbabilia nunquam poſſunt. fol.165. num. 14.*

¶ *Infectio nulla eſt in carne perſonæ genitæ, niſi quæ illi prouenit ex imputatione culpæ in Adamo commiſſæ. fol. 113. num 10.*

¶ *Inobedientia actualis, quam in Adamo cōmiſimus, non eſt in nobis actu, ſed reatu, cū concipimur. fol.219. nu. 57.*

¶ *Inſtans in quo primum aliquid eſt, & res ipſa in eo primum exiſtens, reſpiciuntur ab ijs, quæ in eo non ſunt, ſed immediate ante fuerunt. fol. 112.n.6. in fine; & fol. 126. num.64. in fine.*

Idem temporis inſtans non poteſt eſſe vltimum eſſe, & primū non eſſe, eiuſdem rei, etiam in ordine ad diuerſa inſtantia naturæ. fol. 112.num.8. & fol.114.n. 14. & deinceps.

¶ *Inſtitutio feſtorum, etiam ex authoritate Eccleſiæ, nō infert, id quod feſto celebratur continere doctrinam fidei. fol.171. n.10. Et quam vim habeat ad veritatem rei celebratæ confirmandam? ibid.n.11.*

¶ *Interdictum poſitum, ſuſpenditur in feſto Conceptionis, & per Octauam, vt in feſto Corporis Chriſti. fo.324.n.10.*

¶ *Interrogatio facta poſt promiſſionem, etiā per hæc verba, Vnde hoc ſciam? non arguit, dubitare eum, qui ſic interrogat. fo.385.n. 39.*

¶ *Ioannes 1. & 2. Aragoniæ reges feſti Cōceptionis immaculatæ deuotiſſimi. fol. 327.nu.27. & deinceps.*

Ioannes de Sono Ordinis S. Dominici ab Innocentio 7. punitus; quia prædicauit populo contra B. Virginis immunitatem; & coactus ſententiam illam, & doctrinam, publice coram eodem populo retractare. fol. 295.num. 28. Et ſpecialius. fol. 323. num.8.

Ioannes de Veri Ordinis etiam Sancti Dominici Doctor Pariſienſis, ab Academia Pariſienſi lata ſententia punitus, quod contra immaculatam Conceptionem populo prædicauerit. fol. 324.num.14.

Ioannes Baptiſta. Vide, Baptiſta.

Ioannes de la Penha Ordinis S. Dominici pro immunitate Virginis ab originali. fol. 326. num.22.

¶ *Iuo Carnotenſis pro immunitate Virginis ab originali. fol.190.n.20.*

¶ *Iuſtificatio, & ſanctificatio quomodo differant? fol.62.n.6.& fol.139.n.23.*
Iuſtificatio duas includit mutationes; & quomodo illæ inter ſe differāt? fol.113.n.11. & fol.127.n.69.& fol.366.num.12. Et vtra ſit prior altera? fol. 113.num.11.& fol.127.n. 69. Et qua ratione iuſtificatio ſit remiſsiua culpæ; & qua, ſanctificatiua perſonæ? fol.131.n.84.
¶ *Iuſtitia Chriſti iuſtificat omnes, non tantū quoad ſufficientiam, ſed etiam quoad efficaciam. fol.271.num.25.*
¶ *Iuramentum ab Academia Pariſiēſi præſtatur omnibus Doctoratus gradum ſuſcipientibus, de defendēda ſemper immunitate B.Virginis ab originali. fol.324.n.14.*

L.

L*Aurentius Iuſtin. pro immunitate Virginis ab originali. fol. 160.n.23. & fol. 192.n.29.& fol.326.n.22.*
¶ *Laus deſumi poteſt ex ſola libertate contradictionis. fol.439.num.71.& 72.*
¶ *Leges per ſe primo intendunt actum, non vero obligationem: ſed obligatio ex lege reſultat. fol. 270. num. 22.*
¶ *Leonardus de Vtino Ordinis S. Dominici immunitatem Virginis ab originali latè defendens. fol.160.n.23 & fol. 191.num. 27.& fol.326. num. 22.*
¶ *Liber S.Cecilij cum ſuis laminis à pluribus vt authenticus non recipitur. fol.171.nu. 12. Et quas patiatur difficultates? ibidem, à n.13. Vere tamen eſt recipiendus. fol. 173.n.22. Et ſoluuntur difficultates oppoſitæ. ibidem nu.23.& deinceps.*
Libri aliqui traditi ſunt Eccleſiæ ab Apoſtolis vt canonici, de quibus tamen poſtea fuit dubitatum, an eſſent canonici; & vnde id prouenerit? fol. 184.num.59.
Liber B.Dominici ter in ignem coniectus, & ſemper illæſus. fol.202.col.1.in principio.
¶ *Liberatio omnis à prima damnatione, ſiue ſecundum corpus, ſiue ſecundum animam, eſt ex virtute Chriſti. fol.414.n.18.*
¶ *Libertas duplex; quoad exercitiū, & quoad ſpecificationem. fol. 439.num. 68.*
Libertas quoad ſpecificationem eſt duplex; quoad ſpecificationem contrariam, & quoad diſparatam. ibid.
Libertas, etiam creata, non includit eſſentialiter indifferentiam quoad ſpecificationem contrariam. fol.439.69.
Libertas Chriſti D. etiam in præceptis adimplendis, conciliatur cum eius impeccabilitate. fol. 440.n.73.& 74.
Libertas confirmatorum in gratia conciliatur cum eorum impeccabilitate. fol.438. nu. 67.& deinceps.
¶ *Liberum arbitrium ſecundum ſuam naturam ſumptum, habet non repugnantiam tantummodo negatiuam ad non peccandū: ſumptum vero, vt denudatum omni gratia, habet potentiam peccandi poſitiuam. fol. 429.n.19. Eam tamen non includit eſſentialiter. ibid.*
Per ſolam Dei aſsiſtentiam reddi poteſt ſimpliciter impeccabile. fol. 428.nu.17. Nō tamen ſolet ita fieri. ib.n.16. Et quomodo fiat impeccabile? fol. 442.n.1. Et quomodo alligetur ad primam regulam? fo.443. num.5.
In ſenſu diuiſo bifariā ſumitur. fo.429.n.21.
Liberū cuiq; quomodo ſit, cōtrouerſiæ de īmunitate Virginis ab originali quam voluerit partem tueri? fol. 169.num.23.
¶ *Liturgiæ S. Iacobi Minoris verba de B. Virgine. fol.318.num.221.*
¶ *Loca S.Scripturæ myſtice explicata pro immunitate B.virginis ab originali. fol. 281. à nu.28. Pro eadem, loca alia explicata figurate. fo. 278. à n. 11. Item alia explicata ſpiritualiter. fol. 284. à nu.39.*
Loca Scripturæ Sacræ vniuerſalia de peccato originali, quomodo intelligēda? à fol. 261. n.1 latè vſq; ad fo.272. An debeāt intelligi de ſolo debito cōtrahendi illud; an etiā de actu? fol.267. n.1. Et in qua vniuerſalitate ſint intelligenda? fol. 272. nu.1.
Loca Patrum, quæ vniuerſaliter de eodem originali loquuntur, quomodo ſint intelligenda? fo.243.n.172.
¶ *Ludouicus Beltranus Ordinis S.Dominici pro immunitate Virginis ab originali. fol. 194.n.30.& fol.326. n.23.& deinceps.*
Ludouicus de Granada eiuſdem Ordinis pro eadem immunitate. fol. 326. n.22.

M.

M*Acula peccati non poteſt dari, niſi ex actu commiſſo ab eo, qui maculatur. fol.37.n.8.& fol.101.num.65.*

Eius

Eius reſultatio, etiã poſito actu peccaminoſo, poteſt diuinitus impediri. fol. 39. nu. 6.
¶ Macula peccati originalis ex qua actione, & quando in nobis reſultet? fo. 113. n. 10.
Eam B. Virgo non contraxit. fol. 160. n. 25. Id tamen nõ eſt de fide. fol. 162. n. 4. Et an aliquando fuerit? fol. 169. num. 1.
Eam non contraheret, qui ex Adamo gigneretur, præter eos, quos ex eo gignendos eſſe Deus decreuerat cum præceptum illi poſuit. fol. 73. nu. 47.
Non eſt cauſa mortis Adamo, & poſteris, in peccati pœnam inflictæ; ſed culpa actualis ab Adamo, & in eo à poſteris eius cõmiſſa. fol. 218. n. 51. & 52. Idem dicendum de cauſalitate peccati originalis comparatione fomitis peccati. fol. 408. nu. 10. & fol. 418. num 40.
¶ Manichæus, quo fundamento negauerit, Chriſtum fuiſſe verum B. Virginis filiũ? fo. 206. n. 85 Et quomodo Auguſtin' illi reſpondeat? Ex qua reſpõſione immunitas B. Virginis ab originali aſſerta ab Auguſtino eſſe deprehenditur ibid. & deinceps.
¶ Manus duæ thronum Salomonis vtrinque ſuſtinentes, figurabant futuram immunitatem Virginis ab omni peccato, tum actuali, tum etiam originali. fol. 279. nu. 19.

De priuilegijs Virginis in cõmuni.

¶ Maria Virgo gratia, & gloria creaturis omnibus antecellit. fo. 24 n. 5. & fol. 459. n. 10. & deinceps. Et vnde Patres id inferant? fol. 24. n. 5. Et vnde, Theologi? fo. 459. n. 10. & deinceps.
Gratiæ eius, & priuilegia quomodo probanda, ex Auguſtino? fol. 411. n. 15.
Omnia ei priuilegia concedenda ſunt, quæ alicui videmus fuiſſe conceſſa, idque illi multo perfectius. fol. 23. n. 32. & deinceps. Et quæ eius iuuant dignitatem, dũmodo dignitati Chriſti non derogent, aut fidei nõ repugnent. fol. 411. n. 15.
Angelos ipſos puritate ſuperauit. fol. 420. n. 6. Eius ætas. fol. 177. n. 29. & deinceps.
Non contraxit maculam originalem fo. 160. n. 25. Id tamen non eſt de fide. fol. 162. n. 4. Et an aliquãdo fuerit? fol. 169. à n. 1.
Nunquam eã peccaſſe actualiter, traditiò eſt Apoſtolorum. fol. 184. nu. 59. Eſtque de fide. fol. 377. n 8. & deinceps. Probatur ex Theologis. ib. Ex Tridentino. fol. 378. n. 10. Ex ſacris literis. fo. 369. n. 13. Ex Patribus. ibid. n. 16. & deinceps. Probatur tandẽ rationibus Theologicis. fol. 382. num. 30. & ſequentibus.
Fuit impeccabilis. fol. 446. n. 6. Idque ſimpliciter, non autem ſecundum quid. fol. 448. nu. 17. Etiam in ſenſu diuiſo. ibid. n. 18. Idque à prima ſanctificatione. fol. 450. n. 4. Eius impeccabilitas probatur efficaciter ex Auguſtino. fol. 446. n. 6.
In quo ſenſu à Patribus cõmuni conſenſu dicatur immaculata? fo. 196. n. 39. Et à quibus expreſſe dicatur immaculata? fol. 202. n. 67. Et ab omni peccato libera? fol. 203. n. 68. Et omnibus Angelis purior? ibidem num. 69.
Defenditur à culpa ambitionis. fol. 391. nu. 63. & fol. 394. n. 76. Et à culpa inciuilitatis. ibid. n. 77. Et à culpa incredulitatis in Annunciatione. fol. 383. nu. 35. & deinceps latè. Et à culpa infidelitatis in morte filij. fol. 387 à n. 4. latè. Et à culpa negligentiæ in eius amiſſione. fol. 386. n. 85. Et à culpa indignationis in eundem repertum. fol. 397. n. 87. & 88.
Vide, Encomia Patrum, &c.

An habuerit fomitem peccati?

¶ An habuerit fomitem peccati, variæ opiniones fol. 406. nu 11. & 12.
Si contraxit originale, ſequitur, quod habuerit fomitem. ibid. n. 13. At ſi non cõtraxit, non continuo ſequitur, etiã à fomite fuiſſe præſeruatam. fol. 407. n. 5. & ſequentibus.
Potuit, etiam de lege ordinaria, præſeruari ab originali, quin præſeruaretur à fomite. ibi. nu. 6. & 7. & fol. 408. n. 9.
Probabilius eſt, fomitem nunquã in ea fuiſſe. fol. 413. nu. 24.

An peccauerit in Adamo?

¶ Qui putent eam in Adamo non peccaſſe? fo. 53. nu. 1. Et varij modi quibus id explicatur. fol. 54. à n. 5. Impugnantur omnes. fol. 59. n. 1. & deinceps.
Peccauit in Adamo. fo. 55. n. 1. Et oppoſitum eſt erroneũ in fide. fo. 75. n. 6. & fo. 138. num. 18.
Mortua fuit morte peccati in Adamo, ſed non in propria perſona. fo. 57. à n. 6. & fo. 104. nu. 83. & fol. 107. nu. 94. & fol. 124. num. 60. & deinceps. Et oppoſitum in fide non eſt tutum. fol. 58. num. 9. Et

quo ſenſu dici poſsit peccatrix? fo.223.n.77.

Prius fuit præuiſa mortua in Adamo, quam deſtinata in Matrem Dei fol.106.nu. 91.

Mortem corporis ſubijt ob peccatum in Adamo commiſſum. fol.218.n.52.

Si in Adamo non peccaſſet, non egeret gratia ſanctificante, vt à contrahendo originali liberaretur. fol.58.n.12. & latius, fol.72. nu.45. & deinceps.

Si fuit exēpta à lege impoſita Adamo, nō habuit debitū contrahendi maculā originalē. f.71. à n.41. Nec fuit redēpta ſāguine Chriſti. fo.61.n.3. & fol.68.n.32. Nec cōtraheret maculā originalē etiāſi gratia nō præueniretur. f.72.n.45. Et poſſet ſine meritis Chriſti vendicare ſibi ſanctitatē Adamo, ſi vinceret, promiſſam. fol.74.nu.51.

An habuerit debitum contrahendi originalem maculam?

¶ Omnes communiter debitum in ea admittunt. fol.83. à num.21.

Admittendū eſt in ea debitum propriū ortum ex peccato Adami. fol.91.n.24. Non tamen in illius perſona intrinſece, ſed extrinſece. fol.111.n.6. & deinceps.

Eam non habuiſſe debitum contrahendi originale, erroneum in fide eſt aſſerere. fol. 80. n.11. Et probatur. fol.82. à n. 16. & fol. 85.nu.28.

Si non habuiſſet debitū ortū ex peccato Adami, non egeret gratia ne contraheret originale. fol.101.n.64. & ſequentib. Nec poſſet dici à Chriſto redempta. fo.96.n.46. Vide, Debitum.

An contraxerit originale?

¶ Quinam exiſtiment, eā contraxiſſe maculā originalē? fo.156. à n.1. Et eorum rationes. ibid.n.5. & deinceps. Soluuntur. fol. 160. à n.26.

Non contraxit originale. fol.160. nu.25. Et ab eo contrahendo fuit per gratiam præſeruata. fol.78.nu.48. & fol.354.n.1.

Nec per gratiæ infuſionem, nec per culpæ in Adamo cōmiſſæ cōdonationē, ſeu nō imputationē, potuit, de lege, in parentibus ſanctificari. fol.349.n.11. & deinceps.

Eccleſia eā non cōprehendit ſub regulis generalibus de peccato originali. fol.260.nu.4. & 5. Nec fuit vnquā de fide, eam ſub illis comprehendi. fol.276.n.10. Vide, Immunitas B. Virginis.

De redemptione eius per ſanguinem Chriſti.

¶ Vere, & proprie fuit redempta Chriſti ſanguine. fol.371.nu.8. Idque non tantum à morte corporis, ſed præcipue à peccato originali. fol.372.n.13. Sed non fuit liberata ab aliqua immunditia in illius perſona exiſtente. ibid.nu.15.

Dici non poſſet redempta Chriſti ſanguine ſi in Adamo non peccaſſet. fo.58.n.10. & fo. 68.n.32. & deinc. latiſsime. Et ſi non habuiſſet debitum ex eius peccato ortum. fol. 96.num.46.

Exemptam eſſe ex meritis Chriſti à præcepto poſito Adamo, & poſteris: aut ne de facto peccaret in Adamo, eſt repugnantia. fol. 99.nu.59. & deinceps. Vide, Redemptio.

De gratia primæ ſanctificationis illius.

¶ Sanctificata eſt in vtero matris. fo. 4.n.9. Idq; in ipſo Cōceptionis inſtanti. fo.354.n.1.

Non diſpoſuit ſe ad primā gratiā. f.457.n.3.

Cum hac ſanctificatione accepit in inſtanti cōceptionis vſum rationis. fol.454. n. 5. Qui ſemper in ea permanſit. fol.456. n.3. Et à cuius vſu nunquam ceſſauit. fo. 459.n.9.

Cum eadem accepit omnes virtutes, & dona Spiritus S. fol.458. nu.4.

In primo illo inſtanti habuit actum fidei myſterij Trinitatis, & myſterij Incarnationis quoad ſubſtantiam, non tamen quoad omnes circunſtantias. fol.455. à n.1.

Facta fuit impeccabilis per gratiam primæ ſanctificationis in eodem inſtanti. fol.450. num.4.

Maiorem tunc gratiam accepit, quam cæteri omnes tū Angeli, tum homines. fol.458.n. 2. Etiam quanuis ſumantur collectiue. fol. 459.nu.10. & deinceps.

Non tamen tunc accepit gratiam ſumme intenſam. fol.459. n.8. Sed per totam vitam in gratia profecit. ibid.num.10.

In via nunquā habuit gratiam Patriæ conſūmatam. fol.459. nu.7.

Gratiam intenſiorem, & perfectiorem accepit in ſecunda ſanctificatione, quam acceperat in prima. fol.451.n.7.

Quomodo ſemper fuerit gratia plena? fo.458. n.3. Vide, Gratiæ B. Virginis.

¶ *Martyrium ſubiret, qui pro tuenda immunitate B. Virginis ab originali moreretur. fol. 343.nu.16.*

¶ *Maſſam quandam à Deo fuiſſe conditam, ex qua* Adamus, *& poſteri eſſent creandi, vt dicebat Galatinus cum Rabbinis, fabuloſum fol.34.nu.4. Impugnatur. fol. 59. num.1.*

¶ *Matrem Meßiæ credebant Rabbini in Synagoga futuram fuiſſe ab originali intactam. fol. 186.nnm.7.*

Matris Dei altitudo excedit omnem aliã, quæ poſt Deum dici poteſt. fol.24.num.3.

¶ *Minores Franciſcani Conceptionis immaculatæ defenſores indefeßi. fol.319.n.3.& fol.322.n.4. Et præ reliquis in hoc ſunt laudandi. fol.325.nu.17. Vide,* Monialiũ *Religio: & Religio Monialium.*

¶ *Miracula facta in cõfirmationem piæ credulitatis pertinent ad vltimum gradũ veritatum Catholicarum. fol.337.num.3.*

Miracula facta in confirmationem Cõceptionis immaculatæ cur falſa appellet Caietanus? fol.336.n.1. Sed reprehenditur. ib. nu.2.& deinceps. Et eius reſponſio ſapit impietatem. fol. 337. num.3.

Vera illa eſſe, & magni facienda, ſine temeritate negari non poteſt. ibid. num.4.

Quinam illa referant? ibid.n.5.

Miraculum anno ſuperiori Hiſpali factum in eiuſdem Conceptionis immaculatæ confirmationem. ibid.nu.6.

¶ Monialium Religio *à Sede Apoſtolica inſtituta ſub titulo Cõceptionis immaculatæ: & priuilegia illis conceſſa: verbaque, & modus profeßionis, & habitus, in teſtimonium immunitatis B. Virginis ab originali. fol.319. à n.1. Et cur earum cura Fratrũ Minorum tutelæ, & iuriſdictioni ab eadẽ Sede Apoſtolica ſit commiſſa? ibid nu.3. & fol.322.n.4.& fol.325.num.17.*

¶ *Mors corporalis propter peccatum, duplex, ex Auguſtino: vel propter peccatum delẽdum, vt mors Chriſti; vel propter ipſum commiſſum, vt mors cæterorum. fol.56. n.4.*

Mors corporalis pro peccato originali inflicta, non infert perſonam mortuam peccatum ipſum contraxiſſe. fol. 217. num. 49. & 50.

Mors B. Virginis quomodo fuerit propter peccatũ? ibidem.

Mors Chriſti quomodo fuerit propter peccatũ Adami? fol. 56 n.4. iuxta medium.

Mortem actualem, & non tantũ obligatiõnẽ moriendi, cõminatus eſt Deus Adamo verbis illis Gen.3. In quacunq; die comederis, morte morieris. &c. fol.271.n 23 & 24.

¶ *Motus inordinatus nullus in B. Virgine admittendus. fol.422.n.8.*

Motus cõcupiſcentiæ inordinatus arguit gratiæ imperfectionem. ibid.

Ad perfectionem non conducit, niſi ſuppoſita imperfectione. ibidem nu. 11.

¶ *Mulier illa Gen.3. inter quam, & diabolũ Deus poſituram ſe dicit inimicitias, quid ſignificet? fol.282 à num.31.*

¶ *Mundatio à culpa non ſupponit eam actu contractam. fol. 224.num.82.*

¶ *Munditia B. Virginis, & cæterorũ Adami poſterorum quomodo differant? fol. 190. num.20. ad finem.*

Mutatio duplex reperitur in iuſtificatione: & quomodo ſeſe habeãt adinuicẽ? f.113.n.11.

¶ *Myſteria vere canonizãtur fo.307.n.73.*

N.

NAtiuitas B. Virginis fuit ſancta fo.7.n. 1.& deinc. Et Apoſtoli id tradiderũt. fol. 184.n.59. Et feſtũ illius quam ſit antiquum? fol.9.n.10. Natam tamen fuiſſe cum originali non eſt hæreſis fol. 26. n.2. Sed eſt error in fide. ibid. à n.3.

Natiuitas animalis prior natura fuit in Virgine, quã natiuitas ſpiritualis; & quid per animalem debeat intelligi? fol.30.nu.8.

Natiuitas duplex; in vtero, & ex vtero. fol. 239.num.154.

¶ *Natura humana Theologicè, & Philoſophicè ſumpta, quid ſit? fo.38.col.1.nu.2.*

Natura B. Virginis non fuit in eius parentibus ſanctificata. fol. 348.n.5.

Naturam non anteuertiſſe gratiam, ſed eam expectaſſe in generatione B. Virginis, quomodo ſit intelligendum? fol.197. n.44.

¶ *Neceßitas liberi arbitrij duplex; antecedẽs, & cõſequẽs; & quid vtraq;? fo.433.n.44.*

Neceßitas antecedens ex ſua natura habet, quod omnem antecedat libertatem; creatã, & increatam fol.433. n.48.

Neceßitas, quod fiat id, quod Deus præſciuit, non eſt antecedẽs, ſed conſequẽs. fol. 434.n.

45 Et nō eſt depēdēs ex noſtra libertate. ib.
Neceſsitas cōſequēs eſt duplex. fol. 434. n. 46
Non ſemper ſequitur ex ſuppoſitione dependente ex noſtra voluntate. ibid. n. 45.
Cum dependet ex noſtra voluntate, poteſt ſtare cum potentia peccandi. ibid. n. 47.
Cum non dependet ex noſtra voluntate, quando ſtare queat cum potentia peccandi, & quando non? ibid.
Poteſt omnino tollere libertatem ad peccandum. fol. 435. n. 48.
Neceſsitas conſequens ad non peccandum in confirmatis non neceſſario pendet ex ipſorum arbitrio. fol. 434. nu. 45.
Neceſsitas orta ex præcepto non tollit libertatē in eliciendo actu præcepto. fol. 440. nu. 72. Et quare? ibi. n. 74. Nec eſt neceſsitas ſimpliciter, ſed ſecundum quid. ibid. num. 72. & 74.
¶ Nemo ex poſteris Adami habuit intrinſece in propria perſona debitum contrahendi maculam originalem. fo. 114. n. 12. in fine.
¶ Nubecula parua de mari aſcendens ſignificabat, B. Virginem orituram ex humana natura immaculatam, ex traditione Eliæ. fol. 186. num. 8.

O.

Obſtinatio in malo quid includat in ſua ratione intrinſeca? fol. 445. n. 11.
¶ Occaſiones Apoſtolis oblatæ ad immunitatem Virginis ab originali diffiniendam fo. 180. num. 40. & ſequentibus.
¶ Omnes in Adamo peccauiſſe, probatur à Theologis in vniuerſalitate, quam verba ſonant. fol. 42. col. 1. nu. 1. Et à Patribus. ibid. col. 2. n. 1. & deinceps.
Probatur efficaciter ex Scriptura. fol. 44. nu. 1. & deinceps latè. Et ita eſt ſimpliciter ea propoſitio admittenda. fol. 52. n. 16. Et oppoſitum ſine periculo non poteſt abſolute affirmari. fol. 135. n. 4. Et cuiuſmodi ſit hæc vniuerſalitas? ibid. nu. 7.
Omnes peccauerunt in Adamo quando ille peccauit; maculam tamen non tunc omnes contraxerunt. fol. 36. num. 3. & deinceps.
¶ Opiniones variæ, quid ſit peccare in Adamo? fol. 32. n. 1. & deinceps. Expenduntur. fol. 34. num. 1. & deinceps.
Opiniones, an B. Virgo in Adamo peccauerit? fol. 35. à num. 1. Expenduntur. fol. 59. num. 1. & deinceps.
Opiniones, an B. Virgo habuerit debitū contrahendi originale? fol. 77. nu. 1. Expenduntur. fol 79. nu. 1. & deinceps.
Opiniones de modo, quo fuerit præſeruata ab originali. fo. 346. n. 3. Vera reſolutio fol. 354. num. 1.
Opiniones, quod fuerit genita ſine copula carnali; & quomodo? fol. 351. nu. 1. & 2. Reijciuntur tanquam hæreticæ. ibid. n. 3.
Opinio, quæ B. Virginem liberat ab originali, an repugnet ſacris literis? fol. 259. nu. 1. & deinceps.
Damnare illam hæreſis, eſt hæreticum, vel ad minus, erroneum. fol. 260. nu. 4.
Eſt longe communior inter Patres quam oppoſita fol. 246. num. 3. & deinceps. Et antiquior f. 147. n. 6. & deinceps. Inter Scholaſticos etiam eſt communior. fol. 250. nu. 12. & fol. 251. per tot. Sed non antiquior. fol. 252. nu. 17.
¶ Oppoſita contradictorie non poſſunt eſſe ſimul, etiam pro diuerſis naturæ ſignis. fol. 117. nu. 26.
¶ Orationes Sanctorum multa ſæpe inuoluūt, dicta ex propria orantis ſententia, & non ex inſtinctu, aut reuelatione Dei. fol. 334. num. 14.
¶ Ordo prioritatis, & poſterioritatis naturæ in eodem inſtanti temporis, non eſt admittendus in ordine ad eſſe, & non eſſe, eiuſdē rei. fol. 113. n. 9. & fol. 128. n. 71. Et pro quibus ſit admittendus? fol. 118. n. 30.
Ordo Eremitarum S. P. N. Auguſtini quo ſtudio immaculatam Virginis Conceptionē, nemine diſcrepante, annos abhinc pluſquam trecentos tueatur? fo. 325. nu. 18.
Ordo Minorū Sancti Franciſci quo ſtudio defendat immunitatē Virginis ab originali? fol. 319. nu. 3. & fol. 322. n. 4 Et præ omnibus in hoc eſt laudandus. fol. 325. n. 17.
Ordo S. Iacobi à prima ſui inſtitutione anno Domini 830. celebrat feſtum Conceptionis cum octaua. fol. 327. n. 25.
Ordo Prædicatorum S. Dominici in tota prouincia Bætica feſtū Conceptionis ſub titulo immaculatæ olim celebrabat. fo. 160. n. 23. Idque cum octaua; & ſimiliter in pleriſque alijs eiuſdem Ordinis Monaſterijs. fol. 326. n. 22.
¶ Originale peccatum nunquam habuit, ex mente Auguſtini, qui acceſſu ætatis non habuit actuale. fol. 205. à nu. 81. Nec regula hæc limitanda eſt ad ſolum Chriſtum.

ibidem nu.83. Nec etiam ad eos tantum extendenda, qui cum originali naſcuntur. fol.206.num. 84.

¶ Origenes exiſtimauit, B.Virginem non credidiſſe Angelo in Annunciatione fo. 386. num.46.& deinceps. Eam tamen a culpa liberat.fol.387.num. 47.

¶ Ortus ſurgentis auroræ Iob 3. Conceptionẽ B. Virginis ſignificat, non natiuitatem.fol. 283.nu.37.

P.

PAradiſus terreſtris figura Conceptionis immaculatæ.fol.278.n.16.& 17.

¶ Pariſienſes iureiurãdo Doctores ſuos aſtringunt in ſuſceptione Doctoratus, ad tuendã ſemper immunitatem B.Virginis ab originali.fo.324.n.14.

Male audiunt, quod Concilium Baſilienſe habeant pro legitimo. fol.170.n.8.

¶ Patres excipientes B. Virginem in omni quæſtione de peccato, intelligendi ſunt tãtum de peccato formaliter ſumpto, non autẽ de eo, quod ex peccato eſt,&c.fol. 103. num.75.

Patres B.Virginem à peccato originali expreſſe liberantes.fol.186.n.7.& deinceps, & fol.246.n.3. & deinceps.

Patres eam ſine dubio ab eodem liberantes, licet non adeo expreſſe.fo.194. num.32.& deinceps.

Patres immunitati eiuſdem maxime fauẽtes. 199.n.51.& deinceps.

Patres pro eadem immunitate non bene citati.fol.207.n.89.& deinceps.

Patres contra eam male citati.fol. 210.n.2. & deinceps.

Patres expreſſe docentes, B.Virginem cõtraxiſſe originale, ſunt tãtum quatuor, & quinam? fo.237.n.143.& deinceps.

Patres citati cõtra Virginis immunitatem ab originali, qui de Virgine in indiuiduo loquuntur, ſunt viginti; eam tamen non impugnant.fol. 242. nu.168. Et ſingulorum expreſſa verba in vnũ coniuncta.fol.243. nu.169.

Patres contra eandem citati, qui de Virgine in indiuiduo non loquuntur, ſunt numero triginta, & quinque.fol.242.n.167.

Patres affirmantes, B. Virginem in Annunciatione dubitaſſe de eo, quod Angelus nũciabat, quomodo ſint intelligendi? fol.386. nu.43.& ſequentibus.

Patres, qui videntur docuiſſe, in morte filij illã de eius diuinitate dubitaſſe, explicantur.fo. 387.num.50.& deinceps.

Patrum de B.Virgine encomia. Vide, Teſtimonia Patrum de puritate Virginis.

¶ Paulus Apoſtolus quo Chriſti anno ſit cõuerſus? fol.173.nu.23. Et quo tempore ipſe, & Petrus Romæ conuenerint, & martyrium ſubierint? fol. 174. n.26.

Peccare in Adamo.

¶ Peccare in Adamo, quid ſit; Variæ ſentẽtiæ. fol.32.col.2.nu.1.& deinceps.

Non eſt, contrahere maculam peccati illius. fol.36.à n.3 & fol. 60.nu.4.& 5. Idem de omni peccato.fol.36.nu.6.

Nec eſt, naturam humanam in eo fuiſſe ſpoliatam iuſtitia originali. fol. 38. col.1.in princ.

Nec includit connotationẽ, quod macula actu ſit contrahenda. ibid. n. 4.& deinceps. & fol.59.num.2. & 3.

Et quid ſit, peccare in Adamo? fol.39.n.1. & deinceps latè. Et eſt communis Patrũ conſenſus. fol. 41. nu.7. Et quem gradum id obtineat certitudinis? fol.134.n.2.

Non eſt in fide tutum dicere, quod peccare in Adamo, non includat actualẽ diuini præcepti præuaricationem, ſed ſolam maculæ contractionem.fol.37.num.9.

Peccauit B.Virgo in Adamo. fol.55.num.1. Et oppoſitum eſt in fide erroneum. fol.75. nu.6. Et qui putauerint eam non peccaſſe? fol. 53. à nu. 1.

Vide, Maria Virgo, titulo, An peccauerit in Adamo?

Peccare in Adamo de iure, & non de facto, implicat. fol.60.nu.8.& deinceps. Et quid ſit, peccare de iure? ibid.nu.6.

¶ Peccator, in ſacris literis ſæpe ſignificat reũ mortis, ſed ſæpius, peccato coinquinatum. fol.46.nu.3.

¶ Peccatrix quo ſenſu dici poſsit B.Virgo? fol.223.77.

¶ Peccatum in ſua ratione intrinſeca non includit maculæ contractionem.fol.39.num. 7.

Omni ex parte vincitur, cum nullo modo incurritur.fol.220.num.58.

Peccata omnia non niſi ex ſpeciali priuilegio vincere poſſumus.fol.446.num.9.

Peccatum actuale nõ fuiſſe in B. Virgine tradiderunt Apoſtoli fol. 184.n.59.

Peccatum originale.

¶ Peccatum originale quo ſenſu dicatur ex origine trahi ? fol. 30.num. 9.

Non poteſt animæ tribui prius natura, quam ipſa corpus informet. fol. 354.nu. 4.

Contrahimus illud in Conceptione, ex peccato illo, quod in Adamo commiſimus. fol. 36. num. 5.

Non contraheret illud ſiquis ex Adamo gigneretur præter eos, quos Deus, cũ præceptum illi poſuit, ex eo gignendos eſſe decreuerat. fol. 37.n.47.& fol.101.nu.67.

Formaliter nõ eſt carentia iuſtitiæ originalis. fol.129.num.77.

Non fuit in B. Virgine. fol. 160. n.25. Id tamen non eſt de fide fol. 162. nu.4. Vide, Maria Virgo : titulo præſertim, An contraxerit originale ?

Peccatum Adami prius, noſtro intelligendi modo, fuit à Deo præuiſum, quam hominũ redemptio per mortem Chriſti. fol.70.nu. 37.& 38.& fol.99.n.56.& 57.

¶ Pelagianorum error de peccato originali. fol.220.num.59.

¶ Perſeuerantiæ donum quid ſit, variæ opiniones. fol.443 nu.6.& 7. Non admittũtur. fol. 444.nu. 8. Vera reſolutio. ibidem num. 9.

Non diſtinguitur à gratia ſanctificante. ibid. Et vndenam perſeuerandi virtus gratiæ ſanctificanti proueniat? ibid.nu. 11.

Vendicat ſibi infallibilem aſsiſtentiam auxilij diuini à malo præſeruantis. fol.441. num. 79.

Vide Confirmatio in gratia, & impeccabilitas.

¶ Petrus Apoſtolus quo tempore, & quãdiu Romæ ſederit? fol.175.n.28. ad finem. Et quando ipſe, & Paulus Romæ conuenerint, & martyrium ſubierint? fol. 174.nu.26.

¶ Pietas duplex diſtinguenda: probabilis, & certa. fol 312.n.94.

Pietas, qua B. Virgo liberatur ab originali, eſt ſecundum ſcientiam; contra Caietanũ; qui merito reprehenditur. fol. 330.n. 42.

¶ Plenitudo gratiæ, quæ ſemper fuit in B. Virgine, non fuit plenitudo capitis, ſed membri. fol.458.nu.3.

¶ Pœnæ non imponuntur per ſe maculis relictis ex peccato ſed actibus, ex quibus maculæ reſultant. fol. 218.n.51.

¶ Potentia peccandi quid ſit ? fol.425. col. 1.nu.1. Dupliciter poteſt accipi. ibid. n.2. Formaliter ſumpta, quid ſit? ib. col.2.n.1.

Poteſt per gratiam auferri à viatore, ita vt is reddatur impeccabilis ſimpliciter. fo.427. nu. 10. Etiam ſi ſumatur in ſenſu diuiſo. fo. 431. num. 26.

Non eſt de eſſentia liberi arbitrij. fol.429.n. 19. Illud tamen comitatur neceſſario, & poſitiue; ſi ſumatur ſecundum ſtatum ſibi connaturalem. fol. 430.num.23.

Potentia peccandi negatiua, ſiue non repugnantia ad peccandum, nec diuinitus poteſt auferri à libero arbitrio creato, etiamſi fiat impeccabibe. fol.430.num.22.

¶ Prædicator quidam Dominicanus ab Innocentio 7 punitus, quod prædicauerit populo, B. Virginem fuiſſe cum originali conceptam: & coactus id coram eodem populo retractare. fol.295.nu.28. Sed ſpecialius; fol.323.num.8.

Item alius eiuſdem Ordinis Prædicator ab Academia Pariſienſi lata ſententia ob eãdem cauſam punitus. fol. 324. nu.14.

¶ Præmia paßionis Chriſti Domini nobis cũ ipſo cõmunia nulli priuſquam ipſi ſunt conceſſa. fol.415.nu.21. Secus dicendum de ijs, quæ aut ipſe non habuit, ſed nos tantum; aut ipſi debentur ex vi vnionis, non vero ex merito paßionis. ibid.

¶ Præſeruatio à macula originalis peccati nõ impedit veram, & propriam redemptionẽ per ſanguinem Chriſti fol.371.num.9.

¶ Prioritas naturæ duplex diſtinguitur, & explicatur. fol.359.n.2. Et vtriuſque differentiæ fol.360.n.3.

Prioritas, & poſteritas naturæ non eſt admittenda in eodem temporis inſtanti in ordine ad eſſe, & non eſſe eiuſdem rei, ſiue quoad inceptionem, ſiue quoad deſitionem illius. fol.113.n.9.

Prioritas captiuitatis formalis ad redemptionem mundatiuam, de lege ordinata debet eſſe temporis: ſed de abſoluta? id non eſt neceſſe. fol.362 nu.15.

¶ Priuatiue oppoſita non poſſunt eſſe ſimul, etiam pro diuerſis naturæ inſtantibus. fol. 117.nu.28.

¶ Priuilegia omnia quibuſuis Sãctis conceſſa, perfectius B. Virgini ſunt donata. fo.23.n.

32.& deinc.& fol.420.n.7.& fol.447. num.10.

Priuilegia omnia B. Virgini conceſsit Deus, quæ intra limites redemptæ in eius cedũt dignitatem; & non alia.fol.107.n.98. Et omnia, quæ dignitati filij non derogant.fol. 411.nu.15.

Priuilegia omnia, quæ potuit, Chriſtus matri communicauit.fol.25.nu.7.

Priuilegia Virginis quomodo probanda, ex Auguſtino.fol.411.nn.15.

Priuilegia omnia in prima ſanctificatione ſũt ei concedenda, quæ digniorem illam reddunt vt fiat mater Dei fol.451.nu.6.

Priuilegia Virginis in duplici ſunt differẽtia. fol.184.n.60. Et quænam explicite necessario ſint credenda? ibibem.

¶ Probabilitas, cui falſitas non repugnat, nõ ſufficit ad canonizationem. fol.310.n.84.

¶ Proles à B.Virgine naturaliter concepta, ſi qua eſſet, peccatum originale contraheret. fol.416 nu.27.& fol.424 nu.6.

¶ Propoſitio indifferens ad verum, & falſum, ſub nullo gradu veritatis ad fidem pertinentis poteſt contineri.fol.311.nu.90.

Propoſitiones vniuerſales de peccato actuali à Scriptura, & Patribus traditæ B.Virginem non includunt; & quomodo debeant intelligi? fol.397.num.90.

Propoſitiones vniuerſales Sacræ Scripturæ de peccato originali, an ſint vniuerſales tantũ ſecundum figuram? fol.261.nu.1.

An intelligendæ ſint de ſolo debito ad peccati maculam contrahendam; an etiam de actu contrahendi? fol. 267.n.1.

In qua vniuerſalitate ſint intelligendæ; Logica, morali, an legali? fol.272.n.1.

Propoſitiones Scripturæ S. vniuerſales in ſola vniuerſalitate morali intelligere, Pelagianum eſt.fol.262.nu.7.& deinceps. Aliquæ tamen ita ſunt neceſſario intelligendæ. fol.264.n.13. Et quomodo illæ dignoſcãtur? ibid.nu.14.

¶ Purgari dicitur in ſacris literis, qui in ſanctitate perficitur.fol.415.nu.24.

¶ Purgatio Virginis in ſecunda ſanctificatione cuiuſmodi fuerit? fol.415.num.23.& deinceps. Fuit duplex, ex mente D.Thomæ fol.417.nu.32.

¶ Puritas conceſſa fuit B.Virgini, qua maior ſub Deo nequeat intelligi; Et quomodo id ſit intelligendum? fol. 86.n.33.

Puritas Virginis ex Patribus. Vide, Teſtimonia Patrum de puritate Virginis.

Q.

QVæſtio de immunitate B.Virginis ab originali pertinet ad fidem, & poteſt à Sede Apoſtolica diffiniri. fol.340. à n. 5.

Si eſſet diffinienda, vtra illius pars diffiniretur? fol.256.num.17. Et ex inſtituto fol. 341.nu.11.& ſequentibus.

Quando cœperit inter Scholaſticos agitari? fol.252.nu. 16.

Quomodo poſsit in diſputationes publicas, aut conciones reuocari? fol. 343.nu.1.& deinceps.

Vide, Controuerſia de immunitate B.Virginis, &c. &, Rationes quæ contra, &c.

R.

RAbbini in Synagoga credebant, matrem Meſsiæ intactam futurã fuiſſe ab originali.fol.186.nu.7.

¶ Rationes, quæ videntur probare, nullum fuiſſe in Virgine debitum contrahendi peccatum originale fol.79.n.3.& deinceps. Soluuntur. fol.86.num.33.& deinceps.

Rationes, quæ videntur probare, non fuiſſe in ea debitum contrahendi originale ortum ex peccato Adami.fo.88.n.3.& deinceps. Soluuntur.fol.102 nu.70.& deinceps.

Rationes, quæ videntur probare, quod B.Virgo contraxerit originale.fol.156.n. 5.& deinceps. Soluuntur.fol.160. à nu.26.& deinceps.

Rationes pro immunitate Virginis ab originali quinam afferant? fol.338.n.2.

Ratio vnica pro eius immunitate, ad quam cæteræ omnes reducuntur.ibid n.3.

Rationes, quæ contra eius immunitatem fiunt, an, & quomodo in concionibus diſſolui valeant? fol.345.nu.8.& 9.

¶ Redemptio vera, & propria, eſt triplex.fol. 356.n.4. Et quid ſint ſingulæ? fol 355.n. 3. Mũdatiua eſt vera redemptio.fo.356. nu.4. Item præſeruatiua.ibid. n.5.

Redemptio partim præſeruatiua, partim liberatiua neceſſario admittẽda.fo.358.n.15.

Redemptio eſſentialiter includit, quod ſit à ſeruitute præexiſtente.fol.359.nu.1. Et quomodo eam ſupponat? fol.361.nu.12. & deinceps.

Redemptio mundatiua quomodo ſupponat captiuitatem? fol. 362. nu. 14. & 15.
Redemptio præſeruatiua quomodo eam ſupponat? fol, 362. num. 16.
Non ſupponit maculam moraliter maculantem, vt reliquæ redemptiones ſupponũt. fol. 363. nu. 18.
Redemptio non pure præſeruatiua quomodo ſupponat captiuitatem? fol. 162. n. 17.
Redemptio hominum poſterius natura fuit à Deo decreta, & viſa, quam fuerit præuiſũ Adæ peccatum. fol. 70. n. 37. & 38. & fo. 99. nu. 56. & 57.
Redemptio perfecta à peccato duas includit redemptiones partiales. fol. 366. n. 12.
Redemptio perfecta ab originali dupliciter poteſt fieri. fol. 366. n. 14. & deinceps.

Redemptio per Chriſtum.

¶ Triplex redemptionis genus in redemptione Chriſti inuenitur. fol. 364. n. 6. & deinceps, & fol. 367. nu. 15. & ſequentib.
Redemptionem per mortem Chriſti, eſſe à morte peccati, tanquam à termino à quo, eſt de fide. fo. 82. nu. 19. & fol. 98. n. 54.
Non tamen poſtulat, vt redemptus ſit prius in propria perſona peccator. fol. 125. n. 64. & fol. 288. n. 57.
Redemptio per ſanguinem Chriſti pure præſeruatiua non eſt in ordine ad omnes homines, neque in ordine ad omnia peccata. fol. 367. num. 17.
In ordine ad originale peccatum non poteſt eſſe pure præſeruatiua; ſed oportet eſſe modo aliquo liberatiuam. fol. 368. n. 19. Poteſt tamen eſſe pure præſeruatiua in ordine ad maculam illius tantum. ibid. n. 20.
Redemptionem Chriſti extollit, ſi B. Virginem non ſolum à macula, ſed etiam à fomite præſeruauit. fol. 413. n. 26.

Redemptio B. Virginis.

¶ B. Virginem fuiſſe per Chriſti ſanguinem redemptam, de fide eſt. fol. 58. n. 10. & fol. 371. num. 8.
Præſeruatio illius à cõtractione maculæ originalis non impedit, imò commẽdat, & extollit, redemptionem eius per ſanguinem Chriſti. ibid. n. 9. & ſequentib.
Redemptio illius fuit ſimul præſeruatiua, & mundatiua. fol. 372. n. 14. Eam tamen nõ mundauit ab aliqua ſorde, quæ in illius perſona præextiterit. ibid. nu. 15. & deinceps. Nec à debito in illius perſona præexiſtente. fol. 374. num. 22.
Mundauit tamen à culpa in Adamo cõmiſſa, & imputata ei vſq; ad inſtans Conceptionis eius excluſiue, non autẽ incluſiue. ib. n. 23.
Redemptio B. Virginis quomodo, aut intra quos limites, debuit eſſe nobilior redemptione cæterorum? fol. 105. num. 86.
¶ Reges Catholici pro immunitate B. Virginis ab originali conſpirant. fol. 327. n. 26. & deinceps.
¶ Regulæ vniuerſales fidei, & Patrum, quod omnes filij Adæ concipiuntur actualiter cum originali, quomodo intelligendæ? fol. 221. nu. 66.
Regula vniuerſalis, quod nemo ſit ſine peccato, ab eiſdem tradita, B. Virginem non includit; & quomodo debeat intelligi? fol. 397. nu. 90.
Regula P. Auguſtini de peccati originalis, & actualis neceſſaria conſecutione, quomodo intelligenda? fol. 205. n. 81. & ſequentib.
¶ Religiones õnes, vnica S. Dominici excepta, defendunt immunitatem Virginis ab originali fol. 325. num. 16.
¶ Remiſsio peccati de potentia Dei abſoluta fieri poteſt ſine infuſione gratiæ fol. 349. nu. 11. De facto tamen, & ſecundum legẽ ordinatam ſemper fieri per infuſionẽ gratiæ, & charitatis, &c. eſt de fide. ibid. & fol. 366. num. 12.
Remiſsio culpæ, & ſanctificatio perſonæ, quomodo ſeſe habeant ad inuicem in iuſtificatione peccatoris. fol. 113. nu. 11.
¶ Reprehenditur Caietanus, quod certitudinem opinionis D. Thomæ de immunitate Virginis ab originali, cum certitudine fidei comparauerit. fol. 336. nu. 22.
¶ Reſponſio Caietani ad argumenta facta pro immunitate Virginis ab originali, refutantur, & reprehenduntur. fol. 328. nu. 1. & deinceps.
Reſponſio eiuſdem ad reuelationes S. Brigittæ refutantur, & notantur. fol. 332. num. 8.
¶ Reuelationes non ſunt ſpernendæ, ſed probandæ. fol. 331. nu. 3. Et ſi debitas habeãt circumſtantias, magni ſunt faciendæ, maximè ſi à Sede Apoſtolica fuerint appro-

batæ. ibid.num.2. Et oppoſitum ſapit impietatem. ibid. Et quæ ſint debitæ illarum circumſtantiæ? fol.332.num.5.

Reuelationes de immunitate B.Virginis ab originali in ſua Conceptione. fol.332.n.6. & deinceps. Et quod efficaciter eam probent. fol. 331. n. 2. Et ſententia Caietani repugnantis ſapit impietatem. ibidem.

Reuelatum fuiſſe S.Catharinæ Senenſi, quod B.Virgo contraxerit originale, non cõſtat. fol.333.n.13. & deinceps. Imò id fictitium eſſe, & indiſcreto zelo ab aliquibus falſo inſertum, putant Theologi grauiſſimi; & quinam, & quare id putent? ibidem.

Reuelationes S. Brigittæ de immunitate B. Virginis ab originali. fol. 332.num.6.

Earum veritas, & authoritas fuit ab Eccleſia approbata. fol.fol.333.num.9.

Habent maiorem authoritatem, quam reuelationes S.Catharinæ Senenſis. fol.334.nu. 15.

Reuelationes S. Catharinæ Senenſis non ſunt ab Eccleſia approbatæ: & quam habeant authoritatem? fol. 333.n.13.& deinceps.

Reuelationes B.Amadæi. fol.334.num.16.

Reuelatio ei facta de immunitate Virginis ab originali. ibidem.

Reuelatio facta Elpino Abbati de eadem immunitate. ibidem nu.17.

Reuelatio facta per D.Thomam Epiſcopo cuidam Fantino de eadem immunitate. fol. 335.n.19.

¶ Romana Eccleſia celebrat feſtum Conceptionis ſub titulo ſemper immaculatæ. fol. 294.num.23.& fol. 328.nu. 33. Et oppoſitum aſſerens incurrit excommunicationem. fol.329.num.34.

¶ Rupertus Holcoth Ordinis S.Dominici, pro immunitate Virginis ab originali. fo. 326. num.22.

S.

SAncius de la Puerta Ordinis S. Dominici pro immunitate Virginis ab originali. fo. 193.num.27.& fol.326.nu.22.

¶ Sãctificare, in ſacris literis, quid ſignificet? fol.3.num.8.

Sanctificatio pro termino à quo, habet nõ ſanctum, vel priuatiue, vel contrarie. fol.2.n. 7. Et poſt peccatũ Adami, quid importet amplius? ibid. & deinceps.

Quomodo differat à iuſtificatione? fol.62.nu. 6.& fol. 139. num. 23.

Quomodo ſe habeat ad remiſſionem culpæ in iuſtificatione peccatoris? fol.113.n.11.

Non ſupponit peccatum in perſona ſanctificata. fol. 224 82.

Sanctificatio, quæ per ſacramenta, & opera bona, recipitur, cur non ſufficiat ad hominẽ in bono confirmandum? fol.441 n.76.

Sanctificatio B.Virginis.

¶ Sanctificatam fuiſſe B.Virginem, tam inter Catholicos, quam inter hæreticos, eſt indubitatum. fol. 2.n.2.

Variæ illius ſanctificationes enumerantur. fo. 2. à n.3.

Sed ſi proprie loquendum eſt, vnica tantum admittenda eſt. ibid.n.6.& 7.

Sanctificatam eam fuiſſe in vtero matris eſt communis ſententia omnium Catholicorũ. fol. 4.n.9.

Probatur argumento communi. fol.7.nu. 1. Et argumenti efficacia defenditur. ibi. nu. 3.& deinceps. Probatur etiam ex ſanctificatione Hieremiæ, & Baptiſtæ in vteris matrũ. fol.16. nu. 1. Et ex decentia fol. 24. nu. 1.& deinceps.

Sanctificata fuit in primo inſtanti ſuæ Conceptionis. fol. 354.nu.1.& fol.454.nu. 5.& 6.& ſæpe alibi, præſertim vbicũq; docetur, eam non contraxiſſe originale. Vide. Immunitas, Maria, Peccatum originale, &c.

¶ Sãctitas debet præcedere natiuitatem prioritate temporis, vt natiuitas dicatur ſancta. fol. 15. à n.35. Non ita Conceptionem; & diuerſa vtriuſque ratio. ibid. nu. 39. & deinceps.

Sanctitas Conceptionis B.Virginis ab Eccleſia feſto celebratæ, pia eſt, & vera, pietate & veritate ad fidem aliqualiter pertinẽte. fol. 412.num. 93.

¶ Scandalũ, quod fideles patiuntur dũ audiunt impugnari immunitatem Virginis ab originali, non eſt paſſiuum, & Phariſæorum, vt vult Caietanus; ſed actiuum, & fideliũ. fol.330. num.42.

¶ Scholaſtici fauentes immunitati B. Virginis ab originali. fol. 251. n.12.& 13. Et Scholaſtici eam impugnantes. ibid.num. 14. Et Scholaſtici à Bandello contra eam falſo citati. fol.149. à nu. 2.

¶ S. Sedulius pro immunitate Virginis ab originali. fo. 187. num. 9.

¶ Senſus compoſitus, & diuiſus in libero arbitrio per gratiam confirmato duplex diſtinguitur, & explicatur. fol. 429. nu. 21.

¶ Sententia aliqua de immunitate B. Virginis ab originali fuit aliquando in Eccleſia certa, & indubitata. fol. 276. num. 12. Alioquin neutra cōtrouerſiæ pars poſſet de fide diffiniri. ibidem.

Sententia communis Academiarum, Religionum, & doctiſſimorum huius ætatis hominum, B. Virginem liberat ab originali. fol. 194. num. 31.

Sententia fauens immunitati Virginis ab originali longe communior eſt inter Patres, quam oppoſita. fol. 246. num. 3. & deinceps. Et antiquior. fol. 247. nu. 6. & deinceps. Et inter Scholaſticos communior. fol. 250. nu. 13. & fo. 251. per tot. Sed non antiquior. fol. 252. n. 17.

¶ Serpens, cui maledicitur Gen. 3. quid ſignificet? fol. 282. num. 30.

¶ Signum dare poſt promiſsionem, non arguit, dubitaſſe eum, cui facta eſt promiſſio. fol. 385. nu. 39.

Signorum prioritatem, & poſterioritatem in diuinis decretis vera Theologia admittit. fol. 100. num. 61.

Signa priora in diuinis decretis, & quæcumque in eis fiunt, independentia ſunt à ſignis poſterioribus, & ab omnibus, quæ fiunt in illis. ibidem.

¶ Siſenandus Hiſpaniæ rex temporibus Sācti Iſidori quanta deuotione immunitatē Virginis ab originali fuerit amplexatus? fol. 327. num. 26.

¶ Sixtus 4. quanta deuotione, & quo ſtudio immunitatem Virginis ab originali fouerit? fol. 321. n. 2.

¶ Societatis IESV Patres, nemine diſcrepāte, ſemper immunitatem Virginis ab originali defenderunt. fol. 326. num. 20. Quanquam laus iſta partim etiam temporum, quibus floruerunt, felicitati eſt tribuenda. ibidem nu. 21.

¶ Solennitates Sanctorum: Vide, Eccleſia; & Feſtiuitates.

¶ Solutiones Caietani ad argumenta facta pro immunitate Virginis ab originali, reprehenduntur, & refutantur. fol. 328 nu. 31. & deinceps.

¶ Sotus ex familia Dominicana l. 1. de nat. & grat. cap. 7. noluit ſententiam ſuam de immunitate Virginis ab originali aperire. fol. 327. num. 24.

¶ Status B. Virginis quadruplex diſtinguitur. fol. 346. num. 2.

Status connaturalis libero arbitrio excludit omnem eleuationem per gratiam. fo. 430. num. 24.

¶ Stephanus Mendes, Ordinis S. Dominici pro immunitate B. Virginis ab originali. fol. 326. n. 22.

¶ Stultitia eſt, eas ſolas veritates pro infallibiliter certis habere, quæ ab Eccleſia ſunt de fide diffinitæ. fol. 306. num. 71.

¶ Summi Pōtifices fauentes immunitati Virginis ab originali. fol. 321. num. 2. & deinceps.

¶ Supernaturalia non poſſunt reuelari nobis vt probabilia tantum, ſed vt infallibiliter certa. fol. 310. n. 87.

¶ Symbolum Apoſtolorum, quando, & quomodo compoſitum? fol. 176. num. 25.

T.

Taulerus familiæ Dominicanæ pro immunitate Virginis ab originali. fol. 159. nu. 23. & fol. 326. nu. 22.

¶ Temerariū erit, aſſerere, hæreſin eſſe, quod B. Virgo contraxit originale: non tamen erit erroneum, nedum hæreticū. fol. 166. num. 16.

Temerarium quoque erit, eandem ſententiā dicere erroneam, ſcandaloſam, aut temerariam, vel ſine peccato veniali teneri nō poſſe. fol. 168. num. 23. Et ita aſſerens, an incurrat excommunicationem? ibidem num 24.

¶ Terra ſacerdotalis in Ægypto libera à tributo non poteſt ſignificare B. Virginem exemptam à debito contrahendi peccatum originale; & quare? fol. 105. num. 87.

Terra B. Virginis quomodo nunquam fuerit maledicta, cum illa in Adamo peccauerit? fol. 104. num. 80.

¶ Tertullianus incredulitatis culpam in B. Virgine fuiſſe dicit: in quo nimis excedit. fol. 395. num. 83.

¶ Teſtimonia vniuerſalia ſacræ paginæ de peccato originali, ſintne vera tantum ſecundum figuram, an etiam ſecundum ſen-

tentiam? à fol.261.nu.1.latè. Et an debeant intelligi de ſolo debito contrahendi illud; an etiam de actuali illius contractione? fo.267 à nu.1. Vera reſolutio fo.268. à num 9. Et in qua vniuerſalitate ſint intelligenda? fol. 272. à nu. 1.

Teſtimonia Patrum de eodem originali quomodo intelligenda? fol. 243.n.172.

Teſtimonia vniuerſalia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum dicentia, neminem eſſe ſine peccato, quomodo intelligenda? fol. 397. num. 90.

Teſtimonium S.Ludouici Beltrani ex Dominicana familia, pro immunitate B.Virginis ab originali. fol. 194.nu.30 & fol.327. nu.23.

Teſtimonium pro eadem immunitate ex Manuali Fratrum Prædicatorum. fol.327. nu.24.

Teſtimonia Auguſtini de puritate Virginis. fol. 203.à nu.70.

Teſtimonia Patrum de puritate B. Virginis. fol.5.à n.1.& fol.24.nu.5.& deinceps. & fol. 89.nu.9.& deinceps. & fol.118. à nu.31.& fol. 147.nu.52. & deinceps. à fol.186.num.7.incluſiuè, vſque ad fol. 210.excluſiuè:& fol. 373.nu.18. & fol. 379.nu.16.& deinceps. & fol. 409 nu. 5.& deinceps. & fol.419. à nu.3. & fol. 421.à nu. 4.

¶ Theophylactus culpam actualem agnouit in B.Virgine; in quo nimis exceſsit: & nũc id aſſerere eſſet hæreticum. fol. 395. nu. 83.

¶ D.Thomas poſt mortem reuelauit, B. Virginem fuiſſe præſeruatam ab originali. fol. 335. nu. 19. Et viuus ita docuit fol.157. nu.15.& 16. Sed ſententiam poſtea mutauit. fol.156. num. 1. At ſi nunc viueret, ad priorem ſentẽtiam ſine dubio rediret, & immunitatẽ Virginis ab originali defenderet. fol. 299.nu.45.& 46.

¶ Thomiſtæ non omnes ſequuntur D. Thomam contra immunitatem B.Virginis ab originali. fol. 327. nu.24. Et quinam immunitatem Virginis tueantur? fo.159. num.23.& fol.326.n.22.

¶ Thronus Salomonis immaculatam Virginis Conceptionem figurabat. fol. 279.nu. 18.

¶ Traditio extitit ab Eliæ temporibus vſque ad Chriſtum Dominum de immunitate Virginis ab originali fol.186.nu.8.

Traditiones Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ ſunt de fide, quãuis in ſacris literis expreſſe non habeantur. fol. 28. num. 1.

¶ Translatio D.Iacobi in Hiſpaniam quando, & à quo facta? fol. 175.n.25.

¶ Tridentinũ ſeſſ.5. agens de peccato originali, non poteſt intelligi de ſolo debito illius contrahendi. fol. 88.num.42.& fol.146. nu.46.& deinceps.

Diffiniuit, B.Virginem nunquam peccaſſe actualiter. fol. 378 nu.9.10.& 11.

¶ Tumultus noui ſingulis fere ſeculis oriuntur contra Virginis immunitatem ab originali. fol.322.n.3.& ſequentibus.

V.

Verba quibus Eccleſia vtitur in canonizando. fol. 305.n 65.

Verba ex Caietano forte delenda. fo.330.nu. 42.

¶ Veritates omnes ad fidem modo aliquo pertinentes non ſolum excludunt errorem; ſed etiam poſsibilitatem errandi fol.165.nu. 14. Nec tamen ideo ſunt de fide diffinitæ fol.306 nu.71.

Veritates habent diuerſos gradus certitudinis. fol. 310 n.88.& deinceps.

Non poſſunt naturali lumine cognoſci ibid.n. 87.

Veritates, quæ non ſunt de fide, ſæpe ſumuntur ex aſsiſtentia diuina, atque adeo excludũt omnem formidinem oppoſiti. fol.317.nu. 214.

¶ Verum, cui à parte rei falſitas repugnat, dici non poteſt tantum probabile. fol. 310. num.86.

¶ Veſtigia aliqua de immunitate Virginis ab originali ab Apoſtolis tradita, ſemper apud antiquos Patres manſerunt fol.184.n.60.

¶ Viator per gratiã poteſt reddi impeccabilis. fol.427. num. 10.

Viator confirmatus in gratia, etiam in ſenſu diuiſo, non habet potentiam peccandi. fol.429.nu.18.

¶ Viguerius ex familia Dominicana pro immunitate Virginis ab originali. fol. 159. nu.23.& fol.326. nu.22.

¶ Vincentius Iuſtinianus etiam Dominicanus pro eadem Virginis immunitate: iiſdem locis.

¶ Vincentius Ferreira ex eadem familia pro

eadem immunitate. *fol.* 198. *nu.* 50. & deinceps. Et falſo citatur contra illam. *fol.* 236. *num.* 140.

¶ *Virga Ieſſe immunitatem Virginis ab originali figurabat. fol.* 279. *nu.* 21.

¶ *Virginitas carnis præſeruata eſt in Virgine per gratiã, non ſanctificantem, ſed gratis datam fol.* 196. *nu.* 38.

Virginitas mentis, & corporis in quo ſenſu ab Ambroſio B. *Virgini attributa? fol.* 195. *nu.* 37. & *deinceps. Et à Damaſceno? fol.* 197. *nu.* 47.

¶ *Virgo* Maria: *Vide,* Maria *Virgo.*

¶ *Virtutes morales, etiam in gradu perfectiſsimo, non ſufficiunt ad extinguendum fomitem per efficaciam ipſis cõnaturalem; ſufficerent tamen per aliam virtutem ipſis à Deo communicabilem. fol.* 405. *nu.* 7.

¶ *Vitium naturæ quatenus eſt tranſfuſiua peccati originalis in prolem, diſtinguitur à fomite peccati. fol.* 424. *num.* 5. *Et non poteſt extingui à natura ex Adamo propagata. ibidem.*

¶ *Vniuerſalitas huius propoſitionis, Omnes in Adam peccauerunt, & aliarum ſimilium in ſacris literis, cuiuſmodi ſit? fol.* 135. *n.* 7. & *fol.* 272. *nu.* 1. *Et an debeat propoſitio illa intelligi de ſolo debito peccandi, an etiam de actu? fol.* 267. *num.* 1. & *deinceps. Vera reſolutio. fol.* 268. *num.* 9.

¶ *Vniuerſitates: Vide, Academiæ?*

¶ *Voluntas moueri poteſt dupliciter, vt natura, & vt facultas libera. fol.* 440. *nu.* 72.

¶ *Vſus rationis in vtero, diuerſo titulo conuenit Chriſto Domino, & reliquis quibus conceditur. fol.* 455. *num.* 11.

Conceſſus fuit B. Virgini in prima ſanctificatione. fol. 454. *num.* 5. *Et ſemper in ea manſit. fol.* 456. *num.* 3. *Nec vnquam ceſſauit ab eius actu. fol.* 459. *nu.* 9.

Conceſſus quoque fuit Baptiſtæ in vtero matris. fol. 454. *num.* 7.

FINIS.

RES
3931 V.